FORMALIS EXPLICATIO

SUMMÆ THEOLOGICÆ

S. THOMAE AQUINATIS DOCT. ANG.

Tomus Quintus.

FORMALIS EXPLICATIO

SUMMÆ THEOLOGICÆ

S. THOMÆ AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI,

QUA OMNIA ARGUMENTA, ET RATIONES, QUÆ IN SINGULIS ARTICULIS TRACTANTUR, NON MODICA CLARITATE FORMANTUR, ET EXPLICANTUR, ARGUMENTORUMQUE RESPONSIONES EXPLICATÆ AD IPSORUM PARTES APTE ACCOMMODANTUR.

CUI ETIAM ACCEDUNT ELUCIDATIONES, SEU APPENDICES P. SERAPHINI CAPPONI Á PORRECTA ORDINIS PRÆDICATORUM.

AUCTORE

Fr. Hieronimo de Médicis à Camerino,

SAC. THEOLOG. MAG. ORD. PRAED.

ET MANTUÆ CONTRA HÆRETICAM PRAVITATEM GENERAL. INQ.

ALMA COLLEGE
208.8
LIBRARY
M469
Alma, California

TOMUS QUINTUS

Continens Primae Secundae Partis tertium volumen.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

VICI:
APUD SOLER FRATRES, TYPOG. EDIT.
1860.

26415

Veritatem meditabitur guttur meum, et labia mea detestabuntur impium.

Proverb. VIII. 7.

Property of
Clga
Please return to
Graduate Theological
Union Library

Tractatus
DE LEGIBUS.

QUÆSTIO NONAGESIMA,
DE LEGIBUS IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de principiis exterioribus actuum.

Principium autem exterius ad malum inclinans est diabolus, de cujus tentatione in primo dictum est (q. 111. art 2. et 3.) Principium autem exterius movens ad bonum est Deus, qui et nos instruit per legem, et juvat per gratiam.

Unde *primo* de lege, *secundo* de gratia dicendum est.

Circa legem autem *primo* oportet considerare de ipsa lege in communi: *secundo* de partibus ejus.

Circa legem autem in communi *tria* occurrunt consideranda.

Primo, quidem de essentia ipsius.

Secundo, de differentia legum.

Tertio, de effectibus legis.

Circa primum quæruntur quatuor.

Primo, utrum lex sit aliquid rationis.

Secundo, de fine legis.

Tertio, de causa ejus.

Quarto, de promulgatione ipsius.

ARTICULUS I.

Utrum lex sit aliquid rationis.

Pro negativa.=Videtur quod lex non sit aliquid rationis.

1. Quod est in membris corporis, non est rationis. Sed lex est in membris corporalibus. Ergo lex non est aliquid rationis.

Maior prob., quia ratio non utitur corporalibus membris.

Minor prob., quia dicit Apost. Rom. 7. *video aliam legem in membris meis.*

2. Si lex est aliquid rationis, aut est potentia, aut habitus, aut actus. Sed lex non est potentia, ut de se patet, nec est habitus, cum lex non sit virtus intellectualis, quæ solæ sunt habitus rationis: nec actus, cum lex non cesset cessante actu. Ergo lex non est aliquid rationis.

Maior probatur: quia in ratione non sunt nisi illa tria.

3. Quod movet ad bene agendum, non pertinet ad rationem, sed potius ad voluntatem. Sed lex movet eos, qui legi subjiciuntur, ad recte agendum. Ergo lex non est aliquid rationis, sed magis pertinet ad voluntatem.

Maior prob., quia movere ad agendum, proprie pertinet ad voluntatem. Et confirmatur hoc argumentum, quia jurisperitus dicit. *Quod placuit principi, legis habet vigorem.* Unde lex est ex voluntate principis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Illud, ad quod pertinet præcipere et prohibere, est aliquid rationis. Sed ad legem pertinet præcipere et prohibere. Ergo lex est aliquid rationis.

Maior probatur, quia præcipere et prohibere est aliquid rationis.

Determinatio.

Conclusio. Lex est aliquid pertinens ad rationem.

Probatur. Omnis regula, et mensura humanorum actuum pertinet ad rationem. Sed lex est quædam regula, et mensura humanorum actuum, secundum quam inducitur aliquis ab agendum, vel ad agen-

do retrahitur. Ergo lex est aliquid pertinens ad rationem.

Maior probatur. Ad primam regulam humanorum actuum pertinent omnes aliæ eorumdem actuum regulæ. Sed ratio est prima regula humanorum actuum. Ergo ad ipsam pertinet quælibet alia humanorum actuum regula.

Maior hujus prob., quia in unoquoque genere id quod est principium, est mensura et regula omnium, quæ sunt illius generis: sicut unitas in genere numeri, est mensura omnium numerorum, et motus primus in genere motuum, est mensura omnium motuum.

Minor hujus prob., quia rationis est ordinare ad finem, qui est primum principium in agendis secundum Philosophum.

Minor principalis prob., quia lex dicitur á ligando, quia obligat ad agendum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod cum lex sit regula quædam, et mensura, dupliciter dicitur esse in aliquo. Uno modo sicut in mensurante et regulante. Alio modo sicut in regulato et mensurato. Primo modo lex est in sola ratione, quia mensurare et regulare est proprium rationis. Secundo vero modo lex est in omnibus, quæ inclinantur in aliquid ex aliqua lege. Ita quod quælibet inclinatio proveniens ex aliqua lege, potest dici lex, non essentialiter sed participative, et hoc modo inclinatio membrorum ad concupiscendum, lex membrorum vocatur. Ad formam igitur dicitur ad maiorem, quod illud, quod est in membris corporis, ut in regulante, non est aliquid rationis. Sed tamen quod est in membris corporis, ut in regulatis, potest esse aliquid rationis. Tunc dicitur ad minorem quod lex est in membris corporis, non essentialiter. sed participative, non ut in regulantibus, sed ut in regulatis. Et ad probationem dicitur quod Apostolus loquutus est de lege secundum hunc modum.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod lex non est potentia, nec habitus, nec actus, sed est aliquid productum per actum rationis, quod tamen á ratione habitualiter potest retineri. Unde in maiori non enumerantur omnia, quæ sunt in ratione: præter habitum enim et actum, est aliquid productum per actum rationis, quod á ratione in habitu retinetur. Ad quorum evidentiam est sciendum quod sicut in actibus exterioribus duo inveniuntur, scilicet operatio ipsa, et operatum per operationem productum: puta in actu ædificandi est ipsa operatio, scilicet ædificatio, et id, quod per operationem producitur, scilicet ædificatum, ita in operibus rationis duo inveniuntur, scilicet ipse rationis actus, qui est intelligere, et ratiocinari, et aliquid productum per ipsum actum rationis; quod quidem in ratione speculativa primo est diffinitio: secundo enuntiatio: tertio syllogismus, vel argumentatio: hæc enim tria producuntur per actum rationis speculativæ. In ratione vero practica, quæ etiam utitur syllogismo, in operabilibus, ut supra dictum est, quæst. 13. art. 3. et quæst. 77. art. 2. ad 4. est invenire aliquid quod ita se habet ad operationes, sicut se habet propositio in ratione speculativa ad conclusiones, et hujusmodi propositiones universales rationis practicæ ordinatæ ad actiones, habent rationem legis, quæ quidem propositiones aliquando actualiter considerantur, aliquando vero habitualiter á ratione tenentur. Ex quibus patet quod lex est non potentia, nec actus, nec habitus, sed propositio universalis in ratione practica ordinata ad operationes.

Ad 3. Dicitur, quod voluntatem movere ad agendum contingit dupliciter. Uno modo, ut moveat ad agendum simpliciter, taliter ut ejus motus non habeat rationem legis. Sicut si voluntas moveat hominem ad ambulandum, ad studen-

dum, ad laborandum, et ad alia hujusmodi. Alio modo, ut moveat taliter, ut ejus motus, et imperium habeat rationem legis. Primo modo, voluntas movet rationem, ut dictum est quæst. 17. art. 1. et ratio habet, ut moveatur ab ipsa voluntate: ex hoc enim quod aliquis vult finem, ratio imperat de his quæ sunt ad finem, sed tamen imperium voluntatis non habet rationem legis, nisi voluntas sit regulata á ratione. Unde motus voluntatis, licet præcedat motum rationis, tamen motus voluntatis numquam habet rationem legis, nisi ipsa voluntas sit regulata in suo motu á ratione. Unde ad formam, dicitur ad maiorem, quod movere ad agendum, communiter loquendo, non est rationis, nisi præsupposito actu voluntatis, tamen motus ad agendum, ita ut motus habeat rationem legis, est á voluntate regulata á ratione. Unde lex est aliquid rationis, et non pertinet ad voluntatem, nisi prius reguletur á ratione: et ad confirmationem dicitur quod illud quod placuit principi, legis rationem habet, si tamen principis voluntas sit á ratione regulata; alioquin voluntas principis, ne dum non haberet rationem legis, sed potius iniquitas diceretur, utpote cujus imperium irrationabile esset.

ARTICULUS II.

Utrum lex semper ordinetur ad bonum commune.

Pro negativa.=Videtur quod lex non ordinetur semper ad bonum commune, ut ad finem.

1. Id ad quod pertinet præcipere et prohibere, non ordinatur ad bonum commune. Sed ad legem pertinet præcipere et prohibere. Ergo finis legis non est semper bonum commune.

Maior prob., quia præcepta ordinantur ad quædam singularia bona.

2. Quod ordinatur ad actus humanos dirigendos, non est ordinatum ad bonum commune. Sed lex ordinatur ad actus humanos dirigendos. Ergo lex non ordinatur ad bonum commune.

Maior probatur, quia actus humani sunt in particularibus.

3. Illud, quod ratione consistit, non solum ordinatur ad bonum commune, sed etiam ad bonum particulare. Sed lex est quæ ratione consistit. Ergo lex ordinatur non solum ad bonum commune, sed etiam ad particulare.

Maior probatur, quia ratione consistit, non solum id, quod ordinatur ad bonum universale, sed etiam ad particulare.

Minor prob., quia Isidorus dicit in libro Ethymol. quod *si ratione lex constat, lex erit omne quod ratione constiterit.*

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Isidorus dicit in 5. Ethymol. c. 21. quod *lex est nullo privato commodo, sed pro communi utilitate civium conscripta.*

Determinatio.

1.ª Conclusio. Lex semper ordinatur ad bonum commune.

Probatur dupliciter. Primo: regula et mensura, per quam humani actus ordinantur ad ultimum finem, semper ordinatur ad bonum commune. Sed lex est regula et mensura, per quam humani actus diriguntur et ordinantur in ultimum finem. Ergo lex semper ordinatur ad bonum commune.

Maior probatur, quia ultimus finis est hominis ultima et perfecta felicitas, quæ quoddam commune bonum omnium hominum est. Unde regula respiciens ultimum hominis finem, qui est perfecta hominis beatitudo, ad quam omnes ordinantur, ad bonum commune semper ordinatur.

Minor probatur, quia ut art. præced. dictum est, lex est aliquid rationis practicæ, quia ipsa ratio practica est principium humanorum actuum. Est autem ratio principium humanorum actuum per ordinem ad ultimum finem, qui in operabilibus est principium omnium, sicut primum pricipium in speculabilibus, est

principium omnium quæ cognoscuntur. Unde sicut lex pertinet ad ipsam practicam rationem, quatenus ipsa est principium humanorum actuum, ita debet pertinere ad ultimum finem, cum sit primum principium omnium actuum rationis practicæ. Lex igitur est regula, per quam ratio regulat omnes operationes humanas ad finem ultimum, qui ut dictum est, est beatitudo, et felicitas hominis, et commune bonum.

Prob. secundo conclusio. Quod ordinatur ad bonum perfectæ communitatis, ordinatur ad bonum commune, quod est felicitas humanæ vitæ. Sed lex ordinatur ad bonum perfectæ communitatis. Ergo lex ordinatur ad bonum commune.

Maior probatur. Quia unus homo est pars communitatis perfectæ, et ordinatur ad perfectam communitatem, sicut quælibet pars ad suum totum, ut imperfectum ad perfectum.

Minor probatur. Quia Phil. 5. Ethic. cap. 1. diffiniens legalia, dicit quod *legalia justa dicimus factiva, et conservativa fælicitatis, et particularium ipsius politicæ communicatione*, quæ perfecta communitas est civitas, ut dicitur 1. Polit. c. 1.

2.ª Conclusio. Quodcumque præceptum de particulari opere, non habet vim legis, nisi secundum ordinem ad bonum commune.

Probatur. In quolibet genere id quod maxime dicitur tale, est principium aliorum, et alia dicuntur talia per ordinem ad ipsum. Sed lex maxime dicitur, secundum ordinem ad bonum commune, ut dictum est. Ergo alia quæcumque præcepta non habent vim legis, nisi per ordinem ad bonum commune.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur quod aliud est loqui de lege, et aliud est loqui de præcepto legis. Lex enim est regula, et mensura humanorum actuum in ordine ad bonum commune, ut dictum est. Præceptum autem importat applicationem legis, ad ea, quæ ex lege regulantur, et quia ordo ad bonum commune, qui ad legem pertinet, potest applicari ab bonum particulare, propterea quandoque etiam de particularibus bonis præcepta dantur. Illud igitur, ad quod pertinet præcipere, et prohibere, potest ordinari ad bonum commune, et applicari per præceptum ad aliquod particulare bonum.

Ad 2. Negatur maior. Ad probationem dicitur quod operationes quidem sunt in particularibus; sed illa particularia referri possunt ad bonum commune, non quidem communitate generis, vel speciei, sed communitate causæ finalis, secundum quod bonum commune dicitur finis communis.

Ad 3. Negatur maior de eo, quod ita consistit ratione, ut habeat rationem legis. Sicut enim nihil constat firmiter secundum rationem speculativam, nisi per resolutionem ad prima principia indemonstrabilia; ita firmiter nihil constat per rationem practicam, nisi per ordinationem ad ultimum finem, qui est bonum commune. Quod autem hoc modo ratione constat, legis rationem habet.

ARTICULUS III.

Utrum ratio cujuslibet sit factiva legis.

Pro affirmativa.=Videtur quod cujuslibet ratio sit factiva legis.

1. Apost. dicit Rom. 2. quod *cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, ipsi sibi sunt lex*, quod communiter de omnibus dicit. Ergo quilibet potest sibi facere legem.

2. Ratio ejus, qui potest inducere hominem ad virtutem, est factiva legis. Sed quilibet homo potest inducere alium ad virtutem. Ergo ratio cujuslibet hominis est factiva legis.

Maior prob. «Intentio legislatoris est, »ut inducat hominem ad virtutem,» ut dicitur 2. Ethic. c. 1.

3. Princeps civitatis potest in civitate

condere legem. Ergo quilibet paterfamilias potest in sua domo condere legem.

Conseq. prob., quia sicut princeps civitatis est civitatis gubernator, ita quilibet paterfamilias est gubernator suæ domus.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Isidorus dicit in libro 5. Ethymol. c. 10. et habetur in decretis dist. 2. c. lex. «Lex est constitutio populi secun«dum quam maiores natu simul cum ple«bibus aliquid sanxerunt.» Ergo non est cujuslibet facere legem.

Determinatio.

Conclusio. Condere legem, vel pertinet ad totam multitudinem, vel ad personam publicam, quæ totius multitudinis curam habet, et non ad cujuslibet rationem.

Probatur. Ad eum, cujus est ordinare in bonum commune, solum pertinet condere legem. Sed ad communitatem, vel ad communitatis rectorem solum pertinet ordinare ad bonum commune. Ergo solum ad communitatem, vel ad communitatis gubernatorem pertinet condere legem, et non ad quamlibet personam particularem.

Maior prob., quia lex proprie primo et principaliter respicit ordinem ad bonum commune, ut dictum est art. præced.

Minor prob., quia ordinare ad finem pertinet ad eum, cujus est proprius ille finis, ut in omnibus aliis patet. Sed bonum commune est finis, vel multitudinis, vel ejus, qui habet curam multitudinis. Ergo ad multitudinem, vel ad gubernatorem multitudinis pertinet ordinare in bonum commune.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens quod est sententia Apostoli, quod in aliquo esse legem, dupliciter potest intelligi. Uno modo, sicut in regulante. Alio modo participative sicut in regulato. Primo modo, lex est solum in eo, ad quem pertinet ordinare multitudinem in finem. Secundo modo potest sibi unusquisque esse lex, et sic lex erat in gentilibus. Unde ibidem subditur, *ostendunt opus legis scriptum*, idest participatum *in cordibus suis*.

Ad 2. Dicitur, quod aliquis potest alium inducere ad virtutem dupliciter. Uno modo efficaciter et coactive. Alio modo solum persuasive. Tunc dicitur ad maiorem, quod ratio ejus qui potest inducere hominem ad virtutem efficaciter, et coactive, habet vim legis, non autem qui inducit solum persuasive, et non efficaciter. Et ad minorem dicitur quod persona privata non potest inducere efficaciter ad virtutem. Potest enim solum movere, sed si sua motio non recipiatur, non habet vim coactivam, quam debet habere lex ad hoc, quod efficaciter inducat ad virtutem, ut Phil. dicit in 10. Ethic. c. ult. hanc autem virtutem coactivam habet multitudo, vel persona publica, ad quam pertinet pœnas infligere ut infra dicetur, et ideo solius ejus est leges facere.

Ad 3. Neg. consequentia. Ad prob. dicitur, quod non est eadem ratio de patre, respectu suæ familiæ, et de principe respectu civitatis. Domus enim, sive familia non est communitas perfecta sed pars communitatis perfectæ quæ est civitas, sicut homo est pars domus, ut dicitur 1. Polit. c. 1. et ideo sicut bonum unius hominis non est ultimus finis, sed ad commune bonum ordinatur, ita etiam bonum unius domus ordinatur ad bonum unius civitatis, quæ est perfecta communitas. Condere igitur legem, quæ ad bonum commune ordinatur, non pertinet ad rectorem imperfectæ communitatis, qualis est paterfamilias, sed ad rectorem perfectæ communitatis. Potest igitur paterfamilias facere aliqua præcepta, vel statuta, non tamen habebunt rationem legis, quia hujusmodi præcepta ordinantur solum ad bonum imperfectæ communitatis.

ARTICULUS IV.

Utrum promulgatio sit de ratione legis.

Pro negativa.=Videtur quod promulgatio non sit de ratione legis.

1. Lex naturalis non indiget promulgatione. Ergo non est de ratione legis, ut promulgetur.

Conseq. prob., quia lex naturalis maxime habet rationem legis.

2. Lex obligat ad sui impletionem, non solum eos coram quibus fit promulgatio, sed etiam alios. Ergo promulgatio non est de ratione legis.

3. Obligatio legis extenditur etiam in futurum. Ergo promulgatio non est de ratione legis.

Antecedens prob. quia Legistæ in Cod. lib. tit. 17. de Leg. lege 7. dicunt, quod *leges futuris negotiis necessitatem imponunt.*

Conseq. prob., quia promulgatio fit ad præsentes.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dicitur in decretis, quarta dist. c. in istis, quod *leges instituuntur, cum promulgantur.*

Determinatio.

Conclusio. Promulgatio est necessaria ad hoc ut lex habeat suam virtutem, et sub aliis verbis, promulgatio est de ratione legis.

Prob. Applicatio legis ad eum, qui secundum legem suas actiones mensurare debet, est de ratione legis. Sed promulgatio est legis applicatio ad hominem, qui secundum eam regulari debet. Ergo promulgatio est de ratione legis.

Maior prob. Applicatio mensuræ ei, qui per mensuram mensurari debet, est de ratione mensuræ. Sed lex imponitur per modum regulæ et mensuræ. Ergo applicatio legis eis, quibus datur lex, est de ratione legis.

Minor prob., quia applicatio legis fit per hoc, quod in notitiam eorum quibus datur deducitur ex ipsa promulgatione.

Definitio legis.

Ex quatuor articulis præsentis quæstionis colligitur definitio legis, quæ est: Lex est ordinatio rationis, ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet promulgata.

Lex est ordinatio rationis, ex 1. art.

Ad bonum commune, ex 2. art.

Ab eo, qui curam communitatis habet, ex 3. art.

Promulgata, ex 4. art.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod promulgatio legis naturæ est ex hoc ipso, quod Deus eam mentibus hominum inservit naturaliter cognoscendam.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod illi, coram quibus lex non promulgatur, obligantur ad legem observandam inquantum in eorum notitiam devenit per alios vel devenire potest promulgatione facta.

Ad 3. Dicitur ad consequentiam, quod promulgatio præsens in futurum extenditur per firmitatem scripturæ, quæ quodammodo semper eam promulgat. Unde Isidorus dicit in 2. Ethimol. c. 10. quod *lex á legendo vocata est, quia scripta est.*

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 90.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et Isidoro insinuatum; quod lex est aliquid pertinens ad rationem. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Prov. 8. *Conditores legum juxta decernunt.* Decernere

enim justum importat, ut patet, aliquid rationis. Nam hoc dicit quamdam rectificationem operationum humanarum: humanæ vero operationes rectificantur, secundum quod attingunt regulam rationis, 2. 2. q. 58. art. 3. et per hoc, quod dicitur Isa. 10. *Væ, qui condunt leges iniquas.* Ideo enim damnationem æternam contra legum iniquarum conditores profert scriptura, quia supponit, quod esse secundum rectam rationem sit de ratione legum. Unde et tales leges non dicuntur absolute leges, sed cum diminutione maxima, scilicet leges iniquæ. Unde nec justitia, sed injustitia, vocantur ibi mox per ly *et scribentes justitiam scripserunt.* Ac si ex omnibus his aperte scriptura utraque scholasticam linguam assumens dixerit: Recta ratio, secundum quam justitia speciatim legibus convenit, pertinet ad essentiam legis. Ab Isidoro autem insinuatur idipsum in lib. 5. Etymolo. et recitatur in decretis dist. 1. et 4. " legem ratio commendat. Erit autem lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, » idest naturalem rationem, ut Glo. exponit. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et Isidoro insinuatum, quod lex ordinatur ad bonum commune. Ab Isidoro quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod liber Genesis ponitur ante librum Exodi. Nam in libro Genesis creatur, propagatur, coadunaturque populi fidelis communitas, cui post in *Exod.* 20. datur lex divina, omnium aliarum legum norma. Ex hac ergo scripturarum serie denotatur scholasticis acutis intentum, quod scilicet omnis lex respicit proprie communitatem, seu quod ad bonum commune ordinatur. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim olim *Valdensium*, post *Joannis Wiclef*, deinde *Lutheri*, ut refert Dominicus Soto de just. et ju. lib. 1. q. 7. art. 4. dicentium, quod leges morum condendi, neque in Pontifice Maximo, neque in tota Ecclesia ulla est potestas. Si enim multitudo alicujus civitatis, aut ejus vicem in civitate gerens, qui alias vocatur princeps, habet jus condendi legem in genere suo, idest civili: utique multo magis princeps totius mundi, idest Pontifex Maximus, Christi universalis Monarchiæ vicem gerens, habebit jus condendi leges morum, sed et tota Ecclesia, quæ qualibet cujuscumque civitatis multitudine amplior est. Articulus ergo iste hæresim prædictam oppugnat, expugnatque: et quidem á fortiori. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam merito damnari á Papa *Leon.* X. in sua bulla contra errores *Lutheri.* Item á Concilio *Constantiensi sess.* 8. per hoc, quod pronunciavit *Joannem Wiclef* esse hæreticum, ejusque memoriam damnavit, atque ossa ipsius exhumari, et comburi fecit. Ut enim alibi ex B. Augustino docuimus; quorum auctores ab Ecclesia reprobantur, eorum dicta, seu scripta simul reprobari cointelliguntur. Item ab *Anacleto* Papa III. vel IV. post Petrum, natione Græco, in Epistola 3. " si quæ causæ difficiliores inter vos ortæ fuerint, ad hujus sanctæ sedis apicem, eas, quasi ad caput, referte; ut Apostolico terminentur judicio: quia sic Dominum velle, ab eoque ita constitutum esse, antedictis testimoniis declaratur. Hæc vero Apostolica sedes (ut præfactum est) omnium ecclesiarum á Domino, et non ab alio, constituta est. Et, sicut cardine ostium regitur: ita hujus sanctæ sedis auctoritate omnes Ecclesiæ, Domino disponente, reguntur. » Hæc ille. Item á Luc. 22. " Tu aliquando cònversus confirma fratres tuos. » De quo vide pulchra in Elucidat. Additionum, quæst. 19. art. 3. Item damnantur á dictis in eisdem Additionum Elucidationibus, q. 23. ar. 3. et quæst. 24. ar. 1. Item, et abundanter á veriratibus aureis super totam legem veterem, Deut. 7. concl. 7. et cap. 19. concl. 6. item Gen. 16. concl. 5. Vide et ibid. Exod. 18. concl. 1. et Num. 2. concl. 10. et cap. 4. concl. 3. 4. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis (tuum enim est, semper hic, et ubique similia bene applicare) doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse a scripturis, et decretis; quod promulgatio est de ratione legis. A decretis quidem,

ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod postquam Dominus dederat legem Moysi pro populo regulando, Exod. 20. 21. 22. 23. subditur in cap. 24. " Venit ergo Moyses, et narravit plebi omnia verba Domini, atque judicia. Responditque omnis populus una voce. Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. Scripsit autem Moyses universos sermones Domini. » Patet enim hic, et promulgationem legis jam datæ á Deo factam fuisse per Moysem: patet, et promulgationem esse illam, qua communitas per legem regulanda deducitur in notitiam eorum, quæ in lege mandantur: Patet, et promulgationem esse necessariam ad hoc, ut lex acceptetur á communitate, ipsaque obligetur ad legis observantiam: Patet, et promulgationem debere fieri non solum verbo, sed etiam scripto, idest quod dicta in verbis redigantur in scriptis, *Secundo* vides: quomodo etc.

QUÆSTIO NONAGESIMA PRIMA.

DE LEGUM DIVERSITATE, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de diversitate legum.

Et circa hoc quæruntur sex.

Primo, utrum sit aliqua lex æterna.
Secundo, utrum sit aliqua lex naturalis.
Tertio, utrum sit aliqua lex humana.
Quarto, utrum sit aliqua lex divina.
Quinto, utrum sit una tantum, vel plures.
Sexto, utrum sit aliqua lex peccati.

ARTICULUS I.

Utrum sit aliqua lex æterna.

Pro negativa.=Videtur quod non sit aliqua lex æterna.

1. Non fuit ab æterno aliquis, cui lex posset imponi. Ergo nulla lex est æterna.

Antec. prob., quia solus Deus, cui nulla imponitur lex, est æternus.

Consequentia probat., quia omnis lex aliquibus imponitur.

2. Promulgatio non potuit esse ab æterno. Ergo nulla lex potest esse æterna.

Anteced. prob., quia non erat ab æterno, cui promulgaretur.

Conseq. prob., quia promulgatio est de ratione legis.

3. Quod ordinatur ad finem, non potest esse æternum. Sed lex importat ordinem ad finem. Ergo lex non potest esse æterna.

Maior prob., quia solus ultimus finis est æternus.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. lib. 1. de libero arbitrio cap. 6. dicit. *Lex, quæ summa ratio nominatur, non potest cuipiam intelligenti non incommutabilis, æternaque videri.*

Determinatio.

Conclusio. Aliqua lex est æterna.

Probatur. Ratio gubernationis rerum in Deo, sicut in principe universitatis existens, est æterna. Sed ratio gubernationis rerum in Deo, sicut in principe existens, habet rationem legis. Ergo aliqua lex est æterna.

Maior prob.. quia ratio divina nihil concipit ex tempore, sed habet æternum conceptum, ut dicitur proverb. 8.

Minor probatur. Dictamen practicæ rationis in principe, qui gubernat aliquam communitatem perfectam, habet rationem legis. Sed Deus sua providentia universum gubernat, ut probatum est, prima parte, quæst. 22. art. 1. Ergo ipsa ratio gubernationis rerum in Deo, sicut in principe existens, habet rationem legis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, et ad ejus probationem quod licet ab æterno res, quibus lex imponitur, non fuerint, tamen apud Deum, *qui vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt*, ab æterno extiterunt, in quantum sunt ab ipso cognita, et præordinata. Sic igitur æternus divinæ legis conceptus habet rationem

legis æternæ, secundum quod á Deo ordinatur ad gubernationem rerum ab ipso præcognitarum.

Ad 2. Dicitur, quod promulgatio legis dupliciter consideratur. Uno modo ex parte promulgantis. Alio modo, ex parte ejus, cui fit promulgatio. Si in antecedente sit sermo de promulgatione ex parte promulgantis, falsum est, nam promulgatio legis æternæ ex parte promulgantis, æterna est: promulgatio enim fit verbo et scripto, et utroque modo lex æterna habet promulgationem ex parte Dei promulgantis, quia verbum divinum est æternum, et scriptura libri vitæ est æterna. Si vero sit sermo in antecedente de promulgatione ex parte ejus, cui fit promulgatio, verum est: ex parte enim creaturæ audientis et inspicientis, non potest esse promulgatio æterna, sed tunc negatur consequentia, et ad probationem dicitur quod sufficit ut lex æterna habeat promulgationem ex parte promulgantis ab æterno.

Ad 3. Dicitur, quod aliquid importare ordinem ad finem dupliciter contingit. Uno modo active: alio modo passive. Et sub aliis verbis. Aliquid potest importare ordinem ad finem, vel quia ordinat ad finem; vel quia ordinatur ad finem. Ad maiorem igitur dicitur, quod si intelligatur de eo quod importat ordinem ad finem passive, vera est, sed tunc negatur minor. Si vero intelligatur de eo quod importat ordinem ad finem active, est falsa, et probatio valet de eo quod ordinatur ad finem passive. Tunc ad minorem dicitur, quod lex importat ordinem ad finem active, in quantum per eam ordinantur aliqua in finem, non autem passive; ita quod ipsa lex ordinetur in finem, nisi per accidens in gubernante, cujus finis est extra ipsum, ad quem necesse est ut etiam lex ejus ordinetur quod in lege æterna esse non potest, quia cum finis divinæ gubernationis non sit aliud ab ipso, nec ipsa lex sit aliud á Deo, sequitur quod sicut Deus non ordinatur ad finem, sed est ipse finis, nec etiam lex æterna ad finem ordinetur.

ARTICULUS II.

Utrum sit in nobis aliqua lex naturalis.

Pro negativa.=Videtur quod non sit in nobis aliqua lex naturalis.

1. Homo sufficienter gubernatur per legem æternam. Ergo non est aliqua lex homini naturalis.

Antec. prob., quia Aug. dicit lib. 1. de lib. arb. c. 6. quod *lex æterna est, qua justum est, ut omnia sint ordinatissima.*

Conseq. prob., quia natura non abundat in superfluis, sicut nec deficit in necessariis.

2. Ordinatio humanorum actuum in finem non est per naturam, sicut in brutis accidit, quæ solo appetitu naturali agunt propter finem, sed per rationem et voluntatem propter finem homo agit. Ergo non est aliqua lex homini naturalis.

Conseq. prob., quia per legem ordinatur homo in suis actibus ad finem, ut supra dictum est, quæst. præced. artic. 2.

3. Animalia bruta non subduntur legi naturali. Ergo multo minus homo legi naturali subjicitur.

Conseq. prob., quanto aliquis est liberior, tanto minus est sub lege. Sed homo est liberior aliis animalibus, propter liberum arbitrium, quod præ aliis animalibus habet. Ergo si animalia bruta legi naturali non subduntur, multo minus homini est aliqua lex naturalis, cui debeat subjici.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Super illud Rom. 2. *Cum gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*, dicit Glosa. Quod *si non habent legem scriptam, habent tamem legem naturalem, qua quilibet intelligit; et sibi conscius est, quid sit bonum et quid malum.*

Determinatio.

Conclusio. In creatura rationali est aliqua lex naturalis.

Prob. In creatura quæ participat intellectualiter, et rationaliter legis æternæ rationem, est aliqua lex naturalis. Sed creatura rationalis participat intellectualiter, et rationaliter legis æternæ rationem. Ergo in creatura rationali est aliqua lex naturalis.

Minor prob., quia participatio legis æternæ, in rationali creatura dicitur lex naturalis. Unde cum Psal. 4. dixisset. *Sacrificate sacrificium justitiæ*, quasi quibusdam quærentibus, quæ sunt opera justitiæ? subjungit. *Multi dicunt quis ostendit nobis bona*? Cui quæstioni respondens, dicit. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, quasi lumen rationis naturalis, quo discernimus, quid sit bonum, et quid malum (quod pertinet ad naturalem legem) nihil aliud sit quam impressio divini luminis in nobis. Et sic patet quod lex naturalis nihil aliud est, nisi participatio legis æternæ in rationali creatura.

Minor prob. quoad duo. Primo quod creatura rationalis participet legem æternam. Secundo quod eam participet intellectualiter, et rationaliter. Et quoad primum sic. Regula et mensura participatur á regulato, et mensurato. Sed lex æterna est regula et mensura omnium creaturarum. Ergo lex æterna est aliqualiter participata ab omni creatura.

Maior hujus manifestatur, quia ut in præcedenti quæst. artic. 1. ad 1. dictum est, regula et mensura dupliciter in aliquo esse potest. Uno modo sicut in regulante et mensurante. Alio modo sicut in regulato et mensurato, quia in tantum aliquid regulatur et mensuratur, inquantum participat aliquid de regula et mensura.

Minor hujus prob. Quæ subduntur divinæ providentiæ, á lege æterna regulantur et mensurantur, ut dictum est. Sed omnia subduntur divinæ providentiæ. Ergo omnia mensurantur et regulantur per legem æternam, ex cujus impressione habent inclinationes in proprios actus et fines.

Quoad secundum probatur minor principalis, quod lex æterna participetur á creatura rationali excellentiori modo, quam participetur á cæteris creaturis, scilicet intellectualiter et rationaliter.

Probatur. Quia inter cæteras creaturas, rationalis excellentiori quodammodo divinæ providentiæ subjacet, in quantum, et ipsa fit providentiæ particeps, sibi ipsi, et aliis providens. Unde et in ipsa participatur ratio æterna, per quam habet inclinationem ad debitum actum, et finem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod supponit unum falsum, scilicet quod lex naturalis sit aliquid diversum á lege æterna, quo supposito efficax esset argumentum; sed quia lex naturalis nihil aliud est quam legis æternæ participatio, ideo nulla est superfluitas in hujusmodi lege.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod licet non omnis operatio voluntatis et rationis, qua actus diriguntur in finem, sit naturalis, ut in brutis; tamen omnis hujusmodi operatio, tum rationis, tum voluntatis, derivatur in nobis ab eo, quod est secundum naturam, ut dictum est, qu. 10. art. 1. Nam omnis ratiocinatio derivatur á principiis naturaliter notis, et omnis appetitus eorum, quæ sunt ad finem, derivatur á naturali appetitu ultimi finis, et sic etiam oportet ut prima directio nostrorum actuum in finem, fiat per legem naturalem.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod etiam animalia irrationalia participant rationem æternam suo modo, sicut et rationalis creatura; sed quia rationalis creatura participat eam intellectualiter et rationaliter, ideo participatio legis æternæ in creatura rationali, proprie lex vocatur: nam lex est aliquid rationis, ut supra dictum est quæst. præc. art. 1. in creatura autem irrationali non partici-

patur rationaliter, unde non potest dici lex. nisi per similitudinem.

ARTICULUS III.

Utrum sit aliqua lex humana.

Pro negativa=Videtur quod non sit aliqua lex humana.

1. Lex naturalis sufficit ad omnia humana ordinanda. Ergo non est necessarium ut sit aliqua lex humana.

Antecedens probatur. Per legem æternam omnia sunt ordinatissima, ut Aug. dicit lib. 1. de lib. arb. cap. 6. Sed lex naturalis est participatio legis æternæ, ut dictum est. Ergo per legem naturalem omnia sunt ordinatissima.

2. Ratio humana non est mensura rerum, sed potius é conversio á rebus mensuratur, ut dicitur 10. Metaph. tex. 3. Ergo á ratione humana nulla potest lex condi, quæ humana dicatur.

Conseq. prob., quia lex habet rationem mensuræ, ut dictum est art. præced.

3. Id ex quo lex procedit debet esse certissimum. Sed dictamen humanæ rationis de rebus gerendis est incertum. Ergo ex ratione humana nulla lex, quæ humana dicatur, procedere potest.

Maior prob. Mensura est certissima. Lex habet rationem mensuræ. Ergo lex est certissima, et inde non potest procedere ab eo, quod est incertum.

Minor probatur. Quia Sapientiæ 9. dicitur. *Cogitationes mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ.*

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

August. 1. de lib. arb. c. 6. ponit duas leges. Unam æternam, et aliam temporalem, quam dicit esse humanam.

Determinatio.

Conclusio. Sunt aliquæ leges humanæ, quæ sunt particulares dispositiones á ratione inventæ ordinatæ ad bonum á principe promulgatæ.

Prob. In ratione speculativa ex principiis indemonstrabilibus, naturaliter cognitis, producuntur conclusiones diversarum scientiarum, quarum cognitio non est nobis naturaliter indita, sed per industriam rationis inventa. Ergo etiam ex præceptis legis naturalis, quasi ex quibusdam principiis communibus, et indemonstrabilibus, necesse est ut ratio humana procedat ad aliqua magis particulariter disponenda, quæ particulares dispositiones adinventæ secundum rationem humanam, dicuntur leges, dummodo sint ordinatæ ad bonum commune, á principe perfectæ communitatis conditæ et promulgatæ.

Conseq. prob., quia cum lex sit quoddam dictamen practicæ rationis, similis processus invenitur rationis practicæ, et speculativæ.

Et confirmatur conclusio. Quia Tullius dicit in sua Rhetorica, lib. 2. de invent. quod *initium veri est á natura profectum, deinde quædam in consuetudinem ex utilitate rationis venerunt, postea res á natura profectas, et consuetudine probatas, legum metus et religio sanxit.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens. Ad minorem probationis dicitur, quod ratio humana non potest participare ad plenum dictamen rationis divinæ, sed suo modo, et imperfecte, et ideo sicut ex parte rationis speculativæ, per naturalem participationem divinæ sapientiæ, inest nobis cognitio quorumdam communium principiorum, non autem cujuslibet veritatis propria cognitio, sicut in divina sapientia continetur: ita etiam ex parte rationis practicæ naturaliter homo participat legem æternam, secundum quædam communia principia, non autem secundum particulares directiones singulorum, quæ tamen in æterna lege continentur, et ideo necesse est ulterius, quod ratio humana procedat ad particulares quasdam legum sanctiones.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod ratio humana dupliciter considerari potest. Uno modo secundum se. Alio modo secundum quod habet quædam principia

sibi naturaliter indita, quæ sunt regulæ quædam generales, et mensuræ omnium eorum, quæ sunt per hominem agenda, primo modo non est mensura, sed secundo modo: non quidem mensura eorum, quæ sunt á natura, de quibus Arist. locutus est 10. Metaph. sed eorum, quæ per hominem aguntur.

Ad 3. Negatur maior. Ratio enim humana practica est circa operabilia, quæ sunt singularia et contingentia non autem circa necessaria, ut est ratio speculativa, et ideo leges humanæ non possunt illam infallibilitatem habere, quam habent conclusiones demonstrativæ scientiarum. Unde ad probationem dicitur, ad maiorem, quod non oportet ut omnis mensura sit omnino infallibilis et certa sed secundum quod est possibile in genere suo.

ARTICULUS IV.

Utrum fuerit necessarium esse aliquam legem divina.

Pro negativa.=Videtur quod non fuerit necessarium esse aliquam legem divinam.

1. Præter legem quæ est participatio legis æternæ, nulla alia est homini lex divina necessaria. Sed lex naturalis est quædam participatio legis æternæ, ut dictum est. Ergo præter legem naturalem, et humanas ab ea derivatas, nulla est alia lex divina necessaria.

Minor prob., quia lex æterna est lex divina.

2. Qui dimissus est in manu consilii sui, non indiget nisi lege humana. Sed *homo dimissus est in manu consilii sui*, ut dicitur Eccl. 15. Ergo homo non indiget nisi lege humana.

Maior probatur, quia cum consilium sit actus rationis, qui dimissus est in manu consilii sui, dimissus est gubernationi humanæ rationis, cujus dictamen est lex humana. Unde ei qui dimissus est in manu consilii sui, sufficit lex humana.

3. Irrationales creaturæ non habent aliquam legem divinam, præter inclinationem naturalem eis inditam. Ergo multo minus creatura rationalis debet habere aliquam legem divinam, præter naturalem.

Conseq. prob., quia natura humana est sufficientior irrationalibus creaturis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

David expetit legem á Deo sibi poni, dicens in Psal. 118. *Legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum.*

Determinatio.

Conclusio. Præter legem naturalem et humanam, necessarium fuit ad directionem humanæ vitæ, habere legem divinam, et hoc propter quatuor rationes.

Prima. Ei qui ordinatur in finem excedentem facultatem suæ naturæ, est necessaria aliqua lex divina, præter naturalem et humanam. Sed homo ordinatur ad finem beatitudinis æternæ, quæ excedit proportionem naturalis facultatis humanæ, ut dictum est supra, quæst. 5. art. 5. Ergo homini præter legem naturalem et humanam á naturali derivatam, necessaria est lex divina.

Maior probatur, quia per legem dirigitur homo ad actus proprios in ordine ad ultimum finem. Unde si homo ordinaretur tantum ad ultimum finem, qui non excederet proportionem naturalis facultatis hominis, non oporteret ut haberet aliquod directivum ex parte rationis supra legem naturalem, et legem humanitus positam, quæ ab ea derivatur: sed quia homo ordinatur in supernaturalem finem indiget supernaturali lege qua in supernaturalem finem dirigatur.

Secunda. Judicium humanum præcipue circa res contingentes et particulares, est incertissimum. Ergo ut homo absque dubitatione scire possit, quid ei, sit agendum, et quid vitandum, necessarium fuit ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinitus datam.

Antecedens manifestatur. Quia prop-

ter incertitudinem humani judicii, contingit de actibus humanis, diversorum esse diversa judicia, ex quibus etiam diversæ, et contrariæ leges procedunt.

Conseq. prob., quia lex divina non potest errare, sed est certissima.

Tertia. Homo non potest facere legem, qua ordinarentur sufficienter, et cohiberentur actus interiores, sed solum potest condere legem ad ordinandos et cohibendos actus exteriores. Ergo necessarium fuit ut superveniret lex divina, per quam non solum actus exteriores, sed etiam interiores sufficienter ordinarentur, et cohiberentur.

Antecedens probatur. De his potest homo legem facere, de quibus potest judicare. Sed de actibus interioribus homo non potest judicare, cum lateant, sed solum de exterioribus. Ergo homo de actibus interioribus non potest condere legem, sed solum de exterioribus.

Consequentia prob., quia ad perfectionem virtutis requiritur ut in utrisque actibus homo rectus existat.

Quarto. Lex humana non potest omnia, quæ male fiunt punire, vel prohibere, ut August. dicit 1. de lib. arb. cap. 6. Quia dum auferre vellet omnia mala, multa bona tollerentur, et impediretur utilitas boni communis, quod est necessarium ad humanam conversationem. Ergo ut nullum malum improhibitum, et impunitum remaneat, necessarium fuit supervenire legem divinam, per quam omnia peccata prohiberentur.

Est igitur lex divina necessaria propter quatuor: primo, ut per ipsam dirigatur homo in ultimum finem supernaturalem: secundo, ut homo certo sciret, quid agendum, et quid vitandum: tertio, ut per ipsam dirigantur etiam interiores actus: quarto, ut nullum malum remaneret improhibitum et impunitum.

Et istæ quatuor causæ tanguntur in Psalm. 18. ubi dicitur. *Lex Domini immaculata*; idest nullam peccati turpitudinem admittens: en quarta causa necessitatis divinæ legis. *Convertens animas.* Quia non solum actus exteriores, sed etiam interiores dirigit, en tertia causa. *Testimonium Domini fidele.* Propter certitudinem veritatis, et rectitudinis: en secunda causa. *Sapientiam præstans parvulis;* in quantum ordinat hominem ad supernaturalem finem, et divinum: en prima causa propter quam lex divina est necessaria homini.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod participatio legis æternæ in homine est duplex. Quædam quæ non excedit proportionem capacitatis humanæ naturæ. Quædam vero est participatio excedens proportionem humanæ facultatis. Ad formam igitur negatur maior. Præter legem enim quæ est participatio legis æternæ, non excedens capacitatem humanæ naturæ, est necessaria alia lex, quæ sit participatio divinæ legis, excedens capacitatem humanæ naturæ, quæ est lex divina, ut dictum est. Tunc ad minorem dicitur quod lex naturalis est quidem participatio æternæ legis; sed hujusmodi participatio humanas vires non excedit, et ideo non potest dirigere hominem in ultimum supernaturalem finem, sed ad hoc est necessaria lex divina, quæ est participatio legis æternæ altiori modo.

Ad 2. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod consilium est quidem actus rationis, sed cum sit quædam inquisitio, oportet ut procedat ex aliquibus principiis, sed quia non sufficit ut procedat ex principiis naturaliter inditis, quæ sunt præcepta legis naturæ, quæ quia non sufficiunt ad dirigendum hominem in ultimum finem, et ad alia de quibus in corpore dictum est; propterea oportet ut superaddantur quædam alia principia supernaturalia, quæ sunt præcepta divinæ legis.

Ad 3. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de creaturis irrationalibus et homine. Creaturæ enim irrationales non ordinantur ad altiorem finem,

quam sit finis proportionatus naturæ ipsorum. Creatura vero rationalis ordinatur in altiorem finem, ut dictum est. Et ad probationem dicitur, quod licet natura humana sit sufficientior respectu eorum, ad quæ naturaliter ordinatur, tamen ad supernaturalia non potest pertingere absque supernaturali auxilio.

ARTICULUS V.

Utrum lex divina sit una tantum.

Pro affirmativa. — Videtur quod lex divina sit una tantum.

1. Unius regis in uno regno est tantum una lex. Sed ad Deum comparatur totum genus humanum, sicut ad unum regem: juxta illud Psal. 46. *Rex omnis terræ Deus.* Ergo est tantum una lex divina.

2. Legislatoris intendentis unum finem omnibus, quibus legem fert est tantum una lex. Sed Deus est legislator intendens omnibus hominibus unum et eumdem finem. Ergo Dei est tantum una lex, quæ dicitur divina.

Maior prob., quia lex omnis ordinatur in finem, quem legislator intendit in eis, quibus legem fert. Unde si unus tantum est finis, una tantum erit lex.

Minor prob., quia Deus omnes ordinat ad salutem, juxta illud Apostol. 1. Timot. 2 *Deus vult omnes homines salvos fieri.*

3. Lex naturalis est una omnium hominum. Ergo multo magis lex divina debet esse una.

Conseq. prob., lex quæ est propinquiòr legi æternæ, videtur esse magis una. Sed lex divina est propinquior legi æternæ, quam lex naturæ, quanto altior est revelatio gratiæ, quam cognitio naturæ. Ergo si lex naturalis est una, multo magis lex divina.

Aliter. Lex divina est magis una, quam lex naturalis. Ergo lex divina est tantum una.

Antec. prob., quia lex divina est magis propinqua legi æternæ, quam lex naturalis, quanto est altior revelatio gratiæ, quam naturæ cognitio.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Sacerdotium est duplex, scilicet Leviticum et Christi. Ergo duplex est lex, scilicet vetus et nova.

Conseq. prob., quia lex consequitur sacerdotium, juxta illud Hebr. 7. *Translato sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat.*

Determinatio.

Distinctio. Aliqua inveniuntur distintingui dupliciter. Uno modo sicut ea, quæ sunt omnino specie diversa: ut equus, et bos. Alio modo sicut perfectum, et imperfectum in eadem specie: sicut puer, et vir.

Conclusio. Lex divina non est tantum una, sed duplex, scilicet antiqua, et nova, quæ non distinguuntur, sicut ea, quæ sunt specie diversa, sed sicut imperfectum á perfecto.

Prob. authoritate, et rationibus.

Authoritas est Apost. ad Gal. 3. comparantis statum veteris legis statui pueroli, et statum novæ legis statui viri perfecti, qui jam non est sub pædagogo.

Ratio autem ostendens quod lex antiqua distinguitur á nova, sicut imperfectum á perfecto, triplex est, secundum tria, quæ pertinent ad legem scilicet ordinare ad bonum commune. Dirigere humanos actus secundum ordinem justitiæ, et inducere homines ad observantiam divinorum mandatorum.

Prima igitur ratio desumitur ex primo, quod ad legem pertinet, scilicet ordinare ad bonum commune, ut ad finem præmittendo quod bonum commune, ad quod homo potest, ut ad finem ordinari, est duplex, scilicet sensibile, seu terrenum, et intelligibile, sive cœleste: tunc formatur.

Prima ratio. Lex ordinans hominem ad bonum sensibile et terrenum est imperfecta, respectu legis ordinantis ad bonum intelligibile et cœleste. Sed lex an-

tiqua ordinabat directe ad bonum sensibile et terrenum, lex autem nova ordinat ad bonum intelligibile et cœleste. Ergo lex antiqua distinguitur á nova, ut imperfectum á perfecto.

Maior prob., quia bonum sensibile, et terrenum imperfectum est respectu boni intelligibilis et cœlestis.

Minor quoad primam partem probatur: quia Exod. 3. In principio legis invitatur populus ad regnum terrenum Chananæorum.

Quoad secundam prob., quia Christus statim in principio suæ prædicationis ad regnum cœlorum invitavit dicens: Matth. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.*

Et confirmatur eadem minor ex Augustino dicente 4. contra Faustum, cap. 2. quod temporalium rerum promissiones in testamento veteri continentur, et ideo vetus appellatur, sed æternæ vitæ promisso ad novum pertinet testamentum.

Secunda ratio quæ desumitur ex secundo, quod pertinet ad legem, quod est dirigere humanos actus secundum ordinem justitiæ, est hæc. Lex quæ ordinat secundum ordinem justitiæ solum actus humanos exteriores, comparatur ut imperfectum ad perfectum, ad legem, quæ ordinat etiam actus interiores. Sed lex antiqua ordinat tantum actus exteriores, lex vero nova ordinat etiam actus interiores. Ergo lex vetus distinguitur á nova, ut imperfectum á perfecto.

Minor prob., quia Matth. 5. dicitur. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Justitia enim Scribarum et Pharisæorum consistebat in directione actuum exteriorum, secundum justitiam, puta, ut non occiderent. Justitia vero eorum qui sunt in lege gratiæ, consistit etiam in actu interiori, ut non irascantur fratri, nec odio ipsum prosequantur.

Et confirmatur eadem minor. Quia dicitur quod lex vetus cohibet manum, idest exteriores actus. Lex vero nova cohibet animum, scilicet actus etiam interiores.

Tertia ratio est quæ desumitur ex tertio, quod ad legem pertinet, scilicet inducere homines ad observantias mandatorum Dei. Lex quæ inducit homines ad observantias divinorum mandatorum, timore tantum pœnarum, est imperfecta respectu legis inducentis ad observantiam eorumdem mandatorum per amorem. Sed lex antiqua inducebat homines ad observantiam divinorum mandatorum timore pœnarum, ut de se patet. Lex vero nova hoc facit per amorem, qui in cordibus nostris infunditur per gratiam Christi, quæ in lege nova confertur, et in veteri figurabatur. Ergo lex vetus est imperfecta respectu novæ legis.

Et confirmatur hæc ratio ex Augustino dicente contra Adamantium Manichæi discipulum c. 17. *Brevis differentia est legis et Evangelii, timor, et amor.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod non est necesse, ut unius regis sit tantum una lex, sili quibus datur lex, non sint æquo modo dispositi. Unde sicut paterfamilias in domo, alia mandata proponit pueris, et alia adultis, ita etiam unus Rex Deus in suo regno, aliam legem dedit hominibus adhuc imperfectis existentibus, et aliam perfectiorem jam manuductis per priorem legem ad maiorem capacitatem divinorum.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod si legislator intendat inducere ad eumdem finem omnes, quibus dat legem, eodem modo ejus est tantum una lex. Si autem ad eumdem finem omnes quidem inducere intendat, sed tamen diverso modo, necessarium est, ut hoc faciat diversis legibus. Tunc ad minorem dicitur, quod Deus intendit quidem omnibus eumdem finem, scilicet æternam salutem, sed quia

ad æternam salutem perfecte non potest homo perduci, nisi per Christum, secundum illud Actor. 4. *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, ideo lex perfecte omnes ad salutem inducens dari non potuit nisi post Christi adventum. Antea vero dare oportuit populo, ex quo Christus erat nasciturus, legem præparatoriam ad Christi susceptionem, in qua quædam rudimenta justitiæ continentur.

Ad 3. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod quamvis lex divina sit propinquior æternæ legi quam lex naturæ, tamen quia lex naturalis dirigit hominem secundum quædam præcepta communia, in quibus conveniunt tam perfecti quam imperfecti; ideo est una omnium. Sed lex divina dirigit hominem, etiam in particularibus quibusdam, ad quæ non similiter se habent perfecti et imperfecti, ideo oportuit legem divinam esse duplicem, sicut jam dictum est.

ARTICULUS VI.

Utrum sit aliqua lex fomitis.

Pro negativa.=Videtur quod non sit aliqua lex fomitis.

1. Quod deviat á ratione, non habet rationem legis. Sed fomes deviat á ratione. Ergo fomes non habet rationem legis.

Maior prob., quia Isid. 2. lib. Etym. cap. 3. dicit quod *lex ratione consistit.*

2. Quod habet rationem legis, est obligatorium, ita quod non servantes efficiuntur transgressores. Sed fomes non est obligatorius, nec efficiantur transgressores, qui fomitis inclinationem non sequuntur. Ergo fomes non habet rationem legis.

Maior prob., quia omnis lex est obligatoria, ita ut qui eam non servant, transgressores dicantur.

Minor prob., quia qui non sequuntur inclinationem fomitis, non dicuntur transgressores, sed potius transgressores dicuntur, qui fomitis inclinationem sequuntur.

3. Lex ordinatur ad bonum commune, ut dictum est, quæst. 90. art. 2. Sed fomes non inclinat ad bonum commune, sed ad bonum privatum. Ergo fomes non habet rationem legis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Apost. Rom. 7. vocat fomitem legem, dum dicit. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.*

Determinatio.

1.ª *Distinctio.* Aliquid potest habere rationem legis dupliciter, ut etiam dictum est quæst. 90. artic. 1. ad 1. Uno modo essentialiter: alio modo participative. Lex essentialialiter invenitur inregulante, et mensurante. Participative invenitur in eo, quod mensuratur et regulatur. Ita quod omnis inclinatio, vel ordinatio, quæ invenitur in his quæ subjecta sunt legi, participative dicitur lex, ut ex dictis etiam art. 2. hujus patet.

2.ª *Distinctio.* In his quæ legi subduntur, potest inveniri lex participative dupliciter. Uno modo directe: alio modo indirecte. Directe invenitur lex participative in aliquibus, quando legislator directe inclinat, vel ordinat sibi subditos in aliquid, secundum quem modum potest dici, quod alia est lex militum, alia mercatorum, alia rusticorum etc. Indirecte vero invenitur lex participative in aliquibus, quando legislator destituit aliqua dignitate sibi subditum, ex qua destitutione sequitur ut ille destitutus transeat in alium inferiorem ordinem, et in legem aliam, puta si miles privetur militis officio, transibit in legem rusticorum, vel mercatorum.

Ex quibus sequitur quod quælibet inclinatio cujuscumque rei creatæ á Deo, sit ejus propria lex participative directe et quod inclinatio unius sit contra legem alterius. Sicut esse furibundum est lex canis, et esse mansuetum est lex ovis, et esse furibundum est contra legem ovis,

et esse mansuetum est contra legem canum. Sequitur etiam, quod si quis propria lege sibi naturali destituatur, indirecte possit subjici alteri legi, quæ sit contra propriam legem.

Conclusio. Fomes non habet rationem legis essentialiter in homine, nec participative directe, sed habet rationem legis participative indirecte.

Probatur quoad singulas partes. Non habet fomes rationem legis essentialiter, quia fomes non est dictamen rationis in regulante existens, sed est inclinatio sensualitatis. Non est lex participative directe, quia propria lex hominis, quam á Deo directe et per se participat, est, ut secundum dictamen rationis operetur. Quod vero fomes habeat rationem legis in homine participative indirecte ostenditur, quia ex hoc quod homo á Deo recessit, in pœnam sui peccati fuit privatus justitia originali, per quam sensualitas subjiciebatur rationi, et inde homo transivit ad leges jumentorum, per hoc quod sicut jumenta feruntur impetu sensualitatis, sic et homo eodem sensualitatis impetu feratur in suis operibus, juxta illud 48. *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Fomes igitur habet rationem legis in homine, indirecte, quia ex hoc quod est destitutus originali justitia, consecutum est ut et ipse homo, sicut bruta, impetu sensualitatis feratur, hoc divina justitia exigente, ut qui propriam dereliquit legem, subjiceretur alterius legi; et sic illud quod secundum se erat contra naturalem legem hominis, quod est ferri secundum sensualitatem, ex divina justitia factum est hominis lex; de qua Apostolus loquutus est loco citato in argumento pro affirmativa.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod fomes in homine potest dupliciter considerari. Uno modo secundum se, et sic fomes deviat á ratione, et ad malum inclinat. Alio modo in quantum sequitur ex divinæ legis justitia, et sic habet rationem legis et justi, ac si diceretur quod justa lex esset, ut nobilis propter suam culpam ad opera servilia deputaretur, sic justum est ut homo, qui cum in honore esset, non intellexit jumentorum legi subjiciatur ex divina justitia. Ad formam igitur dicitur ad minorem, quod fomes deviat á ratione, secundum sé; prout vero ex divina justitia homo punitur, ex subjectione ad hanc legem, non deviat á ratione, sed maxime hoc justum est.

Ad 2. Dicitur, quod aliquid potest dici lex dupliciter, scilicet essentialiter et participative. Lex quæ habet rationem legis essentialiter, quæ scilicet est regula, et mensura in regulante existens, est obligativa, et constituit trangressores: non autem lex, quæ habet rationem legis participative et indirecte. Ad maiorem igitur dicitur, quod est vera de lege essentialiter, non autem de lege participata indirecte.

Ad 3. Dicitur, quod inclinatio sensualitatis potest considerari dupliciter. Uno modo ut est in aliis animalibus; alio modo, ut est in homine. Si consideretur ut est in brutis, ordinatur ad bonum commune, scilicet ad conservationem speciei in individuo. In homine autem hujusmodi inclinatio adhuc dupliciter consideratur. Uno modo ut regulatur á ratione, et sic iterum ordinatur ad bonum commune, scilicet ad conservationem humanæ speciei. Alio modo prout exit rationis limite est regulas, et sic proprie dicitur fomes. Et tunc adhuc dupliciter consideratur. Uno modo secundum se, et sic non ordinatur ad commune, sed privatum, et non habet rationem legis. Alio modo ut est ex divina justitia, et sic habet rationem legis, modo dicto, et ordinatur ad bonum commune, scilicet ad manifestationem divinæ justitiæ. Ad formam igitur dicitur ad minorem, quod fomes secundum se non

ordinatur ad bonum commune; nec habet rationem legis, sed prout est ex divina justitia, habet rationem legis, et ad commune bonum ordinatur.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 91.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et Aug. insinuatum, quod lex aliqua est æterna A B. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod Dominus dicit Isaiæ 51. *Lex á me exiet.* Nihil enim est in Deo, quod, ut in ipso est, non sit æternum. Legem autem a Deo exire, præsupponit (ut patet) legem ipsam in Deo esse. Ex eo igitur, quod exire á Deo legem ibi asseritur, acutis scholasticis relinquitur concludendum : quod aliqua lex, secundum scripturam, est æterna. *Secundo* vides : quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum; quod in nobis est aliqua lex naturalis. Ut *Roman.* 2. secundum quod cum expositione ponitur *in arg. cont.* Unde elicias definitionem ejus: et dic. Quid est lex naturalis? " Est illa, qua quilibet secundum dictamen rationis naturalis intelligit, et ibi conscius est, quid sit bonum, et quid malum. » Ad hujus vero ampliorem captum juvaberis ex prima, quæst. 79. art. 12. ubi de synderesi, id est naturali judicatorio agitur. Item insinuatur per hoc, quod in decursu libri Genesis videmus multos bona fecisse, malaque vitasse. Patet enim, quod ista non agebant inducti á lege scripta per Moysem data: ergo á lege naturali ad hæc movebantur. Legem naturalem igitur cognosce in oblatione devota ipsius Abel, Gen. 4. in reverentia Sem, et Japhet erga nudatum patrem suum, cap. 9. in evitatione scandali, idest occasionis jurgiorum facta concorditer ab Abraham, et Loth, cap. 13. in reprehensione Sodomitarum facta á Loth, detentioneque hospitum ab eodem, cap. 19. in alacri obedientia ipsius Jacob erga parentes suos, cap. 28. in simili obedientia ipsius Joseph erga Jacob patrem suum, cap. 37. in repulsione rationabili contra adulteram, et constanti fuga adulterii, facta ab eodem, cap. 39. in remissione injuriarum suarum, et multiplici beneficentia ejusdem erga injuriantes, et inimicos, cap. 43. 44. 45. in reverenti subventione, visitatione, sepultura ejusdem erga patrem, cap. 46. et deineeps. Nec obstat his, quod á gratia Dei ad hujusmodi agenda coadjuvabantur : quoniam talis adjuvatio non tollit, immo firmat legem ipsam naturalem. Scriptura itaque quasi per totum librum præmissum, si scholastiee in proposito loquatur, dicit: Lex naturalis est in hominibus. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, et Aug. quod aliqua lex humana est. A D. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis autem per hoc, quod legitur Daniel. 3. " A me positum est hoc decretum ut omnis populus, tribus, et lingua quæcumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrac, Misac, et Abdenago, dispereat, et domus ejus vastetur. » Hoc enim decretum fuit lex, quam decrevit Rex Nabuchodonosor. Item per hoc, quod dicitur cap. 6. " A me constitutum est decretum, ut in universo imperio, et regno meo tremiscant, et paveant Deum Danielis. » Nam decretum hoc est Darii regis lex omnibus suis posita. Quod enim decretum vocetur lex, habetur ex eodem cap. supra per ly " Nunc itaque rex confirma sententiam, et scribe decretum, etc. rex posuit edictum. Quod cum Daniel comperisset, » idest constitutam legem, etc. Ecce: quod lex appellata est decretum. Patet vero, quod et Nabuchodonosor, et Darius fuerunt homines; et consequenter quod leges ab eis positæ fuerunt leges humanæ. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina hæc angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod necessarium fuit, aliquam legem divinam dari. Ut per hoc, quod dicitur psal. 18. *Legem pone*, etc. ut *in arg. cont.* Quia enim propheta sibi divinam legem esse necessariam ad salutem videbat: ideo eam tantis votis, totque vicibus ut patet in illo psalm. intentionem procul dubio votorum designantibus á Domino expetebat. Quandoque tamen ipsam ibi postulando significat nomine legis, quandoque nomine justificationum, quandoque nomine testimoniorum, vel sermonum, vel viarum, vel mandatorum, aut judiciorum, aut justitiarum, aut eloquiorum, aut, etc. Vide B. Aug. super psalmos pulchra multa ad nostrum hoc propositum facientia ibi dicentem. Sufficiat pro nunc in declarationem prædicti textus S. Doc. scire; quod in singulis ferme versiculis á principio, quod est: " Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, » usque in finem, scilicet *Erravi, sicut ovis*, etc. propheta David postulat legem divinam: sub diversis tamen modis, et affectibus ad hunc suum finem procedendo. Nunc modo deprecativo, nunc modo legis commendatario, nunc modo indicativo, nunc modo et cætera: Aliquando affectu inflammativo, aliquando affectu contemplativo, aliquando affectu iniquitatis, aliorumque contrariorum legis intentæ detestativo, etc. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod lex divina non est una, sed duæ. Ut *Heb.* 7. secundum quod cum discursu adducitur *in arg. cont.* Item Roman. 2. " Exclusa est gloriatio tua. Per quam legem? Factorum? Non. Sed per legem fidei. » Item Hierem. 31. " Ecce dies venient, dicit Dominus; et feriam domui Israel, et domui Juda fœdus novum: non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris. » Nomine enim pacti, seu fœderis, intelligitur lex: in cujus apertum signum subjungitur ibidem ly *dabo legem meam in visceribus eorum*. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod lex fomitis reperitur, idest, aliqua lex est, quæ dicitur lex fomitis. Ut *Roman.* 7. secundum quod *in arg. cont.* Ubi expone ly *aliam legem*, idest legem fomitis. Nam de fomitis repugnantia contra legem mentis conqueritur per totum fere capitulum: quandoque illud vocando concupiscentiam, quandoque peccatum. Non quia sit proprie in renatis (ut Apostolus erat) peccatum, sed quia ex peccato nascitur, et ad peccatum inclinat: secundum declarationem Concil. Trident. sess. 5. de pecc. origin. circa finem illius decreti. *Secundo* vides: etc.

QUÆSTIO NONAGESIMA SECUNDA,

DE EFFECTIBUS LEGIS IN DUOS ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de effectibus legis.

Et circa hoc quæruntur duo.

Primo, utrum effectus legis sit homines facere bonos.

Secundo, utrum effectus legis sint imperare, vetare, permittere, et punire sicut Legisperitus dicit.

ARTICULUS I.

Utrum effectus legis sit facere homines bonos.

Pro negativa.=Videtur quod effectus legis non sit facere homines bonos.

1. Illud quod facit Deus in nobis sine nobis, idest sine opere nostro, non est effectus legis. Sed homines fiunt boni á Deo, sine ipsis hominibus, id est sine opere ipsorum hominum. Ergo facere homines bonos, non est effectus legis.

Maior prob., quia lex sine opere nostro nullum effectum habet in nobis.

Minor probatur. Virtus est in nobis á

Deo sine nobis, ut dictum est quæst. 55. art. 4. Sed homines sunt boni per virtutem, est enim virtus, quæ *bonum facit habentem*, ut dicitur 2. Ethic. cap. 6. Ergo facere homines bonos, est effectus solius Dei.

2. Quod præexigitur ad obediendum legi, non est effectus legis. Sed bonitas præexigitur ad obediendum legi. Ergo bonitas non est effectus legis.

Maior prob., quia lex non prodest homini, nisi legi obediat.

Minor probatur, quia obedire legi, est ex bonitate obedientis.

3. Ejus quod ordinatur ad bonum commune, non est facere homines bonos Sed lex ordinatur ad bonum commune, ut dictum est, qu. 90. art. 2. Ergo legis non est facere homines bonos.

Maior prob., quia quidam bene se habent in his, quæ ad commune pertinent, qui tamen in propriis non bene se habent, unde per legem boni non fiunt.

4. Leges tyrannicæ non faciunt homines bonos. Sed quædam leges sunt tyrannicæ. Ergo quædam leges non faciunt homines bonos.

Maior prob., quia tyrannus non intendit ad bonitatem subditorum, sed solum ad propriam utilitatem, ut Philos. dicit in sua politica lib. 1. cap. 9. et 13.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Philos. dicit 1. Ethicor. cap. 14. quod *voluntas cujuslibet legislatoris hæc est, facere homines bonos.*

Determinatio.

Conclusio. Proprius effectus legis est facere bonos eos, quibus datur, vel simpliciter, vel secundum quid.

Quæ concl. prob. quoad primam partem, et declaratur quoad secundam.

Probatur igitur quoad priorem partem, quod scilicet proprius effectus legis sit facere bonos eos quibus datur. Quod inducit aliquos ad propriam ipsorum virtutem, facit illos bonos. Sed proprium est legis, inducere subjectos ad propriam ipsorum virtutem. Ergo proprius effectus legis est facere bonos eos quibus datur.

Maior probatur, quia virtus est quæ bonum facit habentem.

Minor prob. Inducens subditos ad hoc, ut bene subdantur ei, á quo gubernantur, inducit eos ad propriam virtutem. Sed proprium legis est inducere subditos, ut bene subdantur ei, á quo gubernantur: ad hoc enim unaquæque lex ordinatur, ut obediatur ei á subditis. Ergo proprium legis est inducere homines ad propriam virtutem.

Maior hujus probatur, quia virtus subditi est, ut bene subdatur ei, á quo gubernatur, sicut virtus irascibilis et concupiscibilis, in hoc consistit quod sint bene obedientes rationi.

Minor hujus prob., quia lex nihil aliud est, quam dictamen rationis in præsidente, quo subditi gubernantur.

Manifestatur conclusio quoad secundam partem, scilicet quod lex faciat bonos subditos simpliciter, vel secundum quid. Intentio enim ferentis legem, potest ferri in duplex bonum. In simpliciter bonum et verum; et in non simpliciter bonum. Si intentio ferentis legem tendat in verum bonum, quod est bonum commune secundum divinam justitiam regulatum, sequitur quod per legem fiant homines boni simpliciter. Si vero intentio legislatoris feratur ad id, quod non est bonum simpliciter, sed utile, vel delectabile sibi, vel repugnans divinæ justitiæ, tunc lex non facit homines bonos simpliciter, sed secundum quid, scilicet in ordine ad tale regimen; sic autem bonum invenitur etiam in per se malis, sicut aliquis dicitur bonus latro, quia operatur accommode ad suum finem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor universaliter. Deus enim facit nos bonos, etiam nobis cooperantibus. Ad probationem dicitur ad maiorem, quod duplex est virtus, scilicet acquisita et inusa. Ad utramque

autem operatur operum mansuetudo, sed diversimode. Nam virtutem acquisitam causat; ad virtutem autem infusam disponit, et eam jam habitam conservat et promovet. Et quia lex datur ad hoc, ut dirigat actus humanos, in quantum actus humani operantur ad virtutem, in tantum lex facit homines bonos. Unde et Phil. dicit. 2. Politic. cap. 6. quod *legislatores assuefacientes, faciunt bonos.* Ad dictum Augustini dicitur, quod virtus quam facit Deus in nobis, sine nobis, intelligitur de virtute infusa (ut loco citato dictum est) quam Deus facit in nobis, sine nobis causantibus tamen per nostras actiones ad ipsam disponi possumus.

Ad 2. Dicitur ad minorem et ad ejus probationem, quod non semper aliquis obedit legi ex bonitate perfecta virtutis; sed quandoque ex timore pœnæ, quandoque vero ex solo dictamine rationis, quod est quoddam principium virtutis, ut dictum est, q. 63. art. 1. et 2.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur quod bonitas cujuslibet partis consideratur in proportione ad suum totum. Unde et August. dicit in 3. Confess. cap. 8. quod *turpis est omnis pars, quæ suo toti non congruit.* Cum igitur quilibet homo sit pars civitatis, impossibile est quod aliquis homo sit bonus, nisi sit bene proportionatus bono communi: nec totum potest bene existere, nisi ex partibus sibi proportionatis. Unde impossibile est quod bonum commune civitatis bene se habeat, nisi cives sint virtuosi, ad minus illi, quibus convenit principari. Sufficit autem quantum ad bonum communitatis, quod alii in tantum sint virtuosi, quod principum mandatis obediant, ideo Phil. dicit in 3. Polit. cap. 3. quod *eadem est virtus principis, et boni viri, non autem eadem est virtus cujuscumque civis, et boni viri.*

Ad 4. Dicitur dupliciter. Primo ad minorem quod lex tyrannica, cum non sit secundum rationem, non est simpliciter lex; sed magis est quædam legis perversitas. Unde non oportet ut secundum ipsam fiant homines boni.

Secundo dicitur ad maiorem, quod etiam lex tyrannica in quantum habet aliquid de ratione legis, intendit ad hoc quod cives sint boni. Non enim habet de ratione legis, nisi secundum hoc, quod est dictamen alicujus præsidentis in subditis, et ad hoc tendit, ut subditi legi sint bene obedientes, quod est eos esse bonos, non simpliciter, sed in ordine ad tale regimen.

ARTICULUS II.

Utrum legis actus convenienter assignentur.

Pro negativa. = Videtur quod actus legis, qui sunt imperare, vetare, permittere, et punire non sint convenienter assignati.

1. Præcipere idem est quod imperare. Sed omnis lex est commune præceptum, ut Legista dicit in digest. Vet. lib. 1. tit 3. Ergo solum præceptum est actus legis, et alii superflue assignantur.

2. Consilium est de meliori bono, quam præceptum. Ergo magis pertinet ad legem consulere, quam præcipere.

Conseq. prob., quia effectus legis est, ut inducat subditos ad bonum, ut dictum est artic. præced.

3. Homo incitatur ad bonum non solum per pœnas, sed etiam per præmia. Ergo actus legis est non solum punire, sed etiam præmiare.

4. Cujus intentio est facere homines bonos, non habere pro proprio actu punire. Sed intentio legislatoris est ut per legem faciat homines bonos, ut dictum est art. præced, Ergo actus proprius legis non est punire.

Maior prob., quia ille qui solo metu pœnarum obedit legi, non est bonus. Nam *timore servili qui est timor pœnarum, et si aliquis faciat bonum, non tamen bene fit*, vt August. dicit in Enchir. c. 121.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Isidorus 5. Etymol. cap. 19. dicit. *Omnis lex aut permittit aliquid, ut vir fortis præmium petat: aut vetat, ut sacrarum virginum nuptias nulli liceat petere: aut punit, ut qui cædem fecerit capite plectatur.*

Determinatio.

Conclusio. Actus legis qui sunt imperare, vetare, permittere, et punire convenienter assignantur.

Prob. Cujus est inducere homines ad obediendum præceptis, quæ sunt de actibus humanis, per aliquid convenienter assignantur quatuor enumerati actus. Sed legis est inducere homines ad obedientiam præceptorum, quæ sunt de actibus humanis per aliquod aliud. Ergo legis actus convenienter hi quatuor assignantur.

Maior prob. Nam humanorum actuum tres sunt differentiæ. Quidam sunt boni ex genere, et hi sunt actus virtutum. Quidam sunt mali ex genere, ut sunt actus vitiosi. Quidam sunt indifferentes ex genere, et tales possunt etiam dici actus parum boni, et parum mali.

Respectu actuum bonorum ponitur præceptum, ut dicitur 5. Ethic. c. 1. Respectu malorum prohibitio. Et respectu indifferentium permissio. Id autem per quod quis inducitur ad obediendum his præceptis, est pœna. Unde cujus est inducere per aliquid homines ad obediendum præceptis, quæ sunt de actibus humanis, convenienter assignantur hi quatuor actus, scilicet *præcipere, vetare, permittere, et punire.*

Minor. Et quod legis sit inducere ad obediendum præceptis, quæ sunt de humanis actibus, probatur quia præcepta legis sunt de actibus humanis, in quibus lex dirigit, ut dictum est q. 90. art. 1. et 91. art. 4.

Quod vero lex intendat inducere homines ad obedientiam horum præceptorum per aliquid aliud: manifestatur, quia lex est dictamen rationis per modum præcipiendi, sicut enunciatio est rationis dictamen per modum enunciandi. Proprium autem rationis est, ut ex aliquo ad aliquid inducat. Unde sicut in demonstrativis scientiis ratio inducit ad assensum conclusionum per quædam principia, ita per legem inducitur ad obedientiam præceptorum per aliquid, quod est pœnæ timor.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod præceptum dupliciter sumitur. Uno modo communiter. Alio modo proprie. Præceptum communiter est, de quocumque habente aliquo modo rationem boni. Præceptum proprie acceptum est solum de bono virtutis. Cessatio á malo habet quodammodo rationem boni, et ideo prohibitio communiter potest dici præceptum, in quantum prohibitio est de hoc bono, tamen præceptum proprie dici non potest, quia non est de bono virtutis, et idem est etiam dicendum de permissione et punitione. Breviter igitur dicitur ad minorem, quod omnis lex est præceptum, non proprie, sed communiter sumptum, et ideo alii actus non superfluunt.

Ad 2. Negatur conseq. Ad hoc enim quod aliquis sit actus proprius legis non sufficit ut sit de meliori bono, sed ultra hoc requiritur quod pertineat solum ad personam publicam, et quia consilium potest pertinere ad personam privatam, cujus non est condere legem, ut Apost. 1. Corint. 7. cum consilium daret, dixit. *Ego dico, non Dominus.* Ideo consilium non ponitur inter legis actus.

Ad 3. Neg. conseq. Et ratio negationis est quia præmiare, potest ad quemlibet pertinere; punire vero, non pertinet nisi ad legis ministrum, cujus authoritate pœna infertur, et propterea præmiare non ponitur effectus legis, sed solum punire.

Ad 4. Negatur maior. Nam per hoc quod aliquis incipit assuefieri ad vitan-

dum mala, et ad implendum bona propter metum pœnæ, perducitur quandoque ad hoc quod delectabiliter, et ex propria voluntate hoc faciat, et secundum hoc lex puniendo perducit homines ad hoc quod sint boni.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 92.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et Phil. insinuatum, quod legis est facere homines bonos. A Phil. quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod, postquam lex data fuerat, dicitur Deut. 5. " Custodite igitur, et facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis, » et c. 6. " Hæc sunt præcepta, et cæremoniæ, atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus vester: ut faciatis ea. » His enim verbis patet, quod legistator per legem ad sui obedientiam, in qua bonitas subditorum consistit, adducere intendit eos, quibus lex datur. Item Levitic. 11. " Custodite omnia, quæ scripsi vobis: ut sim Deus vester, etc. Sancti estote: quia ego sanctus sum. » Ac si connectendo illud principium capituli fini ejusdem, dicatur aperte. Lex á me scripta data est vobis ad hunc finem, ut sitis sancti. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et Isidoro insinuatum, quod isti actus, scilicet præcipere, prohibere, permittere et punire, convenienter dicuntur esse actus legis. Ab Isidoro quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod in lege Dei Exod. 20. ponitur actus præcipiendi, per ly " Memento, ut diem Sabbati sanctifices. » Item prohibendi, per ly " non assumes nomen Domini tui in vanum. » Item puniendi, per ly " Nec habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra » Item Deuteronom. 24. ponitur permittendi actus per ly " scribent libellum repudii. » Quod dictum Dominus Matth. 9. exponit pro permissione. Cum igitur omnes quatuor hi actus assignentur in lege; patet intentum. Cæterum propter ly *convenienter*, vide de convenienția scripturarum, quæst. 68. art. 4. appen. et quæst. 122. art. 2. appen. et quæst. 140. art. 1. appen. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

QUÆSTIO NONAGESIMA TERTIA,

DE LEGE ÆTERNA IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de singulis.

Et primo de lege æterna. Secundo de lege naturali. Tertio de lege humana. Quarto de lege veteri. Quinto de lege nova, quæ est lex Evangelii.

De sexta autem lege, quæ est *lex fomitis*, sufficiat quod dictum est, (*quæst.* 84. 82. *et* 83.) cum de peccato originali ageretur.

Circa primum quæruntur sex.

Primo, quid sit lex æterna.

Secundo, utrum sit omnibus nota.

Tertio, utrum omnis lex ab ea derivetur.

Quarto, utrum necessaria subjiciantur legi æternæ.

Quinto, utrum contingentia naturalia subjiciantur legi æternæ.

Sexto, utrum omnes res humanæ ei subjiciantur.

ARTICULUS I.

Utrum lex æterna sit summa ratio in Deo existens.

Pro negativa.=Videtur quod lex æterna non sit summa ratio in Deo existens.

1. Quod est unum tantum, non est idem quod ratio in mente divina existens. Sed lex æterna est una tantum. Ergo

lex æterna non est idem quod ratio in mente divina existens.

Maior probatur. Quia in mente divina non est una tantum, sed plures rationes; dicit enim Aug. in lib. 83. Qq. q. 46. quod *Deus singula fecit propriis rationibus.*

2. De cujus ratione est ut verbo promulgetur, non potest esse idem quod divina ratio, Sed de ratione legis est, ut verbo promulgetur, ut dictum est, q. 90. art. 4. Ergo lex æterna non videtur esse idem, quod ratio divina.

Maior prob., quia verbum in divinis dicitur personaliter, ut prima parte, q. 34. art. 1. dictum est. Ratio autem dicitur essentialiter.

3. Veritas non est idem quod summa ratio in Deo existens. Sed lex æterna est idem quod veritas. Ergo lex æterna non est summa ratio in Deo existens.

Maior prob., quia non est eadem ratio veritatis et rationis.

Minor prob., quod est supra mentem nostram, est idem quod veritas. Sed lex æterna est supra mentem nostram existens. Ergo lex æterna est idem quod veritas et hæc est ratio Aug. lib. de vera relig. cap. 30.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. lib. de lib. arbit. cap. 6. dicit quod *lex eterna est summa ratio, cui semper obtemperandum est.*

Determinatio.

Conclusio. Lex æterna est summa ratio in Deo existens.

Probatur. Illud quo diriguntur, et moventur omnia in debitum finem, est summa ratio in Deo existens. Sed lex æterna est, qua omnia moventur, et diriguntur in debitum finem. Ergo lex æterna est summa ratio in Deo existens.

Ad evidentiam utriusque præmissæ est considerandum, quod sicut in quolibet artifice præexistit ratio eorum, quæ fiunt per artem, ita in quolibet gubernante oportet ut præexistat ratio eorum quæ agenda sunt per eos qui gubernationi subduntur. Et sicut ratio rerum fiendarum per artem ab artifice vocatur ars, vel exemplar rerum artificiatarum, ita etiam ratio existens in gubernante, qua diriguntur actus subditorum rationem legis obtinet, servatis tamen aliis legis conditionibus, quas in q. 90. per totam dictum est pertinere ad legem.

Considerandum est etiam quod Deus per suam sapientiam est universorum conditor, et ad universa creata comparatur, ut artifex ad artificiata, ut dictum est, prima parte, quæst. 14. artic. 8. est etiam Deus gubernator omnium actuum et motionum, quæ ineniuntur in singulis creaturis, ut etiam habitum est prima parte, q. 103. art. 5. Unde sicut ratio divinæ sapientiæ, in quantum per eam cuncta sunt creata, habet rationem artis, vel exemplaris, vel ideæ. Ita ratio ejusdem divinæ sapientiæ moventis omnia ad debitum finem, obtinet rationem legis.

Ex quibus patet primo maior. Nam sicut ratio rerum artificiatarum est in mente artificis, et ratio, qua omnia sunt condita est in Deo, ut est rerum artifex, ita illud quo cuncta ad debitum finem, per divinam gubernationem moventur, est in Deo, ut in gubernante omnia.

Patet etiam minor. Quia sicut ars divina est ratio, qua omnia sunt condita, ita lex æterna est ratio, qua omnia in debitum finem diriguntur. Est ergo lex æterna ratio divinæ sapientiæ, secundum quod est directiva omnium actuum, et motionum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod Aug. loquitur ibi de de rationibus idealibus, quæ existunt in Deo, ut est artifex rerum, non autem de ratione, quæ est in Deo, ut est rerum gubernator: ille enim sunt plures, ista vero est una tantum. Et ratio est quia rationes ideales secundum quarum similitudines res sunt productæ, respiciunt

naturas singularum rerum, et ideo in eis invenitur quædam distinctio, et pluralitas secundum diversos respectus ad res, ut dictum est prima parte, quæst. 15. articulo 2. et 3.

Lex autem dicitur directiva actuum in ordine ad bonum commune, ut dictum est supra, quæst. 90. art. 2. Ea autem quæ sunt in seipsis diversa, considerantur ut unum, secundum quod ordinantur ad aliquod commune. Et quia lex æterna est ratio hujus ordinis rerum ad aliquod commune, propterea lex æterna est tantum una.

Ad 2. Negatur maior. Ad probationem conceditur quidem, quod verbum dicatur personaliter et ratio quæ est lex æterna, dicatur essentialiter, sed tamen ex hoc non sequitur quod lex non sit ratio in Deo existens.

Pro quo est sciendum, quod circa verbum quodcumque duo possunt considerari, scilicet ipsum verbum, et ea quæ verbo exprimuntur. Verbum enim vocale est quoddam ab ore hominis prolatum; sed hoc verbo exprimuntur, quæ rebus humanis significantur: et eadem ratio est de verbo hominis mentali, quod nihil aliud est quam quoddam mente conceptum, quo homo exprimit mentaliter ea de quibus cogitat. Sic igitur in divinis ipsum verbum quod est conceptio paterni intellectus, personaliter dicitur, sed omnia quæcumque sunt in scientia patris sive essentialia, sive personalia, sive etiam Dei opera exprimuntur hoc verbo, ut patet per August. in 15. de Trin. cap. 14. et inter cætera, quæ hoc verbo exprimuntur, etiam ipsa lex æterna verbo ipso exprimitur. Nec tamen propter hoc sequitur quod lex æterna personaliter in divinis dicatur. Appropriatur tamen Filio, propter convenientiam, quam habet ratio ad Verbum, est igitur lex æterna ratio expressa in verbo, unde est in divina mente, sicut et cætera, quæ verbo exprimuntur.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod non est eadem ratio veritatis, et rationis humani intellectus, sicut est de veritate divini intellectus. Ratio enim divini intellectus aliter se habet ad res, quam ratio humani intellectus. Intellectus enim humanus est mensuratus á rebus: conceptus enim hominis non est verus propter seipsum, sed dicitur verus ex hoc quod consonat rebus. Ex hoc enim quod res est, vel non est, opinio vera, vel falsa est. Intellectus vero divinus est mensura rerum: quia unaquæque res in tantum habet de veritate, in quantum imitatur intellectum divinum, ut in prima parte dictum est, quæst. 16. art. 1. et ideo intellectus divinus est verus secundum se, unde ratio ejus est ipsa veritas.

ARTICULUS II.

Utrum lex æterna sit omnibus nota.

Pro negativa. = Videtur quod lex æterna non sit omnibus nota.

1. Ratio in mente divina existens non est omnibus nota. Sed lex æterna est ratio in mente divina existens. Ergo lex æterna non omnibus nota.

Maior probatur, quia Apostolus primæ Corinth. 2. dicit quod *quæ sunt Dei, nemo novit, nisi spiritus Dei.*

2. Qualiter omnia sint ordinatissima, non omnes cognoscunt. Sed *lex æterna est qua justum est ut omnia sint ordinatissima*, ut August. dicit lib. 1. de lib. arbit. cap. 6. Ergo lex æterna non est omnibus est nota.

3. Illud de quo homines judicare non possunt, non est omnibus notum. Sed *lex æterna est, de qua homines judicare non possunt*, ut August. dicit libro de vera religione c. 31. Ergo lex æterna non est omnibus nota.

Maior probatur, quia prima Ethicorum capite tertia dicitur quod unusquisque bene judicat quæ cognoscit.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Augustinus libro primo de libero ar-

bitrio capite sexto dicit, quod æternæ legis motio omnibus impressa est.

Determinatio.

Distinctio. Dupliciter aliquid potest cognosci. Uno modo in seipso. Alio modo in suo effectu, in quo aliqua similitudo ejus invenitur. Sicut qui videt ignem, cognoscit ignem in seipso; qui vero videt solum lumen, quod est ab igne, cognoscit ignem in suo effectu. Sicut videns radios solis, cognoscit solem, non in seipso secundum suam substantiam, sed in suo effectu.

1.ª Conclusio. Legem æternam, secundum quod in seipsa est, nullus potest cognoscere, nisi solus Deus, et beati qui Deum per essentiam vident.

Hanc probat primum argumentum pro neg. Quæ enim sunt Dei, nemo novit, nisi ipse Deus, et qui divinam essentiam vident.

2.ª Conclusio. Omnis creatura rationalis cognoscit legem æternam, secundum aliquam ejus irradiationem maiorem vel minorem.

Prob. Qui cognoscunt veritatem, cognoscunt legem æternam in suo effectu. Sed omnes creaturæ rationales cognoscunt veritatem. Ergo omnes creaturæ rationales cognoscunt legem æternam in suo effectu.

Maior probatur, quia omnis cognitio veritatis est quædam irradiatio, et participatio legis æternæ, quæ est veritas incommutabilis, ut Aug. dicit in lib. de vera Relig. cap. 18.

Minor prob., quia omnes aliqualiter cognoscunt veritatem, ad minus quantum ad principia communia legis naturalis; in aliis vero quidam plus, et quidam minus participant de cognitione veritatis, et secundum hoc etiam plus et minus cognoscunt legem æternam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, et ad ejus probationem, quod ea quæ sunt Dei, in seipsis quidem cognosci á nobis non possunt sed tamen in effectibus suis nobis manifestantur, secundum illud Roman. 1. *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.*

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod legem æternam, etsi unusquisque cognoscat pro sua capacitate, secundum modum prædictum, nullus tamen eam comprehendere potest. Non enim totaliter manifestari potest per suos effectus, et ideo non oportet quod quicumque cognoscit legem æternam, secundum modum prædictum, cognoscat totum ordinem rerum, quo omnia sunt ordinatissima.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod judicare de aliquo potest intelligi dupliciter. Uno modo sicut vis cognitiva dijudicat de proprio objecto, secundum illud Job. 21. *Nonne auris verba dijudicat, et fauces comedentis saporem?* et secundum istum modum judicii Phil. dicit, quod «unusquisque bene dijudicat quæ cognoscit,» judicando an sit verum, quod proponitur; alio modo secundum quod superior judicat de inferiori quodam practico judicio, an ita debeat esse, vel non ita: et sic nullus potest judicare de lege æterna.

ARTICULUS III.

Utrum omnis lex á lege æterna derivetur.

Pro negativa.=Videtur quod non omnis lex á lege æterna derivetur.

1. Lex fomitis non derivatur á lege æterna. Ergo non omnis lex á lege æterna derivatur.

Antec. prob., quia ad legem fomitis pertinet prudentia carnis, de qua dicitur Rom. 8. quod «legi Dei non potest esse subjecta.»

Conseq., prob., quia lex fomitis est lex quædam ut dictum est q. 91. art. 6.

2. Quæ sunt iniqua, non possunt procedere á lege æterna. Sed quædam leges sunt iniquæ. Ergo non omnes leges procedunt á lege æterna.

Maior probatur, quia ut dictum est art. præced. «Lex æterna est secundum

quam justum est ut omnia ordinatissima sint.»

Minor prob., quia dicitur Isaiæ 10. *Veh, qui condunt leges iniquas.*

3. Leges quæ permittunt ea quæ vindicantur per divinam providentiam, non procedunt á lege æterna. Sed «lex quæ populò regendo scribitur, recte multa permittit quæ per divinam providentiam vindicantur,» ut August. dicit lib. 1. de lib. arbit. cap. 5. Ergo nec omnis lex recta procedit á lege æterna.

Maior probatur: quia ratio divinæ providentiæ est lex æterna.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

A divina Sapientia omnes leges derivantur. Sed lex æterna est ratio divinæ Sapientiæ. Ergo á lege æterna omnes leges derivantur.

Determinatio.

Conclusio. Omnes leges in quantum participant de ratione recta, in tantum derivantur á lege æterna.

Probatur. A ratione gubernationis existente in supremo gubernante, necesse est derivari omnes rationes gubernationis in inferioribus gubernantibus. Sed lex æterna est ratio gubernationis in supremo gubernante, aliæ vero leges sunt rationes gubernationis in inferioribus gubernantibus. Ergo necesse est, ut á lege æterna deriventur omnes aliæ leges, in quantum participant rationem rectam.

Maior prob., primo: quia cum movens secundum non moveat, nisi in quantum movetur á primo, necesse est ut in omnibus moventibus ordinatis virtus secundi moventis derivetur á virtute primi moventis.

Prob. secundo: quia in omnibus gubernantibus videmus quod ratio gubernationis á primo gubernante ad secundum derivatur, sicut ratio eorum quæ sunt agenda in civitate, derivatur á Rege per præceptum in inferiores administratores: et in artificialibus etiam, ratio artificialium actuum derivatur ad architectore ad inferiores artifices, qui manu operantur.

Et confirmatur conclusio, præcipue quoad secundam partem, authoritate Aug. lib. 1. de lib. arb. cap. 5. et 6. dicentis, quod *in temporali lege nihil est justum, ac legitimum, quod non ex lege æterna homines sibi derivaverunt.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod fomes consideratur dupliciter: uno modo in quantum est pœna consequens divinam justitiam, et sic habet rationem legis in homine, et secundum hoc manifestum est quod derivatur á lege æterna: alio modo in quantum inclinat ad peccatum, et sic contrariatur legi Dei, et non habet rationem legis, ut patet ex dictis q. 91. art. 6.

Ad formam igitur argumenti dicitur ad maiorem, quod lex fomitis ut habet rationem legis, est á lege æterna. Ad probationem dicitur probare, quod fomes in quantum inclinat ad peccatum, non sit á lege æterna, quod est verum quia sic non habet rationem legis, sed potius divinæ legis contrariatur.

Ad 2. Dicitur ad minorem et ad ejus probationem, quod lex humana in tantum habet rationem legis, in quantum est secundum rationem rectam, et secundum hoc manifestum est, quod á lege æterna derivatur. In quantum vero á ratione recedit dicitur lex iniqua, et sic non habet rationem legis, sed magis violentia cujusdam. Et tamen in ipsa lege iniqua in quantum servatur aliquid de similitudine legis, propter ordinem potestatis ejus qui legem fecit, secundum hoc etiam derivatur á lege æterna. «Omnis enim potestas á Domino Deo est,» ut dicitur Rom. 13.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod lex humana dicitur aliqua permittere, non quasi ea approbans, sed quasi ea dirigere non potens: multa enim diriguntur lege divina, quæ dirigi non possunt humana: plura enim subduntur causæ superiori, quam inferiori. Unde hoc ipsum

quod lex humana non se intromittit de his, quæ dirigere non potest, ex ordine legis æternæ provenit. Secus autem esset, si approbaret ea quæ lex æterna reprobat. Unde ex hoc non habetur, quod lex humana non derivetur á lege æterna, sed quod non perfecte eam assequi possit.

ARTICULUS IV.

Utrum necessaria et æterna subjiciantur legi æternæ.

Pro affirmativa.=Videtur quod necessaria et æterna subjiciantur legi æternae.

1. Divina voluntas subjicitur legi aeternae. Sed voluntas divina est aliquid aeternum. Ergo aliquid aeternum subjicitur legi aeternae.

Maior prob., quod subjicitur divinæ rationi, subditur legi aeternae. Sed divina voluntas subjicitur divinae rationi. Ergo voluntas divina subjicitur legi aeternae.

Maior probatur. Quia lex æterna est ipsa divina ratio. Unde quod subjicitur divinæ rationi, subjicitur æternæ legi.

Minor prob., quia voluntas divina est rationabilis, utpote justa.

2. Filius Dei subjicitur legi æternæ. Sed Filius Dei est aliquid æternum. Ergo aliquid æternum subjicitur legi æternæ.

Maior probatur, quia quidquid subjicitur Regi, subjicitur legi Regis. Sed «Filius Dei subjectus est Regi,» scilicet «Deo et Patri, cum tradiderit lei regnum,» ut dicitur 1. Corinth. 15. Ergo Filius subjicitur legi æternæ.

3. Quæ subduntur divinæ providentiae subjiciuntur legi aeternae, sed multa necessaria subduntur divinæ providentiæ, sicut sunt substantiæ spirituales et corpora cœlestia. Ergo necessaria subdantur legi æternæ.

Maior probatur. Quia lex æterna est ratio divinæ providentiæ.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Quæ subjiciuntur legi, possunt aliter se habere. Sed ea quæ sunt necessaria, non possunt aliter se habere. Ergo necessaria non subjiciuntur legi.

Maior prob., quia lex imponitur ei qui potest aliter se habere, ut homini qui potest si habere ad malum et ad bonum imponitur lex, ut cohibeatur á malo, ut ex dictis patet.

Determinatio.

Conclusio. Legi æternæ subduntur omnia, quæ sunt in rebus á Deo creatis sive sint contigentia, sive sint necessaria. Ea vero quæ pertinent ad naturam, et essentiam divinam, legi æternæ non subduntur, sed sunt realiter ipsa lex divina.

Probatur. Quæcumque divinæ gubernationi subduntur, subjiciuntur etiam legi æternæ. Quæ vero gubernationi divinæ non subduntur, neque legi æternæ subduntur. Sed omnia quæ sunt in rebus creatis, subduntur divinæ gubernationi, ea vero quæ pertinent ad ipsam naturam divinam, divinæ gubernationi non subduntur. Ergo omnia quæ sunt in rebus creatis, sive necessaria, sive contingentia, subduntur legi æternæ. Quæ vero ad divinam naturam pertinent, legi æternæ non subjiciuntur.

Maior prob., quia sicut art. 1. hujus quaest. dictum est, lex aeterna est ratio divinae gubernationis.

Minor manifestatur ex his quae circa nos sunt. Humanae enim gubernationi subduntur ea, quae per homines fieri possunt, quae vero ad naturam hominis pertinent, non subduntur gubernationi humanae. Quod enim homo habeat animam, manus aut pedes, non subditur humanae gubernationi. Sic etiam creata omnia divinae gubernationi subduntur; pertinentia vero ad ipsam naturam divinam, non subjiciuntur alicui gubernationi aut legi.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad minorem probationis dicitur quod de voluntate Dei dupliciter loqui possumus. Uno mo-

do quantum ad ipsam voluntatem, et sic cum voluntas Dei sit ipsa essentia ejus, non subditur gubernationi divinæ, neque legi æternæ, sed idem est quod lex æterna: alio modo possumus loqui de voluntate divina, quantum ad ea quæ Deus vult circa creaturas, quæ quidem subjectæ sunt legi æternæ, in quantum horum ratio est in divina Sapientia et ratione horum voluntas Dei dicitur rationabilis, alioquin ratione sui ipsius magis est dicenda ipsa ratio.

Ad 2. Negatur maior. Filius enim Dei non est á Deo factus, sed naturaliter ab ipso genitus, et ideo non subditur divinæ providentiæ, aut legi æternæ, sed magis ipse est lex æterna per quamdam appropriationem, ut patet per August. in lib. de vera Relig. cap. 31. Ad probationem dicitur, quod filius dicitur esse subjectus Patri ratione humanæ naturæ, secundum quam pater dicitur esse maior eo.

Ad 3. Conceditur totum; probat enim quod necessaria creata subdantur legi æternæ; quod verum est, ut patet in corpore.

Ad argumentum, pro negativa.

Ad argumentum pro negativa dicitur, ad maiorem, quod ut dicit Phil. 5. Met. tex 6. *quædam necessaria habent causam suæ necessitatis*; unde hoc ipsum quod impossibile est ea aliter se habere, habent ab alio, et hoc ipsum est cohibitio quædam efficacissima. Nam quæcumque cohibentur in communi, in tantum cohiberi dicuntur, in quantum non possunt aliter facere, quam de eis disponatur.

ARTICULUS V.

Utrum naturalia contingentia subsint legi æternæ.

Pro negativa.=Videtur quod naturalia contingentia non subsint legi æternæ.

1. His quæ subjiciuntur legi debet promulgari lex. Sed naturalibus contingentibus non potest promulgari lex. Ergo naturalia contingentia non subjiciuntur alicui legi.

Maior prob., quia promulgatio est de ratione legis, ut dictum est quæst. 90. art. 4.

Minor prob., quia promulgatio non potest fieri nisi ad creaturas rationales.

2. Ea quæ subsunt legi æternæ, participant rationem. Sed naturalia contingentia non participant rationem. Ergo contingentia naturalia non subsunt legi æternæ.

Maior probatur: *quæ obediunt rationi, participant rationem*, ut dicitur lib. 1. Ethic cap. ultimo. Sed quæ subsunt legi æternæ, obediunt rationi; est enim lex æterna summa ratio, ut dictum est art. 1. hujus quæst. Ergo quæ subsunt legi æternæ, participant rationem.

Minor principalis prob., quia naturalia contingentia sunt penitus irrationabilia.

3. In his, quæ subsunt legi æternæ, non potest accidere defectus. Sed in contingentibus naturalibus accidit defectus. Ergo naturalia contingentia non subsunt legi æternæ.

Maior prob., quia lex æterna est efficacissima: unde in his quæ ei subduntur, non accidit defectus, sed omnibus per legis efficaciam providetur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Proverb. 8. dicitur: *quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.*

Determinatio.

1.ª Conclusio. Naturalia contingentia et motus, et actiones totius naturæ subjiciuntur legi æternæ.

Prob. Ea quibus Deus potest imponere legem, subjiciuntur legis æternæ. Sed naturalibus contingentibus, et toti naturæ Deus potest imponere legem. Ergo naturalia contingentia, et actiones, et motus totius naturæ subsunt legi æternæ.

Minor manifestatur ex differentia legis, quæ est ab homine, et legis Dei. Lex enim hominis non se extendit ad irrationabilia, sed ad creaturas rationa-

les, quæ sibi subjiciuntur: sicut lex Regis non se extendit ad irrationabilia, sed solum ad homines de suo regno, qui sibi sunt subjecti. Et ratio hujus est quia lex proprie loquendo non est directiva actuum propriorum ipsius qui condit legem, sed est directiva actuum eorum, qui subjiciuntur gubernationi eis qui condit legem. Unde nullus proprie loquendo, suis actibus legem imponit. Quæcumque autem aguntur circa usum rerum irrationalium homini subditarum, aguntur per actum ipsius hominis moventis hujusmodi res. Nam creaturæ irrationales non agunt seipsas, sed ab aliis aguntur, ut dictum est q. 1. art. 2. Et ideo rebus irrationalibus homo legem imponere non potest, quantumcumque ei subjiciantur. Rebus autem rationalibus sibi subjectis potest imponere legem, in quantum suo præcepto, vel denunciatione quacumque imprimit menti eârum quamdam regulam, quæ est principium agendi.

In forma igitur ex dictis probatur quod homo irrationalibus non possit imponere legem, et quod eam possit imponere rationabilibus: et primum ostenditur hoc modo.

Actibus propriis nullus potest proprie loquendo imponere legem. Sed omnes actus qui sunt circa usum irrationalium, sunt proprii hominis. Ergo creaturis irrationalibus homo non potest imponere legem.

Præmissæ patent ex dictis.

Alterum vero, scilicet quod homo hominibus sibi subjectis legem imponere possit sic ostenditur.

Qui potest menti aliquorum imprimere regulam operandi, potest illis legem imponere. Sed homo potest hominibus sibi subjectis imprimere regulam eis in suis operationibus. Ergo homo hominibus sibi subjectis potest legem imponere.

Maior prob., quia qui cum lex sit regula operationum eorum, quibus datur lex, qui potest talem regulam sibi subjectis imprimere, legem imponit. Minor prob. Quia homo, cujus gubernationi alii subjiciuntur, potest per denunciationem, vel præceptum regulam operandi suis subditis imprimere.

Deus autem potest ad differentiam hominis imponere legem, non solum rationalibus, sed etiam irrationalibus rebus; quod ostenditur. Qui imprimit toti naturæ principia propriorum actuum, imponit toti naturæ legem. Sed Deus imprimit toti naturæ principia propriorum actuum. Ergo Deus legem ponit toti naturæ.

Maior prob., quia sicut homo per hoc dicitur legem ponere hominibus sibi subjectis, quia potest imprimere menti eorum regulam operandi, ita Deus toti naturæ legem dicitur imponere, quia omnibus rebus imprimit principia propriarum operationum, et per hunc modum dicitur Deus toti naturæ præcipere, juxta illud Psal. 148. *Præceptum posuit et non præteribit.* Et per hanc etiam rationem omnes motus et actiones totius naturæ, legi æternæ subduntur.

Potest sub alia forma probari conclusio sic. Ea quibus Deus potest imprimere principia operationum, subsunt legi æternæ. Sed Deus omnibus creaturis, et toti naturæ potest imprimere principia propriarum operationum. Ergo tota natura legi æternæ est subjecta.

Maior prob., quia lex est regula operandi.

Minor prob., ex differentia legis hominis, á lege Dei. Homo enim irrationalibus non potest imponere legem, quia actus, qui aguntur circa usum irrationalium, sunt hominis, ut dictum est.

2.ª Conclusio. Creaturæ rationales et irrationales non eodem modo subjiciuntur legi æternæ.

Manifestatur. Nam creaturæ irrationales subduntur legi æternæ, solum in quantum moventur á divina providentia; rationales vero per intellectum divini præcepti.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur quod rebus naturalibus fit promulgatio æternæ legis, quatenus eis imprimuntur principia propriarum operationum. Hoc enim modo se habet impressio activi principii intrinseci, quantum ad res naturales, sicut se habet promulgatio legis, quantum ad homines, quia per legis promulgationem imprimitur hominibus quoddam directivum principium humanorum actuum, ut dictum est.

Ad 2. Negatur minor. Quamvis enim creaturæ irrationales non participent ratione humana, nec ei obediant; participant tamen ratione divina; non quidem per modum apprehensionis, quasi cognoscentia ipsam divinam legem; sed per modum obedientiæ, quia scilicet divinæ legi obediunt: et hoc quia ad plura se extendit virtus rationis divinæ, quam rationis humanæ. Et sicut membra corporis humani moventur ad imperium rationis, non tamen participant ratione (quia non habent aliquam apprehensionem ordinatam ad rationem) ita etiam creaturæ irrationales moventur á Deo, nec tamen propter hoc sunt rationales.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur quod defectus, qui accidunt in rebus naturalibus quamvis sint præter ordinem causarum particularium, non tamen sunt præter ordinem causarum universaliun, et præcipue causæ primæ quæ Deus est, cujus providentiam nihil subterfugere potest, ut in prima parte dictum est. q. 22. art. 2. Et quia lex æterna est ratio divinæ providentiæ (ut dictum est) ideo defectus rerum naturalium legi æternæ subduntur.

ARTICULUS VI.

Utrum omnes res humanæ subjiciantur legi æternæ.

Pro negativa.=Videtur quod non omnes res humanæ subjiciantur legi æternæ.

1. Viri justi non subjiciuntur legi æternæ. Ergo non omnes res humanæ subjiciuntur legi æternæ.

Antec. prob. Qui spiritu Dei aguntur non subjiciuntur legi, juxta illud ad Galat. 5. *Si spiritu Dei ducimini non estis sub lege.* Sed viri justi qui sunt filii Dei per adoptionem, spiritu Dei aguntur, secundum illud Rom. 8. *Qui spiritu diriguntur, hi filii Dei sunt.* Ergo viri justi non subjiciuntur legi.

2. Quibus dominatur prudentia carnis, non subjiciuntur legi æternæ. Sed multis hominibus dominatur prudentia carnis. Ergo multi homines non subsunt legi æternæ, ac per hoc non omnes res humanæ æternæ legi subjiciuntur.

Maior prob., quia dicitur Rom. 8. *prudentia carnis inimica est Deo; legi enim Dei subjecta non est.*

3. Qui subjiciuntur legi æternæ, sunt in statu merendi, vel demerendi. Sed non omnes homines sunt in statu merendi, vel demerendi. Ergo non omnes homines subduntur legi æternæ.

Maior probatur, quia ut August. dicit lib. 1. de lib. arb. cap. 6. *Lex æterna est qua mali miseriam, boni vitam beatam merentur.*

Minor prob., quia tam beati, quam damnati sunt extra statum merendi.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. lib. 19. de civit. Dei cap. 22. dicit. *Nullo modo aliquid legibus summi creatoris ordinationique subtrahitur, á quo pax universitatis administratur.*

Determinatio.

Distinctio. Duplex est modus quo aliquid subditur legi æternæ. Primus est in quantum participatur lex æterna, per modum actionis et passionis: per modum actionis, inquam, in quantum aliquid participat, ut sit principium propriorum actuum: per modum vero passionis, quatenus patitur aliquid quod ex divina et æterna lege de eo disponitur. Sicut agnus subditur æternæ legi, per modum actionis, quatenus ex æterna le-

ge habet principium activum suarum operationum naturalium, puta ut quærat, quæ sunt convenientia sibi ad conservandam vitam: per modum vero passionis subditur æternæ legi, quatenus ex æterna lege patitur, ut ex ejus carnibus conservetur vita leonis, et sic de aliis. Et secundum hunc modum creaturæ irrationales subduntur æternæ legi, ut artic. præced. dictum est. Alius modus quo aliquid subditur æternæ legi, est per modum cognitionis, in quantum aliquid ita legem æternam participat, ut ejus notitiam aliquo modo habeat, ut art. 2. hujus dictum est.

1.ª Conclusio. Creatura rationalis subditur legi æternæ, non solum per modum actionis et passionis, ut creaturæ irrationales, sed etiam per modum cognitionis.

Prob. primo: Creatura rationalis habet aliquid commune cum irrationali, et aliquid sibi proprium ut de se patet. Ergo creatura rationalis subditur legi æternæ, per modum actionis et passionis quoad id quod est sibi commune cum creatura irrationali, et per modum cognitionis, quoad id quod est sibi proprium.

Prob. secundo. Creatura rationalis aliquo modo habet cognitionem legis æternæ, ut dictum est, art. 2. in corpore: et iterum habet naturalem inclinationem ad id quod est consonum legi æternæ, scilicet ad virtutem ad quam habendam sumus nati, ut dicitur 2. Ethic. c. 1. Et iterum aliquid ex divina lege patitur, si non operetur secundum legem. Ergo creatura rationalis utroque modo subditur legi æternæ,

2.ª Conclusio. Quamvis tam mali quam boni homines subdantur legi æternæ, non tamen eodem modo ei subduntur, sed mali imperfecte et boni perfecte.

Manifestatur. Nam in malis, uterque modus subjectionis ad divinam legem est imperfectus, et quodammodo corruptus; in ipsis enim inclinatio naturalis ad virtutem depravatur per habitum vitiosum, et iterum ipsa naturalis cognitio boni, in ipsis obtenebratur per passiones, et habitus peccatorum. In nobis autem uterque modus invenitur perfectior, quia et supra cognitionem naturalem boni, superadditur eis cognitio fidei et sapientiæ et supra naturalem inclinationem ad bonum, superadditur eis interius motivum gratiæ et virtutis.

Sic igitur boni perfecte subsunt legi æternæ, tanquam semper secundum legem agentes. Mali autem subsunt quidem legi æternæ imperfecte, prout imperfecte cognoscunt, et imperfecte inclinantur ad bonum. Sed licet mali imperfecte subdantur legi æternæ, quantum ad actiones ipsorum, eo quod non operentur secundum legem prout imperfecte cognoscunt, et imperfecte inclinantur in bonum tamen id quod deficit ex parte actionis ipsorum, ut non perfecte subdantur legi, suppletur ex parte passionis, prout scilicet in tantum patiuntur, quod lex æterna dictat de eis, quantum deficiunt facere, quod legi æternæ convenit, secundum quod alias dictum est, quod peccator prætergreditur ordinem divinæ legis, sed tamen incidit in alium ordinem, scilicet divinæ justitiæ, et quantum deficit ab uno, tantum suppletur ex altero.

Boni igitur subduntur divinæ legi, quatenus agunt secundum divinam legem. Mali vero subduntur divinæ legi, quatenus patiuntur secundum divinam legem. Unde August. dicit lib. 1. de lib. arb. cap. 6. *Justos sub æternæ lege agere existimo.* Et in libro de cathechizandis rudibus c. 18. dicit quod *Deus ex justa miseria animarum se deserentium, convenientissimis legibus inferiores partes creaturæ suæ novit ordinare.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens. Viri enim justi perfecte subjiciuntur legi æternæ, ut dictum est. Ad maiorem probationis dicitur dupliciter, secundum quod verba Apostoli dupliciter intelligi possunt.

Primo modo, ut esse sub lege intelligatur ille, qui nolens obligationem legis subditur legi, quasi cuidam ponderi. Unde Glossa ibidem dicit, quod ille «sub lege est, qui timori supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ, á malo opere abstinet,» et hoc modo spirituales viri non sunt sub lege, quia per charitatem, quam Spiritus Sanctus cordibus eorum infundit, voluntarie id quod legis est, implent, et hoc est perfecte divinæ legi subjici.

Alio modo verba Apostoli possunt intelligi, quod justi non sint sub lege, in quantum hominis opera, qui Spiritu Sancto agitur, magis dicuntur esse opera Spiritus, quam ipsius hominis. Unde cum Spiritus Sanctus non sit sub lege, sicut nec filius, ut dictum est art. 4. ad 2. sequitur quod hujusmodi opera, in quantum sunt Spiritus Sancti, non sint sub lege, et huic attestatur quod Apostolus dicit 2. Corinth. 3. Ubi *spiritus Domini, ibi libertas:* cum quibus tamen stat ut ipse justus perfecte divinae legi subdatur.

Ad 2. Dicitur dupliciter. Primo negando maiorem. Ad probationem dicitur quod prudentia carnis licet non subjiciatur legi ex parte actionis, quia inclinat ad actiones contrarias legi divinae, subjicitur tamen legi Dei ex parte passionis, quia scilicet ille, cui dominatur prudentia carnis, meretur pati pœnas secundum legem divinæ justitiæ.

Secundo dicitur ad minorem, quod in nullo homine ita prudentia carnis dominatur, ut totum bonum naturæ corrumpatur, et ideo remanet in homine inclinatio ad agendum ea, quæ sunt legis æternæ: peccatum enim non tollit totum bonum naturæ ut supra dictum est, quæst. 85. art. 2. Ille igitur in quo dominatur prudentia carnis, licet secundum actum non subjiciatur legi, subjicitur tamen secundum inclinationem, quæ semper remanet in homine.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur quod idem est per quod aliquid conservatur in fine, et per quod movetur ad finem, sicut corpus grave gravitate quiescit in loco inferiori per quam etiam ad locum ipsum movetur, et sic dicendum est quod sicut secundum legem æternam aliqui merentur beatitudinem, vel miseriam, ita per eamdem legem in beatitudine, vel miseria conservantur, et secundum hoc tam beati quam damnati, subsunt legi æternæ.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 93.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et Aug. insinuatum, quod lex æterna est ratio summa, idest ratio in Deo existens. A B. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod Dominus dicit Job 38. "Numquid nosti ordinem cœli; et pones rationem ejus in terra?» Quasi dicat: Non: sed ego novi. Ibi enim per totum capitulum, immo et *cap.* 9. 40. 41. agitur de lege diversimode applicata diversis pro diversitate motuum, et actionum illorum: et commonstratur, quod ratione mirabili hæc applicatio facta processit a Deo, qui noverat ordinem cœli, et (á simili) aliorum singulorum; quid cuique esset imponendum in respectu ad finem eorum, et ad bonum commune universi. Constat autem perspicacibus scholasticis ex hoc, quod ista dicta, si ad scholam theologicam suaviter inflectantur, indicant: quod summa ratio divinæ sapientiæ in Deo existit, qua dirigit omnia, quoad motus, actionesque eorum, ad debitum finem. Et hoc (ut in conclusione visum fuit) est lex æterna. *Secundo* vides: etc

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas,

merito esse á scripturis, et Aug. insinuatum: quod lex æterna est, et non est, nobis nota. A B. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis vero, quod sit nota, ut Sap. 13. " A magnitudine speciei, et creaturæ cognoscibiliter poterit creator eorum videri." Si creator: ergo et lex æterna in creatore ipso existens. Nam *altissimus creator omnium effudit illam*, scilicet sapientiam, *super omnia opera sua.*" Eccl. 1. Quod autem non sit nota, ut Job 38. 39. 40. 41. secundum quod tangitur in art. 1. app. Nam per ly *numquid*, quod toties ibi repetitur, monstratur, quod homo legem illam æternam, á qua tot mirabilia ibi narrata procedunt, non novit, neque per seipsam, neque per effectus totaliter, idest comprehensive. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod omnis lex derivatur ab æterna lege. Ut *Prov.* 8. secundum quod cum applicatione ponitur *in arg. cont.* Item Eccl. 1. " Omnis sapientia á Domino Deo est." Applica hoc ad propositum; ut habes normam *in arg. cont.* Item á simili insinuatur per ly " flecto genua ad patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in Coelo, et in terra nominatur," Ephes. 3. Sicut enim á paternitate æterna in patre æterno inventa derivatur omnis alia paternitas: ita per Apostolum (á simili loquendo) ex æterna lege in Deo inventa derivatur omnis alia lex. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum: quod sola creata sunt subjecta *legi æternæ*. Ut per hoc, quod sapientia divina, quæ appropriatur filio, dicit Prov. 8. " Quando præparabat Cœlos, aderam, quando certa lege, et gyro vallabat abysos. Quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum. Quando circumdabat mari terminum suum. Et legem ponebat aquis, ne transiret fines suos. Quando appendebat fundamenta terræ. Cum eo eram cuncta componens." Per hæc enim omnia, et expressius adjunctis, quæ prædixerat, significantur creata quæcumque. Hæc autem legi æternæ subjecta describuntur, dum secundum ordinationem divinam fuisse singillatim disposita, enarrantur. De sapientia vero divina per ly *cum eo eram cuncta componens*, monstratur oppositum, et quidem á fortiori, scilicet, quod non tantum ipsa non subjicitur ordinationi divinæ, sed etiam quod cum patre ordinat omnia creata, tamquam lex omnium simul cum patre existens. Idem ergo est in his omnibus, ac si per illa brevi scholastico sermone diceretur. Æternæ legi subjiciuntur omnia, exceptis his, quæ in divinis sunt. Ex his interimas hæresim *Philosophorum*, scilicet: Nulla providentia mundus regitur. Contra quam vide etiam art. 5. 6. app. cum iis, quæ ibi citantur. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Rabbi Moysi* dicentis, ut refert Direct. Inqu. 2. p. q. 4. quod contingentia particularia non sunt sub divina providentia. Nam, cum lex æterna sit ratio divinæ providentiæ, artic. hic per hoc, quod demonstrat, contingentia subesse legi æternæ, demonstrare cointelligitur, quod contingentia subduntur divinæ providentiæ, et ideo contra illam hæresim pugnat, eamque ratione expugnat. *Secundo* habes: quomodo ostendas, illam merito damnari á Matth. 10. " Nonne duo passeres asse veneunt: et unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro?" Item á Luc. 12. " Nonne quinque passeres veneunt dipondio? et unus ex illis non est in oblivione coram Deo?" Cadere enim super terram, est contingens particulare, sicut et venundari asse, vel dipondio, quæ tamen, ut ibi manifeste constat, subduntur providentiæ divinæ. Item á Luc. ibi. " Cum inducent vos ad magistratus, nolite soliciti esse, qualiter, aut quid respondeatis, aut dicatis: Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsa hora; quid oporteat vos dicere." Patet enim, quod dicere, quod respondere, quod in hac, vel illa hora, quod qualiter, vel quid, sunt particularia contingentia, et tamen sub divina providentia stant, ut ibi habetur, cum Spiritus Sanctus doceat eos, et de dicere, et de respondere, et in tali hora, et qualiter, et quid. Item á Prov. 8. ut *in arg. cont.* Sed, ut diffusius auctoritatis hujus contextum, pro applicatione ad damnationem illius hæ-

resis, ut condecet, videas, esse extensum illum in a. 4. app. Item damnatur á 1. q. 8. a. 3. et q. 2. a. 2. cum Eluc. et á dictis ibid. a. n. 500. 502. cum Elucid. Item á veritatibus aureis super totam legem veterem, Gen. 17. concl. 1. Exo. 2. con. 2. Levit. 25. concl. 5. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis, quandoquidem loquentia de divina providentia facile est applicare etiam ad loqui de lege æterna, ut patet ex dictis in tex. doctrina, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses *Atheorum* dicentium: providentiam Dei de rebus humanis nullam esse. Item *Averrois* dicentis (ut refert Directorium Inquisit. 2. p. q. 4.) quod providentia Dei non est de individuis, et de hic inferius existentibus. Item *Rabbi Moysi* dicentis (ut refert Directorium ibid.) quod Deus non habet providentiam aliquorum quoad speciem, et singularia. Item *Philosophorum* dicentium (ut refert Directorium ibidem) quod nulla providentia divina mundus regitur. Ut enim dictum est art. 5. respon. ad tertium, lex æterna est ratio divinæ providentiæ. Redit ergo in idem impugnare divinam providentiam, et legem æternam, sicut etiam propugnare in favorem legis æternæ, et divinæ providentiæ. Pro tanto igitur hæreses prædictæ hic adducuntur, et artic. præsens est contra illas. Sed et omnia, quæ de divina providentia catholice determinata sunt á D. Thoma ubilibet, et condemnant easdem, et adjuvant præsentem doctrinam, atque art. 4. 5. ipsa confirmando, vicissimque illa omnia á præsenti articulorum doctrina juvantur. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, eas omnes merito damnari á Matth. 6. " Volatilia Cœli non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? » Item " Considerate lilia agri, quomodo crescunt. Nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis. » Item " Si fœnum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos, modicæ fidei? » Patet enim hic abundanter et damnatio contra omnes illas hæreses, et quod hæc dicta de divina providentia sunt de fide. Consequenter ergo et in his articulis determinata de lege æterna, quatenus cum ibi á Domino de divina providentia dictis conveniunt, tenenda sunt de fide. Item damnantur expresse ad literam, non solum ad sensum apertum, ut ibi *Matth.* 6. et *Luc.* 12. Sap. 14. " Tua autem providentia, Pater, ab initio cuncta gubernat.» Et Judith. 9. " Tua judicia, Domine, in tua providentia disposuisti. » Et Eccles. 5. " Ne dicas, coram Angelo non est providentia: ne forte iratus Dominus contra sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum. » Vide. Si negare providentiam Angeli, est malum, et tantæ iræ Domini provocativum, ergo (scriptura eadem inferre voluit) multo magis negare providentiam Dei, est malum, et majoris iræ Domini provocativum. Item, et hoc confirmat immediate dictum á Psal. 9. " Dixit (scilicet inpius) in corde suo, oblitus est Deus, avertit faciem suam, ne videat in finem. » Ecce: quod impius negat divinam providentiam: et forsan non publice dogmatizando (ut hæretici faciunt) sed tantum in corde suo, sed audi, quid ibi Psalmista subinferat. " Propter quod (inquit) irritavit impius Deum? Dixit enim in corde suo, Non requiret. » Hoc est. Irritavit Deum propter hoc, quod in corde suo negavit divinam providentiam. Mirum certe, et valde mirandum est: quod ibi Psal. ille prædixerat de impio scelera multa alia (ut legenti patet) et tamen de solo hoc scelere, scilicet de negatione divinæ providentiæ, concludit, quod impius irritavit Deum. Ex quo monstratur scholasticis acutis: quantæ pravitatis sint prædictæ, similesque hæreses negantes divinam providentiam. Irritatur quippe Deus propter singula malorum peccata, secundum Ps. 94. loquentem de irritatione Dei contra obduratos in deserto per annos 40. nec id negare voluit iste ps. 9. Sed sic, post tot peccata, concludendo voluit innuere, quod comparative ad negationem providentiæ, alia peccata quasi videntur non exarcerbare, seu irritare Deum. Item damnatur ab Ecclesia in offic. de Summa Trinit. " Summæ Trinitati simplici Deo, una divinitas, æqualis gloria, coæterna Majestas, etc. Quæ totum subdit suis orbem legibus. » Item á dictis art. 5. app. et ibi allegatis omnibus, et singulis. *Tertio* vides: etc.

QUÆSTIO NONAGESIMA QUARTA.

DE LEGE NATURALI, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de lege naturali.

Et circa hoc quæruntur sex.

Primo, quid sit lex naturalis.

Secundo, quæ sint præcepta legis naturalis.

Tertio, utrum omnes actus virtutum sint de lege naturæ.

Quarto, utrum lex naturalis sit una apud omnes.

Quinto, utrum sit mutabilis.

Sexto, utrum possit á mente hominis deleri.

ARTICULUS I.

Utrum lex naturalis sit habitus.

Pro affirmativa.=Videtur quod lex naturalis sit habitus.

1. Quod est in anima, est vel potentia, vel habitus, vel passio. Sed lex naturalis non est potentia, nec passio, ut patet. Ergo lex naturalis est habitus.

Maior prob., quia Arist. 2. Ethicor. cap. 5. dicit, quod *tria sunt in anima, potentia, habitus et passio.*

2. Synderesis est quidam habitus, ut dictum est prima parte q. 79. art. 12. Sed lex naturalis est conscientia, sive synderesis. Ergo lex naturalis est habitus.

Minor prob., quia Basilius dicit quod *conscientia* sive synderesis *est lex intellectus nostri*, quod non potest intelligi, nisi de lege naturali.

3. Lex naturalis semper in homine manet, ut infra patebit. Sed non semper ratio hominis, ad quam lex pertinet, cogitat de naturali lege. Ergo lex naturalis non est actus, sed habitus.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Habitus est quo aliquid agitur, dum opus est, ut Aug. dicit lib. de bono conjug. cap. 21. Sed lex naturalis non est qua agitur aliquid dum opus est. Ergo lex naturalis non est habitus.

Minor prob., quia lex naturalis est in parvulis et damnatis, qui agere non possunt.

Determinatio.

Distinctio. Aliquid potest dici habitus dupliciter. Uno modo proprie et essentialiter, secundum quem modum virtutes intellectuales et morales habitus dicuntur: alio modo improprie, et sic dicitur habitus quod habitu tenetur, sicut dicitur fides id quod fide tenetur.

1.ª CONCLUSIO. Lex naturalis non est habitus proprie et essentialiter.

Prob. Illud quod ratio agit, non est habitus. Sed lex naturalis est id, quod ratio agit. Ergo lex naturalis non est habitus.

Maior probatur, quia habitus est quo quis agit, et non quod quis agit: non enim est idem id quod quis agit, et quo quis agit; id enim quo artifex agit, est ars. Quod vero agit est artificiatum: quod enim agit grammaticus, est oratio congrua, quo vero agit, est grammatica: illud igiturquod ratio agit, et in esse constituit, non potest esse habitus.

Minor prob., quia lex naturalis est aliquid per rationem constitutum, ut dictum est quæst. 90. art. 1. ad 2. sicut etiam propositio est quoddam opus rationis.

2.ª CONCLUSIO. Lex naturalis potest dici habitus improprie, prout id quod habitu tenetur, habitus dici potest.

Manifestatur. Quia enim præcepta legis naturalis, quandoque considerantur in actu á ratione, quandoque autem sunt in ea habitualiter tantum secundum hunc modum, potest dici quod lex naturalis sit habitus. Sicut etiam principia indemonstrabilia in speculativis non sunt ipsi habitus principiorum, sed sunt principia quorum est habitus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur negando maiorem. Non solum enim illa tria, sed multa alia in anima esse inveniuntur, ut sunt actus, et cognita, quæ sunt intelligibiliter in cognoscente, et proprietates naturales

animæ, ut sunt immortalitas, et alia hujusmodi. Ad probationem dicitur, quod Philosophus ibi intendit investigare genus virtutis: et cum manifestum sit quod virtus est quoddam principium actus, illa tantum ponit quæ sunt principia humanorum actuum, quæ sunt potentiæ, habitus et passiones, et ideo illa tantum dixit esse in anima, quæ sunt principium actus.

Ad 2. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod synderesis dicitur lex intellectus nostri in quantum est habitus continens præcepta legis naturalis, quæ sunt prima principia operum humanorum, non autem dicitur lex esse taliter.

Ad 3. Dicitur, quod ratio illa concludit quod lex naturalis habitualiter tenetur, et hoc concedimus.

Ad argumenta, pro negativa.

Ad argumentum pro altera parte dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod eo, quod habitualiter inest, quandoque aliquis uti non potest propter aliquod impedimentum: sicut homo non potest uti habitu scientiæ propter somnum: et similiter puer non potest uti habitu intellectus principiorum, vel etiam lege naturali, quæ ei habitualiter inest, propter defectum ætatis.

ARTICULUS II.

Utrum lex naturalis contineat plura præcepta, vel unum tantum.

Quod non contineat plura, sed tantum unum.

1. Si essent multa præcepta legis naturalis, sequeretur quod essent multæ leges naturales: quod est falsum.

Conseq. prob., quia lex continetur in genere præcepti, ut dictum est supra quæst. 90 et 92. art. 2.

2. Natura humana est una secundum totum, et multiplex secundum partes. Sed lex naturalis consequitur humanam naturam. Ergo lex naturalis vel habet unum præceptum tantum propter unitatem totius naturæ, vel habet plura præcepta propter multiciplicitatem partium. Sed non potest dici, quod habeat plura præcepta secundum pluralitatem partium. Ergo lex naturalis habet tantum unum præceptum.

Subsumptum prob., quia etiam quæ sunt de inclinatione concupiscibilis, pertinerent ad legem naturalem.

3. Ratio in homine est tantum una. Sed lex est aliquid ad rationem pertinens, ut dictum est quæst. 90. art. 1. Ergo legis naturalis est tantum unum præceptum.

Quod contineat plura præcepta.

Prima principia indemonstrabilia sunt plura. Ergo etiam præcepta legis naturæ sunt plura.

Conseq. prob., quia sic se habent præcepta legis naturalis in homine, quantum ad operabilia, sicut se habent prima principia in demonstrativis.

Determinatio.

Conclusio. Lex naturalis continet plura præcepta, quæ tamen omnia, ordine quodam, tamquam á radice, ab uno dependent, et ad ipsum tamquam ad primum fundamentum reducuntur.

Probatur. Sicut se habent prima principia demonstrationis ad rationem speculativam, ita se habent præcepta legis naturæ ad rationem practicam. Sed principia demonstrationis sunt plura, quæ tamen omnia fundantur in uno primo, á quo omnia alia, tamquam á radice dependent, et in illo omnia communicant. Ergo principia legis naturæ sunt plura in seipsis, quæ tamen omnia in uno primo fundantur, et ab ipso, ut á radice dependent.

Maior habita est superius quæst. 90. art. 1. ad 2. et quæst. 91. art. 3. et ratio similitudinis est, quia tam principia demonstrationis quam principia legis naturæ sunt per se nota.

Minor probatur, et primo, quod principia demonstrationis sint plura, deinde quod omnia fundentur ordinate in uno primo.

Quod principia demonstrationis plura sint, ostenditur. Nam cum principia de-

monstrationis sint per se nota, tot erunt principia, quot sunt propositiones per se notæ. Dicitur autem aliquid per se notum, dupliciter. Uno modo, secundum se; alio modo, quoad nos. Secundum se quidem quælibet propositio cujus prædicatum est de ratione subjecti dicitur per se nota: contingit tamen ut ignoranti definitionem subjecti talis propositio non sit per se nota. Sicut ista propositio, homo est rationalis, est per se nota secundum sui naturam, quia qui dicit hominem, dicit rationale: tamen ignoranti quid sit homo, hæc propositio non est per se nota, et inde est quod sicut dicit Boëtius in libro de Hebdomad. *quædam sunt dignitates sive propositiones per se notæ communiter omnibus*, et hujusmodi sunt illæ propositiones quarum termini sunt omnibus noti, ut est, *omne totum est maius sua parte; et quæ uni sunt æqualia, sibi invicem sunt æqualia.* Quædam vero sunt propositiones per se notæ solis sapientibus, qui terminos propositionum intelligunt quid significent, sicut intelligenti, quod angelus non est corpus, per se notum est quod non est circumscriptive in loco: quod non est manifestum rudibus, qui hoc non capiunt: de qua distinctione propositionis per se notæ diffuse dictum est prima parte qu. 2. art. 1.

Ex quibus patet prima pars minoris, scilicet quod principia demonstrationis sunt plura; aliqua enim sunt per se nota secundum se, et quoad nos: aliqua vero secundum se tantum, et aliqua sunt per se nota quoad nos omnes, et quædam tantum apud sapientes.

Quod vero sit unum primum principium in demonstrativis, ad quod omnia alia demonstrationis principia reducantur ostenditur. Ubi invenitur ordo, ibi invenitur aliquod primum, á quo alia pendent. Sed in his quæ in apprehensionem hominum cadunt, qualia sunt principia demonstrationis, invenitur ordo. Ergo invenitur aliquod primum, ad quod cætera reducuntur.

Minor hujus ostenditur. Nam illud quod cadit primo in apprehensione, est ens cujus intellectus includitur in omnibus quæ quis apprehendit, et ideo primum principium indemonstrabile est, quod non est simul affirmare et negare, quod fundatur supra rationem entis, et non entis, et super hoc principio omnia alia fundantur, ut dicitur 4. Metaph. tex. 9. et sequentibus. Sunt igitur principia demonstrationis plura, quæ omnia ad unum primum reducuntur, et in ipso, tamquam in radice, omnia communicant.

Hoc etiam in præceptis legis naturæ invenitur. Sicut enim ens primum, quod cadit in apprehensione simpliciter; ita bonum est primum quod cadit in apprehensione practicæ rationis, quæ ordinatur ad opus. Omne autem agens agit propter finem, qui habet rationem boni, et ideo primum principium in ratione practica est, quod fundatur supra rationem boni, quæ est: bonum est quod omnia appetunt. Hoc est ergo primum præceptum legis, quod bonum est faciendum et prosequendum, et malum vitandum. Et super hoc fundantur omnia alia præcepta legis naturæ, ut scilicet omnia illa facienda vel vitanda pertineant ad præcepta legis naturæ, quæ ratio practica naturaliter apprehendit esse bona humana. Quia vero bonum habet rationem finis, malum autem rationem contrarii, inde est quod omnia illa ad quæ homo habet naturalem inclinationem, ratio naturaliter apprehendit ut bona, et per consequens ut opere prosequenda, et contraria eorum ut mala et vitanda. Secundum igitur ordinem inclinationum naturalium, est ordo præceptorum legis naturæ. Inest enim primo inclinatio homini ad bonum, secundum naturam in qua communicat cum omnibus substantiis, prout quælibet substantia appetit conservationem sui esse secundum suam naturam: et secundum hanc inclinationem pertinent ad legem naturalem ea per quæ vita hominis conservatur, et contrarium impeditur. Se-

cundo inest homini inclinatio ad aliqua magis specialia, secundum naturam in qua communicat cum cæteris animalibus, et secundum hoc dicuntur esse de lege naturali ea quæ natura omnia animalia docuit, ut est commixtio maris et fœminæ, et educatio liberorum, et similia. Tertio inest homini inclinatio ad bonum, secundum naturam rationis, quæ est sibi propria: sicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc quod veritatem cognoscat de Deo, et ad hoc quod in societate vivat, et secundum hoc ad legem naturalem pertinent ea quæ ad hujusmodi inclinationem spectant: utpote quod homo ignorantiam vitet, quod alios non offendat, cum quibus debet conservari, et cætera hujusmodi quæ ad hoc spectant.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod si essent plura præcepta legis naturæ, quæ ad unum primum non reducerentur, essent plures leges: sed quia omnia præcepta naturalis legis ad unum reducuntur, omnia habent rationem unius legis.

Ad 2. Dicitur, quod lex naturalis est una tantum, sicut una est natura. Ad ejus improbationem dicitur, quod inclinationes quarumcumque partium naturæ humanæ (puta concupiscibilis et irascibilis) secundum quod regulantur ratione, pertinent ad legem naturalem, et reducuntur ad unum primum præceptum, ut dictum est, et secundum hoc sunt multa præcepta legis naturæ in seipsis, quæ tamen communicant in una radice.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod ratio etsi in se sit una: tamen est ordinativa omnium quæ ad homines spectant, et secundum hoc sub lege rationis continentur omnia ea quæ ratione regulari possunt.

ARTICULUS III.

Utrum omnes actus virtutum sint de lege naturæ.

Pro negativa. = Videtur quod non omnes actus virtutum sint de lege naturæ.

1. Actus qui sunt de lege naturæ, ordinantur ad bonum commune. Sed quidam actus virtutum non ordinantur ad bonum commune, sed privatum. Ergo quidam actus virtutum non sunt de lege naturæ.

Maior probatur, quia de ratione legis est, ut ordinetur ad bonum commune, ut dictum est supra qu. 90. art. 2.

Minor probatur, quia actus temperantiæ non ordinantur ad bonum commune, sed ad privatum bonum temperati.

2. Si omnes actus virtutum essent de lege naturæ, sequeretur quod omnia peccata essent contra naturam. Sed hoc est falsum. Ergo non omnes actus virtutum sunt de lege naturæ.

Conseq. prob., quia omnia peccata aliquibus virtuosis actibus opponuntur.

Falsitas probatur, quia specialiter dicitur de aliquibus peccatis, quod sunt contra naturam, ac per hoc non omnia peccata sunt contra naturam.

3. In his, quæ sunt secundum naturam, omnes conveniunt. Sed in actibus virtutum non omnes conveniunt. Ergo actus virtutum non sunt omnes de lege naturæ.

Minor prob., quia aliquid est virtuosum uni quod est vitiosum alteri.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Virtutes sunt naturales, ut Damascenus dicit lib. 3. orthodoxæ fidei c. 14. Ergo et actus virtuosi subjacent legi naturæ.

Determinatio.

Distinctio. De actibus virtuosis dupliciter loqui possumus. Uno modo formaliter, in quantum sunt virtuosi: alio modo materialiter, in quantum sunt tales actus in sua specie considerati; sicut actus dationis potest considerari, ut est virtuosus ut scilicet est actus liberalitatis: alio modo materialiter, ut quidam actus est in tali specie, ex objecto vel ex fine repositus.

Differt autem actus primo modo consideratus ab actu secundo modo consi-

derato, quia secundum primam considerationem est semper bonus, secundum aliam vero considerationem, potest esse aliquando, vel alicui malus; actus enim donationis, ut est actus liberalitatis, est semper bonus, sed alicui, puta filio familiæ, vel aliquando puta quando quis est extreme egens, potest esse actus malus.

1.ª Conclusio. Actus virtutum formaliter in quantum sunt virtuosi, omnes pertinent ad legem naturæ.

Probatur. Omne illud ad quod inclinatur homo secundum suam naturam, pertinet ad legem naturæ, ut dictum est articulo præced. Sed ad omnes actus virtutis, ut virtuosi sunt, inclinatur homo secundum suam naturam. Ergo omnes actus virtuosi, ut virtuosi sunt, pertinent ad legem naturæ.

Minor probatur. Ad omnem operationem quæ convenit homini secundum suam formam, homo inclinatur secundum suam naturam. Sed actus virtuosi, ut sunt virtuosi, conveniunt homini secundum suam formam. Ergo ad actus virtutis, ut virtuosi sunt, homo naturaliter inclinatur.

Maior hujus manifestatur. Quia unumquodque naturaliter inclinatur ad operationem sibi convenientem secundum suam formam, sicut ignis ad calefaciendum.

Minor hujus probatur. Quia cum anima rationalis sit forma hominis, et actus virtuosi sint, operari secundum rationem, sequitur evidenter quod actus virtuosi conveniant homini secundum suam formam: dictat enim hoc naturaliter unicuique propria ratio, ut virtuose agat.

2.ª Conclusio. Actus virtuosi materialiter, et secundum se considerati, non omnes sunt de lege naturæ.

Manifestatur. Quia multa secundum virtutem fiunt, ad quæ natura non primo inclinat, sed per rationis disquisitionem ea homines adinvenerunt, quasi utilia ad bene vivendum, sicut abstinere quotidie á carnibus, fit secundum virtutem temperantiæ, sed ad id non primo inclinat lex naturalis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod temperantiæ actus ordinantur ad bonum commune. Nam temperantia est circa concupiscentias naturales cibi, et potus, et venereorum, quæ quidem ordinantur ad bonum commune naturæ sicut et alia legalia ordinantur ad bonum commune morale.

Ad 2. Respondetur, quod natura hominis dicitur dupliciter. Primo dicitur natura hominis, illa quæ est homini propria, quæ est ut sit rationalis. Alio modo dicitur natura hominis, quæ est communis sibi et aliis animalibus. Primo modo accepta hominis natura, omnia peccata sunt contra naturam hominis, quia omnia peccata sunt contra rationem, ut patet per Damascenum libro 2. capite 30. Si vero natura secundo modo accipiatur, non omnia peccata sunt contra naturam, sed solum aliqua specialia, sicut contra commixtionem maris et fœminæ, quæ est communis omnibus animalibus, est concubitus masculorum, quod specialiter dicitur peccatum contra naturam. Ad formam igitur argumenti dicitur, quod si accipiatur natura hominis primo modo, conceditur consequentia, et negatur falsitas consequentis. Ad cujus probationem dicitur, quod nullum peccatum specialiter dicitur contra naturam propriam hominis, sed omnia indifferenter sunt contra naturam, sicut contra rationem. Si accipiatur hominis natura secundo modo, negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod ex ipsa non sequitur, nisi quod omnia peccata sint contra naturam, secundum primum modum acceptam.

Ad 3. Dicitur, quod actus virtutum dupliciter accipiuntur, ut dictum est in corpore. Uno modo, ut virtuosi sunt: alio modo, ut tales sunt in propria specie. Si accipiantur primo modo, negatur minor: omnes enim conveniunt in

actibus virtuosis, ut virtuosi sunt: actus enim liberalitatis, ut liberalitatis est, communis est omnibus operantibus secundum virtutem liberalitatis. Si accipiantur secundo modo, conceditur ipsa minor et totum argumentum: sic enim accepti non sunt omnibus communes: nam quod est virtuosum et bonum uni, potest esse vitium alteri: abstinere enim á venereis potest uni esse bonum, ut soluto vel habenti castitatis votum; et malum alteri, ut uxorato, invita uxore.

ARTICULUS IV.

Utrum lex naturæ sit una apud omnes.

Pro negativa.=Videtur quod lex naturæ non sit una apud omnes.

1. Quæ continentur in Evangelio, non sunt omnibus communia. Sed lex naturæ est quæ continetur in Evangelio. Ergo lex naturæ non est una apud omnes.

Maior prob., quia ad Rom. 10. dicitur; *non omnes obediunt Evangelio.*

Minor prob., quia in decretis d. 1. cap. humanum dicitur, quod *jus naturale est, quod in lege et in Evangelio continetur.*

2. Justum non est unum et idem apud omnes. Sed *quæ secundum legem sunt, justa esse dicuntur:* ut dicitur 5. Ethicorum cap. 2. Ergo lex naturalis non est una apud omnes.

Maior probatur, quia 5. Ethicorum cap. 7. dicitur, quod nihil est ita justum apud omnes, quin apud aliquos diversificetur.

3. Diversi homines naturaliter ad diversa inclinantur. Ergo non est una lex naturalis apud omnes.

Antecedens probatur, quia alii inclinantur ad concupiscentiam voluptatum, alii ad desideria bonorum, alii ad alia.

Consequentia probatur, quia ad legem naturæ pertinet id ad quod homines secundum suam naturam inclinantur.

Aliter. Illud ad quod homines naturaliter inclinantur, non est unum apud omnes. Sed ad legem naturæ pertinet id ad quod homines naturaliter inclinantur, ut dictum est art. 2. hujus quæstionis. Ergo lex naturalis non est una apud omnes.

Maior probatur, quia diversi ad diversa naturaliter inclinantur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Isidorus dicit libro 3. Etym. cap. 4. quod *jus naturale est commune omni nationi.*

Determinatio.

1.ª *Distinctio.* In lege naturæ duo inveniuntur, scilicet principia communia, et quædam particularia, ex communibus principiis dependentia. Unde legem naturæ esse unam apud omnes, potest dupliciter intelligi. Uno modo, quoad communia: alio modo, quoad propria ex communibus principiis dependentia.

Manifestatur hæc distinctio. Ad legem enim naturæ pertinent ea ad quæ homo naturaliter inclinatur, ut dictum est art. 2. hujus quæstionis. Inter alia autem ad quæ homo naturaliter inclinatur, est ut secundum rationem operetur. Ad rationem autem pertinet ex communibus ad propria procedere, ut patet 1. Physic. tex. 2. 3. et 4. Et ideo in his quæ pertinent ad rationem, inveniuntur quædam communia principia, ex quibus ratio procedit ad alia, tamquam ad minus communia et propria. Et quia lex est aliquid rationis, ut dictum est quæst. 90. art. 1. ideo in lege inveniuntur et communia et propria. Unde quod lex sit una apud omnes, potest intelligi, vel quoad communia, vel quoad propria.

2.ª *Distinctio.* Legem esse unam apud omnes, sive quoad communia, sive quoad propria, potest intelligi dupliciter. Uno modo, secundum cognitionem: alio modo secundum rectitudinem. Quærere utrum lex sit una apud omnes, quantum ad cognitionem, est quærere an communia legis, vel propria, sint omnibus æqualiter nota: quærere vero an sit una

apud omnes secundum rectitudinem, est quærere an communia legis vel propria sint apud omnes æqualiter recta et justa.

Conclusio. Lex naturalis est eadem apud omnes, quoad communia principia, sed quoad propria quædam potest deficere, ut non sit eadem quoad notitiam et quoad rectitudinem, ut in paucioribus.

Manifestatur hæc conclusio ex convenientia et differentia quæ est inter ea quæ pertinent ad rationem speculativam et ea quæ pertinent ad rationem practicam.

Sciendum igitur quod licet, ut dictum est, ratio tam practica quam speculativa versentur circa communia et propria; aliter tamen circa hæc se habet ratio speculativa, et aliter practica: ratio enim speculativa præcipue versatur circa necessaria, quæ impossibile est aliter se habere, ideo absque aliquo defectu invenitur veritas in conclusionibus propriis, sicut et in principiis communibus. Ratio autem practica negotiatur circa contingentia in quibus sunt operationes humanæ, et ideo etsi in communibus sit aliqua necessitas, quanto magis ad propia descenditur, tanto magis invenitur defectus. Sic igitur in speculativis est eadem veritas apud omnes, tam in principiis quam in conclusionibus, licet veritas non apud omnes cognoscatur in conclusionibus, sed solum in principiis, quæ dicuntur communes conceptiones. In operativis autem non est eadem veritas vel rectitudo practica apud omnes, quantum ad propria, sed solum quantum ad communia, et apud illos apud quos est eadem rectitudo in propriis, non est æqualiter omnibus nota. Patet igitur convenientia et differentia eorum quæ pertinent ad rationem speculativam et practicam: convenientia enim est, quia tam in ratione practica quam speculativa, communia sunt eadem apud omnes, et quoad notitiam, et quoad veritatem in speculativis, et rectitudinem in practicis: hoc est, sicut communia sunt æqualiter vera et nota apud omnes, sic communia in practicis sunt æqualiter nota et recta apud omnes. Differentiæ autem est, quia propria in speculativis sunt æqualiter vera, utpote necessaria, tamen non æqualiter sunt omnibus nota: apud omnes enim æqualiter verum est, quod triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, non tamen hoc est omnibus notum.

Quantum autem ad proprias conclusiones rationis practicæ, nec est eadem veritas et rectitudo apud omnes, nec etiam apud quos est eadem, est æqualiter nota. Apud omnes enim hoc rectum est et verum, ut secundum rationem agatur; est enim hoc unum commune principium rationis practicæ: ex quo principio sequitur quasi conclusio propria, quod deposita sint reddenda, et hoc quidem ut in pluribus verum est, sed potest aliquo casu contingere quod sit damnosum, et per consequens irrationabile, si deposita reddantur, puta si aliquis petat ad impugnandum patriam, et hoc tanto magis invenitur deficere, quanto magis ad particularia descenditur, puta si dicatur quod deposita sunt reddenda cum tali cautione vel tali modo: quanto enim plures particulares conditiones apponuntur, tanto pluribus modis poterit deficere ut non sit rectum in reddendo vel non reddendo.

Ex qua convenientia et differentia inter ea quæ pertinent ad rationem practicam et speculativam, aperte sequitur probanda conclusio, scilicet quod lex naturæ, quantum ad prima principia communia, est eadem apud omnes secundum rectitudinem et secundum notitiam, sed quantum ad quædam propria, quæ sunt quasi conclusiones principiorum communium, est etiam eadem apud omnes, ut in pluribus, et secundum rectitudinem, et secundum notitiam; sed ut in paucioribus potest deficere, tum quantum ad rectitudinem propter aliqua particu-

laria impedimenta, sicut etiam naturæ generabiles et corruptibiles deficiunt ut in paucioribus propter impedimenta, et etiam quantum ad notitiam, et hoc quia aliqui habent depravatam rationem ex passione, seu ex mala consuetudine, sive ex mala habitudine naturæ, sicut olim apud Germanos latrocinium non reputabatur iniquum, cum tamen sit expresse contra legem naturæ, ut refert Julius Cæsar in libro de bello Gallico lib. 6.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod verbum illud non est sic intelligendum, quasi omnia quæ in lege et in Evangelio continentur, sint de lege naturæ, cum multa tradantur ibi supra naturam: sed quia ea quæ sunt de lege naturæ, plenarie ibi traduntur. Unde cum dixisset Gratianus, quod jus naturale est quod in lege et in Evangelio continetur; statim explicando subjunxit, quo quisque jubetur alii facere, quod sibi vult fieri.

Ad 2. Dicitur ad minorem et ad ejus probationem, quod verbum Philosophi est intelligendum de his quæ sunt naturaliter justa, non sicut principia communia, sed sicut quædam conclusiones ex his derivatæ, quæ ut in pluribus habent rectitudinem, et ut in paucioribus deficiunt..

Ad 3. Dicitur ad antecedens, et ad ejus probationem, quod ea ad quæ diversi homines naturaliter inclinantur, sunt quidem secundum se diversa: tamen omnes inclinationes naturales in hoc conveniunt, quod sunt ad rectum secundum rationem: ratio enim est quæ regit et gubernat omnes alias potentias et earum inclinationes.

ARTICULUS V.

Utrum lex naturæ mutari possit.

Pro affirmativa.=Videtur quod lex naturæ mutari possit.

1. Illud quod corrigitur, mutatur. Sed lex naturæ corrigitur. Ergo lex naturæ mutatur.

Minor prob., quia Glossa super illud Eccles 17. *Addidit ei disciplinam et legem vitæ*, dicit: *Legem litteræ, quantum ad correctionem legis naturalis, scribi voluit.*

2. Deus præcepit occissionem innocentis, adulterium et furtum. Ergo Deus mutavit legem naturalem.

Antec. prob., quia Gen. 22. Deus præcepit Abrahæ ut interficeret filium. Et Exodi 12. Præcepit Hebræis ut mutata vasa aurea subriperent. Et Oseæ 1. præcepit eidem Prophetæ ut uxorem fornicariam acciperet.

Conseq. prob., quia hæc sunt contra legem naturalem.

3. Communis omnium rerum possessio est mutata per leges humanas. Ergo lex naturalis potest mutari.

Conseq. prob., quia *communis omnium possessio et una libertas est de jure naturali*, ut Isidorus dicit libro 5. Etymol. cap. 4.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

In decretis dist. 5. cap. 12. dicitur: «Naturale jus ab exordio rationalis creaturae nec variatur tempore, sed immutabile permanet.»

Determinatio.

Distinctio. Legem naturalem mutari, dupliciter potest intelligi. Uno modo, per hoc quod aliquid ei addatur: alio modo, per modum subtractionis, ut scilicet aliquid desinat esse de lege naturæ, quod prius secundum naturalem legem fuit.

1.ª Conclusio. Lex naturae secundum additionem potest mutari.

Manifestatur. Quia multa supra legem naturalem addita sunt, ad humanam vitam utilia, tam per legem divinam, quam etiam per leges humanas.

2.ª Conclusio. Lex naturæ, quantum ad prima principia, per modum subtractionis est omnino immutabils.

3.ª Conclusio. Lex naturalis, quantum ad præcepta secunda, quæ diximus esse quasi quasdam conclusiones pro-

pinquas primis principiis, est immutabilis per modum subtractionis, nec potest fieri quin ut in pluribus sit semper rectum, quod lex naturalis habet.

4.ª Conclusio. Lex naturalis potest mutari in aliquo particulari, et in paucioribus propter aliquas speciales causas impedientes observantiam talium præceptorum, ut de redditione depositi in articulo præcedenti dictum est.

Hæ tres conclusiones ex dictis in art. præced. manifestæ relinquuntur.

Et secunda quidem, quia sicut prima principia legis non possunt non esse vera, ita non possunt non esse recta. Tertia, quia sicut illa secunda præcepta, ut in pluribus sunt vera et recta, ita ut in pluribus immutabilia sunt. Quarta vero, quia sicut in particulari hujusmodi possunt non esse recta propter impedimenta aliqua, ita possunt mutari in particulari.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod lex scripta dicitur esse data ad correctionem legis naturalis, vel quia per legem scriptam suppletum est quod legi naturæ deerat; vel quia lex naturæ in aliquorum cordibus quantum ad aliqua corrupta erat, in tantum ut existimarent esse bona ea quæ naturaliter sunt mala, et talis corruptio correctione indigebat.

Ad 2. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod naturali morte moriuntur omnes communiter tam nocentes quam innocentes, quæ quidem naturalis mors divina potestate inducitur propter peccatum originale, secundum illud 1. Regum 2. *Dominus mortificat, et vivificat*, et ideo absque aliqua injustitia secundum mandatum Dei, potest infligi mors cuicumque homini, vel nocenti, vel innocenti. Similiter etiam adulterium est concubitus cum uxore aliena, quæ quidem est ei deputata secundum legem Dei divinitus traditam. Unde ad quamcumque mulierem aliquis accedat ex mandato divino, non est adulterium, nec fornicatio. Et eadem ratio est de furto, quod est acceptio rei alienæ: quicquid enim accipit aliquis ex mandato Dei, qui est Dominus universorum, non accipit absque voluntate Domini. Nec solum in rebus humanis, quidquid á Deo mandatur, hoc ipso est debitum, sed etiam in rebus naturalibus, quidquid á Deo fit, est naturale quodammodo: ut in 1. parte dictum est q. 105. art. 6. ad 1.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod aliquid esse de jure naturali potest intelligi dupliciter. Uno modo quia ad hoc natura inclinat: sicut non esse injuriam alteri faciendam. Alio modo quia natura non inducit contrarium: sicut possemus dicere, quod hominem esse nudum est de jure naturali, quia natura non dedit ei vestitum, sed ars adinvenit. Et hoc modo communis omnium possessio, et omnium una libertas dicitur esse de jure naturali, quia scilicet distinctio possessionum, et servitus non sunt inductæ á natura, sed per hominum rationem ad utilitatem humanæ vitæ, et sic etiam in hoc lex naturæ non est mutata, nisi per additionem.

ARTICULUS VI.

Utrum lex naturæ possit á corde hominis aboleri.

Pro affirmativa.=Videtur quod lex naturæ possit á corde hominis aboleri.

1. Lex justitiæ potest á corde hominis aboleri. Sed lex naturæ est lex justitiæ. Ergo lex naturæ potest á corde hominis aboleri.

Maior prob., quia Glosa super illud Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent*, dicit quod *in interiori homine per gratiam innovato, lex justitiæ inscribitur, quam deleverat culpa.*

2. Lex gratiæ deletur per culpam. Ergo multo magis lex naturæ potest deleri.

Conseq. prob., quia lex gratiæ est efficatior, quam lex naturæ.

3. Multa sunt ab hominibus statuta contra legem naturæ. Ergo lex naturæ potest á cordibus hominum deleri.

Conseq. prob., quia illud quod lege statuitur, inducitur quasi justum.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Lex scripta in cordibus hominum non potest deleri. Sed lex naturalis scripta est in cordibus hominum. Ergo lex naturalis non potest deleri.

Maior prob., quia Aug. dicit lib. 2. Confess. c. 4. *Lex tua scripta est in cordibus hominum, quam nec ulla quidem delet iniquitas.*

Determinqtio.

Distinctio. Ad legem naturalem, ut dictum est articulo 4. pertinent primo quædam præcepta communissima, quæ sunt omnibus nota. Et quædam secundaria præcepta magis propria, quæ sunt quasi conclusiones propinquæ principiis.

1.ª CONCLUSIO. Lex naturalis quantum ad illa principia communia, nullo modo potest á cordibus hominum deleri in universali.

2.ª CONCLUSIO. Lex naturalis potest deleri in particulari operabili.

Probatur. Quia ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem, ut dictum est, q. 77. art. 2.

3.ª CONCLUSIO. Lex naturalis, quantum ad alia præcepta secundaria, potest deleri á cordibus hominum.

Manifestatur. Potest enim hoc contingere, vel propter malas persuasiones, eo etiam modo, quo in speculativis errores contingunt circa conclusiones necessarias, vel etiam propter pravas consuetudines et habitus corruptos, sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut dicitur Rom. 1.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod culpa delet legem justitiæ, quæ est lex naturæ, non in universali, sed in particulari, nisi forte quantum ad secunda præcepta, eo modo quo dictum est in corpore.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod gratia etsi efficacior tamen natura essentialior est homini, et ideo est magis permanens.

Ad 3. Dicitur quod prob. legem naturæ, *quantum ad secunda præcepta, posse á cordibus aliquorum deleri,* ut dictum est in corpore, et ideo contra ipsam aliqui legislatores statuta aliqua iniqua fecerunt.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 94.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, insinuatum, quod lex naturalium est aliquid per rationem constitutum habitualiter retentum in anima, et consequenter, quod non est habitus proprie, et essentialiter dictus. Ut 1. Corinth. 11. " Vos ipsi judicate. Dedecet, mulierem non velatam orare Deum. Nec ipsa natura docet, vos, » etc. Ac si aperte dicat: Lex naturalis continet hoc principium humanorum actuum, scilicet, quod mulierem non velatam dedecet in Ecclesia orare Deum, id, quod vos, cum habeatis legem naturalem, potestis ex vobismetipsis judicare. Patent omnia, cum præcepta legis naturalis sint principia humanorum actuum per rationem practicam constituta, sive ei naturaliter inserta. Ex prædictis est concludendum, quod *Linus* Papa, et martyr, qui secundum quosdam fuit secundus á Petro, est tamquam á lege naturali motus: quando nudis capite fœminis Ecclesiam interdixit. Vide vitam, seu acta ejus. *Secundo* vides: quomodo ex

iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et in vero sensu intelligas, merito esse á scripturis insinuatum, quod præcepta legis naturæ sunt multa, et sunt unum. Ut Matth 7. " Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Hæc est enim lex, et prophetæ. » Nam in Iy, *quæcumque vultis*, etc vides, unum esse præceptum; sed in Iv *hæc est lex*, etc. vides plura esse, si enim lex, et prophetæ ad illud unum referuntur, tamquam quæ non exprimant, nisi ea, quæ sunt consona ipsi uni præcepto, scilicet, *quæcumque vultis*, etc. utique secundum considerationem hanc unum præceptum legis naturæ, et multa sunt unum, modo prædeclarato. Rursus sub Iy, " quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis, » cointelligitur negativum ei é diametro correspondens, scilicet et quæcumque non vultis, ut faciant vobis homines, nec vos facite illis. Ecce igitur duo præcepta legis naturalia, tamquam duo principia, et unum solum præceptum: quia in affirmativo expresso continetur negativum implicite. Confirmantur autem prædicta ex Decr. distinctione 1. cap. 1. " Jus naturale est, quod in lege, et in Evangelio continetur; quo quisque jubetur alii facere, quod sibi vult fieri; et prohibetur alii inferre, quod sibi nolit fieri. Unde Christus in Evangelio. Omnia, quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Hæc est enim lex, et prophetæ. » Hæc in decretis ibi. Ex quibus conclude, ut et partim nunc supra tetigimus, quod, si jus naturale est, quod continetur in lege, et in Evangelio, tunc oportebit confiteri hanc veritatem inde sequentem, scilicet, quod tradita in lege, et in Evangelio, etiam quantum ad excedentia humanam rationem, non sunt dissona juri naturali. Quod utique verissimum est. Licent enim sint supra jus naturale, non tamen umquam contra; quoniam Deus, qui utrumque, scilicet, et jus naturale, et Evangelium dedit, non est destructor operum á se factorum; cum, quæcumque á Deo sunt, miro ordine ad invicem ordinata sint ex *Roma.* 13. Et hoc modo intelligitur; quod lex, prophetæ, et Evangelium, sunt jus naturale. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et Damasceno insinuatum; quod omnes actus virtutum sunt naturales. A Damasc. quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur Marc. 6. " Herodes metuebat Joannem, sciens eum virum justum, et sanctum, et custodiebat eum : et audito eo, multa faciebat, et libenter eum audiebat. » Hinc enim patet: quod etiam contra aliquem justum irati, ut erat Herodes, amant quodammodo, vel nolentes eumdem justum, et illum reverentur, libenterque illius sermones audiunt. Consequenter ergo hinc patet: quod actus virtutum, quales erant illi B. Joannis, sunt hominibus naturales. Nam similitudo est causa amoris, q. 27. art. 3. ideoque iniquos Herodes á similitudine coactos dici oportet, quæ est inter illos, ac justos, quando istos amant, et reverentur. Similitudo autem talis non est morum actualium, cum iniqui mores, et justi sint dissimiles: sed est innata quædam inclinatio in omnibus, quæ naturaliter inclinantur ad bonum amandum. Virtutum enim semina unusquisque in se á natura habet, q. 63. art. 1. quæ est quædam timilitudo, ut patet, ad omnes. Ex qua inserta similitudine ad virtutes amandas cujuscumque, videmus etiam mendaces homines amare, vel coactitie quodammodo eos, qui dicunt veritatem, ut sic, idest, ut veritas est, non ut suorum iniquorum factorum inimica est: ut de Herode contingebat, respectu B. Joannis veritatem ejus factis inimicam dicentis. Hinc est: quod D. Chrysostomus homil. 49. super Matth. cap. 14. *Contristatus est,* inquit tamquam confirmando prædicta. " Et posteaquam vidit, ad quantum mali res prorupit, moerore confectus est. Cur autem moeret? Quia videlicet talis res virtus est: ut nequam etiam homines et admirentur ipsam, et laudent. » Idem ergo ex præmissis omnibus concludendo est, ac si scriptura circa facta illa Herodis, scholastice, et breviter loquens, dixerit: Actus virtutum esse de lege naturali, confiteri oportet, ex quo Herodes iniquus ad Beatum Joannem amandum inclinabatur. Insinuatur et idipsum á

Gen. 27. et 31. De quo vide veritates aureas super totam legem veterem Gen. 26. concl. 7. et cap. 31. concl. 6. Item Num. 23. concl. 2. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis, etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas merito esse á scripturis, et Isidoro insinuatum: quod lex naturalis est una apud omnes. Ab Isidoro quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur Rom. 2. " Cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. » Ac si apertius, in proposito nostro, dicat Lex naturalis in tantum nota est apud omnes, quod etiam gentibus, de quibus minus videbatur, est nota: ut ipsimet ostendunt ex operibus, dum sine lege morali scripta exterius legem moralem interius naturaliter scriptam in cordibus suis observant. De gentibus, dixi, minus videbatur, quod nota esset eis lex naturæ: tum, quia erant " alienati á conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo, » ut dicitur Ephes. 2. tum, quia peccatis immensis attento statu gentilitatis erant onusti, quæ licet bonum naturæ non totaliter extinguant, attenuant tamen illud, atque diminuunt maxime in moralibus plus, et minus pro gravitate peccatorum, q. 85. art. 1. 2. 3. Vide etiam hic text. corp. fin. et a. 5. ad 1. His adde tu regulam philosophicam illam, scilicet, si, de quo minus videtur non inesse, inest magis, utique, de quo plus videtur inesse, inerit: et tunc clare perspicies, quod Apostolus non tantum per sententiam suam *Roman.* 2. simpliciter insinuavit propositum, scilicet quod lex naturæ omnibus communis est, sed etiam hoc ipsum á fortiori monstravit. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, et decretis, quod lex naturalis mutari non potest. A Decretis quidem *distinc.* 5. ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur Isa. 24. " Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt foedus sempiternum. » Hoc est. Transgressi sunt leges divinas, mutaverunt jus humanum, dissipaverunt legem naturalem. Vide Div. Th. super 1. *Corinth.* 11. *lect.* 3. citantem hunc Isaiæ locum, et pro lege naturali exponentem. Ideo autem lex naturæ vocatur foedus sempiternum á scriptura: quia denotare per hoc intendit, quod jus naturale cordi humano indelebiliter insertum est, et consequenter, quod mutari non potest, nec tempore variari. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis, et Aug. insinuatum: quod lex naturalis potest, et non potest deleri ex cordibus hominum. A D. Aug. quidem, quod non possit: ut *in arg. cont.* A scripturis vero, quod possit: ut per dictum Lev. 18. " Juxta consuetudinem Ægypti non facietis. Juxta morem regionis Chanaam non agetis: nec in legitimis eorum ambulabitis, etc. 20. Nolite ambulare in legitimis nationum. » Hinc enim patet, quod et Ægyptus, et Chanaam, et nationes, adeo é cordibus suis per peccata sua expunxerant legem naturalem, ut etiam abominationes pessimas, de quibus ibi, vocarent legitima, pro legitimis prædicarent, filiisque suis pro talibus justitiis de manu in manum successive traderent. Insinuatur et per dictum Roman. 1. "Tradidit illos in reprobum sensum: » et quid sit reprobus sensus, ostendit subdens: " ut faciant, quæ non conveniunt. » Hoc est. Ut faciant, quæ non conveniunt: et æstiment tamen ipsa, quæ non conveniunt, convenire. Loquitur enim ibi Apostolus figurate, idest minus dicendo, plus significat. De quibus inconvenientibus vide ibi per totum: et *Sapie.* 13. Ex his ergo scriptura scholasticis perspicacibus concludendum abundanter relinquit: quod lex naturalis aboleri potest, etiam ita, ut é diametro contraria firmiter habeantur pro lege. Sciebant enim ii in universali, Deum colendum, etc. cæcitate tamen pressi subsumebant sub illa *majori* hanc *minorem:* Deus iste, scilicet Jupiter, Dii isti, scilicet Mars, Mercurius, serpentes, quadrupedes tales, etc. sunt pro Diis et habendi, et

colendi. Item sciebant in universali, vitia esse fugienda, tamen obcæcati subnectebant veræ illi *majori*, has *minores* falsas, scilicet masculos commisceri masculis, talem rem alienam invito domino tollere, etc, non sunt vitia, ideoque nec fugienda. Propter hoc dicuntur in particulari tantum errasse circa jus naturale; similes illis, de quibus dicitur Luc. 8. " ut videntes non videant, et audientes non intelligant: » itemque similes ariolo Balaam, de quo bis dicitur num. 24. " dixit homo, cujus obturatus est oculus, auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam altissimi, qui visionem omnipotentiis Dei intuitus est, qui cadens apertos habet oculos. » Applicanda sunt etiam prædicta contra hæreticos in suo ipsorum genere. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis, etc.

QUÆSTIO NONAGESIMA QUINTA,

DE LEGE HUMANA IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de lege humana.

Et primo quidem de ipsa lege secundum se. Secundo de potestate ejus. Tertio de ejus mutabilitate.

Circa primum quæruntur quatuor.

Primo, de utilitate ipsius.
Secundo, de origine ejus.
Tertio, de qualitate ipsius.
Quarto, de divisione ejusdem.

ARTICULUS I.

Utrum fuerit utile aliquas leges poni ab hominibus.

Pro negativa.=Videtur quod non fuerit utile aliquas leges poni ab hominibus.

1. Homines magis inducuntur ad bonum voluntarii per monitiones, quam coacti per leges. Ergo non fuit necessarium leges ponere.

Conseq. prob., quia intentio cujuslibet legis est, ut per eam homines fiant boni, ut dictum est, q. 92. art. 1.

2. Justitia animata melior est, quam inanimata. Sed judex est justum animatum, lex vero justum inanimatum. Ergo melius fuisset ut executio justitiæ committeretur arbitrio judicum, quam quod super hoc lex aliqua conderetur.

Minor prob., quia 5. Ethic. c. 4. dicitur quod *ad judicem confugiunt homines, sicut ad justum animatum.*

3. Ea quæ pertinent ad directionem actuum humanorum, non possunt sufficienter considerari, nisi ab aliquo sapiente, qui inspiciat singula. Ergo melius fuisset actus humanos dirigi arbitrio sapientum, quam aliqua lege posita. Unde non fuit necessarium leges humanas ponere.

Antec. prob., quia cum humani actus consistant in singularibus quæ sunt infinita, sunt infiniti.

Conseq. prob., quia lex est directiva actuum humanorum ut ex dictis q. 90 patet.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Coercere humanam audaciam, tutam reddere innocentiam inter reprobos, et refrenare improborum nocendi facultatem, sunt generi humano maxime necessaria. Sed *leges factæ sunt, ut earum metu humana coerceretur audatia, tutaque sit inter improbos innocentia, et in ipsis improbis, formidato supplicio, refrenetur nocendi facultas*, ut Isid. dicit 5. Ethimol. cap. 20. Ergo necessarium fuit ponere leges humanas.

Determinatio.

Conclusio. Necessarium fuit aliquas leges ab hominibus poni.

Probatur. Disciplinam per quam metu pœnæ retrahuntur improbi á malo, et inducuntur ad virtutes aliisque pax et quieta vita procuratur, necessarium fuit ab hominibus poni. Sed legum disciplina est, per quam metu pœnæ retrahuntur improbi á malo, et inducuntur ad vir-

tutem, aliisque pax et quieta vita procuratur. Ergo aliquas leges necesse fuit ab hominibus poni.

Maior prob., quia retrahere improbos á malo, ipsosque inducere ad virtutem, et aliis vitam quietam procurare, est valde necessarium.

Minor prob. Ex convenientia et differentia bonorum, et improborum per respectum ad virtutem. Pro quo est sciendum quod ut patet ex dictis, quæst. 63. art. 1. Cuilibet homini naturaliter inest quædam aptitudo ad virtutem; sed virtutis perfectio necesse est ut adveniat homini per aliquam disciplinam; sicut etiam videmus quod per aliquam industriam subvenitur homini in suis necessitatibus, puta in cibo et vestitu, quorum initia quædam habet á natura, scilicet rationem et manus; non autem ipsum complementum, sicut cætera animalia, quibus natura sufficienter dedit tegumentum et cibum. Ad hanc autem disciplinam non de facili invenitur homo sibi sufficiens, ut scilicet quis ex seipso possit pervenire ad complementum et perfectionem virtutis, eo quia perfectio virtutis præcipue consistit in retrahendo hominem ab indebitis delectationibus, ad quas præcipue homines sunt proni, et maxime juvenes circa quos est efficatior disciplina, et ideo oportet quod hujusmodi disciplinam, per quam ad virtutem pervenitur, homines ab alio sortiantur. In his igitur omnes homines conveniunt, scilicet quod habent naturaliter quamdam aptitudinem ad virtutem, sed non habent perfectionem, et complementum virtutis naturaliter, sed indigent aliqua disciplina per quam ad perfectionem virtutis perveniant, ad quam disciplinam non de facili invenitur homo sufficiens sibi ipsi, et maxime juvenes, et ideo necesse est ut ab alio ipsam disciplinam, per quam ad perfectionem virtutis pervenire possint, sortiantur. Differunt autem in hoc quod sunt quidam juvenes, qui sunt proni ad actus virtutum ex bona dispositione naturæ, vel consuetudine, vel magis divino munere, et his sufficit disciplina paterna, quæ est per monitiones. Quidam autem sunt protervi et ad vitia proni, qui verbis de facili moveri non possunt; et hos necessarium fuit per vim, vel metum cohibere á malo, ut saltem sic male facere desistentes, et aliis quietam vitam redderent, et ipsi tandem per hujusmodi assuetudinem ad hoc perducerentur, ut voluntarie facerent quæ prius metu implebant, et sic efficerentur virtuosi, et hoc fit per disciplinam legum, quæ ab hominibus ponuntur, per quam improbi á malo retrahuntur, ad virtutem inducuntur et bonis quieta et pacifica vita procuratur. Unde Philos. dicit 1. Polit. cap. 2. quod *sicut homo, si sit perfectus virtute, est optimum animalium, ita si sit separatus á lege et justitia est pessimum omnium*, quia homo habet arma rationis ad expellendas concupiscentias, et servitias quæ non habent alia animalia.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod homines bene dispositi melius inducuntur ad virtutem monitionibus voluntariis quam coactione, et propter hos non fuerunt necessariæ humanæ leges: sed quidam male dispositi non retrahuntur á malo, nec ducuntur ad virtutem, nisi cogantur et his necessariæ sunt leges.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod sicut Phil. dicit 1. Rhetor. cap. 1. *Melius est ordinari lege quam dimittere judicum arbitrio*, et hoc propter tria. Primo quidem, quia facilius est invenire paucos sapientes, qui sufficiant ad rectas leges ponendas quam multos, qui requirerentur ad recte judicandum de singulis. Secundo, quia illi qui leges ponunt, ex multo tempore considerant, quid lege ferendum sit: sed judicia de singularibus factis fiunt ex casibus subito exortis. Facilius autem ex multis consideratis potest homo videre quid rectum sit, quam solum ex aliquo uno facto. Tertio, quia

legislatores judicant in universali, et de futuris: sed homines judiciis præsidentes judicant de præsentibus, ad quæ afficiuntur amore, vel odio, aut aliqua cupiditate, et sic eorum depravatur judicium. Quia ergo justitia animata judicis non invenitur in multis et quia flexibilis est, ideo necessarium fuit, in quibuscumque est possibile legem determinare, quid judicandum sit, et paucissima arbitrio hominum committere.

Ad 3. Dicitur ad antec., quod quædam singularia, quæ non possunt lege comprehendi, necesse est committere judicibus, ut ibidem Philos. dicit, puta de eo quod est factum esse, vel non esse et de aliis hujusmodi.

ARTICULUS II.

Utrum omnis lex humanitus posita á lege naturali derivetur.

Pro negativa = Videtur quod non omnis lex humanitus posita á lege naturali derivetur.

1. In his quæ oriuntur á lege naturali, differt utrum sic, vel aliter fiant. Sed ea quæ sunt legibus humanis statuta in principio, nihil differt, utrum sic vel aliter, vel aliter fiant. Ergo ea quæ sunt legibus humanis statuta, non omnia derivantur á lege naturæ.

Minor probatur, quia Philos. dicit 5. Ethicor. cap. 7. quod *justum legale est quod principio quidem nihil differt utrum, sic vel aliter fiat.*

2. Quæ derivantur á principiis communissimis legis naturæ, pertinent ad legem naturæ. Sed lex humanitus posita non pertinet ad legem naturæ, sed contra ipsam dividitur, ut patet per Isid. lib. 5. Etym. c. 4. et per Phil. lib. 5. Ethic. c. 7. Ergo ea quæ sunt de lege humana, non derivantur á lege naturæ.

Maior prob., quia quæ derivantur á principiis communissimis legis naturæ, sunt quasi conclusiones et ad legem naturæ pertinent, ut dictum est, q. præc. art. 3. et 4.

3. Lex quæ derivatur á lege naturæ est eadem apud omnes. Sed leges humanæ non sunt eædem apud omnes. Ergo leges humanæ non derivantur á lege naturæ.

Maior prob., quia Phil. dicit lib. 5. Ethic. c. 7. quod *naturale jus est quod ubique habet eamdem potentiam.* Si igitur leges humanæ á naturali derivarentur, etiam ipsæ essent eædem apud omnes.

4. Eorum quæ á lege naturali derivantur, potest aliqua ratio assignari. Sed non omnium quæ á maioribus statuta sunt lege, ratio reddi potest, ut jurisperitus dicit. Ergo non omnes leges humanæ á lege naturali derivantur.

PRO AFFIRMATIVA?

Argumentum sed contra.

Tullius dicit in Rhet. lib. 2. de invent. «Res á natura profectas, et á consuetudine probatas legum metus et religio sanxit.

Determinatio.

Conclusio. Omnis lex humanitus posita, in quantum habet rationem legis, á lege naturæ derivatur.

Prob., ab eo á quo lex habet ut sit justa, ab eodem derivatur. Sed lex humanitus posita habet á lege naturali, ut sit justa. Ergo lex humanitus posita, ut habet rationem legis, á lege naturali derivatur.

Maior prob., quia Aug. dicit lib. 1. de lib. arbit. cap. 5. *quod non videtur esse lex, quæ justa non fuerit.* Unde lex in quantum habet de justitia, in tantum habet de virtute legis. Unde á quo lex habet ut sit justa, ab eodem derivatur ut sit lex.

Minor prob. A prima regula rationis habet omnis lex, ut sit justa. Sed lex naturalis est prima regula rationis, ut patet ex dictis, quæst. præced. art. 2. Ergo á lege naturali habet omnis lex humana, ut sit justa.

Maior hujus prob., quia in rebus humanis dicitur esse aliquid justum, ex eo quod est rectum secundum regulam ra-

tionis. Unde á prima regula omnis alia regula habet ut sit justa. Omnis igitur lex humanitus posita, in tantum habet de ratione legis, in quantum á lege naturali derivatur. Si vero in aliquo á lege naturali discordet, jam non erit lex, sed magis corruptio.

Quot modis statuta humanæ legis á lege naturali deriventur.

Sed sciendum est quod á lege naturali dupliciter potest aliquid derivari. Uno modo sicut conclusiones ex principiis: alio modo sicut determinationes quædam aliquorum communium. Primus quidem modus similis est ei, quo in scientiis ex principiis conclusiones demonstrative producuntur. Secundo vero modo simile est, quod in artibus formæ communes determinantur ad aliquid speciale: sicut artifex formam communem domus necesse est quod determinet ad hanc, vel illam domus figuram. Derivantur ergo quædam á principiis communibus legis naturæ, per modum conclusionum: sicut hoc, quod est, non esse occidendum, ut conclusio quædam derivari potest ab eo, quod est, nulli esse faciendum malum. Quædam vero per modum determinationis, sicut lex naturæ habet; quod ille qui peccat puniatur; sed quod tali pœna, vel tali puniatur, hoc est quædam determinatio legis naturæ. Utraque igitur inveniuntur in lege humana posita, sed ea, quæ sunt primi modi, continentur in lege humana, non tamquam sint solum lege posita, sed habent etiam aliquid vigoris ex lege naturali: sed ea, quæ sunt secundi modi, ex sola lege humana vigorem habent. Quod enim non sit occidendum, habet vim ex lege naturæ, á qua dependet hæc prohibitio, ut conclusio ex principio quod vero occidens capite plecti debeat, ad legem humanam solum pertinet.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod est vera de his, quæ oriuntur á lege naturali, per modum conclusionis: in his enim, cum habeant vigorem á lege naturali, ut dictum est differt, utrum sic, vel aliter fiant; non autem est vera de his, quæ procedunt á lege naturali, per modum determinationis: hæc enim in principio non differt, utrum sic, vel aliter fiant. Quod enim non sit occidendum, quod est á lege naturæ, ut conclusio semper differt an sic, vel aliter fiat: non enim licet. Sed quod peccans tali, vel tali pœna puniatur, in principio poterat sic, et aliter fieri, et ex lege humana determinatur pœna. Tunc ad minorem dicitur, quod non est vera nisi de his quæ sunt statuta á lege humana per modum determinationis. Et ad probationem dicitur, quod Phil. loquitur de his quæ sunt humana lege posita per modum determinationis, quæ possunt sic, et aliter fieri in principio, ut dictum est.

Ad 2. Dicitur, quod illa ratio procedit de his, quæ derivantur á lege naturæ tamquam conclusiones.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod principia communia legis naturæ, non eodem modo omnibus applicari possunt propter multam varietatem rerum humanarum, et ex hoc provenit diversitas legis positivæ apud diversos: stat igitur quod lex naturalis sit una, et positivæ variæ.

Ad 4. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod verbum jurisperiti intelligendum est in his, quæ introducta sunt á maioribus circa particulares determinationes legis naturalis, ad quas quidem determinationes, se habet expertorum et prudentum judicium, sicut ad quædam principia, in quantum scilicet statim vident, quid congruentius sit particulariter determinandum. Unde Phil. dicit in 6. Ethic. cap. 11. quod *in talibus oportet attendere expertorum et seniorum, vel prudentum indemonstrabilibus enunciationibus et opinionibus, non minus quam demonstrationibus.*

ARTICULUS III.

Utrum Isidorus convenienter qualitatem legis positivæ describat.

Pro negativa. = Videtur quod Isi-

dorus lib. 5. Etym. cap. 21. inconvenienter qualitatem legis positivæ describat dicens. *Erit lex honesta, justa, possibilis secundum naturam, secundum consuetudinem patriæ, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per ignorantiam in captione contineat, nullo privato commodo, sed pro communi utilitate civium scripta.*

1. Idem Isidorus supra cap. 3. in tribus conditionibus qualitatem legis explicaverat dicens. *Lex erit omne quod ratione constiterit dumtaxat, quod religioni congruat, quod disciplinæ conveniat, quod saluti proficiat.* Ergo superflue postmodum conditiones legis multiplicat.

2. Justitia est pars honestatis, ut Tullius dicit 1. de officiis in cap. cujus titulus est, de quatuor virtutibus. Ergo postquam dixerat honesta, superflue additur justa.

3. Lex scripta secundum eumdem Isidorum lib. 2. c. 10. contra consuetudinem dividitur. Ergo in definitione legis non debet poni, quod sit secundum consuetudinem patriæ.

4. Si lex esset necessaria, aut esset necessaria simpliciter, aut ad finem. Sed non est necessaria simpliciter, cum tale necessarium sit illud quod non potest aliter se habere, quod legi non subjicitur. Ergo est necessaria ad finem. Sed necessitas ad finem idem est quod utilitas. Ergo postquam dictum est necessaria; superflue additur utilis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Est authoritas Isidori inducta.

Determinatio.

Conclusio. Descriptio legis positivæ posita ab Isidoro, qua dicit, quod lex positiva est, quæ religioni congruit disciplinæ convenit, et saluti proficit, est conveniens.

Probatur. Descriptio continens conditiones per quas lex positiva est proportionata legi divinæ, legi naturæ, et hominum utilitati, est conveniens. Sed supradicta Isidori descriptio continet conditiones, per quas lex humana est proportionata legi divinæ, humanæ, et hominum utilitati. Ergo Isidori descriptio positivæ legis est conveniens.

Maior ostenditur. Nam forma rei, quæ est propter finem, debet esse proportionata fini. Ut forma seræ talis esse debet, ut conveniat sectioni, ut patet 2. Phys. tex. 88. et iterum quælibet res recta et mensurata, oportet ut habeat formam proportionatam suæ regulæ et mensuræ. Lex autem humana utrumque habet: est enim ordinata in finem, et est regula quædam, et mensura regulata, et mensurata: est enim regula, et mensura actuum eorum quibus lex datur, et est regulata et mensurata á duplici mensura, scilicet lege divina et naturali. Tribus igitur debet lex humana esse proportionata, scilicet fini, legi divinæ, et legi naturali. Descriptio igitur quæ ostendit legem humanam esse proportionatam divinæ legi et naturali, et fini, idest hominum utilitati, est sufficienter posita: quæ est maior.

Minor manifestatur. Dicit enim quod religioni congruat, in quantum est proportionata legi divinæ, quod disciplinæ conveniat in quantum est proportionata legi naturæ quod saluti proficiat in quantum est proportionata utilitati humanæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad consequentiam, quod ad illas tres conditiones, quas posuit in supradicta descriptione, reducuntur omnes aliæ conditiones, quas postea assignavit. Nam quod dicitur honesta, refertur ad hoc, quod religioni congruat. Quod autem subditur, justa, possibilis secundum naturam, secundum consuetudinem patriæ, loco, temporique conveniens, additur ad hoc, ut conveniat disciplinæ idest naturali legi. Attenditur enim humana disciplina, primum quidem quantum ad ordinem rationis, qui importatur in hoc, quod dicitur justa. Secundo quantum ad

facultatem agentium; debet enim esse disciplina conveniens unicuique secundum suam possibilitatem, observata etiam possibilitate naturæ: non enim eadem sunt imponenda pueris, quæ imponuntur viris perfectis. Et secundum humanam consuetudinem, non enim potest homo solus in societate vivere, aliorum morem non gerens. Tertio, quantum ad debitas circumstantias, dicit loco, temporique conveniens. Quod vero subditur, necessaria, utilis, etc. refertur ad hoc, quod expediat saluti. Ut necessitas referatur ad remotionem malorum, utilitas ad consecutionem bonorum; manifestatio vero ad cavendum nocumentum, quod ex ipsa lege posset provenire. Et quia sicut supra dictum est, lex ordinatur ad bonum commune, hoc ipsum in ultima parte determinationis ostenditur.

Ad 2. Dicitur, quod justum potest dupliciter accipi. Uno modo, ut pars honestatis: alio modo, ut significat id quod est conveniens secundum ordinem rationis: et similiter honestum dupliciter potest sumi. Uno modo, ut comprehendit justum: alio modo, ut significat id quod congruit religioni: in definitione legis ponitur honestum, ad ostendendum, quod lex debet congruere rationi, et justum, ad denotandum, quod lex debet esse conveniens quantum ad ordinem rationis.

Ad 3. Dicitur, quod consuetudo dupliciter accipi potest. Uno modo, ut significat conformitatem morum: alio modo, ut contradistinguitur legi scriptæ. Secundum primum modum possumus dicere, quod est consuetudo christianorum, singulis diebus audire missam, recitare orationem dominicam, et similia; quia scilicet hic est communis christianorum mos. Juxta secundum modum dicimus, quod solemniter celebrare aliquorum sanctorum festa, quæ non sunt de præcepto Ecclesiæ, est ex consuetudine, hoc est, non sunt de præcepto. Tunc dicitur ad antecedens, quod in definitione ponitur consuetudo non prout contradistinguitur legi scriptæ, sed prout significat comunitatem morum eorum quibus datur lex.

4. Dicitur, quod lex est necessaria ad finem. Et ad subsumptum dicitur, quod necessitas ad finem idem est quod utilitas, quando referuntur ad idem; si autem ad diversa referantur, non sunt idem; in definitione legis, necessitas et utilitas non referuntur ad idem, sed ad diversa. Necessitas enim refertur ad remotionem malorum, et utilitas ad consecutionem bonorum, et sensus est quod lex debet esse necessaria ad removendum mala, et utilis ad consequenda bona.

ARTICULUS IV.

Utrum Isidorus convenienter ponat divisionem humanarum legum.

Pro negativa.=Videtur quod inconvenienter Isidorus lib. 5. cap. 4. divisionem legum humanarum, sive humani juris ponat.

1. Jus quod est commune omnium nationum, non continetur sub jure positivo, sive humano. Sed jus gentium est commune omnium nationum. Ergo jus gentium non continetur sub jure humano, et inde inconvenienter dividitur ab Isidoro jus humanum, in jus gentium, et jus civile.

Maior prob., quia *jus naturale est commune omnium nationum*, ut dicit idem Isidorus lib. 5. cap. 4. Unde jus commune omnium nationum, ad jus naturale, et non ad jus humanum pertinet.

Minor prob., quia jus gentium sic nominatur quia *eo omnes fere gentes utuntur*, ut ipsemet Isidorus lib. 5. cap. 6. dicit.

2. Divisio cujus membra divisa differunt solum materialiter, est inconveniens. Sed membra divisionis legis positæ ab Isidoro differunt solum materialiter. Ergo divisio legis assignata ab Isidoro non est conveniens.

Maior prob., quia divisio materialis, cum possit esse in infinitum, in arte non est curanda.

Minor probatur. Ea quæ habent eam-

dem vim, non videntur formaliter differre, sed solum materialiter. Sed leges plebiscita, senatus consulta, et hujusmodi aliæ leges, quæ ponuntur membra divisionis humanæ legis ab Isidoro, habent eamdem vim. Ergo hæc differunt tantum materialiter.

3. Isidorus ponit jus militare, et jus publicum, quod consistit in sacerdotibus et magistratibus. Ergo debuerunt poni alia jura ad alia officia civitatis pertinentia.

Conseq. prob., quia sicut in civitate sunt principes, et sacerdotes, et milites, ita etiam sunt alia hominum officia.

4. Secundum ea, quæ sunt per accidens, inconvenienter lex dividitur. Sed quod ab hoc, vel ab illo homine lex feratur accidit legi. Ergo inconvenienter ponitur divisio legum humanarum, ex legislatorum nominibus, ut scilicet quædam dicatur Cornelia, quædam Falcidia.

Maior prob., quia ea, quæ sunt per accidens, sunt prætermittenda.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In contrarium est authoritas Isid. lib. 5. Ethim. cap. 4.

Determinatio.

Conclusio. Divisiones legis humanæ ab Isidoro positæ sunt convenientes.

Probatur. Divisiones quæ fiunt secundum ea, quæ sunt de ratione rei divisæ, sunt convenientes. Sed divisiones humanæ legis ab Isidoro assignatæ fiunt secundum ea quæ sunt de ratione humanæ legis. Ergo divisiones humanæ legis ab Isidoro assignatæ sunt convenientes.

Maior probatur, quia unumquodque potest per se dividi secundum id quod in ejus ratione continetur: sicut in ratione animalis continetur anima, quæ est rationalis, vel irrationalis, ideo animal, proprie, et per se, dividitur secundum rationale et irrationale, non autem secundum album et nigrum quæ sunt omnino præter rationem animalia.

Minor manifestatur. Nam de ratione humanæ legis sunt quatuor, et secundo unumquodque horum lex humana proprie per se dividitur.

Est primo de ratione legis humanæ, quod sit derivata á lege naturæ, ut dictum est art. 2. hujus quæst. et secundum hoc dividitur lex humana, in jus gentium, et jus positivum. Ad jus gentium pertinent, ea quæ derivantur á lege naturæ per modum conclusionum, ut sunt justæ emptiones, venditiones, et alia hujusmodi, sine quibus homines vivere non possunt quod est de lege naturæ cum homo sit animal sociabile, naturaliter, ut probatur 1. Polit. cap. 2. Ad jus vero civile pertinent ea, quæ derivantur á lege naturali, per modum particularis determinationis, secundum quod quælibet civitas aliquid sibi commodum determinat.

Secundo de ratione legis humanæ est, quod ordinetur ad bonum commune civitatis, et secundum hoc, lex humana dividi potest, secundum diversitatem eorum qui specialiter dant operam ab bonum commune, sicut sunt sacerdotes pro populo Deum orantes, et principes populum gubernantes, et milites pro salute populi pugnantes, et secundum hoc dividitur humanum jus, in jus publicum, ad quod pertinet honor, et reverentia sacerdotum et principum, et jus militare, ad quod pertinet militum disciplina.

Tertio est de ratione legis humanæ, ut instituatur á gubernante communitatem civitatis, ut dictum est quæst. 90. art. 3. et *secundum hoc distinguuntur leges humanæ secundum diversa regimina*, quæ regimina sunt sex, ut dicitur 3. Polit cap. 10. et á quolibet horum desumitur aliqua lex, uno excepto, ut dicetur.

Primum regimen est regnum, quando scilicet civitas gubernatur ab uno, et ab hoc regimine desumitur jus, quod constat ex constitutionibus principis.

Secundum regimen est aristocratia, idest principatus optimorum, vel opti-

matum, et ab hoc regimine desumitur lex, quæ dicitur senatus consulta, vel responsa prudentum.

Tertium regimen est oligarchia, idest principatus paucorum divitum, et potentum, et ab hoc sumitur jus prætorium, quod etiam honorarium dicitur.

Quartum regimen est regimen populi, quod nominatur democratia, et secundum hoc sumuntur plebiscita.

Quintum regimen est ex istis commixtum, quod est optimum, et secundum hoc sumitur lex, quam maiores natu simul cum plebibus sanxerunt.

Sextum regimem est tyrannicum, á quo, quia est omnino corruptum, nulla lex desumitur.

Quarto de ratione legis humanæ est, quod sit directiva humanorum actuum, et secundum hoc, secundum diversa de quibus leges feruntur, distinguuntur leges, quæ interdum ab authoribus nominantur. Sicut distinguitur lex Julia de adulteriis, lex Cornelia de sicariis, et sic de aliis, quæ non sunt leges distinctæ propter authores, sed propter res de quibus in ipsis agitur.

Breviter igitur, omnes divisiones legis humanæ colligendo, dicimus quod lex humana, ut derivatur á lege naturali dividitur in jus gentium, et jus civile.

Secundum quod ordinatur ad bonum commune, dividitur in jus publicum, et jus militare.

Secundum quod est instituta á gubernatoribus, dividitur in constitutiones principum, senatus consulta, jus prætorium, plebiscita, et legem.

Et tandem, ut est directiva actuum humanorum, dividitur in tot leges, quot sunt materiæ de quibus feruntur leges, ut est lex de adulteriis, de sicariis.

Quæ ut uniquo intuitu patere possint, sic ea disponimus.

Lex humana,

Secundum quod derivatur á lege naturali dividitur.

In jus gentium.

Et jus civile.

Secundum quod ordinatur ad bonum commune dividitur in

Jus publicum et

Jus militare.

Secundum quod est á gubernante dividitur in

Constitutiones principium, á regno.

Senatus consulta, sive responsa prudentum, ab aristocratia.

Jus prætorium, sive honorarium, ab oligarchia.

Plebiscita, á democratia.

Lex, á commixto.

Prout est directiva humanorum actuum dividitur in lege.

De adulteriis.

Sicariis.

Papiria.

Falcidia.

Singula autem harum divisionum membra, sic describuntur.

Jus gentium est sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captivitates, servitutes, postliminia, fœdera, paces, induciæ, legatorum non violandorum religio, connubia inter alieniginas prohibita.

Jus civile est quod quisque populus, vel civitas quæque sibi proprium divina, humanaque causa constituit.

Jus publicum est in sacris, et in sacerdotibus, et in magistratibus.

Jus militare est belli inferendi solemnitas, fœderis faciendi nexus, signo dato egressio in hostem, vel pugnæ commissio: item signo dato receptio, item flagitii militaris disciplina, si locus deseratur; item stipendiorum modus, dignitatum gradus, præmiorum honor, veluti cum corona, vel torques donantur: item prædæ divisio, et pro personarum qualitatibus, et laboribus justa divisio, ac principiis portio.

Constitutiones principium sunt, quas Rex, vel Imperator constituit.

Senatus consultum est, quod tantum senatores, populis consulendo, decernunt.

Responsa prudentum sunt, quæ jurisconsulti respondere dicuntur consulentibus.

Jus prætorium dicitur, quod prætor jus civile corrigens, vel supplens, vel confirmans in ambone posita, sive scripta publice proponebat.

Plebiscita sunt quæ plebes tantum constituunt, et vocantur plebiscita, quod ea plebs sciat, vel quæ sciscitatur, et rogat, ut fiant.

Lex est constitutio populi quam maiores natu, simul cum plebibus aliquid sanxerunt.

Jura vero dividentia legem humanam, ut est directiva actuum humanorum, multiplicantur secundum multiplicitatem rerum de quibus dantur, et juxta qualitatem materiæ diffiniuntur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, et ad ejus probationem, quod jus gentium est quidem aliquo modo naturale homini, secundum quod est rationalis, in quantum derivatur á lege naturali, per modum conclusionis, quæ non est multum remota á principiis, unde de facili in hujusmodi homines consenserunt: distinguitur tamen á lege naturali, maxime ab eo, quod est omnibus animalibus commune.

Ad 2. Negatur minor, distinguuntur enim membra divisionis formaliter, ut in corpore ostensum est. Ad probationem dicitur, quod licet illa habeant eamdem vim, tamen formaliter distinguuntur, quatenus á diverso regimine procedunt, ut dictum est.

Ad 3. Negatur conseq. hujusmodi enim jura pertinent, non ad omnia officia, sed ad ea tantum quæ pertinent ad commune bonum, ut sunt sacerdotes, et principes.

Ad 4. Dicitur, quod illæ leges quamvis nominentur ab auctoribus, tamen distinguuntur per hoc, quod sunt de diversis rebus, ut dictum est in corpore.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 95.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem destruas errores *Lutheri* dicentis: legem nullam, sive ab hominibus, sive ab Angelis, ullo jure Christianis imponi posse, nisi in quantum ipsi velint. Liberi enim sumus (inquit) ab omnibus. Item *Sarrabaitarum*: qui in spiritu libertatis vivunt sub habitu monachorum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illos merito damnari ab Isidoro, ut *in arg. cont.* Item á dictis 2. 2. art. num. 551. et ab Elucid. prima part. art. num. 483. Item á veritatibus aureis super totam legem veterem, Gen. 3. concl. 2. Item ab ista 1. 2. art. num. 483. Item ab Addition. art. nu. 93. cum Elucid. Dicta siquidem ibi applicentur huc contra errores prædictos: sicut et de multis alibi citatis sic modo suo faciendum esse semper subintelligitur. Item ab Apostolorum facto, quando Act. 15. in communi posuerunt legem Christianis pro tempore illo congruentem de sanguine, et suffocato. Item ab omnibus Conciliis, Pontificibus summis, Imperatoribus orthodoxis damnari intelliguntur errores ii per hoc: quod canones, leges, etiam sub interminatione maximarum pœnarum, Christianis indixerunt, et laudabiliter; absque tamen subditorum Christianorum voluntate prærequisita Hujusmodi enim facta præmissa aperte clamant: quod utile est, leges aliquas poni ab hominibus. Ad id vero *Lutheri* dictum, quod sumus liberi, habes, quid respondeas pro veritate abundanter in veritatibus aureis super legem veterem, Gen. 3. concl. 2. et Num. 4. concl. 3. ostendendo; quod nihil prorsus contra veritatem præmissam facit libertas illa, nisi apud ignaros, vel etiam malitiosos. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis et Tullio insinuatum, quod omnis lex positiva, idest, humanitus posita, derivatur á lege naturali. A Tullii quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur Psalm. 4. " Quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui Domine. » Constat enim ex hoc dicto recte intellecto: quod homines ab isto lumine super se signato habent, et quod ista, vel illa pro bonis acceptent, et quod ista, vel illa pro malis reprobent. Ea igitur, quæ ab hominibus possunt pro lege determinari, derivantur secundum scripturam hanc á lege naturali. Nam lex non est lex, nisi sit justa, et consequenter nisi determinet illa, quæ sunt bona, hæc scilicet acceptando, malaque reprobando: et supradictum lumen super nos signatum á Deo est lex ipsa naturalis. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens Angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et Isidoro insinuatum, quod describitur convenienter legis positivæ qualitas per has conditiones, scilicet, quod congruat legi divinæ, legi naturali, et utilitati communi. Cum enim ad tria hæc cætera omnia reducantur (ut patet in corpore) his tribus quod ad legem positivam requirantur, ostensis, satisfactum erit. Ab Isidoro igitur insinuatur, et ad plenum quidem explicitum: ut in principio articuli: conjungendo tres conditiones ejusdem argumento primo expressas. A scripturis vero per hoc, quod dicitur Prov. 8. " Per me potentes justa decernunt, » et ps. 4. " Quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui Domine. » Hoc est; Princeps decernunt leges per me, idest congruas lumini naturali á me super ipsos signato. Patet autem, quod lumen hoc, idest lex naturalis, et ordinatur ad bonum commune, tamquam ad suum finem, q. 90. ar. 2. et conformis est legi divinæ, ut quæ ab ea derivetur, q. 93. ar. 3. Scriptura ergo per hoc, quod leges positivas, lumine naturali duce, decerni monstrat, commonstratum insimul vult, leges easdem, et legi divinæ esse congruas, et ad utilitatem communem hominum ordinatas. Id, quod est, scholastice in proposito loquendo, leges ipsas congruere, et religioni, et disciplinæ, et saluti. Cæterum propter ly *convenienter*, vide de convenientia scripturarum, q. 68. ar. 4. app. et 2. 2. q. 122. ar. 2. app. et q. 140. ar. 1. app. Si vis de sufficientia, vide q. 68. ar. 4. app. et 2. 2. q. 79. ar. 2. app. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis et Isidoro insinuatum, quod multipliciter dividuntur leges humanæ. Ab Isidoro quidem, ut *in principio articuli, et arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod Gen. 47. assignatur quædam lex specialis pro sacerdotibus ad differentiam cæterorum de populo. Item Exod. 28. specialia quædam jura, etiam quoad vestes, assignantur de sacerdotibus. Et Levit. 1. 2. 3. atque deinceps. et Deuterono. sparsim jura eorumdem quoad officia quædam ab aliis distincta, quoad primitias, decimas, oblationum partes, etc. narrantur. De militibus autem speciales leges dantur Num. 1. 2. 3. et alibi passim. Et Luc. imponuntur diversæ leges pro militibus, pro plebe, pro scribis, et pharisæis, quasi pro principibus. Item Deuteronom. 17. de rectore, seu rege, ac principe statuitur lex specialis. Sed et 1. Reg. 8. narratur lex tyrannica, quamvis sit mala. De adulteris autem, homicidis, latronibus, etc. Exod. 21. 22. 23. et reliquis libris sparsim. Jus civile, seu politicum, et jus gentium in libris Judicum, Josue, Regum, Machabæorum, videri ab acutis scholasticis potest, ex operibus illorum principum. Per hæc igitur omnia supradicta scriptura si scholasticam linguam in proposito assumat, dicit: quod divisio legum humanarum est multiplex, scilicet in jus gentium, civile, sacerdotum, militum, principum, regum, magistratuum, etc. Cæterum de convenientia scripturarum: vide quæst. 68. art. 4. append. et 2. 2. quæst. 122. art. 2. append. et quæst. 140. art. 1. append. *Secundo* vides: etc.

QUÆSTIO NONAGESIMA SEXTA,

DE POTESTATE LEGIS HUMANÆ IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de potestate legis humanæ.

Et circa hoc quæruntur sex.

Primo, utrum humana lex debeat poni in communi.

Secundo, utrum lex humana debeat omnia vitia cohibere.

Tertio, utrum omnium virtutum actus habeat ordinare.

Quarto, utrum imponat homini necessitatem quantum ad forum conscientiæ.

Quinto, utrum omnes homines legi humanæ subdantur.

Sexto, utrum his, qui sunt sub lege, liceat agere præter verba legis.

ARTICULUS I.

Utrum lex humana debeat poni in communi, magis quam in particulari.

Pro affirmativa. — Videtur quod lex humana non debeat poni in communi, sed magis in particulari.

1. Phil. 5. Ethic. cap. 7. dicit quod *legalia sunt, quæcumque in singularibus legem ponunt, et etiam sententialia*, quæ etiam sunt singularia, cum sententiæ de singularibus ferantur. Ergo lex non solum ponitur in communi, sed etiam in singulari.

2. Quod est directivum humanorum actuum, non debet poni in universali, sed magis in particulari. Sed lex humana est directiva humanorum actuum, ut dictum est quæst. 90. art. 1. Ergo lex humana debet in singulari ferri.

Minor prob., quia humani actus in singularibus consistunt.

3. Mensura humanorum actuum debet esse in singularibus. Sed lex est regula et mensura humanorum actuum, ut dictum est q. 90. art. 1. Ergo lex humana debet in singulari ferri.

Maior prob. *Mensura debet esse certissima*, ex 10. Metaph. tex. 3. Sed si mensura humanorum actuum non esset circa singularia, non esset certissima. Ergo mensura humanorum actuum debet esse in singularibus.

Minor hujus prob., quia in actibus humanis non potest esse aliquod universale ita certum, quia in particularibus deficiat.

pro affirmativa.

Argumentum sed contra.

Jurisperitus dicit, in dig. vet. lib. 1. tit. 3. lege 3. 4. 5. quod *jura constitui oportet in his, quæ sæpius accidunt. Ex his autem quæ forte uno casu accidere possunt, jura non constituuntur.*

Determinatio.

1.ª Conclusio. Lex humana in communi, magis quam in particulari, debet poni.

Prob. Quod debet esse proportionatum ad bonum commune, debet magis in communi, quam in singulari ferri. Sed lex humana debet esse proportionata bono communi. Ergo lex humana debet ferri magis in communi, quam in singulari.

Maior prob., quia bonum commune constat ex multis, et ideo oportet quod id, quod respicit commune bonum, sit circa universale magis quam circa singulare.

Minor prob. Id quod est propter finem, debet esse proportionatum fini. Sed lex humana est ordinata ad bonum commune, tamquam ad finem, eo quod Isidorus dicat quod *nullo privato commodo, sed pro communi utilitate civium lex debet esse conscripta*. Ergo lex humana debet esse proportionata bono communi.

2.ª Conclusio. Oportet ut lex ad multa respiciat, et secundum personas, et secundum negotia, et secundum tempora.

Manifestatur, quia communitas civitatis constituitur ex multis personis, et ejus bonum per multiplices actiones, et negotia procuratur. Nec ad hoc instituitur, quod aliquo modico tempore duret, sed quod omni tempore perseveret per civium successionem, ut August. dicit 2. de Civitate Dei, cap. 21.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod Phil. 5. Ethic. cap. 7. Ponit tres species juris legalis, quod est jus positivum. Sunt enim quædam, quæ simpliciter in communi ponuntur, et hæc sunt leges communes: et quantum ad hujusmodi dicit quod legale est, quod ex principio quidem nihil differt, sic, vel aliter, quando autem ponitur, differt: puta quod capitivi statuto pretio redimantur. Quædam vero sunt, quæ sunt communia quantum ad aliquid, et singularia quantum ad aliquid, et hujusmodi dicuntur privilegia, quasi leges privatæ, quia respiciunt singulares personas, et tamen potestas eorum extenditur ad multa negotia; et quantum ad hoc subdit, adhuc quæcumque in singularibus legem ponunt. Dicuntur etiam quædam legalia, non quia sint leges, sed propter applicationem legum communium ad aliqua particularia facta: sicut sunt sententiæ, quæ pro jure habentur, et quantum ad hoc subdit: et sententialia.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod illud quod est directivum, oportet esse plurium directivum, unde in 10. Metaph. tex. 4. Phil. dicit quod *omnia quæ sunt unius generis, mensurantur aliquo uno, quod est primum in genere illo.* Si enim essent tot regulæ vel mensuræ, quot sunt mensurata vel regulata, cessaret utique utilitas regulæ vel mensuræ, quæ est, ut ex uno multa possint cognosci: et ita nulla esset utilitas legis, si non se extenderet, nisi ad unum singularem actum. Ad singulares enim actus dirigendos dantur singularia præcepta præsidentium, sed lex est *præceptum commune*, ut sup. dictum est.

Ad 3. Negatur maior. Ad maiorem probationis dicitur quod *non est eadem certitudo quærenda in omnibus*, ut in 1. Ethic. cap. 3. dicitur. Unde in rebus contingentibus; sicut sunt naturalia, et res humanæ, sufficit talis certitudo, ut aliquid sit verum, ut in pluribus, licet interdum deficiat in paucioribus.

ARTICULUS II.

Utrum ad legem humanam pertineat omnia vitia cohibere.

Pro affirmativa.=Videtur quod ad legem humanam pertineat omnia vitia cohibere.

1. Ad legem quæ est facta ad hoc, ut ejus metu coerceatur humana audacia, pertinet omnia vitia cohibere. Sed *lex humana est facta, ut ejus metu humana coerceatur audacia*, ut Isid. dicit lib. 1. Etym. cap. 20. Ergo ad humanam legem pertinet omnia vitia cohibere.

Maior probatur, quia non sufficienter coerceretur humana audacia, nisi quælibet mala cohiberentur per legem.

2. Cujus intentio est facere homines virtuosos, debet omnia vitia cohibere. Sed intentio legislatoris humanæ legis est facere homines virtuosos. Ergo lex humana debet omnia vitia cohibere.

Maior prob., quia non potest esse aliquis virtuosus, nisi ab omnibus vitiis compescatur.

3. Lex quæ á naturali lege derivatur, debet omnia vitia cohibere. Sed lex humana á naturali lege derivatur, ut dictum est qu. 93. art. 3. Ergo lex humana debet omnia vitia cohibere.

Maior probatur, quia omnia vitia repugnant legi naturæ, utpote, quæ á lege æterna derivatur.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Lex quæ recte permittit ea, quæ spectant ad divinam providentiam vindicare, non cohibet omnia vitia. Sed lex humana permittit recte ea, quæ pertinent ad divinam providentiam vindicare. Ergo lex humana non cohibet omnia vitia.

Maior prob., quia divina providentia non vindicat nisi vitia.

Minor prob., quia August. dicit lib. 1. de lib. arb. cap. 5. «Videtur mihi «legem istam, quæ populo regendo scri«bitur, recte ista permittere, et divinam «providentiam vindicare.

Determinatio.

Conclusio. Lege humana non prohibentur omnia vitia.

Prob. Lege quæ datur etiam imperfectis, non prohibentur omnia vitia. Sed lex humana datur imperfectis. Ergo lege humana non prohibentur omnia vitia.

Maior prob. Lex debet esse proportionata his quibus datur. Sed si lex quæ datur imperfectis, prohiberet omnia vitia, non esset proportionata his quibus datur. Ergo lex quæ datur etiam imperfectis, non debet prohibere omnia vitia.

Maior hujus prob. Mensura *debet esse homogenea mensurato*, ut dicitur 10. Metaphy. tex. 3. Sed lex habet rationem mensuræ humanorum actuum, ut dictum est art. præced. Ergo lex debet imponi hominibus secundum eorum conditionem.

Et confirmatur, quia Isid. dicit lib. 2. cap. 21. quod «lex debet esse pos-«sibilis secundum naturam, et secun-«dum consuetudinem patriæ.»

Minor secundi syllogismi scilicet quod si lex, quæ datur etiam imperfectis, prohiberet omnia vitia, non esset proportionata his, quibus datur. Probatur quia facultas operandi ex interiori habitu, seu dispositione procedit: non enim idem est possibile ei, qui non habet habitum virtutis et virtuoso. Sicut etiam non est idem possibile puero et viro perfecto et propter hoc non ponitur eadem lex pueris et adultis: multa enim pueris permittuntur, quæ in adultis lege puniuntur vel vituperantur. Et similiter multa sunt permittenda hominibus non perfectis virtute, quæ non essent toleranda in hominibus virtuosis. Si igitur lex prohiberet omnia vitia, non esset omnibus proportionata, sed solum virtuosis, qui per habitum virtutis omnia vitia cavere possunt.

Minor principalis, scilicet quod lex datur imperfectis manifestatur, quia lex humana ponitur multitudini hominum, in qua maior pars est imperfectorum, et ideo lege humana non prohibentur omnia vitia, á quibus virtuosi abstinent; sed tantum graviora, á quibus possibile est maiorem partem multitudinis abstinere: et præcipue quæ sunt in nocumentum aliorum, sine quorum prohibitione societas humana conservari non posset, sicut sunt homicidia, furta, et hujusmodi, quæ lege humana prohibentur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem, dicitur quod audacia pertinere videtur ad invasionem aliorum: unde præcipue ad illa peccata pertinet, quibus injuria proximis irrogatur. Dum igitur lex humana hujusmodi peccata prohibet sufficienter reprimit humanam audaciam.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod lex humana intendit homines inducere ad virtutem, non subito sed gradatim; et ideo non statim multitudini imperfectorum imponit ea, quæ sunt jam virtuosorum, ut scilicet ab omnibus malis abstineant; alioquin imperfecti hujusmodi præcepta ferre non valentes in deteriora mala prorumperent, sicut dicitur Proverb. 30. *Qui nimis emungit, elicit sanguinem.* et Mat. 9. quod *si vinum novum,* idest præcepta perfectæ vitæ, *mittatur in utres veteres,* idest in homines imperfectos, *utres rumpuntur, et unum effunditur,* idest præcepta contemuntur, et homines ex contemptu ad pejora mala prorumpunt.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod lex humana derivatur quidem á lege æterna, et naturali, deficienter tamen, et propterea dicit Aug. lib. 1. de lib. arb. cap. 5. «Lex ista quæ regendis civita-«tibus fertur, multa concedit, atque im-«punita relinquit, quæ per divinam pro-«videntiam vindicantur: neque enim quia «non omnia facit, ideo quæ facit, im-«probanda sunt. Unde etiam lex humana non omnia potest prohibere, quæ prohibet lex naturæ.

ARTICULUS III.

Utrum lex humana præcipiat actus omnium virtutum.

Pro negativa.=Videtur quod lex humana non præcipiat actus omnium virtutum.

1. Lex quæ præcipit actus omnium virtutum, prohibet omnia vitia. Sed lex humana non prohibet omnia vitia, ut dictum est art. præc. Ergo lex humana non præcipit actus omnium virtutum.

Maior prob., quia actibus virtutum opponuntur actus vitiosi.

2. Quæ procedunt á virtute, non præcipuntur á lege. Sed actus virtutis procedunt á virtute. Ergo actus virtutum non præcipiuntur á lege.

Maior probatur, quia virtus est finis legis: unde quod est á virtute, sub præcepto legis cadere non potest, sicut nec finis legis á lege præcipitur.

3. Ea quæ præcipiuntur á lege, ordinantur ad bonum commune. Sed quidam actus virtutum non ordinantur ad bonum commune, sed ad bonum privatum, ut est actus temperantiæ. Ergo quidam actus virtutum non præcipiuntur á lege.

Maior probatur, quia lex ipsa ordinatur ad bonum commune.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Phil. 5. Ethic. cap. 1. dicit quod *præcipit lex, fortis opera facere et quæ temperati, et quæ mansueti. Similiter autem secundum alias virtutes et malitias, hæc quidem jubens, hæc autem prohibens.*

Determinatio.

Distinctio. Actus virtutum sunt in duplici differentia. Quidam referuntur in bonum commune. Quidam vero referuntur in bonum privatum.

Manifestatur. Nam omnium virtutum objecta (secundum quæ species virtutum distinguuntur, ut dictum est quæst. 54. art. 1.) vel ad bonum privatum alicujus personæ, vel ad bonum commune multitudinis referri possunt. Sicut ea quæ sunt fortitudinis, potest aliquis exequi, vel propter conservationem civitatis, vel ad conservandum jus amici sui: et simile est de aliis. Actus igitur virtutum, quibus quis exequitur ea, quæ sunt virtutum propter bonum commune, referuntur ad bonum commune. Actus vero quo quis exequitur ea, quæ sunt virtutum propter bonum privatum, refertur ad bonum privatum.

1.ª Conclusio. Nulla virtus est, de cujus actibus lex humana præcipere non possit.

Prob. De omnibus actibus, qui possunt ordinari ad bonum commune, potest lex præcipere. Sed nulla est virtus, cujus aliqui actus non possint ordinari ad bonum commune. Ergo nulla est virtus, de cujus actibus lex præcipere non possit.

Maior prob., quia lex ordinatur ad bonum commune, ut dictum est quæst. 90. art. 2.

2.ª Conclusio. Lex humana non præcipit de omnibus actibus omnium virtutum, sed solum de illis, qui ordinabiles sunt ad bonum commune mediate vel immediate.

Prob. et declaratur. Prob., quia lex ordinatur ad bonum commune. Unde de illis tantum actibus præcipit, qui ad bonum commune sunt ordinabiles.

Declaratur quoad illos terminos, mediate, vel immediate. Illi enim actus ordinantur immediate ad bonum commune, qui directe propter commune bonum fiunt; ut est actus fortitudinis, quo quis patriæ bonum defendit, et actus justitiæ, quo quis populum gubernat. Illi autem actus ordinantur ad bonum commune mediate qui ordinantur á legislatore ad bonum commune, qui ex se ad privatum bonum ordinantur: sicut si princeps condat legem, ut adolescentes debeant literis studere, ut hoc studio cives informentur, ut commune bonum justitiæ et pacis conservent.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod legem aliquam præcipere actus omnium virtutum dupliciter contingit, ut dictum est in corpore, scilicet ut præcipiat omnes actus omnium virtutum: vel aliquos actus cujuslibet virtutis. Ad maiorem dicitur, quod lex quæ præcipit omnes actus omnium virtutum, prohibet omnia vitia; non autem illa quæ præcipit tantum aliquos actus cujuslibet virtutis; hæc enim prohibet tantum actus vitiorum, qui opponuntur illis virtutum actibus quos præcipit. Tunc ad minorem dicitur, quod lex humana non prohibet omnes actus vitiosos, prohibet tamen aliquos actus singulorum vitiorum, sicut etiam præcipit quosdam actus singularum virtutum.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod aliquis actus dicitur esse virtutis dupliciter. Uno modo ex eo quod homo operatur virtuosa: sicut actus virtutis justitiæ est facere recta, et actus fortitudinis facere fortia. Et sic lex præcipit aliquos actus virtutum. Alio modo dicitur actus virtutis quia aliquis operatur virtuosa, eo modo quo virtuosus operatur, et talis actus semper procedit á virtute, nec cadit sub præcepto legis; sed est finis, ad quem legislator ducere intendit.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod non est aliqua virtus, cujus aliqui actus non sint ordinabiles ad bonum commune, ut dictum est, vel mediate, vel immediate.

ARTICULUS IV.

Utrum lex humana imponat homini necessitatem in foro conscientiæ.

Pro negativa. = Videtur quod lex humana non imponat homini necessitatem in foro conscientiæ.

1. Inferior potestas non potest imponere legem in judicio superioris potestatis. Sed potestas humana, quæ fert legem humanam, est infra potestatem divinam, cujus est judicium conscientiæ. Ergo lex humana non potest imponere legem obligantem in conscientia.

2. Lex per quam evacuatur divinum mandatum, non obligat in conscientia. Sed per legem humanam quandoque evacuantur divina mandata. Ergo lex humana non obligat in conscientia.

Maior prob., quia judicium conscientiæ maxime dependet ex divinis mandatis.

Minor prob., quia Matth. 15. dicitur. *Irritum fecistis mandatum Dei, propter traditiones vestras.*

3. Leges, quæ ingerunt calumniam, et injuriam hominibus, non obligant in foro conscientiæ. Sed leges humanæ frequenter ingerunt calumniam et injuriam hominibus. Ergo leges humanæ non obligant in foro conscientiæ.

Maior probatur, quia licitum est unicuique oppressionem et violentiam evitare.

Minor prob., quia Isaiæ 10. dicitur. «Væ qui condunt leges iniquas, et scri«bentes injustitias scripserunt, ut oppri«merent in judicio pauperes, et vim fa«cerent causæ humilium populi mei.»

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Ptr. 2. dicitur. *Hæc est gratia, si propter conscientiam sustineat quis tristitias, patiens injuste.*

Determinatio.

Distinctio. Leges humanitus positæ sunt in duplici differentia. Quædam sunt justæ et quædam sunt injustæ.

Dicuntur leges justæ ex triplici capite. Primo ex fine, ut quando ordinantur ad bonum commune. Secundo ex actore, ut quando lex lata non excedit potestatem ferentis. Tertio ex forma, ut quando secundum æqualitatem proportionis imponuntur onera subditis in ordine ad bonum commune.

Injustæ vero sunt leges humanæ dupliciter. Uno modo per contrarietatem ad bonum humanum. Alio modo per contrarietatem ad bonum divinum. Per contrarietatem ad bonum humanum lex potest esse injusta ex tribus, oppositis his ex quibus lex est justa. Primo ex fine,

sicut cum aliquis præsidens leges onerosas subditis imponit, non pertinentes ad utilitatem communem, sed potius ad propriam utilitatem, vel gloriam. Secundo ex auctore, sicut cum aliquis legem fert ultra sibi commissam potestatem. Tertio ex forma, puta cum inæqualiter onera multitudini dispensantur, etiam si ordinentur ad bonum commune, et hujusmodi magis sunt violentiæ, quam leges, quia sicut Aug. dicit in libro 1. de lib. arb. c. 5. lex esse non videtur, quæ justa non fuerit.

Per contrarietatem autem ad bonum divinum dicuntur injustæ leges, inducentes ad idolatriam, vel ad quodcumque aliud, quod sit contra legem divinam, ut fuerunt leges tyrannorum qui persecuti sunt Ecclesiam Dei.

1.ª Conclusio. Lex humana si sit justa, imponit homini necessitatem in foro conscientiæ.

Prob. Lex quæ derivatur á lege æterna, habet vim obligandi in foro conscientiæ. Sed leges humanæ justæ derivantur á lege æterna, secundum illud Proverb. 8. *Per me Reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* Ergo leges humanæ justæ habent vim obligandi in foro conscientiæ.

2.ª Conclusio. Leges humanæ injustæ non habent vim obligandi in foro cons cientiæ, nisi propter scandalum vitandum.

Prob., quia hujusmodi leges non derivantur á lege divina, propter quod, nec leges sunt, sed violentiæ, ut dictum est, ex Aug.

Et declaratur secunda pars: quia ad evitandum scandalum homo etiam juri suo debet cedere, secundum illud Matth. 5. «Qui angariaverit te mille passus, va»de cum eo alia duo, et qui abstulerit »tibi tunicam, da ei et pallium.

3.ª Conclusio. Leges injustas per contrarietatem ad bonum divinum nullo modo licet observare.

Prob., quia Actorum 4. dicitur. *Obedire oportet magis Deo quam hominibus*

Ad 1. Dicitur, ad minorem quod quamvis potestas humana sit infra potestatem divinam, tamen quia omnis potestas humana á Deo est, ut dicitur Rom. 13. ideo qui potestati resistit in his quæ ad potestatem pertinent, Dei ordinationi resistit, et secundum hoc efficitur humanæ legis transgressor, reus in conscientia.

Ad 2. Conceditur totum. Si enim sit aliqua lex humana, per quam evacuetur Dei mandatum, non obligat in conscientia: ordo enim humanæ potestatis non se extendit ad aliquid statuendum contra divinæ legis mandatum. Unde his legibus non est parendum, et hoc argumentum probat tertiam conclusionem.

Ad 3. Conceditur etiam totum, probat enim secundam conclusionem. Lex enim injustum gravamen subditis imponens, non est justa, quia ordo potestatis divinitus concessus, ad hoc non se extendit. Unde in talibus homo non obligatur obedire legi, si fine scandalo, vel maiori detrimento resistere possit.

ARTICULUS V.

Utrum omnes subjiciantur legi.

Pro negativa.=Videtur quod non omnes subjiciantur legi.

1. Illi soli subjiciuntur legi, quibus lex est posita. Sed non omnibus lex est posita. Ergo non omnes subjiciuntur legi.

Minor prob., quia Apost. dicit 1. Timoth. 1. quod *justo non est posita lex*

2. Viri spirituales non subduntur legi humanæ. Ergo non omnes legi subduntur.

Antec. prob., quia Urbanus secundus Papa, ut habetur in decreto 19. quæst. 2. cap. Duæ sunt dicit. «Qui lege pri«vata ducitur nulla ratio exigit, ut pu«blica constringatur.» Lege autem privata Spiritus Sancti ducuntur omnes viri spirituales, qui sunt filii Dei, secundum illud Rom. 8. *Qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt.*

3. Qui est solutus á lege non subditur legi. Sed *princeps est solutus á le-*

gibus, ut Jurisperitus dicit. Ergo princeps non subitur legi, et sic non omnes legi sunt subjecti.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Qui est subditus potestati, subditur legi quam fert potestas. Sed omnes subjiciuntur potestati. Ergo omnes legi subjiciuntur.

Minor prob., quia Rom. 13. dicitur. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.*

Determinatio.

1.ª *Distinctio.* Lex in sui ratione duo habet. Primum est quod sit regula humanorum actuum. Alterum est quod habeat vim coactivam.

2.ª *Distinctio.* Ex quo sequitur quod dupliciter possit aliquis homo esse legi subjectus. Uno modo sicut regulatum subjicitur regulæ. Alio modo sicut coactum cogenti.

1.ª Conclusio. Omnis qui subditur alicui potestati, subditur legi, quam fert potestas, sicut regulatum subjicitur regulæ.

Manifestatur, quia per hoc aliquid subjicitur potestati, quia potestatis regulis dirigitur, et gubernatur.

2.ª Conclusio. Qui non subjicitur potestati, non subjicitur legi potestatis, ut regulatum regulæ.

Manifestatur. Quod enim aliquis potestati non subdatur, potest contingere dupliciter. Uno modo quia est simpliciter absolutus ab ejus subjectione: unde illi qui sunt de una civitate, vel regno, non subduntur legibus principis alterius civitatis, vel regni, sicut nec ejus dominio. Alio modo secundum quod regitur superiori lege, puta si aliquis subjectus sit proconsuli, regulari debet ejus mandato, non tamen in his, in quibus dispensatur ab imperatore. Quantum enim ad illa, non adstringuitur mandato inferioris, cum superioris mandato dirigatur, et secundum hoc contingit ut aliquis subjectus alicui potestati, et ejus legi simpliciter, secundum aliqua non adstriguitur á lege inferioris potestatis cui subjectus est. Sensus ergo secundæ conclusionis est, quod qui non subjicitur potestati, non subjicitur ejus legibus; si, inquam, nullo modo subjiciatur potestati, nullo modo subjicitur ejus legibus: si subjiciatur quidem potestati, sed tamen in aliquibus dirigatur lege superioris, quoad illa non subjicitur legi potestatis.

Quæ conclusio probata remanet ex ratione primæ conclusionis: nam hæc convertibiliter se habent, subjici potestati, et ejus legi, ut regulæ, cum ut dictum est, subjici potestati nihil aliud sit quam ejus regula dirigi. Unde qui non subjicitur potestati, nec regulæ potestatis erit subjectus.

3.ª Conclusio. Homines virtuosi et justi non subduntur legi, ut coactum subditur cogenti, sicut mali legi sunt subjecti.

Prob. Quorum voluntas consonat legi, non subjiciuntur legi, ut coactum cogenti. Sed bonorum voluntas consonat legi, voluntas vero malorum á lege discordat. Ergo legi boni coacte non subjiciuntur, sed solum mali.

Maior prob., quia quod est coactum et violentum, est contrarium voluntati.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod justo lex non est posita, quia non subditur legi per modum coactionis, ut dictum est, quia *justi ipsi sibi sunt lex, dum ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Apost. dicit Rom. 2. Unde non habet lex in ipsis vim coactivam, sicut in injustis habet.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod lex Spiritus Sancti est superior omni legi humanitus posita: et ideo viri spirituales, secundum hoc quod lege Spiritus Sancti ducuntur, non subduntur legi, quantum ad ea quæ repugnant ductioni Spiritus Sancti. Sed tamen hoc ipsum est de ductu Spiritus Sancti, quod homines spiri-

tuales legibus humanis subdantur, secundum illud 1. Petri 2. *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum.*

Ad 3. Dicitur ad minorem dupliciter. Primo, quod princeps dicitur esse solutus á lege, quantum ad vim coactivam legis, non autem quantum ad vim directivam. Et utrumque ostenditur: dicitur solutus princeps á lege, quantum ad vim coactivam, quia nullus proprie cogitur á seipso, lex autem non habet vim coactivam nisi ex principis potestate: est igitur princeps solutus á lege, quia nullus potest in ipsum ferre judicium condemnationis, si contra legem agat. Unde Glossa, super illud Psal. 50. *Tibi soli peccavi*, dicit quod *rex non habet hominem qui sua facta dijudicet.* Quantum autem ad vim directivam legis, princeps subditur legi propria voluntate, secundum quod dicitur extra de Const. in decretal. lib. 1. tit. 2. cap. *Cum omnes: Quod quisquis juris in alterum statuit, ipse eodem jure uti debet: et sapientis dicit authoritas: patere legem, quam ipse tuleris.* Improperatur etiam his á Domino, qui dicunt, et non faciunt, et qui aliis onera gravia imponunt et ipsi nec digito volunt ea movere, ut dicitur Matth. 23. Unde quantum ad Dei judicium princeps non est solutus á lege, quantum ad vim directivam ejus, sed debet voluntarius, non coactus pœna, legem implere.

Secundo dicitur ad eamdem minorem, quod princeps est supra legem, in quantum si expediens fuerit, potest legem mutare, et in ea dispensare, pro loco et tempore. Breviter igitur dicitur, quod princeps est solutus á lege, quantum ad vim coactivam, quia non habet, qui pœnis legis eum cogat, sed non est solutus á lege quoad vim directivam, propter inductas authoritates.

ARTICULUS VI.

Utrum ei, qui subditur legi, liceat præter verba legis agere.

Pro negativa.=Videtur quod non liceat ei, qui subditur legi, præter verba legis agere.

1. Cui licet agere præter verba legis, licet judicare de lege. Sed ei, qui subditur legi, non licet judicare de lege. Ergo ei, qui subditur legi, non licet agere præter verba legis.

Maior prob., quia si aliquis prætermittat verba legis, dicens se intentionem legislatoris servare, videtur judicare de lege. Ergo cui licet præter verba legis agere, licet de ea judicare.

Minor prob., quia Augustinus dicit in lib. de vera Relig. cap. 31. *In temporalibus legibus, quamvis homines judicent de his, cum eas instituunt, tamen quando sunt institutæ et firmatæ, non licebit de ipsis judicare.*

2. Ad eum solum pertinet leges interpretari, cujus est condere leges. Sed nullius subditorum legi est leges condere. Ergo nullus subditus legi potest agere præter verba legis.

3. Illi, qui condiderunt leges, reputari debent sapientes Ergo de intentione legislatoris non est judicandum nisi per verba legis.

Anteced. prob., quia Proverb. 8. dicitur de sapientia. *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.*

Conseq. prob., quia omnis sapiens novit explicare verbis suam intentionem.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Hilarius dicit 4. de Trinit. *intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei debet esse sermo subjectus.* Ergo magis est attendendum ad causam, quæ movet legislatorem, quam ad ipsa verba legis.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Ei, qui subditur legi, licet in aliquo casu præter verba legis agere.

Probatur. Quotiescumque lex secundum verba est damnosa bono communi, licet præter verba legis agere. Sed potest

accidere casus, in quo lex quæ ut in pluribus est utilis ad bonum commune, in aliquo casu sit nociva, et adversetur communi bono. Ergo in tali casu licet præter verba legis agere.

Maior prob., quia ut supra dictum est quæst. 90. ar. 2. Omnis lex ordinatur ad communem hominum salutem et in tantum obtinet vim, et rationem legis, in quantum ad bonum commune ordinatur: secundum vero quod ab hoc deficit, vim obligandi non habet. Unde Jurisperitus dicit lib. 1. tit. 3 de legibus quod «nulla ratio juris, aut æquitatis benignitas patitur ut quæ salubriter pro «salute hominum introducuntur, ea nos «duriori interpretatione, contra ipsorum «commodum perducamus ad severitatem.»

Minor prob. Primo, quia legislator non potest omnes singulares casus intueri, et ideo proponit legem secundum ea quæ in pluribus accidunt, ferens intentionem suam ad communem utilitatem. Potest igitur accidere particularis casus, quem legislator non præviderit, in quo legis observatio esset damnosa. Sicut si in civitate obsessa statuatur lex quod portæ civitatis maneant clausæ, hoc est utile communi saluti, ut in pluribus; si tamen contingit casus quod hostes insequantur aliquos cives, per quos civitas conservatur, damnosissimum esset civitati, nisi eis portæ aperirentur, et ideo in tali casu essent portæ aperiendæ præter verba legis, ut servaretur utilitas communis quam legislator intendit.

2.ª Conclusio. Si casus, in quo non videtur lex servanda secundum verba, non habeat subitum periculum, cui oporteat statim occurri, non pertinet ad quemlibet interpretari, quid sit utile, vel inutile communitati, sed hoc solum pertinet ad principes.

Manifestatur. Quia propter hujusmodi casus principes habent authoritatem in legibus dispensandi.

3ª. Conclusio. Si vero casus habeat subitum periculum, non patiens tantam moram, ut ad superiorem recurri possit, potest unusquisque præter verba legis agere.

Prob., quia ipsa necessitas dispensationem habet annexam. Necessitas enim non subditur legi.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod ille qui in casu necessitatis agit præter verba legis, non judicat de ipsa lege, sed judicat de casu singulari, in quo videt verba legis observanda non esse.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod ille qui sequitur intentionem legislatoris, non interpretatur legem simpliciter; sed in casu in quo manifestum est per evidentiam documenti, legislatorem aliud intendisse. Si enim dubium sit, debet vel secundum verba legis agere, vel superiorem consulere.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod nullius hominis sapientia tanta est ut possit omnes singulares casus excogitare, et ideo non potest sufficienter per verba sua exprimere ea quæ conveniunt ad finem intentum: et si posset legislator omnes casus considerare, non oporteret ut ompes exprimeret, propter confusionem vitandam; sed legem ferre deberet secundum ea quæ in pluribus accidunt.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 96.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et Jurisperito insinuatum: quod lex debet poni in communi, idest ad multa debet res-

picere. A Jurisperito quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur Hester cap. 1. " Egrediatur edictum á facie tua: et hoc in omne provinciarum tuarum divulgetur imperium; ut cunctæ uxores tam majorum, quam minorum deferant maritis suis honorem. » Ecce, quod edictum, idest, lex, idem enim est: ut patet ex contextu Danielis 6. quamvis ab occasione particulari, quæ in præsenti fuit inobedientiæ reginæ Vasthi, habuerit occasionem, respicit tamen ad multa. Ob hoc siquidem in omne divulgatur, idest promulgatur imperium. Vide q. 90. art. 4. Nam dicta ibi legis promulgatione faciunt ad hoc propositum carroborandum: quoniam, nsi ad multa respiceret lex, non apparet necessitas promulgandi eam communiter. *Secundo* vides : quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis et Aug. insinuatum, quod ad legem humanam non pertinet omnia vitia cohibere. A B. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc quod dicitur Deuterom. 24. *non scribes libellum repudii.* Ad cujus rectam expositionem Dominus Judæis dixit Matth. 19. " Moyses, ad duritiam cordis vestri, permisit vobis dimittere uxores vestras. » Ex his enim patet: quod lex divina vetus non omnia vitia cohibebat, sed aliqua permittebat. Nam repudiare uxorem, est vitium, nisi ex causa fornicationis, ut Dominus ibid. subdit, et tunc non nisi quoad cohabitationem, vel thorum, quoniam adhuc perseverat inter ipsos vinculum matrimonii, ita, quod neuter cum altero contrahere matrimonium potest, ut patet per Conc. Trid. sess. 24 can. 5. 7. Magnum ergo era, vitium, ad duritiam tamen cordis Judæorum, a divina lege prudenter permissum: quando ipse maritus sine causa fornicationis, quod ibi legatur, ef dimittebat uxorem, et alteram ducebat. Addit. q. 67. a. 4. cum Elucid. Scriptura igitur per hoc, quod legem divinam veterem sapienter non omnia vitia cohibuisse, monstrat, intendit simul á fortiori commonstratum esse, quod lex humana, quemadmodum respectu divinæ, est imperfecta, permittit recte aliqua, et consequenter quod non tenetur omnia mala prohibere, vel punire. *Secundo* vides : quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsons angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et Phil. insinuatum; quod lex positiva præcipit de aliquibus omnium virtutum actibus aliquo modo ordinatis ad bonum commune. A Phil. quidem: ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod postquam dictum est Lev. 11. *custodite omnia, quæ scripsi vobis*, post plurima circa ipsam legem expressa subditur cap. eo. *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Per hæc enim monstratur ad literam, quod intentio legis est facere homines virtuosos: et consequenter á simili de omni lege hoc ipsum subauditur, quandoquidem omnis lex á lege æterna derivatur, q. 93. ar. 3. Cum igitur homines fiant á lege virtuosi per hoc, quod inducuntur ad actus virtutum: oportet dicere, quod iisdem verbis ibi commonstratur, quod legis est præcipere de actibus virtutum. Virtutum quidem omnium; cum virtutes sint ad invicem connexæ, q. 65. ar. 1. actibus vero quibusdam, non omnibus. Nam de eadem lege divina veteri legitur, quod permisit repudium (ut patet ar. 2. append.) et consequenter quod non omnes actus omnium virtutum præcepit. Si ergo legis divinæ veteris est præcipere de omnium virtutum actibus solum aliquibus, et lex humana á lege naturali, q. 95. art. 2. et per consequens á divina, q. 93. art. 1. derivatur, et quidem deficienter: jam aperte intentum, secundum scripturam, constat et á simili, quod scilicet lex humana de aliquibus omnium virtutum actibus præcipit, et á fortiori, quod scilicet, non de omnibus ipsarum actibus. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 4. habes *primo* : quomodo per rationem destruas errorem temerarium quorumdam dicentium, quod leges humanæ non ligant in foro conscientiæ. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hunc merito damnari á 1. Pet. 2. ut est

in arg. cont. Ubi nota, quod ly *injuste* non refertur ad legem injustam (si qua esset) positam á dominis quibusdam discolis, sed refertur ad meritum subditi. Ac si dixerit ibi: Hæc est enim gratia, si propter conscientiam sustineat quis tristitias patiens absque merito suo, idest absque culpa sua. Potest enim dominus ille alias discolus ferre legem justam, et tamen potest simul esse, quod aliquis subditorum patiatur inde aliquid injuste, idest absque culpa propria. Item merito damnari á Ro. 3. " ideoque de necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. » Dicere enim hoc, post quam de obedientia subditorum erga superiores prædictum est (ut ibi fit) tantumdem valet; ac si in terminis scholasticis diceretur: leges humanæ á superioribus positæ subditos ad obediendum eis obligant in foro conscientiæ. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæreses *Lutheri* dicentis, legem nullam sive ab hominibus, sive ab Angelis, ullo jure Christianis imponi posse, nisi in quantum ipsi velint. *Liberi* enim, inquit, *sumus ab omnibus.* Et dicentis: obediendum non esse Ecclesiæ prælatis, nisi in his, quæ sunt in sacra scriptura apertissime manifesta. Item *Begardorum,* ac *Beguinarum* dicentium ut refert Clem. de hæret. *Ad nostrum*, quod qui sunt in gradu perfectionis prædicto ibi error. *primo*, non sunt humanæ obedientiæ subjecti, nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligantur. Quia, ut asserunt, *ubi spiritus Domini, ibi libertas.* Item *Valdensium* dicentium, ut refert Gabriel Prateol. tit. *Pauperes de Lugduno:* et Cardinal. Turrecrem. *de ecclesia, lib. 4. cap.* 34. Obediendum non esse Romano Pont. aut aliis ecclesiæ prælatis. Item *Anabaptistarum* dicentium; homines non esse subjectos alicui legitimæ potestati. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictas merito damnari á *Roman.* 13. ut est *in arg. cont.* Item á 1. Pet. 2. ut est in respon. ad 2. Item á Matth. 23. " Quæcumque dicunt vobis, servate, et facite: secundum vero opera eorum nolite facere. Alligant enim onera graviora, » etc. Clarum euim est: quod omnia, quæ pharisæi mandabant, exceptis mandatis contra legem divinam, *cap.* 15. non erant apertissime manifesta in sacra scriptura: et tamen nihil excludendo dicit Dominus turbis, *quæcumque dixerint vobis, servate, et facite.* Item á Matth. 22. *Reddite quæ suut cæseris, cæsari.* Item á 1. Pet. 2. *subditi stote dominis vestris, non tantum bonis et modestis: sed etiam discolis.* Item á Philip. 4. *salutant vos omnes sancti, maxime autem, qui de domo Cæsaris sunt.* Prudentibus enim patet, quod ipsi, qui erant de domo Cæsaris, obediebant ex debito, vigore illius dicti, «Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari;» et clarum quoque est, quod Cæsar, cum esset infidelis, non consulebat sacram scripturam ad videndum, an essent ibi appertissime manifesta, quæ sanctis ipsius domesticis mandaturus erat. Sed nec ipsi sancti infidelium dominorum hoc faciebant, solummodo sibi caventes, ne infidelibus dominis obedirent in iis, quæ erant contra sacram scripturam. Patentissimum enim est, quod non est in sacra scriptura apertissime manifestum. Nec quod SS. Mauritius, Exuperius, Candidus, etc. irent contra Gallias Romano Imperio rebellantes, et tamen hi cum tota sua legione ad mandatum Maximiani Herculei Cæsaris illuc iverunt. Nec quod SS. decem millia martyres irent contra Gadarenos, qui jam Romanis rebellaverant, et tamen hi ad mandatum Adriani, et Antonini Imperatorum illos oppugnarunt, et expugnarunt. Idem dicas tu proportionaliter de B. Sebastiano respectu Diocletiani domini sui: de sanctis Jo. et Paulo, existentibus de domo Constantii, et Constantini; et de, etc. Item merito damnari á *Clemen.* ubi supra. Item á Concil. Trid. sess. 6. can. 20. " si quis hominem justificatum, et quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei, et ecclesiæ, Anathema sit. » Et Can. 21. " Si quis dixerit, Christum Jesum á Deo hominibus datum fuisse, et redemptorem, cui fidant, non etiam, ut legislatorem, cui obediant; Anathema sit. » Item á supradictis art. nu. 505. 485. Item á 2. 2. art. nu. 212. 551. 388. Item á veritatibus aureis super totam legem veterem, Gen. 3. concl. 2. et c. 16. concl. 4. Item Num. 2. concl 10. et cap. 14. concl. 13. 14. et cap. 16. concl. 3. Item Deut. 17. concl. 7. 8. 9. Cæterum,

quia de libertate vociferantur, ideo contra illos sanum de libertate sensum, vide ibid. Gen. 3. concl. 2. et num. 4. concl. 3. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et Hilario, quod licitum est subdito in aliquo casu agere præter verba legis. A B. Hilario quidem: ut *in arg. cont.* Ubi nota universaliter modum intelligendi aliorum dicta. A scripturis vero per hoc, quod non obstante præcepto Exod. 2. de santificatione sabbati, dicitur 1. Machab. 2. «omnis homo quicumque venerit ad nos in bello die sabbatorum, pugnemus adversus eum. Constat enim, quod sic dicentes non servarunt legem de sabbatorum sanctificatione quoad verba: et tamen ipsimet laudabiliter hic commemorantur, atque á Deo, tamquam ab approbante hoc eorum dictum, in bellis, inibi subsequenter narratis promoventur. Quo contra illi qui verbis ejusdem legis simpliciter adhærentes noluerunt repugnare hostibus suis in die sabbatorum, ibidem minus bene fecisse subindicantur. Confirmantur autem maxime ista sic intellecta á Papa Nicolao scribente ad consulta Bulgarorum, ut recitatur in decretis 23. qu. 8. «Si nulla urget necessitas, non solum quadragesimali, sed etiam omni tempore est á præliis abstinendum. Si autem inevitabilis urget importunitas, nec quadragesimali tempore, pro defensione tam sua, quam patriæ, seu legum paternarum est bellorum proculdubio præpratioui parcendum ne videlicet Deum videatur homo tentare, si habet, quod faciat, et suæ, ac aliorum saluti consulere non procuret, et sanctæ religionis detrimenta non præcavet.» Ubi et Glossa dicit: *unde et Machabæi pugnaverunt in sabbato. Secundo*, etc.

QUÆSTIO NONAGESIMA SEPTIMA,

DE MUTATIONE LEGUM, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de mutatione legum.

Et circa hoc quæruntur quatuor.

Primo, utrum lex humana sit mutabilis.

Secundo, utrum semper debeat mutari, quando aliquid melius occurrerit.

Tertio, utrum per consuetudinem aboleatur, et utrum consuetudo obtineat vim legis.

Quarto, utrum usus legis humanæ per dispensationem rectorum immutari debeat.

ARTICULUS I.

Utrum lex humana debeat mutari aliquo modo.

Pro negativa.=Videtur quod lex humana nullo modo debeat mutari.

1. Lex procedens á lege naturali, nullo modo debet mutari. Sed lex humana derivatur á lege naturali, ut dictum est qu. 95. art. 2. Ergo lex humana nullo modo debet mutari.

Maior probatur: quia lex naturalis immobilis permanet.

2. Mensura nullo modo debet mutari, sed immobilis permanere. Sed lex humana est mensura humanorum actuum, ut dictum est quæst. 90. art. 1. Ergo lex humana non debet mutari.

Maior prob., quia ut dicitur 5. Eth. c. 5. *mensura maxime debet esse permanens.*

3. De cujus ratione est ut sit rectum et justum, non debet mutari. Sed de ratione legis est, ut sit justa et recta, ut quæst. 95. art. 2. ostensum est. Ergo lex non debet ullo modo mutari.

Maior prob., quia quod est semel rectum, semper est rectum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

August. dicit lib. 1. de lib. arb. cap. 6. *Lex temporalis, quamvis justa sit, commutari tamen per tempora juste potest.*

Determinatio.

Conclusio. Lex humana potest aliquo modo mutari.

Probatur. Dictamen rationis directivum humanorum actuum potest aliquo modo mutari. Sed lex humana est quoddam dictamen rationis, quo diriguntur humani actus, ut dictum est quæst. 90. art. 1. et q. 91. art. 3. Ergo lex humana potest aliquo modo mutari.

Maior probatur. Nam dictamen rationis quod est idem quod lex, potest mutari, tum ex parte rationis cujus est dictamen, tum ex parte humanorum actuum, quos dirigit. Ex parte inquam rationis, quia humanæ rationis naturale esse videtur, ut gradatim ab imperfecto ad perfectum perveniat. Unde videmus in scientiis speculativis, quod qui primi philosophati sunt, quædam imperfecta invenerunt, quæ postmodum per posteriores sunt tradita magis perfecte; ita etiam in operabilibus. Nam primi, qui intenderunt invenire aliquid utile communitati hominum, non valentes ex seipsis omnia considerare, instituerunt quædam imperfecta in multis deficientia, quæ posteriores mutaverunt, instituentes aliqua quæ in paucioribus deficere possunt á communi utilitate. Ex quo patet quod opus humanæ rationis, quale est lex, potest de imperfecto in perfectum mutari, cum humanæ rationis sit de imperfecto ad perfectum procedere.

Ex parte vero hominum, quorum actus lege regulantur, mutari potest dictamen rationis dirigens ipsos actus, propter mutationem conditionum hominum, quibus, secundum diversas eorum conditiones, diversa expediunt, sicut Aug. ponit exempla in 1. de libero arb. cap. 6. quod «si populus sit bene moderatus, et gravis communisque utilitatis diligentissimus custos, recte fertur lex, qua tali populo liceat creare sibi magistratus, per quos res publica administretur. Porro si paulatim idem populus depravatus habeat venale suffragium, et regimen flagitiosis, sceleratisque committat, recte adimitur talis potestas á populo dandi honores, et ad paucorum bonorum redit arbitrium.

Vel aliter explicatur hic articulus.

Distinctio. Cum lex humana sit dictamen rationis, quo humani actus diriguntur, dupliciter considerari potest. Uno modo, ut respicit ipsam rationem. Alio modo, ut respicit ipsos humanos actus, quos dirigit.

Conclusio. Lex humana potest mutari, tum in quantum est á ratione, tum in quantum humanos actus respicit.

Prob. et ex parte rationis, quia ea quæ sunt ab humana ratione, quæ de imperfecto ad perfectum procedit, mutationi subjacere possunt.

Ex parte vero actuum humanorum, quos humana lex dirigit, est mutabilis, propter mutationem conditionum hominum, quorum actus lege dirigi debeat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod non est eadem ratio de lege naturali, et humana propter duo. Primo, quia lex naturalis est quædam participatio æternæ, et quia æterna lex immutabilis est, sequitur quod etiam ipsa lex naturalis sit immutabilis. Lex autem humana non est simplex participatio naturalis legis, sed est á ratione, et quia ratio humana mutabilis est; ideo et ipsa potest mutari. Secundo, quia lex naturalis continet tantum quædam universalia præcepta, quæ semper manent; lex vero posita ab homine continet præcepta quædam particularia, secundum diversos casus, qui emergunt.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod mensura debet esse permanens quantum est possibile: sed in rebus mutabilibus non potest esse aliquid omnino immutabiliter permanens, et ideo lex humana non potest esse omnino immutabilis.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod rectum est duplex. Absolutum et respectivum, sive in ordine ad aliud. Rectum

quod absolute dicitur ut rectum in corporalibus, semper manet idem. Secus est autem de recto in ordine ad aliud. Tunc ad minorem dicitur, quod rectitudo legis dicitur in ordine ad utilitatem communem, cui non semper proportionatur una, eademque res, sicut supra dictum est, et ideo talis rectitudo mutatur.

ARTICULUS II.

Utrum lex humana semper sit mutanda, quando occurrit aliquid melius.

Pro affirmativa.=Videtur quod semper lex humana, quando aliquid melius occurrit sit mutanda.

1. In aliis artibus id quod prius tenebatur mutatur, si aliquid melius occurrat. Ergo idem est etiam faciendum in legibus humanis.

Conseq. prob., quia leges humanæ sunt adinventæ per rationem humanam, sicut etiam aliæ artes.

2. Nisi leges humanæ mutatæ fuissent, supervenientibus melioribus adinventionibus, multa inconvenientia sequerentur. Ergo videtur quod leges humanæ sint mutandæ, quotiescumque aliquid melius occurrit statuendum.

Antec. prob., quia leges antiquæ inveniuntur multas ruditates continere.

Conseq. prob., quia ex his, quæ præterita sunt, prævidere possumus de futuris.

3. Leges, quæ circa singulares hominum actus statuuntur, sunt mutandæ, quando melius occurrit. Sed leges humanæ circa actus singulares hominum statuuntur. Ergo leges humanæ, quotiescumque melius occurrit, sunt mutandæ.

Maior prob., quia in singularibus perfectam cognitionem adipisci non possumus, nisi per experientiam: quæ tempore indiget, ut dicitur 2. Eth. in prin.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Dicitur distinc. 12. cap. Ridiculum. *Ridiculum est, et satis abominabile dedecus, ut traditiones, quas antiquitus á patribus suscepimus, infringi patiamur.*

Determinatio.

Conclusio. Lex humana non est mutanda, quotiescumque occurrit aliquid melius, sed solum quando ex novo statuto, aliqua maxima et evidentissima utilitas, vel necessitas provenit.

Prob. Illud, quod de se est detrimentum communis salutis, non est faciendum, nisi ex aliqua maxima et evidentissima utilitate, vel necessitate. Sed legum mutatio, quantum est de se, affert detrimentum communis salutis et boni. Ergo lex humana non debet mutari, nisi ex maxima et evidentissima utilitate, vel necessitate.

Maior prob., quia lex humana, in tantum juste mutatur, in quantum per ejus mutationem communi utilitati providetur. Unde quod est in detrimentum boni communis, non est faciendum.

Minor prob., quia ad observantiam legum plurimum valet consuetudo, in tantum quod ea quæ contra consuetudinem communem fiunt, etiam si sint leviora de se, graviora videntur. Unde quando lex mutatur, diminuitur vis constrictiva legis, in quantum tollitur consuetudo. Et ideo numquam debet mutari lex humana, nisi ex aliqua parte tantum recompensetur communi saluti, quantum ex ista parte derogatur: quod fit, quando evidentissima utilitas, vel necessitas ex novo statuto provenit, ex eo quod lex consueta, aut manifestam iniquitatem contineat, aut ejus observatio sit plurimum nociva.

Et confirmatur conclusio. Quia Jurisperitus dicit, quod in rebus novis constituendis, evidens debet esse utilitas, ut recte recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod non est eadem ratio de legibus, et de aliis artibus, quamvis et ipsæ sint á ratione. Ea enim quæ sunt artis, habent efficaciam ex sola ratione; et ideo ubicumque melioratio occurrit,

est mutandum quod prius tenebatur. Sed leges habent maximam virtutem ex consuetudine, ut Phil. dicit in 2. Politic. cap. 6. et ideo non sunt de facili mutandæ.

Ad 2. Dicitur, quod ratio illa concludit quod leges sunt mutandæ, non tamen pro quacumque melioratione, sed pro magna utilitate, vel necessitate, ut dictum est.

Ad 3. Dicitur eodem modo. Probat enim quod leges humanæ possint mutari, non pro quocumque meliori bono occurrente, sed solum pro evidenti utilitate, aut necessitate, ut dictum est in corp.

ARTICULUS III.

Utrum consuetudo possit obtinere vim legis.

Pro negativa.=Videtur quod consuetudo non possit obtinere vim legis.

1. Consuetudo hominum non potest mutare legem naturæ, nec legem divinam. Ergo consuetudo non potest immutare legem humanam.

Conseq. prob., quia lex humana derivatur á lege naturæ, et á lege divina.

2. Quod fit ex multis malis aggregatis, et multiplicatis, non potest obtinere vim legis. Sed consuetudo est ex multis et multiplicatis malis. Ergo consuetudo non potest obtinere vim legis.

Maior prob. Ex multis malis non potest fieri unum bonum. Sed lex est quoddam bonum, cum sit regula humanorum actuum. Ergo ex multis malis non potest obtineri vis legis.

Minor probatur, quia ille, qui incipit primo contra legem agere, male fecit. Consuetudo autem est ex multiplicatis actibus contra legem. Ergo consuetudo est ex pluribus malis.

3. Quod est ex actibus privatarum personarum, non potest obtinere vim legis. Sed consuetudo invalescit ex actibus privatarum personarum. Ergo consuetudo non potest obtinere vim legis.

Maior prob., quia ferre leges, pertinet ad publicas personas, ad quas pertinet regere communitatem, et non ad privatas personas.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

August. dicit in Epist. ad Casulanum quæ est Epist. 86. «Mos populi Dei, et «instituta maiorum pro lege sunt tenen«da, et sicut prævaricatores legum divi«narum, ita et contemptores consuetu«dinum Ecclesiasticarum coercendi sunt.»

Determinatio.

Conclusio. Consuetudo habet vim legis, abolet legem, et est legum interpretatrix.

Prob. Illud, per quod manifestatur ratio, et voluntas legislatoris, habet vim legis, abolet legem, et legem interpretatur. Sed consuetudo est manifestativa rationis, et voluntatis legislatoris. Ergo consuetudo, et habet vim legis, et legem abolet, et est legum interpretatrix.

Maior prob., quia omnis lex proficiscitur á ratione, et á voluntate legislatoris: lex quidem divina, et naturalis, á rationabili Dei voluntate: lex autem humana ab hominis voluntate ratione regulata. Illud igitur, quod est manifestativum voluntatis rationabilis legislatoris habet vim legis. Unde verba legislatoris manifestantia ejus voluntatem in rebus agendis, habent vim legis, mutant et interpretantur legem.

Minor prob., quia sicut ratio, et voluntas hominis manifestantur verbo in rebus agendis, ita etiam manifestantur facto; hoc enim unusquisque eligere videtur ut bonum quod opere implet. Unde sicut verbo humano potest mutari lex et etiam exponi, in quantum manifestat interiorem motum humanæ rationis, ita etiam per actus maxime multiplicatos, qui consuetudinem efficiunt, mutari potest lex, et exponi, et etiam aliquid causari quod legis virtutem obtineat, in quantum per actus exteriores multiplicatos, interior voluntatis motus, et rationis conceptus efficacissime declaratur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Lex enim naturalis, et divina procedunt á voluntate divina, et ideo non potest mutari per consuetudinem procedentem á voluntate hominis; sed solum per authoritatem divinam mutari posset, et inde est quod nulla consuetudo vim legis obtinere potest contra legem divinam, vel naturalem. Unde Isid. dicit in synonymis. «Usus «authoritati cedat, pravum casum, lex, «et ratio vincat.» Lex autem humana, licet quoad prima sua principia procedat á lege naturali et divina, tamen quoad ea quæ sunt á lege naturali et divina per modum determinationis, dependet á ratione, et voluntate humana, et ideo per consuetudinem, quæ etiam est rationis humanæ manifestativa, mutari potest lex humana.

Ad 2. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod leges humanæ in aliquibus casibus deficiunt. Unde possibile est quandoque præter legem agere, in casu, in quo deficit lex, et tamen actus non erit malus, et cum tales casus multiplicantur propter aliquam mutationem hominum, tunc manifestatur per consuetudinem quod lex ulterius non est utilis, sicut etiam manifestaretur, si lex contraria verbo promulgaretur. Si autem adhuc maneat ratio eadem, propter quam prima lex utilis erat non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit, nisi forte propter hoc solum inutilis lex videatur; quia non est possibilis secundum consuetudinem patriæ, quæ erat una de conditionibus legis: difficile enim est consuetudinem multitudinis removere.

Ad 3. Dicitur ad utramque præmissarum, quod multitudo in qua consuetudo introducitur, duplicis conditionis esse potest. Si enim sit libera multitudo, quæ possit sibi legem facere, plus est consensus totius multitudinis ad aliquid observandum, quam consuetudo manifestat, quam authoritas principis, qui non habet potestatem condendi legem, nisi in quantum gerit personam multitudinis. Unde licet singulæ personæ non possint condere legem, tamen totus populus condere legem potest. Si vero multitudo non habeat liberam potestatem condendi sibi legem, vel legem á superiori potestate positam removendi tamen ipsa consuetudo in tali multitudine prævalens obtinet vim legis, in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere: ex hoc enim ipso videntur approbare quod consuetudo introduxit.

ARTICULUS IV.

Utrum rectores multitudinis possint in legibus humanis dispensare.

Pro negativa. = Videtur quod rectores multitudinis non possint in legibus humanis dispensare.

1. In his quæ sunt pro communi bono instituta, non possunt rectores multitudinis dispensare. Sed leges humanæ sunt institutæ pro communi utilitate, ut Isid. dicit lib. 5. Ethyc. cap. 21. Ergo in legibus humanis non possunt rectores dispensare.

Maior prob., quia commune bonum non debet intermitti pro privato commodo alicujus personæ, quia ut dicit Pphil. 1. Ethic. cap. 2. *Bonum gentis divinius est, quam bonum unius hominis.*

2. Acceptio personarum est rectoribus communitatis illicita. Sed dispensare in legibus, est acceptio personarum. Ergo dispensare in legibus rectoribus communitatis est illicitum.

Maior prob., quia illis, qui super alios constituuntur, præcipitur Deuteron. cap. 1. *Ita parvum audietis, ut magnum, nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est.*

Maior prob. Concedere alicui quod omnibus negatur, est acceptio personarum. Sed dispensare in legibus, est concedere alicui quod omnibus negatur. Ergo dispensare in legibus, est acceptio personarum.

3. In lege naturali et divina nullus homo potest dispensare. Ergo nec etiam in lege humana.

Conseq. prob., quia lex humana, si sit recta, oportet ut consonet legi naturali, et legi divinæ, aliter non congrueret religioni, nec conveniret disciplinæ quod requiritur ad legem, ut Isid. dicit lib. 5. cap. 3.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Apost. dicit 1. Corint. 9. *Dispensatio mihi credita est.*

Determinatio.

1.ª Conclusio. Rector multitudinis habet potestatem dispensandi in lege humana.

Probatur. Ille, ad quem pertinet ordinare, qualiter aliquod commune præceptum humanæ legis sit á singulis adimplendum, habet potestatem dispensandi in lege humana Sed ad rectorem multitudinis pertinet ordinare, qualiter aliquod commune præceptum humanæ legis sit á singulis adimplendum. Ergo rector multitudinis habet authoritatem dispensandi in lege humana.

Maior prob., quia dispensare, proprie importat commensurationem alicujus communis ad singula. Unde etiam gubernator familiæ dicitur dispensator, in quantum unicuique de familia, cum pondere, et mensura distribuit, et operationes, et necessaria vitæ. Sic igitur in unaquaque multitudine, ex eo dicitur aliquis dispensare, quia ordinat, quâliter commune præceptum sit á singulis adimplendum. Et quia contingit quandoque, ut aliquod præceptum quod est ad commodum multitudinis, ut in pluribus, non sit conveniens huic personæ, vel in hoc casu, quia vel per hoc impediretur aliquod melius, vel etiam induceretur aliquod malum, ut dictum est quæst. 96. art. 6., ideo ad eum, ad quem pertinet ordinare, quomodo commune præceptum sit servandum, ad eumdem pertinet etiam dispensare, ut si præceptum non sit conveniens alicui, vel aliquando, præter legis præceptum fiat.

Minor prob., quia periculosum esset, ut hoc judicio cujuslibet committeretur, nisi forte propter subitum, et evidens periculum, ut dictum est, quæst. 96. art. 6.

Et ideo ille, qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, quæ suæ authoritati innitur, ut scilicet in personis, vel in casibus, in quibus deficit lex, licentiam tribuat, ut præceptum legis non servetur.

2.ª Conclusio. Rector communitatis, absque ratione non potest in humana lege dispensare.

Probatur, quia si rector absque ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, erit infidelis, aut imprudens in dispensatione. Infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune, imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret. Propter quod Dominus dicit Lucæ 12. *Quis, putas, est fidelis dispensator, et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, et ad ejus probationem, quod quando cum aliquo dispensatur, ut legem communem non servet, non debet fieri in præjudicium boni communis; sed ea intentione, ut ad bonum commune proficiat.

Ad 2. Negatur minor. Et ad probationem dicitur, quod non est acceptio personarum, si non serventur æqualia in personis inæqualibus. Unde quando conditio alicujus personæ requirit rationabiliter, ut in ea aliquid specialiter observetur, non est personarum acceptio, si sibi aliqua specialis gratia fiat.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod lex naturalis continet duo præceptorum genera, scilicet præcepta communissima, et quædam alia præcepta, quæ sunt quasi conclusiones illorum communium præceptorum. Commune præceptum legis naturæ est quod alienum est restituen-

dum. Præceptum quod est quasi hujus communis præcepti conclusio, est quod depositum est reddendum. Lex naturalis quoad priora præcepta non recipit dispensationem.

Quoad posteriora vero in aliquo casu recipit dispensationem, puta quod depositum non sit restituendum proditori patriæ, ut contra patriam pugnet. Lex etiam divina aliquando est dispensabilis, non quidem ab homine, cum quilibet homo se habeat ad divinam legem, sicut quælibet privata persona ad legem publicam, cui subjicitur: sed vel á Deo, vel ab eo, cui ipse talem dispensationem committeret.

Quemadmodum igitur lex naturalis in aliquibus casibus quoad aliqua præcepta, est dispensabilis: et lex divina in aliquibus, vel aliquando est dispensabilis á Deo: sic etiam lex humana est dispensabilis per eum, qui regit communitatem.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 97.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, Concilio, et Aug. insinuatum, quod lex humana aliquando debet mutari. A B. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur Luc. 22. " Quando misi vos sine sacculo, et pera, et calceamentis, numquid, etc. Sed nunc, qui habet sacculum, tollat similiter et peram. » Constat enim hic, quod Dominus legem pristinam de non portandis sacculo, et pera mutavit. Et hoc secundum B. Augustinum contra Faustum, non inconstantia præcipientis, sed ratione dispensationis pro temporum diversitate, factum est. Quia ergo legem pro tempore sapienti consilio mutavit, declaratum per hoc esse tamquam á fortiori voluit, quod lex humana pro congruentia necessitatum occurrentium potest, et debet mutari. A fortiori, inquam, quia ipse erat Deus immutabilis, qui talem fecit mutationem in lege sua: homines autem sunt mutabiles secundum se, de quibus ideo minus mirandum videtur, si in legibus á seipsis latis mutationem faciant. A Concilio autem *Lateranensi* sub *Innocentio III.* idem insinuatur sic: " Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana: præsertim, cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit. Quoniam ipse Deus ex his, quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo. » Hæc illud: et recitantur de consanguinitate, et affinitate, *cap. non debet.* Item á Concilio *Toletano*, ut recitatur 22. quæstione *4.* " Incommutabilis Deus, idemque semper existens, sua sæpe in sacris literis legitur mutasse promissa: et pro misericordia temperasse sententiam. Sic enim per Hieremiam dicit. Repente loquar adversus gentem, et regnum, ut eradicem illud: si pœnitentiam egerit gens illa á malo suo; agam et ego pœnitentiam á malo, quod cogitavi, ut facerem eis. Nam, ut inquit ibi Concilium, pœnitere Dei est á seipso ordinata, cum voluerit, immutare; sicut jurare Dei est á seipso ordinata nullatenus convellere. » Quibus et attestatur B. Ambrosius, ut recitatur, de pœniten. dist. 1. " Novit Dominus mutare sententiam; si tu noveris emendare delictum. » Per hujusmodi ergo dicta, tamquam á fortiori, ut nunc supra declaratum est, monstrarunt intentum articuli et Concilia, et Hieremias, et Ambrosius. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, summo Pontifice, et Conciliis insinuatum, quod leges humanæ mutari non debent, nisi ex evidenti maxima utilitate, vel necessitate. A summo quidem Pontifice, idest á Papa *Nicolao* dicente, ut recitatur dist. 12. *Ridiculum,* etc. secundum quod *in arg. cont.* Cujus Papæ dictum facit contra novatores etiam in aliis casibus, proportione

illorum casuum servata. A Conciliis autem, *Lateranensi*, ut in art. 1. app. Dicitur enim ibi ly " cum urgens necessitas, vel evidens utilitas, id exposcit." A *Trid.* quoque sess. 24. per hoc, quod volens mutare legem circa matrimonia clandestina dicit, c. 1. " cum animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse, et gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conjurgiis ortum habent, præsertim vero eorum, etc. Idcirco præcipit, ut in posterum antequam matrimonium contrahatur, » etc Item volens mutare aliqua de legibus impedimentorum matrimonii, dicit cap. 2. " Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque sancta Synodus huic incommodo providere, etc. et c. 4. sancta Synodus eisdem, et aliis gravissimis de causis adducta, impedimentum, » etc. Item sess. 21. c. 2. " Agnoscens sancta mater ecclesia hanc suam in administratione sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianæ religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis latissime jam mutata illa consuetudine, gravibus, et justis causis adducta hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, et pro lege habendam decrevit, quam reprobare, aut sine ipsius ecclesiæ auctoritate pro libito mutare no licet. » Per quæ omnia patet intentum, cum utilitas magna, vel necessitas ab ipso Concilio semper adducatur, antequam mutet legem aliquam. Maxime vero hoc ipsum ostenditur ab eodem per hoc, quod de Calicis usu legem jam sess. 21 c. 2. á tot annorum centuriis approbatam mutare noluit, ut patet in ead. sess. can. 4. et sess. 22. Decreto post capitula de refor. quasi per id innuens aperte: quod ad mutandum leges utilitas tanta, et necessitas evidens requiritur, quantam ipsa Synodus adhuc non videbat in tali re sibi proposita permutatione. A scripturis vero idem insinuatur per hoc, quod Rex Artaxerses, occasione cujusdam facti ibidem narrati, de mutatione legum humanarum interserit hæc verba, in lib. Hester cap. 16. " Nec putare debetis, si diversa jubeamus, ex animi nostri venire levitate: sed pro qualitate, et necessitate temporum, ut reipublicæ prosit utilitas, ferre sententiam. » Ubi per totum capitulum legem irritatam per aliam innovatam, etc. videbis usque in finem. Nec obstat, immo juvat, et quidem á fortiori: quod ibi non de lege proprie, sed de quibusdam sententiis tractatur. Nam, si in mutandis illis sententiis utilitatem, necessitatemque attendere se protestatur: id multo magis in legum proprie dictarum mutatione attendi debere per hoc ipse insinuat, ut sapienti patet. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et Aug. insinuatum, quod consuetudo potest obtinere vim legis, et legem amovere. A D. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* Ubi, licet in primis intendatur de consuetudinibus ecclesiast. tamen per quamdam extensionem, non quidem de pari, sed quasi á simili de aliis consuetudinibus rationabilibus etiam intelligitur. Quod sane confirmatur ex decr. dist. 12. " Consuetudo præcedens, et ratio, quæ consuetudinem suasit, tenenda est: et quicquid contra longam consuetudinem fiet, ad solicitudinem suam revocabit princeps provinciæ. » A scripturis vero insinuatur per dict. 1. Reg. 30. " Æqua pars erit descendentis ad prœlium, et remanentis ad sarcinas, et similiter divident, et factum est hoc ex die illa, et deinceps constitutum, et præfinitum, et quasi lex in Israel usque in diem hanc. » Patet enim hic, quod consuetudo obtinet vim legis. Quæ consuetudo etiam abrogavit illam quasi legem priorem: de qua videntur loqui illi, qui contra eos, qui remanserant ad sarcinas, dixerant prius ad David: " Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quicquam de præda, quam eruimus, sed sufficiat unicuique uxor sua, et filii, quos, cum acceperint, recedant. » His tamen non obstantibus, obtinuit sermo ipsius David: ut visum est. *Secundo* vides: quomodo ex his bene pensatis etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum: quod rectores multitudinis possunt in lege humana dispensare. Ut

1. Cor. 9. secundum quod est *in arg. cont.* Ubi nota, quod Sanctus Doctor intendit argumentari á fortiori ex loco illo. Ac si dicat. Si in rebus majoris momenti dispensare possunt rectores multitudinis, ergo multo magis in rebus minoris momenti poterunt. Talem enim consequentiam docuerunt Apostoli in suis canonibus, ut recitatur in decretis, 12. q. 1. " Principium, ut in potestate sua res ecclesiæ episcopus habeat. Si enim animæ hominum pretiosiores illi creditæ sunt, multo magis oportet, eum curam de pecuniis agere, ita, ut potestate ejus indigentibus omnia dispensentur. » Subsumatur consequentiæ prædictæ auctoritas, scilicet in rebus majoris momenti, idest in Evangelii prædicatione dispensatio credita est Apostolo, idest ei data potestas dispensandi in tali prædicatione. Hoc est. Habebat potestatem distribuendi, et de facto distribuebat hoc bonum commune, scilicet, Evangelium auditoribus suis juxta uniuscujusque debitam commensurationem. Ut: " Parvulis in Christo lac potum dabat, non escam, » 1. Cor. 1. " sapientiam autem loquebatur inter perfectos: » ibi c. 2. " Mulierem volebat in ecclesia tacere, non autem viros ad ædificationem, » ibi c. 14. " Abstinere á vino » suadebat ex amore castitatis, Ephes. 5. et volebat aliquos " modico vino uti propter stomachum, frequentesque eorum infirmitates, » 1. Tim. 5. Conclusio ergo inferatur, scilicet, rectores igitur in humanis legibus, habent multo magis potestatem dispensandi, et hoc secundum scripturam præmissam. Item id insinuatur à simili de dispensatione in rebus humanis, Gen. 41. 47. de potestate ipsius Joseph in dispensando bona communia Pharaonis. Item insinuatur proprie. Reg. 30. per hoc, quod David dispensavit in lege humana circa ducentos, qui substiterant non valentes sequi ad pugnam, ut et remanerent, et æqualiter de præda acciperent. Vide art. 3. App. *Secundo* vides: etc.

QUÆSTIO NONAGESIMA OCTAVA,

DE LEGE VETERI IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de lege veteri.

Et primo de ipsa lege.

Secundo de præceptis ejus.

Circa primum quæruntur sex.

Primo, utrum lex vetus sit bona.

Secundo, utrum sit á Deo.

Tertio, utrum sit á Deo mediantibus angelis.

Quarto, utrum data sit omnibus.

Quinto, utrum omnes obligent.

Sexto, utrum congruo tempore fuit data.

ARTICULUS I.

Utrum lex vetus fuerit bona.

Pro negativa.=Videtur quod lex vetus non fuerit bona.

1. Lex, quæ continet præcepta non bona, non fuit bona. Sed lex vetus continebat præcepta non bona. Ergo lex vetus non fuit bona.

Maior prob., quia lex non dicitur bona, nisi propter bonitatem præceptorum quæ continet.

Minor prob., quia Ezech. 20. dicitur. *dedi eis præcepta non bona et judicia in quibus non vivent.*

2. Lex, quæ non est salutifera, sed magis mortifera, et nociva, non est bona. Sed lex vetus non fuit salutifera, sed magis mortifera et nociva. Ergo lex vetus non fuit bona.

Maior prob., quia ad bonitatem legis pertinet ut communi saluti proficiat, ut Isidor. dicit libro 5. capite 21.

Minor prob. Apost. ad Rom. 7. dicit *sine lege peccatum non erat, ego autem vivebam sine lege aliquando, sed cum venisset mandatum, peccatum revixit, ego autem motuus sum*, et Rom. 5. *Lex subintravit, ut abundaret delictum.*

3. Lex, quæ est bona, est possibilis ad observandum, et secundum naturam, et secundum humanam consuetudinem.

Sed lex vetus non fuit possibilis ad observandum secundum naturam, nec secundum consuetudinem. Ergo lex vetus non fuit bona.

Minor prob., quia Actor. 15. dicitur. « Quid tentatis imponere jugum super « cervicem discipulorum, quod neque « nos, neque patres nostri portare po- « tuimus. »

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Apost. ad Roman 7. dicit. *Itaque lex quidem sancta est, et mandatum sanctum, justum, et bonum.*

Determinatio.

1.ª Conclusio. Absque omni dubio lex vetus bona fuit.

Prob. Lex, quæ consonat rationi rectæ, est bona. Sed lex vetus consonabat rationi rectæ. Ergo lex vetus erat bona.

Maior prob., quia sicut doctrina ostenditur esse vera, ex hoc quod consonat rationi rectæ; ita lex aliqua ostenditur esse bona, quia rationi consonat.

Minor prob. Lex, quæ reprimit concupiscentiam, et prohibet peccata, est consona rectæ rationi. Sed lex vetus reprimit concupiscentiam: secundum illud Exod. 20. *Non concupisces rem proximi tui*: et prohibet peccata. Ergo lex vetus erat consona rationi.

Maior hujus prob., quia concupiscentia adversatur rationi, et peccata sunt contra rationem.

Et confirmatur hæc ratio authoritate Apost. Rom. 7. dicentis. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem.* Et iterum, *consentio legi, quoniam bona est.*

2.ª Conclusio. Lex vetus bona quidem est, sed imperfecta.

Prob. Lex, quæ operatur quidem aliquid ad hoc, ut perveniatur ad finem, sed tamen non est per se sufficiens inducere in finem, est quidem bona, sed non est perfecta. Sed lex vetus operabatur quidem aliquid ad hoc, ut qui erant sub ipsa, ad finem possent pervenire, non tamen poterat ex se perducere eos ad finem. Ergo lex vetus erat quidem bona, sed imperfecta.

Maior prob. Ex differentia, quæ est inter bonum perfectum, et imperfectum in his quæ ordinantur ad finem. Pro quo est sciendum quod ut Dion. dicit 4. cap. 50. divin. nom. Bonum habet diversos gradus: est enim aliquod bonum perfectum, et aliquod bonum imperfectum, bonum perfectum in his, quæ ordinantur ad finem, est quando aliquid est tale quod per se est sufficiens inducere ad finem. Imperfectum autem bonum est quod operatur aliquid ad hoc ut perveniatur ad finem, non tamen est sufficiens ad hoc ut ad finem perducat. Sicut medicina perfecte bona est, quæ hominem sanat, imperfecta vero, quæ hominem adjuvat, sed tamen sanare non potest.

Lex igitur, quæ operatur quidem aliquid ad hoc ut quis possit ad finem legis pervenire, sed non est sufficiens ad perducendum eum, cujus est lex, in finem, est bona quidem, sed imperfecta: quæ erat maior probanda.

Minor manifestatur ex differentia, quæ est inter legem humanam, et legem veterem. Pro quo est considerandum quod alius est finis legis humanæ, et alius legis veteris. Finis enim legis humanæ est temporalis tranquillitas civitatis, ad quem finem pervenit sufficienter lex humana, cohibendo exteriores actus, quantum ad illa mala, quæ possunt perturbare pacificum statum civitatis. Finis autem veteris legis est perducere hominem ad felicitatem æternam qui quidem finis impeditur per quodcumque peccatum, et non solum per actus exteriores, sed etiam per actus interiores. Et ideo illud quod sufficit ad perfectionem legis humanæ, ut scilicet peccata prohibeat, et pœnam apponat, non sufficit ad perfectionem legis divinæ, sed oportet ut totaliter faciat hominem idoneum ad participationem felicitatis æternæ: quod quidem fieri non potest, nisi per gratiam Spiritus Sancti,

per quam *diffunditur charitas in cordibus nostris*, quæ legem adimplet. Gratia enim Dei vita æterna, ut dicitur Rom. 6. Et quia lex vetus hanc gratiam conferre non potuit (reservabatur enim Christo: quia ut dicitur Joan. 1. «Lex per «Moysen data est, gratia, et veritas per »Jesum Christum facta est») inde est quod lex vetus operabatur quidem aliquid ad consecutionem beatitudinis; sed tamen non sufficienter, necessaria enim fuit gratia quæ per Jesum Christum facta est, et sic patet minor.

Et in forma breviter prob. sic ipsa minor.

Lex, quæ prohibet peccata, refrenat concupiscentiam, et pœnas imponit, sed non confert gratiam, operatur aliquid ad consecutionem æternæ felicitatis, sed ad ipsam non producit. Sed lex vetus prohibet peccata, refrenat concupiscentiam, et pœnas imponit, sed non confert gratiam. Ergo lex vetus operatur quidem aliquid ad consecutionem æternæ felicitatis, sed ad ipsam non perducit.

Maior probatur, quia peccata non tolluntur, nisi per gratiam, per quam solam homo fit idoneus ad æternam vitam.

Minor probatur, quia collatio gratiæ reservabatur Christo.

Et confirmatur conclusio secunda, quia Hebr. 7. dicitur: *nihil ad perfectum adduxit lex.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, ad minorem, et ad ejus probationem, quod Dominus loquitur ibi de præceptis cæremonialibus, quæ quidem dicuntur non bona, quia gratiam non conferebant, per quam homines á peccato mundarentur: cum tamen per hujusmodi se peccatores ostenderent, unde signanter dicitur; et judicia, in quibus non vivent, idest per quæ vitam gratiæ obtinere non possunt, et postea subditur: et pollui eos in muneribus suis, idest pollutos ostendi cum offerrent omne quod aperit vulvam propter delicta sua.

Ad 2. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod lex dicitur occidisse, non quidem effective, sed occasionaliter, ex sua imperfectione, in quantum gratiam non conferebat, per quam homines implere possent quod mandabat, vel vitare quod vetabat, et occasio ista non erat data, sed sumpta ab hominibus: unde et Apost. ibidem dicit. Occasione accepta peccatum per mandatum seduxit me, et per illud occidit. Et hac etiam ratione dicitur, quod lex subintravit, ut abundaret delictum, et ly ut, tenetur consecutive, non causaliter, in quantum homines accipientes occasionem á lege abundantius peccaverunt. Tum quia gravius fuit peccatum post legis prohibitionem. Tum etiam quia concupiscentia crevit, magis enim concupiscimus quod nobis prohibetur.

Ad 3. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod jugum legis ferri non poterat sine gratia adjuvante quam lex non dabat. Dicitur enim Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis*, scilicet velle, et currere in præceptis Dei, *sed miserentis Dei.* Unde in Psal. 118. dicitur *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum, scilicet per donum gratiæ, et charitatis.*

ARTICULUS II.

Utrum lex vetus fuerit á Deo.

Pro negativa. — Videtur quod lex vetus non fuerit á Deo.

1. Lex imperfecta non est á Deo. Sed lex vetus fuit imperfecta, ut dictum est arti. præced. Ergo lex vetus non fuit á Deo.

Maior prob., quia *Dei perfecta sunt opera*, ut dicitur Deuter. 32.

2. Quæ sunt á Deo perseverant in æternum. Sed lex vetus non perseverat in æternum. Ergo lex vetus non est á Deo.

Maior prob., quia Eccles. 3. dicitur.

Didici quod omnia opera quæ fecit Deus, perseverent in æternum.

3. Lex, quæ est occasio peccati, non est á Deo. Sed lex vetus, fuit occasio peccati, ut dictum est art. præced. ad 2. Ergo lex vetus non fuit á Deo.

Maior prob., quia ad sapientem legislatorem pertinet non solum mala auferre, sed etiam occasiones malorum.

4. Lex quæ est á Deo, sufficit ad salutem hominum. Sed lex vetus non sufficit ad salutem hominum, ut dictum est art. præced. Ergo lex vetus non est á Deo.

Maior prob., *quia Deus vult omnes homines salvos fieri*, ut dicitur 1. Timot. 2.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Lex continens mandata Dei, fuit á Deo. Sed lex vetus continebat Dei mandata. Ergo lex vetus fuit á Deo.

Minor probatur. Quia Dominus Matth. 15. loquens Judæis, quibus erat lex vetus data, dicit: «Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras,» et paula ante præmittitur. *Honora patrem tuum, et matrem tuam*; quod manifeste in lege veteri continetur.

Determinatio.

Conclusio. Lex vetus á bono Deo data est, qui est pater Domini nostri Jesu-Christi.

Prob. Lex, quæ ordinabat homines ad Christum, fuit á Deo. Sed lex vetus ordinabat homines ad Christum. Ergo lex vetus fuit á Deo.

Minor prob., quia lex vetus ordinabat homines ad Christum dupliciter. Uno modo, testimonium Christo perhibendo. Unde ipse Dominus dicit Luc. ultimo, «oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in lege, et in Psalmis, et in Prophetis de me» et Joan. 5. «Si crederetis Moysi, crederetis forsitan, et mihi, de me enim ille scripsit.» Alio modo ordinabat lex vetus ad Christum, per modum cujusdam dispositionis, dum retrahens homines á cultu idolatriæ, concludebat eos sub cultu unius Dei, á quo salvandum erat genus humanum per Christum. Unde Apostol. dicit ad Gal. 3. «Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat» ex quibus patet minor.

Et ex hoc secundo modo confirmatur primo conclusio. Ab eo enim, á quo facta est salus hominum per gratiam Christi, ab eo etiam data est lex vetus. Sed á Deo facta est salus hominum per gratiam Christi. Ergo á Deo data est lex vetus.

Maior prob., quia ejusdem est perducere ad finem, et ad finem disponere. Ergo cum lex vetus dispositive duceret ad Christum, ab eodem est, á quo est salus hominum per Christum.

Confirmatur secundo conclusio. Quia diabolus non tulisset legem, per quam homines adducerentur ad Christum, per quem erat ejiciendus, secundum illud Matth. 12. «Si satanas satanam ejicit, divisum est regnum ejus.» Unde lex vetus, non á diabolo, sed á Deo lata fuit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod lex vetus non erat quidem perfecta simpliciter, erat tamen perfecta secundum conditionem eorum quibus dabatur; sicut præcepta, quæ dantur pueris, non sunt perfecta simpliciter, sed sunt perfecta secundum tempus, et ætatem eorum, quibus dantur, et talia fuerunt præcepta legis. Unde Apostol. dicit ad Galat. 3. «Lex pædagogus noster fuit in Christo.»

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod non omnia apera Dei perseverant in æternum; sed solum ea quæ sic Deus fecit, ut in æternum perseverarent, et hæc sunt ea quæ sunt simpliciter perfecta. Lex autem vetus non est facta á Deo, ut perseveraret in æternum, sed tamquam imperfecta, et insufficiens, et inutilis, licet non ut mala erat reprobanda tempo-

re gratiæ, eo quod «nihil ad perfectum »adduxerit lex.» Unde Apost. ad Galatas 3. dicit. «Ubi venit fides, jam non sumus «sub prædagogo.»

Ad 3. Negatur maior, de eo quod est occasio peccati, non quidem data, sed accepta, sicut lex fuit peccati occasio, ut dictum est art. 1. hujus, ad 2. Ad probationem dicitur, quod sicut supra dictum est, quæst. 79. art. 4. Deus aliquando permittit aliquos cadere in peccatum, ut exinde humilientur, ita etiam voluit talem legem dare, quam suis viribus homines implere non possent, ut sic dum homines præsumentes de se, peccatores se invenirent, humiliati recurrerent ad auxilium gratiæ.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod quamvis lex vetus non sufficeret ad salvandum homines, tamen aderat aliud auxilium á Deo hominibus simul cum lege, per quam salvari poterant, scilicet fides mediatoris, per quam justificati sunt antiqui patres, sicut etiam nos justificamur, et sic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis salutis auxilium.

ARTICULUS III.

Utrum lex vetus data fuerit per Angelos.

Pro negativa.=Videtur quod lex vetus non fuerit data per angelos, sed immediate á Deo.

1. Lex data á Domino, non est data per angelos. Sed lex vetus data fuit á Domino. Ergo lex vetus non fuit data per Angelos.

Maior prob., quia angelus nuntius dicitur, et sic nomen angeli ministerium importat, non dominium, secundum illud Psal. 102. «Benedicite Domino om«nes angeli ejus, ministri ejus.

Minor prob., quia Exod. 20. dicitur. *Locutus est Dominus sermones hos*, et postea subditur: *ego enim sum Dominus Deus tuus.*

2. Lex data per Moysen, immediate est data á Deo, et non per angelos. Sed *lex vetus per Moysen data est*, ut dicitur Joan. 1. Ergo lex vetus data est á Domino immediate, et non per angelos.

Maior prob., quia Moyses immediate accepit legem á Deo: dicitur enim Exodi 33. «Loquebatur Dominus ad «Moysen facie ad faciem, sicut loqui so«let amicus ad amicum suum.

3. Ad solum principem pertinet ferre legem ut dictum est. Sed solus Deus est princeps salutis animarum, angeli vero sunt administratorii Spiritus, ut dicitur ad Hebr. 1. Ergo lex vetus non debuit dari per Angelos, cum ordinaretur ad salutem animarum, sed á Deo solum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Apost. dicit ad Galat. 3. 'quod *lex data est per angelos in manu mediatoris* et Actor 7. dicit Stephanus. *Accepistis legem in dispositione angelorum.*

Determinatio.

Conclusio. Lex vetus convenienter data est Moysi per Angelos.

Probatur primo ratione generali Dion. cap. 4. de div. nomin. quæ est: «Divina debent deferri ad homines mediantibus Angelis.» Sed lex vetus fuit lex divina. Ergo lex vetus convenienter data est á Deo per Angelos.

Secundo prob., speciali ratione, quæ est. Lex imperfecta, quæ solum disponebat ad perfectam salutem generis humani, quæ futura erat per Christum, convenienter fuit data á Deo per angelos. Sed lex vetus erat imperfecta, quæ non poterat perducere, sed solum disponebat ad perfectam salutem generis humani, quæ futura erat per Christum, ut dictum est articulo 1. Ergo lex vetus convenienter data fuit per angelos.

Maior prob., quia sic videtur in omnibus artibus et potestatibus subordinatis, quod ille qui est superior, principalem et perfectum actum operatur per seipsum: ea vero quæ disponunt ad perfectionem ultimam operatur per suos ministros: sicut navifactor compaginat navim per se ipsum, sed materiam præparat per artifices subministrantes. Et ideo conveniens fuit ut lex perfecta daretur immediate per ipsum Deum hominem factum; lex autem vetus daretur per ministros, idest per angelos, hominibus.

Et confirmatur hæc ratio, quia Apostolus ad Hebræos 1. probat eminentiam novæ legis ad veterem, quia in novo testamento *locutus est nobis Deus in Filio suo*, in veteri autem testamento *sermo factus fuit per angelos.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod sicut Gregorius dicit in principio Moralium cap. 2. «Angelus qui Moysi apparuisse describitur, »modo angelus, modo Dominus memoratur. Angelus videlicet propter hoc quod »exterius loquendo serviebat. Dominus »autem dicitur, quia interius præsidens, »loquendi efficaciam ministrabat.» Et inde est etiam quod quasi ex persona Domini angelus loquebatur.

Ad 2. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod sicut Augustinus 12. super Genesim ad literam, cap. 27. in Exod. dicitur, *Locutus est Dominus Moysi facie ad faciem*, et paulo post subditur, *Ostende mihi gloriam tuam, Sentiebat ergo quod videbat; et quod non videbat desiderabat.* Non ergo videbat Dei essentiam, et ita non immediate ab eo instruebatur. Quod ergo dicitur, quod *loquebatur ei faciem ad faciem*, secundum opinionem populi loquitur scriptura, qui putabat Moysen ore ad os loqui cum Deo, cum per subjectam creaturam, idest per angelum et nubem, ei loqueretur et appareret: vel per visionem faciei intelligitur quædam eminens contemplatio et familiaris, infra essentiæ divinæ visionem.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod solius principis est sua authoritate legem instituere, sed quandoque legem institutam per alios promulgat; et ita Deus sua auctoritate instituit legem, sed per angelos promulgavit.

ARTICULUS IV.

Utrum lex vetus debuerit dari soli populo Judæorum.

Pro negativa. — Videtur quod lex vetus non debuerit dari soli populo Judæorum.

1. Lex quæ disponebat ad salutem quæ futura erat per Christum, non debuit dari soli populo Judæorum. Sed lex vetus disponebat ad salutem quæ futura erat per Christum, ut dictum est art. præced. Ergo lex vetus non debuit dari soli populo Judæorum.

Maior prob., quia salus illa non erat futura solum in Judæis, sed in omnibus gentibus, secundum illud Isaiæ 49. «Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israël convertendas: dedi te in lucem gentium, ut »sis salus mea usque ad extremum »terræ.»

2. *Deus non est acceptor personarum*, ut dicitur Actorum 10. Ergo non magis uni populo quam aliis viam salutis debuit aperire.

3. Lex data per angelos non debuit dari solis Judæis, sed omnibus gentibus. Sed lex vetus est data per angelos, ut dictum est articulo præcedenti. Ergo lex vetus non debuit dari soli populo Judæorum.

Maior prob., quia ministeria angelorum Deus non solum Judæis, sed omnibus gentibus semper exhibuit: dicitur enim Eccles. 17. *In unamquamque gentem præposuit rectorem.*

Et iterum: Deus tribuit omnibus gentibus bona temporalia. Ergo multo magis omnibus gentibus debuit dare legem quæ est quoddam spirituale bonum.

Conseq. prob., quia Deo sunt magis curæ spiritualia, quam temporalia bona.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ad Rom. 3. dicitur: *Quid ergo amplius Judæo? Multum quidem per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Et in Psal. 147. dicitur, *non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.*

Determinatio.

Conclusio. Lex vetus convenienter data est soli populo Judæorum.

Quorumdam ratio.

Quare potius populo Judæorum, quam aliis populis data fuerit lex vetus, posset assignari ratio hæc, quia aliis populis ad idololatriam declinantibus, solus populus Judæorum in cultu veri Dei remansit, et ideo alii populi indigni erant legem recipere, ne sanctum daretur canibus.

Reprobatio.

Sed ista ratio conveniens non videtur, quia populus ille, etiam post legem latam, ad idololatriam declinavit: quod gravius fuit, ut patet Exod. 33. et Amos. 5. *Numquid hostias et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis domus Israel, et portastis tabernaculum Moloch Dei vestri et imaginem idolorum vestrorum sydus Dei vestri, quæ fecistis vobis?* Expresse etiam dicitur Deut. 9. *Scito quod non propter justitias tuas Dominus Deus tuus dedit tibi terram hanc in possessionem, cum durissimæ cervicis sis populus.*

Vera ratio.

Vera autem ratio, quare soli populo Judæorum data fuerit lex, præmittitur ibi, scilicet Deuter. 9. quæ est «ut com»pleret verbum suum Dominus, quod sub »juramento pollicitus est patribus tuis »Abraham, Isaac et Jacob.» Quæ autem fuerit promisso eis facta, ostendit Apostolus ad Galatas 3. dicens: «Abrahæ fac»tæ promissiones, et semini ejus. Non »dicit, et seminibus, quasi in multis, sed »quasi in uno, et semini tuo, qui est Chris»tus.» Ratio igitur quare Deus «legem »et alia beneficia specialia illi populo ex»hibuit, fuit propter promissionem eo»rum patribus factam, ut ex eis Christus »nasceretur.»

In forma igitur sic probatur conclusio. Populo cujus patribus facta fuit promissio de Christo nascituro, convenienter data fuit lex, et alia specialia beneficia exhibita. Sed solius populi Judæorum patribus facta fuit promissio de Christo ex eis nascituro, ut Apostolus dicit ad Gal. 3. Ergo soli populo Judæorum convenienter data est lex vetus, et alia impensa sunt beneficia specialia.

Maior probatur, quia decebat ut ille populus ex quo nasciturus erat Christus, quadam speciali sanctificatione polleret, secundum illud quod dicitur, Levit 19. *Sancti eritis, quia ego sanctus sum.*

Quæsitum.

Quod si quæratur, quare soli Abrahæ factæ sunt promissiones, et aliis patribus Judaïci populi, et non patribus aliorum populorum: respondetur quod non fuit propter merita ipsius Abrahæ, ut talis promissio ei fieret, ut Christus ex ejus semine nasceretur; sed ex gratuita Dei electione et vocatione. Unde dicitur Isaiæ 41. *Qui suscitavit ab Oriente justum, vocavit eum ut sequeretur se.* Sic ergo patet quod ex sola gratuita Dei electione patres promissionem acceperunt, et populus ex eis progenitus legem accepit, secundum illud Deuter. 4. «Audistis ver»ba illius de medio ignis, quia dilexit pa»tres, et elegit semen eorum post il»los.»

Ad aliud quæsitum responsio.

Si autem rursus quæratur, quare hunc populum elegit ut ex eo Christus nasceretur, et non alium populum ad hoc elegerit: conveniet responsio Augustini super Joannem tract. 26. dicentis. «Quare »hunc trahat, et illum non trahat nolli »velle judicare, si non vis errare.»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod quamvis salus futura per Christum esset omnibus gentibus præparata, tamen oportebat ex uno populo Christum nasci, qui propter hoc præ aliis prærogativas habuit, secundum illud ad Rom. 9. *Quorum* (scilicet Judæorum) *est adoptio filiorum Dei, et testamentum, et legislatio, quorum patres ex quibus Christus est secundum carnem.*

Ad 2. Negatur consequentia; et ratio est, quia acceptio personarum locum habet in his quæ ex debito dantur: In his vero quæ ex gratuita voluntate conferuntur, acceptio personarum locum non habet: non enim est personarum acceptor, qui ex liberalitate de suo dat uni, et non alteri; sed si esset dispensator bonorum communium, et non distribueret æqualiter secundum merita personarum, esset personarum acceptor. Salutaria autem beneficia Deus humano generi confert ex sua gratia, unde non est personarum acceptor, si quibusdam præ aliis conferat. Unde Augustinus dicit in libro de prædestinatione Sanctorum cap. 8. «Omnes quos Deus docet, misericor»dia docet: quos autem non docet, judi»cio non docet;» hoc enim venit ex damnatione humani generis pro peccato primi parentis.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod beneficia gratiæ subtrahuntur homini propter culpam, sed beneficia naturalia non subtrahuntur: et quia ministeria Angelorum sunt inter beneficia naturalia numeranda, quæ naturarum ordo requirit, ut scilicet per media gubernentur infima, et etiam corporalia subsidia ad naturam pertinent, cum ministrentur á Deo non solum hominibus, sed etiam jumentis, secundum illud Psalmi 35. *Homines et jumenta salvabis*, Domine.

ARTIC. V.

ARTICULUS V.

Utrum omnes homines obligabantur servare legem veterem.

Pro affirmativa.=Videtur quod omnes homines obligabantur servare legem veterem.

1. Legem datam á Deo omnes homines observare tenentur. Sed lex vetus est data á Deo. Ergo legem veterem servare omnes homines obligabantur.

Maior prob., quicumque subduntur regi, leges regis servare tenentur. Sed Deo omnes subduntur, qui est rex omnis terræ, ut dicitur Psal. 46. Ergo legem á Deo datam omnes servare tenentur.

2. Si alii homines sine observantia legis veteris potuissent salvari, pejor fuisset conditio Judæorum, quam aliorum hominum. Sed hoc est falsum. Ergo omnes tenebantur servare legem veterem, ut salvari possent.

Conseq. prob., quia Judæi salvari non poterant, nisi legem veterem observarent, secundum illud Deuter. 37. *Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit.*

3. Gentiles ad ritum Judaïcum et ad observantias legis admittebantur. Ergo nullus salvari poterat, nisi legem veterem observaret.

Antecedens probatur, quia Exodi 12. dicitur: «Si quis perigrinorum in vestram »voluerit transire coloniam, et facere »phase Domini, circumcidetur prius om»ne masculinum genus, et tunc rite ce»lebrabit, eritque simul sicut indigena »terræ.»

Conseq. prob., quia frustra ad observantias legales fuissent extranei admissi ex ordinatione divina, si absque legalibus observantiis salvari potuissent.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Multi gentiles per angelos sunt reducti in Deum, ut Dionysius dicit cap. 9. cœlestis Hier. Ergo non omnes tenebantur servare legem veterem.

Conseq. prob., quia gentiles legem veterem non observabant.

Determinatio.

Distinctio. Lex vetus continebat duplex præceptorum genus. Præcepta legis naturæ, quæ manifestabat, et quædam propria præcepta quæ superaddebat, ut dicetur. Unde aliquos teneri ad observantiam legis veteris, potest dupliciter intelligi, vel quoad præcepta legis naturæ, vel quoad præcepta, quæ superaddebat.

1.ª Conclusio. Omnes tenebantur legem veterem servare, quantum ad illa præcepta quæ continebat de lege naturæ: non quia essent de veteri lege, sed quia erant de lege naturæ.

Prob. Legem naturæ omnes servare tenentur, ut dictum est. Ergo legem veterem, quoad præcepta legis naturæ, omnes servare tenentur.

2.ª Conclusio. Quantum ad illa, quæ lex vetus superaddebat, non tenebantur omnes ad observantiam veteris legis, sed solus populus judæorum.

Probatur. Ea quæ statuuntur ad specialem aliquorum sanctificationem, non obligant nisi illos ad quorum sanctificationem sunt instituta. Sed lex vetus quantum ad ea, quæ superaddebat præceptis legis naturæ data fuit populo judæorum, ut quamdam prorogativam sanctitatis obtineret propter reverentiam Christi, qui ex illo populo nasciturus erat. Ergo ad observantiam legis veteris, quantum ad quædam specialia, solus populus judæorum obligabatur.

Maior manifestatur exemplariter. Nam quia clerici mancipantur divino ministerio, ad quædam obligantur ad quæ non obligantur laïci: similiter religiosi, ad quædam perfectionis opera obligantur ex sua professione, ad quæ seculares non obligantur: ita populus judæorum, ut mancipatus divino servitio, obligabatur ad quædam ad quæ alii populi non obligabantur; unde dicit. Deut. 18. *Perfectus eris et absque macula coram Domino Deo tuo.* Propter quod etiam quadam professione utebantur, ut patet Deut. cap. 26. *Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, etc.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Non enim ad omnem legem Dei omnes tenentur. Ad probationem dicitur ad maiorem, quod quicumque subduntur regi, obligantur ad observandum legem, quam omnibus communiter proponit. Sed si instituat aliqua observanda á suis familiaribus ministris, ad hæc cæteri non obligantur.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod quanto magis homo Deo conjungitur, tanto melioris conditionis efficitur: et ideo quanto populus judæorum erat adstrictus magis ad divinum cultum, dignior aliis populis erat. Unde dicitur Deut. 4. *Quæ est alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias justaque judicia, et universam legem?* Et similiter etiam quantum ad hoc sunt melioris conditionis clerici, quam laïci; et religiosi, quam seculares.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod non frustra gentiles admittebantur ad legis veteris observantias, quia perfectius et securius salutem consequebantur sub observantiis legis, quam sub sola lege naturali, et ideo ad eas admittebantur: sicut etiam nunc laïci transeunt ad clericatum, et seculares ad Religionem.

ARTICULUS VI.

Utrum lex vetus convenienter data fuerit tempore Moysi.

Pro negativa.=Videtur quod lex vetus non convenienter data fuerit tempore Moysi.

1. Lex quæ disponebat ad salutem quæ futura erat per Christum non convenienter fuit data tempore Moysi, sed debuit dari statim post peccatum. Sed lex vetus disponebat ad salutem quæ futura erat per Christum, ut dictum est articulo 2. hujus quæstionis. Ergo lex vetus non convenienter data est tempore Moysi, sed debuit dari statim post peccatum primi parentis.

Maior prob., quia homo statim post peccatum indiguit hujusmodi salutis remedio.

2. Lex quæ data est propter sanctificationem eorum ex quibus Christus nasciturus erat, debuit dari tempore Abrahæ, et non tempore Moysi. Sed lex vetus data est propter sanctificationem eorum ex quibus Christus nasciturus erat. Ergo statim tempore Abrahæ debuit dari lex, et non tempore Moysi.

Maior prob., quia Abrahæ incepit fieri promissio de semine quod est Christus, ut habetur Gen. 12. Ergo statim tempore Abrahæ debuit lex dari.

3. Sicut Christus non est natus ex aliis descendentibus ex Noé, nisi ex Abraham, cui facta est promissio, ita etiam non est natus ex aliis filiis Abrahæ, nisi ex David, cui est promissio renovata, secundum illud 2. Regum 23. *Dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Jacob.* Ergo lex vetus debuit dari post David, sicut data est post Abraham.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Apostolus dicit ad Galatas 3. quod lex *propter transgressionem posita est, donec veniret semen cui promiserat ordinata per Angelos in manu Mediatoris*, idest *ordinabiliter data*, ut dicit Glossa. Ergo congruum fuit ut lex vetus illo temporis ordine traderetur.

Determinatio.

Conclusio. Convenientissime lex vetus data est tempore Moysi.

Probatur. Eo tempore quo magis necessarium erat compescere malorum superbiam, et instruere, et adjuvare bonos ad implendum quod intendunt, convenientissime data est lex. Sed tempore Moysi magis necessarium erat compescere et domare malorum superbiam, bonosque instruere et adjuvare ad implendum ea quæ implere intendebant. Ergo tempore Moysi convenientissime data est lex.

Maior probatur, quia quælibet lex duobus generibus hominum imponitur, scilicet quibusdam duris et superbis qui per legem compescuntur, et bonis, qui per legem instructi adjuvantur ad implendum quod intendunt. Eo igitur tempore quo humana malorum superbia magis abundabat, et bonorum ignorantia et infirmitas magis auxilio indigebat, convenientissime data est lex.

Minor quoad priorem partem, scilicet quod tempore Moysi magis necessarium esset domare malorum superbiam, manifestatur: de duobus enim homo superbiebat, de scientia et de potentia. De scientia quidem, quia arbitrabatur quod ratio naturalis sibi posset sufficere ad salutem, et ideo ut de hoc ejus superbia convinceretur, permissus est homo regimini suæ rationis, absque adminiculo legis scriptæ; et experimento homo discere potuit quod patiebatur rationis defectum per hoc quod homines usque ad idololatriam et turpissima vitia circa tempora Abrahæ sunt prolapsi, et ideo post hæc tempora necessarium fuit legem scriptam dari in remedium humanæ ignorantiæ, quia *per legem est cognitio peccati*, ut dicitur ad Roman. 5. Sed postquam homo est instructus per legem, convicta est ejus superbia de infirmitate, dum implere non poterat quod cognoscebat. Et ideo sicut Apostolus concludit ad Romanos 8. quod «impossibile erat legi in qua infirmabatur per carnem, misit Deus Filium suum, ut justificatio legis impleretur in nobis,» et sic patet quod post tempus Abrahæ, quod fuit tempore Moysi, necessarium erat compescere humanam superbiam et ignorantiam, quod est prima pars minoris.

Altera pars ejusdem minoris, scilicet quod tunc boni indigerent magis instrui et adjuvari, manifestatur. Tunc enim divinum auxilium quod est per legem, populo magis necessarium fuit, quando lex naturalis obscurari incipiebat, propter exuberantiam peccatorum, quod fuit

tempore supradicto, propter idololatriam.

Et confirmatur conclusio, quia oportebat hujusmodi auxilium legis, quodam ordine dari, ut per imperfecta ad perfectionem manuducerentur, et ideo inter legem naturæ et legem gratiæ, oportuit legem veterem dari.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod licet statim post peccatum indiguerit legis auxilio, non competebat tamen tunc legem veterem dari; tum quia homo nondum recognoscebat se ea indigere, de sua ratione confisus; tum quia dictamen legis naturæ nondum erat obtenebratum per consuetudinem peccandi.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, et ad ejus probationem, quod lex non debet dari nisi populo: est enim lex præceptum commune, ut dictum est quæstione 90. articulo 2. et ideo tempore Abrahæ data sunt quædam familiaria præcepta, et quasi domestica Dei, ad homines; sed postmodum multiplicatis ejus posteris, in tantum quod populus esset, et liberatis eis á servitute, lex convenienter potuit dari: nam *servi non sunt pars populi vel civitatis, cui legem dare competit*, ut Philosophus dicit in 3. Politicorum cap. 3.

Ad 3. Dicitur, quod quia legem oportebat alicui populo dari, non solum illi ex quibus est Christus natus legem acceperunt; sed totus populus consignatus signaculo circumcissionis, quæ fuit signum promissionis Abrahæ factæ, et ab eo creditæ, ut dicit Apostolus ad Romanos 4. et ideo etiam ante David oportuit legem dari tali populo jam collecto.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 98.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem directam (hæc est in corpore) et indirectam (hæc est solutio argum.) (ut semper in appendicibus subauditur, secundum quod alias declaratum est) interimas hæresim *Marcionis, et Manichæi* dicentium, legem veterem esse malam. Ob hoc motus (ut videtur) legem ipsam Mosaicam evertere conatus est *Apelles*, á quo descendunt *Apellitæ*. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hæresim prædictam merito damnari á *Rom.* 7. secundum quod est *in arg. cont.* Ubi propter ly *itaque* nota, quod Apostolus ex contextu præposito á se concludit hoc. Dixerat enim sibimetipsi objiciens: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est?* Et sibimetipsi responderat, *Absit.* Hoc est; Lex criminosa, idest, mala est? Nullo modo. Non contentus autem, contra *Manichæos* futuros negasse cum detestatione horribili (quod importat ly *absit*) legem esse malam; declarat ibidem diffuse utilitatem. ac bonitatem illius: et, his declaratis, tamquam quoddam firmiter tenendum infert, ipsam esse sanctam, ipsius mandata esse sancta, et justa, et bona. Vide, quanta firmitate tum ad oppositam partem, quasi pro hæreticis argumentando, tum ad veritatis assertionem tamquam pro catholicis respondendo, tum post assertæ responsionis declarationem longam solidissime fidem catholicam concludendo per ly *itaque lex quidem.* Ubi ly *quidem*, cum exponatur, idest, certe, dicit emphaticum quid pro certitudine rei. Item merito damnari á Gal. 3. " Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo: ut ex fide justificemur. » Hoc est: Lex nostri, qui eramus pueri, fuit ductrix ad Christum, idest, ad hoc: ut ex Christi fide justificaremur. Cum ergo fides Christi, ad quam ducebat lex, sit bona, impossibile est, quod lex ipsa vetus non fuerit bona. Pædagogus enim ille non potest esse malus, seu etiam non esse bonus, quod bene suum officium, pro quo est, facit, idest, qui bene pueros instruit: dato, quod pædagogus ille nihil aliud sit, nisi instructio puerorum, ut de lege erat. Item merito damnari á Christo factis ipsis, idest, per hoc, quod legem observavit in sui

circumcisione, Luc. 2. ad templum oblatione, ibid. in templi secundum legis mandata visitatione, ibid. et multis aliis locis Evangelistarum, in agni paschalis comestione, Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. Joan. 3. in prædicando aliis, ut eam servarent, Matth. 8. et alibi; in citando legem, dum prædicaret, atque doceret, ut sparsim per Evangelia legitur. Quid? Natus in Bethleem, nutritus in Nazareth, passus in Hierusalem, mortuus, sepultus, resurrexit, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Dei Patris, ad judicandum venturus est, ut adimpleret et adimpleat legem cum prophetis. Vide et hæresis prædictæ damnationem in veritatibus aureis super legem veterem, *Deuteron.* 33. *concl.* 2. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæreses *Marcionis*, dicentis; veterem legem á malo principio, seu á Deo malo, qui diabolus est, processisse. Et *Cerdonis*, ac *Manichæi* dicentium: Deum veteris legis non esse Patrem Domini nostri JESU Christi. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari á Matth. 15. ut cum discursu adducitur *in arg. cont.* Item Rom. 3. »Quid ergo amplius Judæo est? Multum per omnem modum. Primum quidem: quia credita sunt ei eloquia Dei.» Idest, lex vetus. Quod autem per ly Dei intelligat Deum bonum, patet in contextu: quia ibi de ipso Deo subdit: *Est autem Deus verax.* Patet vero Joan. 8. quod diabolus, quem prædicti hæretici vocant Deum, seu principium malum, est mendax, immo pater mendacii, idest primus ejus inventor, et quod, cum ex propriis loquitur, semper mentitur. Item á 2. Machab. 7. " Parati sumus mori magis, quam patrias Dei leges prævaricari: » et infra: " Dominus Deus aspiciet veritatem, et consolabitur in nobis: » quemadmodum in protestatione cantici declaravit Moyses, " et in servis suis consolabitur. » Et infra; " Rex mundi defunctos pro suis legibus in æternæ vitæ rescuscitatione suscitabit. » Et infra: " E cœlo ista possideo: sed, propter Dei leges, nunc hæc ipsa despicio. » Constat enim, quod hi loquebantur de lege veteri, quæ esum carnium porcinarum vetat: ob quam in hoc servandam tunc martyres effecti sunt. Illius ergo legis Deum dicunt, et aspicere veritatem, et esse á Moyse in cantico celebratum. et esse regem mundi, et suscitaturum in resurrectione vitæ æternæ mortuos pro ipsa lege, et esse in cœlo eum, qui omnia corporis membra possidenda dedit: quorum utique nullum prorsus diabolo convenire potest, ut per singula quinque sapienter discurrenti facile patere potest. Item merito damnari ab Hebr. 1. " Multifarie olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime locutus est nobis in filio, » etc. Ecce: quam clare lucidissimis verbis testatur Apostolus; quod Deus, *qui est pater Domini nostri JESU Christi*, in quo filio, tamquam in persona á se distincta non in essentia, novissime locutus est, ille idem est, qui olim loquebatur in prophetis, scilicet dando legem, et alia. Nam Moyses, per quem dedit legem, fuit propheta. *Deuter. ultimo*, et alii, scilicet Isaias cum similibus fuerunt prophetæ. Item ab Hierem. 31. " Ecce dies veniunt, dicit Dominus; et feriam domui Israel, et domui Juda foedus novum; non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris in die, qua apprehendi manum eorum, ut adducerem eos de terra Ægypti. » Quod autem Deus, qui eduxit eos de terra Ægypti, sit verus bonusque Deus, contra locos alienos omnino divisus, patet millies in psalmis, cæterisque prophetis. Item merito condemnari á dictis in 1. quæst. 39. art. 3. cum Eluc. et á veritatibus aureis super totam legem veterem, Deuter. 33. concl. 2. Vide etiam art. 1. append. huc prudenter, pro quanto res postulat, applicando. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas. merito esse á scripturis insinuatum: quod lex vetus fuit data á Deo per Angelos. Ut Gal. 3. et Act. 7. secundum quod est *in arg. cont.* Ubi nota ex 1. q. 36. ar. 3. quod ly *per* denotat in hoc casuali, idest, in angelis, aliquam causam hujus actus, idest dationis legis: non quidem secundum quod actus iste exit ab agente, idest, á Deo, quoniam angeli ipsi non sunt causa Deo, quod agat, puta, quod det legem: sed secundum quod actus

iste determinatur ad factum, idest ad homines, quoniam angeli ipsi sunt causa hominibus, ut Dei legem recipiant: et nihilominus hoc ipsum, scilicet quod sint causa talis hominibus, angeli ipsi habent á Deo. Ut dicamus sub exemplo: Faber per martellum facit candelabrum. Ecce hic: quod martellus est casuale hujus præpositionis, *per*. Ponitur enim in casu accusativo ex eo; quod ly *per*, á quo secundum grammaticum regitur, vult talem casum et ideo illud, quod post ly *per*, sequitur in accusativo á se requisito, vocatur universaliter suum casuale. Ad rem modo. Martellus est aliqua causa hujus actus, idest, fabrefactionis candelabri: non quidem secundum quod actus iste exit ab agente, idest, á fabro, sed secundum quod actus iste determinatur ad factum, idest, ad candelabrum. Non enim martellus est causa fabro, quod agat: sed est causa artificiato, idest candelabro, quod ab artifice procedat: et nihilominus hoc ipsum, scilicet, quod sit causa hujus rei, idest, quod artificiatum hoc ab artifice procedat, martellus ipse habet a fabro ipso. Angeli ergo, secundum Apostolum ibi ad Galat. fuerunt causa, quod homines reciperent legem Dei, idest, quod lex Dei perveniret ad notitiam hominum (ecce, quod sunt promulgatores) et hoc ipsum, scilicet, quod essent causa, quod lex Dei perveniret in notitiam hominum, habuerunt angeli ipsi á Deo. Unde in tali facto angeli fuerunt: tamquam mediatores: non quidem ratione virtutis, sed ratione suppositorum. Non enim angelus confert aliquam virtutem Deo, quamvis Deus det legem per angelum sed tamen Angelus secundum ordinem suppositorum est medius in dando legem ipsam. Et ideo, licet hæc præpositio, *per*, denotet medium: tamen in hac auctoritate, scilicet: *Lex data est per angelos*, ly *per*, non dicit indistincte medium quodcumque, idest, secundum ordinem virtutum, et secundum ordinem suppositorum, sed dicit solum determinate medium, secundum ordinem suppositorum. Ex prædictis constat etiam, tamquam á simili: quomodo intelligas aliam auctoritatem ibi adductam, scilicet: *Accepistis legem in dispositione angelorum. Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum: quod solis Judæis data est lex vetus. Ut Rom. 3. et Psal. 147. *Non fecit*, etc. secundum quod *in arg. cont.* Ex quo patet, quod magnum beneficium est, et pro magno recognoscebatur ab illo populo, quod Deus det suam legem alicui. Hoc est. Quod voluntatem suam Deus alicui notificet. Quod ei, vel per intermediam personam, loquatur: quod eloquia sua per literas ei credat, tamquam scripturas proprias, manu propria exaratas, ei velut secretario suo committens: quod cum præceptis, communicationibus, terroribus, flagellis, ligare dignetur, ne in malum cadat, et in bonum proficiat: quod eum non solum de benefactis præmiare, sed etiam de malefactis punire dignetur. Hæc enim importat ly *Deum dare legem hominibus*; est et maximum á Deo beneficium homini collatum, et maxime per virtutem gratitudinis 1. 2. q. 6. a. 2. 3. secundum tres gradus gratitudinis, 2. 2. q. 107. art. 2. corp. Deum benefactorem ab ipso homine recognoscendum. Universa ista, atque alia similia insinuavit textus adductus in illo *arg. cont.* per hoc, quod excellentiam tantam de accipiendo divinam legem annotavit his verbis, scilicet, et ly *multum*, et ly *per omnen modum*, et ly *primum quidem*, idest principale quidem, et ly *per non fecit taliter omni nationi*. Ergo ligari á Deo, cum lex á ligando dicatur, est valde bonum homini, nec aufert, sed conservat, et auget libertatem veram hominis; non destruit, sed construit, et fovet liberum arbitrium ipsius: unde homo, si sapit, gloriari debet, ac plurimum lætari de hoc, quod á Deo ligetur, ne effrænate currat in præceps. Hæc omnia ex textu prædicto. Pro quibus, quoad libertatem veram, plenius intelligendis, vide veritates aureas super legem veterem, Gen. 3, concl. 2. et num. 4. concl. 3. insinuatur quoque illud ipsum de lege in principio dictum, et simul confirmantur inde extracta, ut patebit vigilanter per se consideranti, á Deut. 4. «Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi: sicut Deus adest nobis. Quæ est enim alia gens tam inclyta: ut habeat cæremonias, justaque judicia, et universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?» Dignificatos igitur se maxi-

me á Domino fuisse. cognoverunt Judæi ex eo, quod et ipsi, et ipsi soli, legem vetarem ab eo acceperunt. *Secundo* vides; quomodo etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et Dion. insinuatum: quod non omnes tenebantur de necessitate salutis ad observantiam legis veteris. A Sancto Dionysio quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc: quod legitur de Job. ca. 1. 2. quod erat simplex homo, rectus, timens Deum, recedens á malo, et adhuc retinens innocentiam: ət consequenter, quod salvatus est. Et tamen Job, cum esset gentilis ex 2. 2. qu. 2. art. 7. ad tertium, non observabat legem. Item per hoc, quod dicttur Roman. 3. «quæcumque lex loquitur, his, qui in lege sunt loquitur.» Ibi enim Apostolus habere vult. quod Judæi erant peccatores ex eo, quod in lege veteri communiter sumpta, idest ut comprehendit etiam prophetas, erat scriptum, *omnes declinaverunt*, etc. Ac si dicat: Judæi soli, ad differentiam Gentilium, quos ibi vocat Græcos, erant in lege veteri, idest tenebantur ad ejus observantiam, utpote quibus solis data erat. Unde duo hæc scilicet legem illam esse solis Judæis datam, et ipsos solos ad ejus observantiam teneri, Apostolus per esse in lege complectitur, atque describit dicens, ly *his, qui in lege sunt, loquitur*. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod convenienter data est lex vetus tempore Moysi. Ut Gal. ¦3 *Lex propter*, etc. secundum quod cum glossa ponitur *in arg. cont.* Item Jo. 1. *Lex per Moysen data est.* Ad monstrandum enim, quod convenienter data sit, sufficit per scripturas ostendere nunc hoc, scilicet, quod data est. Nam, quod á Deo fit nonnisi convenienter potest fieri: itemque quod scriptura commendat esse factum (ut hic) non nisi commendabile illud est: et ex consequenti convenienter idipsum oportet esse factum. Pro quo, de scripturarum convenientia, vide q. 68. ar. 4. app. et 2. 2. q. 122. ar. 2. app. et q. 140. ar. 1. app. et quæstio. 179. ar. 2. app. *Secundo* vides: quomodo ex iis, etc.

QUÆSTIO NONAGESIMA NONA,

DE PRÆCEPTIS VETERIS LEGIS IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de præceptis veteris legis: et primo de distinctione ipsorum; secundo de singulis generibus distinctis.

Circa primum quæruntur sex.

Primo, utrum legis veteris sint plura præcepta vel unum tantum.

Secundo, utrum lex vetus contineat aliqua præcepta moralia.

Tertio, utrum præter moralia contineat cerœmonialia.

Quarto, utrum contineat præter hæc judicialia.

Quinto, utrum præter ista tria contineat aliqua alia.

Sexto, de modo, quo lex inducebat ad observantiam prædictorum.

ARTICULUS I.

Utrum in lege veteri contineatur solum unum præceptum.

Pro affirmativa.=Videtur quod lex vetus contineat solum unum præceptum.

1. Lex quæ est una, continet solum unum præceptum. Sed lex vetus est una. Ergo lex vetus continet tantum unum præceptum.

Minor prob., quia lex nihil aliud est quam præceptum, ut dictum est qu. 90 art. 2.

2. Lex quæ tota impletur in uno mandato, continet tantum unum mandatum. Sed lex vetus tota impletur in uno mandato. Ergo lex vetus continet tantum unum mandatum.

Minor probatur. quia Apostolus dicit ad Romanos 13. «Si quod est aliud man-

»datum, in hoc verbo instauratur : di»liges proximum tuum sicut teipsum,» quod est unum tantum mandatum.

3. Lex quæ continetur in lege et Prophetis, habet tantum unum mandatum. Sed lex vetus continetur in lege et Prophetis. Ergo lex vetus habet tantum unum præceptum.

Maior prob., quia Matth. 7. dicitur, *omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis: hæc est enim lex et Prophetæ.*

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Apostolus dicit ad Ephesios 2. Legem mandatorum decretis evacuans. Et loquitur de lege veteri, et Glossa ibidem dicit. Ergo lex vetus continet plura mandata.

Determinatio.

CONCLUSIO. Lex vetus continet unum præceptum tantum, ex parte finis, sed continet plura præcepta ex parte eorum, quæ ordinantur ad finem.

Probatur. Lex quæ est de diversis rebus ordinatis ad unum finem, continet plura præcepta ex parte rerum ordinatarum in finem, et unum tantum ex parte finis. Sed lex vetus est de pluribus rebus et actibus ordinatis ad unum finem. Ergo lex vetus continet plura mandata ex parte rerum, et unum tantum ex parte finis.

Maior probatur, præmittendo quod præceptum legis, cum sit obligatorium, est de aliquo quod fieri debet: quod autem aliquid fieri debeat, hoc provenit ex necessitate alicujus finis. Unde manifestum est quod de ratione præcepti est, ut importet ordinem ad finem, in quantum scilicet illud præcipitur quod est necessarium vel expediens ad finem. Et quia contingit quod ad unum finem consequendum, diversa sint necessaria vel expedientia, de illis diversis rebus necessariis ad finem possunt dari diversa præcepta ordinata ad consequendum eumdem finem. Unde lex quæ est de diversis ordinatis ad eumdem finem, continebit multa præcepta ex parte ipsarum rerum necessariarum ad consecutionem finis, et unum præceptum, quia unus est finis.

Minor patet, quia lex vetus multa præcipiebat, ut per illa disponeretur homo ad salutem consequendam, ut dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod lex vetus dicitur esse una, secundum ordinem ad finem unum, et tamen continet diversa præcepta, secundum distinctionem eorum quæ ordinant ad finem. Sicut etiam ars ædificativa est una secundum unitatem finis, quia tendit ad ædificationem domus, tamen continet diversa præcepta secundum diversos actus ad hoc ordinatos.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod tota lex impletur in uno hoc mandato : diliges proximum tuum sicut teipsum, sicut in quodam fine mandatorum omnium: *finis enim præcepti est charitas*, ut dicitur 1. Timot 1. Ad hoc enim omnis lex tendit ut amicitiam constituat, vel hominum ad invicem, vel hominis ad Deum. In dilectione autem proximi includitur etiam dilectio Dei, quando proximus diligitur propter Deum. Unde Apostolus hoc unum præceptum posuit pro duobus quæ sunt de dilectione Dei et proximi, de quibus Dominus dicit Matth. 22. In his duobus mandatis pendet universa lex et Prophetæ.

Ad 3. Negatur maior. Ad ejus probationem dicitur quod hoc quod dicitur, «omnia quæcumque vultis ut faciant vo»bis homines, et vos facite illis,» non est præceptum; sed explicatur quædam regula dilectionis proximi, quæ etiam implicite continetur in hoc quod dicitur, *diliecs proximum tuum sicut teipsum*. Unde est quædam explicatio istius mandati, cum quo stat ut sint etiam alia mandata in lege contenta, ut dictum est et dicetur.

ARTICULUS II.

Utrum lex vetus contineat præcepta moralia.

Pro negativa. — Videtur quod lex vetus non contineat præcepta moralia.

1. Præcepta pertinentia ad legem naturæ non continentur in lege veteri. Sed præcepta moralia pertinent ad legem naturæ. Ergo præcepta moralia non continentur in lege veteri.

Maior prob., quia lex vetus distinguitur á lege naturæ, ut dictum est supra qu. 91. art. 4. et 5.

2. Præcepta ad quæ sufficit humana ratio, non continentur in lege veteri. Sed ad præcepta moralia sufficit humana ratio. Ergo præcepta moralia non continentur in lege veteri.

Maior prob., quia ibi subvenire debuit homini lex divina, ubi deficit ratio humana, ut patet in his quæ ad fidem pertinent, quæ sunt supra rationem.

3. Lex quæ dicitur litera occidens, non continet præcepta moralia. Sed lex vetus dicitur litera occidens, ut patet 2. ad Cor. 3. Ergo lex vetus non continet præcepta moralia.

Maior prob., quia præcepta moralia non occidunt, sed vivificant, secundum illud Psalmi 118. *In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me.*

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Lex quæ continet disciplinam, continet præcepta moralia. Sed lex vetus continet disciplinam. Ergo lex vetus continet præcepta moralia.

Maior prob., quia disciplina pertinet ad mores: Glossa enim dicit ad Hebr. 12. super illud, *omnis disciplina*, etc. disciplina est eruditio morum per difficilia.

Minor prob., quia Eccl. 17. dicitur: *Addidit illis disciplinam, et legem vitæ hæreditavit eos.*

Determinatio.

Conclusio. Lex vetus continebat præcepta quædam moralia.

ARTIC. II.

Probatur dupliciter, authoritate et ratione: authoritate, quia Exodi 10. dicitur: *non occides, non furtum facies, quæ sunt moralia præcepta.*

Ratio autem talis est: lex cujus intentio principalis est ut constituat amicitiam hominis ad Deum, continet præcepta moralia. Sed intentio divinæ legis est principaliter ut constituat amicitiam hominis ad Deum, sicut intentio humanæ legis est ut constituat amicitiam hominum ad invicem. Ergo lex vetus continet præcepta moralia.

Maior prob., quia cum similitudo sit ratio amoris, secundum illud Eccl. 13. *Omne animal diligit sibi simile*, impossibile est esse amicitiam hominis ad Deum qui est optimus, nisi homines efficiantur boni. Unde dicitur Levit. 19. *Sancti eritis quoniam ego sanctus sum.* Et quia bonitas hominis est virtus quæ facit bonum habentem, oportuit præcepta legis veteris etiam de actibus virtutum dari quæ sunt præcepta moralia.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur quod lex vetus distinguitur á lege naturæ, non tamquam ab ea omnino aliena, sed tamquam ei aliquid superaddens, sicut enim gratia præsupponit naturam ita oportet quod lex divina præsupponat legem naturalem.

Ad 2. Neg. maior. Legi enim divinæ conveniens erat ut non solum provideret homini in his ad quæ ratio non potest, sed etiam in his circa quæ contingit rationem hominis impediri. Ratio autem hominis circa præcepta moralia, quantum ad ipsa communissima præcepta legis naturæ non poterat errare in universali, sed tamen propter consuetudinem peccandi obscurabatur in particularibus agendis: circa alia vero præcepta moralia, quæ sunt quasi conclusiones deductæ ex communibus principiis legis naturæ, multorum ratio oberrabat, ita ut quædam quæ sunt secundum se mala, ratio multorum licita judicaret: unde oportuit

contra utrumque defectum homini subvenire per authoritatem legis divinæ. Ad probationem dicitur, quod etiam inter credenda nobis proponuntur, non solum ea ad quæ ratio attingere non potest (ut Deum esse trinum,) sed etiam ea ad quæ ratio recta pertingere potest, ut Deum esse unum, ad excludendum rationis humanæ errorem qui accidebat in multis.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod sicut Augustinus probat in libro de spiritu et litera cap. 14. etiam litera legis, quantum ad præcepta moralia occidere dicitur occasionaliter, in quantum præcipit quod bonum est, non præbens auxilium gratiæ ad implendum.

ARTICULUS III.

Utrum lex vetus contineat præcepta cæremonialia, præter moralia.

Pro negativa.=Videtur quod lex vetus non contineat præcepta cæremonialia, præter moralia.

1. Lex quæ est directiva humanorum actuum, non continet præcepta cæremonialia, sed solum moralia. Sed lex vetus est directiva humanorum actuum. Ergo lex vetus non continet præcepta cæremonialia, sed tantum moralia.

Maior prob., quia actus humani morales dicuntur, ut dictum est supra qu. 1. art. 3.

Minor prob., quia omnis lex quæ hominibus datur, est directiva humanorum actuum.

2. Præcepta cæremonialia non distinguuntur á moralibus. Ergo lex vetus, præter præcepta moralia non potest continere cæremonialia.

Antecedens prob. Præcepta quæ sunt de actibus virtutum, non distinguuntur á moralibus. Sed præcepta cæremonialia sunt de actibus virtutum. Ergo præcepta cæremonialia non distinguuntur á moralibus.

Maior prob., quia præcepta moralia sunt de actibus virtutum, ut dictum est art. præced.

Minor prob. Divinus cultus est actus virtutis, scilicet religionis, quæ ut dicit Tullius lib. 2. Rhet. «Divinæ naturæ cultum cæremoniamque affert.» Sed præcepta cæremonialia videntur ad divinum cultum pertinere. Ergo præcepta cæremonialia sunt de actibus virtutum.

3. Præcepta quæ tantum figurative aliquid significant, non debent contineri in antiqua lege. Sed præcepta cæremonialia videntur esse quæ figurative aliquid significant. Ergo nulla necessitas fuit ut in lege continerentur præcepta ceremonialia de aliquibus actibus figurativis.

Maior prob., quia «verba in homines obtinuerunt principatum significandi,» ut Augustinus dicit libro 2. de doct. Christ. cap. 3.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Deuter. 4. dicitur; *decem verba quæ scripsit in duabus tabulis lapideis, mihique injunxit in illo tempore, ut docerem vos cæremonias et judicia quæ facere debeatis.* Sed decem præcepta legis sunt moralia. Ergo præter præcepta moralia sunt etiam alia præcepta cæremonialia.

Determinatio.

Conclusio. Lex vetus præter præcepta moralia continere debuit præcepta cæremonialia.

Probatur. Lex quæ ordinabat homines ad invicem, secundum quod conveniebat ordini qui est ad Deum, præter præcepta moralia debuit continere etiam præcepta cæremonialia. Sed lex divina homines adinvicem ordinavit secundum quod conveniebat ordini qui est ad Deum. Ergo lex divina præter moralia præcepta debuit continere cæremonialia.

Maior prob., quia homo ordinatur in Deum, non solum per interiores actus mentis, qui sunt credere, sperare et amare, sed etiam per quædam exteriora opera quibus homo divinam servitutem pro-

fitetur. Et ista opera quæ ad cultum Dei pertinent, cæremoniæ vocantur, quasi munia, idest dona *Cereris* quæ dicebatur Dea frugum, sive ut Valerius Maximus refert lib. 1. capite. 1. nomen *cæremoniæ* introductum est ad significandum cultum divinum apud latinos, á quodam oppido quod erat juxta Romam, quod *Cære* vocabatur, eo quod Roma capta á Gallis, illic sacra romanorum oblata sunt et reverendissime habita. Lex igitur quæ ordinat hominem in Deum, debet continere præcepta pertinentia ad divinum cultum per exteriores actus, qui *cæremoniæ* vocantur.

Minor probatur ex differentia, quæ est inter legem humanam et divinam: humana enim ordinat homines principaliter ad invicem: divina vero principaliter ordinat hominem in Deum, ut dictum est artic. præcedenti: et ideo leges humanæ non curaverunt aliquid instituere de cultu divino, nisi in ordine ad bonum commune hominum: et propter hoc etiam multa confinxerunt circa res divinas, secundum quod videbatur eis expediens ad informandos mores hominum, ut patet in ritibus gentilium. Secus autem est de divina lege quæ ad Deum homines ordinat.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod humani actus se extendunt etiam ad cultum divinum, et ideo etiam de his continet præcepta lex vetus hominibus data.

Ad 2. Negatur antecedens. Ad minorem probationis dicitur, quod præcepta cæremonialia non sunt de actibus virtutum, sed sunt determinativa præceptorum quæ sunt de actibus virtutum. Pro quo est sciendum quod sicut dictum est quæst. 94. art. 4. Præcepta legis naturæ communia sunt, et indigent determinatione. Determinantur autem, et per legem humanam, et per legem divinam. Et sicut ipsæ determinationes quæ fiunt per legem humanam, non dicuntur esse de lege naturæ, sed de jure positivo; ita ipsæ determinationes præceptorum legis naturæ quæ fiunt per legem divinam, distinguuntur á præceptis moralibus quæ pertinent ad legem naturæ. Colere ergo Deum, cum sit actus virtutis, pertinet ad præceptum morale, sed determinatio hujus præcepti, ut scilicet colatur talibus hostiis et talibus muneribus, pertinet ad præcepta cæremonialia, et ideo præcepta cæremonialia distinguuntur á præceptis moralibus.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod sicut Dionysius dicit 1. cœlestis hierarchiæ, «divina hominibus »manifestari non possunt, nisi sub aliqui»bus similitudinibus sensibilibus;» ipsæ autem similitudines magis movent animum, quando non solum verbo exprimuntur, sed etiam sensui offeruntur, et ideo divina traduntur in scripturis, non solum per similitudines verbo expressas, sicut patet in metaphoricis locutionibus, sed etiam per similitudines rerum quæ visui proponuntur, quod pertinet ad præcepta cæremonialia.

ARTICULUS IV.

Utrum præter præcepta moralia et cæremonialia, contineantur in lege veteri præcepta judicialia.

Pro negativa.=Videtur quod præter præcepta moralia et cæremonialia non sint aliqua præcepta judicialia in lege veteri.

1. In lege in qua sunt tantummodo præcepta vitæ agendæ et præcepta vitæ significandæ, præter moralitia et cæremonialia non sunt alia præcepta. Sed «in »lege veteri sunt tantum præcepta vitæ »agendæ et præceptavitæ significandæ,» ut Aug. dicit lib. 6. contra Faustum cap. 2. Ergo in lege veteri præter moralia et cæremonialia non sunt præcepta judicialia.

Maior prob., quia præcepta vitæ agendæ sunt moralia, et præcepta vitæ significandæ sunt cæremonialia.

2. Lex continens tantum regulam vivendi, non continet præcepta judicialia.

Sed lex vetus continet solum regulam vivendi. Ergo lex vetus non continet præcepta judicialia.

Maior prob., quia regula vivendi pertinet ad præcepta moralia.

Minor prob., quia dicit Glossa Cassiodori super illud Psal. 118. «A judiciis »tuis non declinavi,» «idest ab his quæ »constituisti regulam vivendi.»

3. Præcepta judicialia includuntur in moralibus. Ergo in lege non continentur præter moralia, judicialia á moralibus distincta.

Antecedens probatur. Actus justitiæ pertinet ad præcepta moralia, sicut et actus aliarum virtutum. Sed judicium videtur esse actus justitiæ, secundum illud Psal. 93. «Quoadusque justitia con»vertatur in judicium.» Ergo præcepta judicialia non distinguuntur á moralibus, sed inter ipsa includuntur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Deut. 6. dicitur; «hæc sunt præcepta »et cæremoniæ, atque judicia.» Sed præcepta antonomastice dicuntur moralia. Ergo præter præcepta moralia et cæremonialia, sunt etiam judicialia.

Determinatio.

Conclusio. Lex vetus præter præcepta moralia et cæremonialia continet præcepta judicialia.

Probatur. Lex ad quam pertinet ordinare homines ad invicem, et in Deum, continet non solum præcepta moralia et cæremonialia, sed etiam judicialia. Sed ad legem veterem pertinebat ordinare homines ad invicem, et ad Deum, ut dictum est art. 2. et 3. Ergo lex vetus continet non solum præcepta moralia et cæremonialia, sed etiam judicialia.

Maior manifestatur. Nam ordinare homines ad invicem et ad Deum, pertinet in communi ad dictamen legis naturæ, ad quod referuntur præcepta moralia; sed oportet ut utrumque determinetur per legem divinam vel humanam; ita quod dictamen rationis, secundum quod ordinat homines in Deum, determinatur per præcepta cæremonialia, et idem dictamen, prout ordinat homines ad invicem, determinatur per præcepta judicialia. Cum igitur lex divina ordinet homines ad invicem, et in Deum, debet continere præcepta moralia quæ sunt de dictamine legis naturæ; cæremonialia, quæ sunt determinativa moralis præcepti de cultu divino; et judicialia, quæ sunt determinationes justitiæ servandæ inter homines.

Et confirmatur conclusio. Quia cum Apostolus ad Romanos 7. dixisset, quod *lex est sancta*, subjungit quod «manda»tum est justum, et bonum, et sanctum:» justum, quantum ad judicialia; sanctum, quantum ad cæremonialia (nam sanctum dicitur quod est Deo dicatum) bonum, quantum ad moralia, idest honestum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur quod tam moralia quam judicialia pertinent ad directionem vitæ humanæ, et ideo utraque continentur sub uno membro divisionis Augustini, et cæremonialia pertinent ad aliud membrum, scilicet vitæ significandæ.

Ad 2. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod præcepta judicialia communicant in aliquo cum moralibus, et in aliquo cum cæremonialibus: habent enim præcepta judicialia duo, scilicet quod deriventur á ratione, et in hoc communicant cum moralibus: habent etiam quod sint determinativa communium præceptorum, et in hoc conveniunt cum cæremonialibus, quæ sunt determinativa communis præcepti de colendo Deo. Unde aliquando nomine judicii significantur moralia et judicialia, ut patet Deut. 5. «Audi Israël cæremonias »atque judicia,» sub ly judicia continentur moralia et judicialia, et aliquando sub nomine judicii continentur judicialia et cæremonialia. Cum enim dicitur Levit. 18. «Facietis judicia mea, et præcepta »mea servabitis;» judicia significant præ-

cepta cæremonialia et judicialia, et præcepta significant præcepta moralia. Unde cum dicitur, á judiciis tuis non declinavi, nomine judicii significantur non solum præcepta moralia, quæ sunt regula vivendi, ut Glossa bene exponit; sed significantur etiam præcepta judicialia: et sensus est, á judiciis tuis, idest á præceptis moralibus, et judicialibus, et cæremonialibus non declinavi.

Ad 3. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur quod actus justitiæ in generali pertinet ad præcepta moralia; sed determinatio ejus in speciali pertinet ad præcepta judicialia.

ARTICULUS V.

Utrum aliqua alia præcepta contineantur sub lege veteri, præter moralia, judicialia et cæremonialia.

Pro affirmatia.=Videtur quod aliqua alia præcepta contineantur sub lege veteri, præter moralia, judicialia et cæremonialia.

1. Præter virtutem justitiæ, ad cujus actum ordinantur præcepta judicialia; et religionis, ad cujus actum pertinent præcepta cæremonialia, sunt multæ aliæ virtutes, scilicet temperantia, fortitudo, liberalitas, et aliæ plures. Ergo præter prædicta præcepta, oportet ut lex vetus alia præcepta contineat, ordinata ad actus aliarum virtutum.

2. Deut 11. dicitur: «Ama Dominum «Deum tuum, et observa ejus præcepta, «et cæremonias, et judicia atque manda«ta.» Ergo præter præcepta moralia quæ nomine præcepti signantur, et cæremonialia et judicialia, in lege continebantur mandata.

3. Deut. 6. dicitur: «custodi præcep»ta Domini Dei tui, idest moralia, et «judicia, et testimonia, et cæremonias. Ergo præter omnia præcepta et cæremonias, in lege contineantur testimonia.

4. In Psal. 118. dicitur: «In æternum «non obliviscar justificationes tuas.» Glossa interlin. *idest legem*. Ergo præcepta legis veteris non solum sunt moralia, cæremonialia, judicialia, sed etiam justificationes.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Deut. 6. dicitur: «Hæc sunt præcep»ta, cæremoniæ atque judicia quæ man»davit Dominus vobis.» Ergo omnia præcepta legis sub his comprehenduntur.

Determinatio.

Conclusio. Omnia legis præcepta sunt vel moralia, vel judicialia, vel cæremonialia, aut sub his continentur. Alia vero in lege contenta non habent rationem præceptorum, sed ordinantur ad præceptorum observationem.

Manifestatur, præmittendo quod in lege ponuntur aliqua tamquam præcepta: aliqua vero tamquam ad præceptorum impletionem ordinata.

Præcepta sunt ea quæ dantur de his quæ sunt agenda. Agenda vero sub præcepto non cadunt, nisi habeant rationem debiti. Debitum autem est duplex. Unum quidem secundum regulam rationis, puta quod parentes sint diligendi, ut quod non sit occidendum. Aliud autem est debitum secundum regulam legis determinantis, puta quod latro debeat suspendi. Unde Philosophus 5. Ethic. cap. 7. distinguit duplex justum, scilicet morale et legale. Debitum morale est duplex. Primum est, quando ratio dictat aliquid faciendum, sine quo non potest esse ordo virtutis. Alterum vero est, quando ratio dictat aliquid esse faciendum tamquam utile, ad hoc ut ordo virtutis melius conservetur: et secundum hoc, quaedam moralium praecise praecipiuntur vel prohibentur in lege, ut diliges Dominum Deum tuum, «non occi«des, non furtum facies.» Et haec proprie dicuntur *præcepta*: quaedam vero praecipiuntur vel prohibentur, non quasi praecisse debita, sed propter melius, et ista possunt dici mandata, quia quamdam inductionem habent et persuasionem, sicut est illud Exod. 22. «Si pig«nus acceperis vestimentum á proximo

«tuo, ante solis occasum reddas ei,» et alia similia. Unde Hieronymus dicit in Proëmio super Marcum, quod «in praeceptis est justitia in mandatis vero charitas.» Debitum vero ex determinatione legis, vel est in humanis, vel in rebus divinis, primum debitum pertinet ad praecepta judicialia: aliud vero ad caeremonialia.

Ea vero quæ ponuntur in lege, ut inductiva, sunt duo, secundum quod duo sunt ea per quæ homo ad impletionem præceptorum inducitur, quæ sunt auautoritas præcipientis, et utilitas quam quis consequitur ex præceptorum impletione vel fuga alicujus mali. Oportuit igitur in lege veteri poni quædam quæ authoritatem Dei præcipientis indicarent, sicut illud Deuteron. 6. *Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus unus est*: et illud Genes. 1. «In principio creavit «Deus cœlum et terram,» et hæc dicuntur *testimonia*. Oportuit etiam ut in lege proponerentur quædam præmia observantibus legem, et pœnæ transgredientibus debitæ, ut Deut. 28. patet: «Si «audieris vocem Domini Dei tui, faciet «te excelsionem cunctis gentibus,» et hæc dicuntur *justificationes*, secundum quod Deus aliquos juste punit, vel præmiat.

Omnia igitur quæ in lege veteri continentur, aut sunt præcepta, aut sunt ad præceptorum impletionem ordinata. Si sint præcepta; aut sunt de debito morali, aut de debito legali. Si de debito morali; aut de debito simpliciter, et hæc sunt præcepta: aut de debito ad bene esse, et hæc sunt mandata. Si de debito legali, aut sunt de debito legali circa humana, et hæc sunt judicialia; aut sunt de debito legali circa divina, et hæc dicuntur cæremonialia.

Ea quæ sunt ordinata ad præceptorum impletionem, aut sunt inducentia ex authoritate præcipientis, et hæc dicuntur testimonia: aut ex utilitate impletionis, et hæc dicuntur justificationes. Sed igitur sunt ea, quæ in lege veteri continentur, quatuor per modum præcepti, et duo ordinata ad præcepti impletionem.

Per modum præcepti sunt hæc.

De debito morali simpliciter, sunt præcepta moralia.

De debito morali ad bene esse, sunt mandata.

De debito legali circa humana sunt judicia.

De debito legali circa divina, sunt cæremoniæ.

Inductiva ad observationem sunt duo.

Ex parte præcipientis testimonia.

Ex parte utilitatis, sunt justificationes.

Ex quibus omnibus patet quod omnia legis præcepta continentur sub moralibus, cæremonialibus et judicialibus: et quod præter hæc nullum aliud præceptum continetur in lege veteri. Alia vero in eo contenta, non habent rationem præceptorum, sed ordinantur ad ipsorum impletionem, quæ est intenta conclusio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Non enim est eadem ratio de justitia et de aliis virtutibus, cum enim præceptum, ut dictum est non sit nisi de eo, quod habet rationem debiti et nihil habeat rationem debiti, nisi ad justitiam pertineat, hinc est ut de solis actibus justitiæ sint præcepta. Et ideo moralia in tantum sunt lege determinabilia, in quantum pertinent ad justitiam, cujus etiam quædam pars religio, ut Tullius lib. 2. de invent. dicit. Unde justum legale non potest esse aliquid præter judicialia, et cæremonialia præcepta.

Ad 2. Dicitur, quod in lege veteri continentur etiam justificationes, quæ tamen non sunt præter moralia, sed ad ipsa reducuntur; quia præcepta et mandata sunt de debito morali. Præcepta quidem de debito morali simpliciter: mandata vero de debito morali propter melius, ut in corpore dictum est.

Vel etiam dicitur quod præcepta sunt omnia, quæ Deus immediate per se jussit, sive sint moralia, sive judicialia, sive etiam cæremonialia. Mandata vero dicuntur, quæ per alios mandavit quæcumque sint. Unde mandata non sunt alia á prædictis, sed differunt tantum ex immediato præcipiente.

Ad 3. Dicitur, quod in lege continentur quidem testimonia, quæ tamen non habent rationem præcepti, sed potius ordinantur ad præceptorum impletionem ex parte præcipientis, ut dictum est: quamvis etiam ea quæ pertinent ad pœnam, vel præmia dici possint testimonia, in quantum sunt quædam protestationes legalis justitiæ.

Ad 4. Dicitur, quod in lege continentur etiam justificationes, quæ tamen non sunt præcepta, sed inducentia ad præceptorum observationem ex parte utilitatis. Quamvis etiam possit dici quod omnia præcepta legis, justificationes dici possunt, in quantum sunt quædam executiones legalis justitiæ.

ARTICULUS VI.

Utrum lex vetus debuerit inducere ad observantiam præceptorum per temporales promissiones, et comminationes.

Pro negativa. — Videtur quod lex vetus non debuerit inducere ad observantiam præceptorum per temporales promissiones, et comminationes.

1. Per illud quo abducit á Deo, non debuit lex inducere ad observantiam præceptorum. Sed cupiditas rerum temporalium abducit á Deo. Ergo lex vetus non debuit inducere ad observantiam præceptorum, per temporales promissiones et comminationes.

Maior prob., quia intentio divinæ legis est, ut hominem Deo subdat per timorem et amorem, unde dicitur Deuter. 10. «Et nunc Israël, quid Dominus Deus «tuus petit á te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus «et diligas eum?» Unde contra intentionem legislatoris esset, si ad timorem Dei et amorem induceret, per id quod á Deo abducit.

Minor prob., quia Aug. dicit in lib. 83. Q. q. q. 36. quod «venenum charitatis est cupiditas.

2. Lex quæ est altior lege humana, non debet inducere ad observantiam præceptorum per temporales promissiones et comminationes. Sed lex vetus est altior lege humana. Ergo non debuit inducere ad observantiam præceptorum per temporales promissiones et comminationes.

Maior probatur, quia quanto lex est altior, tanto altiora debent esse media inducentia ad præceptorum observantiam: sicut videmus in scientiis, quod quanto aliqua scientia est altior, tanto per altiora media procedit. Sed lex humana inducit ad observantiam suorum præceptorum per temporales promissiones et comminationes. Ergo lex vetus per altiora media debet ad suorum præceptorum observantiam inducere.

3. Quod æqualiter evenit bonis et malis, non potest esse præmium justitiæ et pœna culpæ. Sed temporalia bona, vel mala æqualiter eveniunt bonis et malis, ut dicitur Eccles. 9. *universa æque eveniunt justo et impio, bono et malo*, etc. Ergo temporalia bona, vel mala non convenienter ponuntur, ut præmia, vel pœnæ observantiæ, vel transgressionis divinæ legis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Isaiæ 1. dicitur. *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis: quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladios devorarit eos.*

Determinatio.

Conclusio. Legi veteri conveniebat, ut per temporalia manuduceret homines ad Deum per observantiam mandatorum.

Prob. Legi quæ dabatur imperfectis hominibus convenit per temporalia præmia, vel pœnas inducere ad observan-

tiam divinorum mandatorum. Sed lex vetus dabatur imperfectis hominibus. Ergo lex vetus convenienter per temporalia præmia, vel pœnas ad observantiam mandatorum divinorum inducere debuit.

Maior manifestatur á simili. Sicut enim in scientiis speculativis inducuntur homines ad assentiendum conclusionibus per media syllogistica, ita etiam in quibuslibet legibus homines inducuntur ad observantiam præceptorum per pœnas et præmia. Videmus autem in scientiis speculativis, quod media proponuntur auditori secundum ejus conditionem. Unde sicut oportet ordinate in scientiis procedere, ut ex notioribus disciplina incipiat, ita etiam oportet eum, qui vult inducere hominem ad observantiam præceptorum, ut ex illis eum movere incipiat, quæ sunt in ejus affectu. Sicut pueri provocantur ad aliquid faciendum, aliquibus puerilibus munusculis.

Ex quibus probatur in forma maior. Per ea quæ sunt in affectu eorum, quibus datur lex, convenienter lex movet eos ad suorum præceptorum observationem. Sed temporalia bona sunt in affectu hominum imperfectorum, in ordine ad Deum et malorum, ut in eis finem constituant. Sicut perfectorum est contemnere temporalia, et spiritualibus affectu inhærere, ut patet per illud, quod Apost. dicit, ad Philip. 3. *Quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea quæ priora sunt, me extendo quicumque ergo perfectisumus hoc sentiamus.* Ergo lex quæ datur imperfectis, convenienter per temporalia eos movet ad observantiam præceptorum.

Maior hujus probatur. Quia media debent esse secundum conditionem eorum, quibus datur lex, ut in scientiis apparet.

Minor principalis scilicet, quod lex vetus sit imperfectorum probatur. Quia ut dictum est supra, quæst. 98. art. 1. et sequentibus, lex vetus disponebat ad Christum, sicut imperfectum ad perfectum, unde populus cui dabatur, erat adhuc imperfectus in comparatione ad perfectionem, quæ futura erat per Christum, et ideo populus ille comparatur puero sub pædagogo existente, ut patet Galat. 3.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur minorem, quod cupiditas, quam homo constituit finem in temporalibus bonis, est charitatis venenum, sed consecutio temporalium bonorum quæ homo desiderat in ordine ad Deum, est quædam via inducens imperfectos ad Dei amorem, secundum illud Psal. 48. *Confitebitur tibi, cum benefeceris illi.*

Ad 2. Negatur maior. Ad probationem dicitur ad minorem, quod lex humana inducit homines ex temporalibus præmiis, vel pœnis ad observantiam mandatorum, sed per homines inducendis. Lex vero divina ex præmiis, vel pœnis exhibendis per Deum, et in hoc lex divina procedit per media altiora.

Ad 3. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod ut patet historias veteris testamenti revolventi, communis status populi semper sub lege in prosperitate fuit, quamdiu legem observabant et declinantes á præceptis legis divinæ, in multas adversitates incidebant. Aliquæ vero personæ particulares, etiam justitiam legis observantes, in aliquas adversitates incidebant, vel quia jam erant spirituales effectæ ut per hoc magis ab affectu temporalium abstraherentur, et eorum virtus probata redderetur. Aut quia opera legis exterius implentes, cor totum habebat in temporalibus defixum et á Deo elongatum, secundum quod dicitur Isaiæ 29. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est á me.*

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 99.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod legis veteris præcepta erant multa. Ut Eph. 2. *legem mandatorum*, etc. secundum quod cum glossa est *in arg. cont.* ubi nota: quod non tantum ex illa auctoritate probatur intentum: sed etiam ex abundanti probatur. Vetus enim lex vocatur lex mandatorum non solum, quia mandata plura continebat: sed principaliter quia illa erant plura per excellentiam: idest erant in maximo numero; et hoc tam secundum se, quam respectu legis naturalis, ac legis novæ. Item Deut. 5. " Quis det, talem eos habere mentem, ut timeant me, et custodiant universa mandata mea in omni tempore? » Patet enim ibi ex contex. quod ly *universa mandata*, dicit in proposito legis veteris. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod lex vetus continebat præcepta moralia. Ut Eccl. 17. *Addidit*, etc. secundum quod cum glossa est *in arg. cont.* Item á Deut. 4. " ostendit vobis decem verba, quæ scripsit in duabus tabulis lapideis. » Hæc enim fuerunt illa, quæ in principio legis, audiente populo data sunt Exo. 20. " Non habebis Deos alienos, etc. Honora patrem tuum, etc. usque ad ly cunctus autem populus. » Quæ sunt moralia, ut patet de se. Quod etiam confirmatur ex eo, quod Apost. Rom. 13. ipsa Exo. 20. summatim repetens, mandat observari: cum tamen legalia alia, maxime autem cæremonialia, observari ipsemet prohibeat, dicens Colossen. 2. *quæ sunt omnia in interitum ipso usu. Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod lex vetus, præter moralia, continebat præcepta cæremonialia. Ut Deuter. 4. *Decem*, etc. secundum quod cum expositione adducitur *in arg. cont.* Ex illa ergo auctoritate sic exposita patet consideranti, quod cæremonialia á moralibus præceptis distinguebantur etiam in hoc: quod moralia erant scripta in tabulis lapideis, cæremonialia vero non. Quod si adjungas contextum, videbis aliam illorum differentiam, scilicet moralia, audiente populo, ostensa sunt, idest declarata, ut patet Exod. 20. Cæremoniæ autem Moysi soli, ut de his doceret populum, ut patet Exod. 15. etc. Dicit enim context. " ostendit vobis pactum suum, et decem verba, quæ scripsit in tabula. » Hoc est. Ostendit vobis legem suam, idest decem verba, quæ scripsit. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, insinuatum; quod in veteri lege erant præcepta judicialia alia á moralibus, et cæremonialibus. Ut Deut. 6. ut *in arg. cont.* et Roman. 7. ut in corp. fi. Insinuatur et per hoc, quod divisim traduntur; ut solet fieri de his, quæ distinguuntur ab invicem. Nam Exod. 20. dantur moralia; post judicialia cap. 21. ubi quasi aliud genus præceptorum daturus Deus inquit, ly *hæc sunt judicia; quæ propones eis:* dsinde cæremonialia c. 25. ubi alterius generis præcepta se laturum innuit ex modo loquendi, idest á præmissis diverso, dicens ly " Tollant mihi, » idest ad honorem meum, " primitias; ab omni homine, qui offert ultroneus, accipietis eas. » Vide quoque ar. 3. append. et scito; differentiam illam *duplicem* inter cæremonialia, et moralia, verificari etiam de judicialibus respectu moralium *Secundo* vides: etc.

Ex art. 5. habes *primo* : quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod nulla alia præcepta continentur in lege veteri, nisi *tria* hæc, scilicet *moralia, judicialia,* et *cæremonialia.* Ut Deut. 6. secundum quod cum discursu ponitur *in arg. cont,* Pro cujus pleniori captu nota, quod rationabiliter est asserendum, Moysen habuisse intentionem hanc, scilicet in principio legis commemorare omnia illa, quæ dicebantur, et erant præcepta. Alioquin videretur in principio esse mancus, idest defecisse, quasi contra illud philosophi proportionaliter agens, *in foribus quis delinquet?* Tale quid de Moyse voluit subindicare text. per illud vigilanter

annotatum, tamquam novum quoddam, scilicet *et hæc ponuntur in principio legis*, q. d. Tunc maxime credendum est, ipsum intendisse summatim colligere omnia præcepta legis: maxime jungendo contextum mox sequentem, scilicet, *ut faciatis ea* Cum ergo intenderit Moyses adducere summatim præcepta omnia, et non adduxerit ibi, nisi tria prædicta, constat: quod, secundum illum, nulla alia sunt legis præcepta. Nec obstat, quod ab auctoritate negativa non valet argumentum (ut dicunt logici) quoniam hic procedimus non ab auctoritate præcise præsumpta; sed ab ipsa, ut annexum habet propositum commemorandi aliquid: sic enim absque dubio valet negative dicendo, Moyses non commemorat hoc; et tamen, cum sufficienter vellet de tali materia tractare, intendebat hoc ipsum commemorare: ergo hoc non requiritur ad talem materiam, seu in tractatu talis materiæ non est ponendum. Vide q. 58. ar. 3. append aliquid simile, scilicet quomodo locus ab auctoritate negative valet. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem tamquam in radice interimas hæreses quorumdam dicentium, pœnarum metum, per quem sibi quis contritionem parat, á peccatisque abstinet, aut Deo servit, facere hominem peccatorem, et pejorem, quam prius fuisset, Item quorumdam dicentium: quod amare Deum, aut etiam servire ei, propter beneficia temporalia, non licet. Ex hoc enim, quod Deum per temporales pœnas ac remunerationes induxisse antiquos ad observantiam legis suæ, monstrat articulus præsens, commonstrasse intelligitur, Deum velle, hominem timere pœnas, bonumque esse, hominem metu illarum resilire á peccato; atque divinis mandatis obedire: itemque commonstrasse, licitum esse, Deoque gratum, propter beneficia, vel in re, vel saltem in spe habita, tamquam per viam quamdam, atque motivum, ad amandum Deum ferventius, eique solicitius serviendum venire. Radicalis enim ratio, qua proposuit Deus pœnas, fuit hæc; ut, scilicet homines timore pœnarum agitati á malo abstinerent, ad arripiendumque bonum, idest ad sibiipsi per obedientiam inhærendum, concurrerent. Itemque radicaliter ratio, qua Deus proposuit præmiorum promissiones, fuit hæc, ut scilicet ex præmiorum cogitatione, ac spe inardescerent magis homines ad fugiendum peccata, et ad amorem Dei, ejusque servitutem. Et, ut semel dicatur, radicalis ratio proponendi utrumque fuit ista: ut ad Deum converterentur, vel per viam amoris, En præmia, vel per viam timoris, En pœnarum comminationes. Abundanter igitur articulus iste prædictas hæreses cum similibus, oppugnat, et radicitus expugnat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari á scripturis, quotiescumque præmia pro observatoribus legis divinæ, et pœnas pro transgressoribus annunciant; ut inducant hominem ad odium vitiorum, et ad amorem virtutum. Ut Isa. 1. si, etc. secundum quod est *in arg. cont.* Item, satisque diffuse, á Deu. 27. 28. ubi de benedictionibus bonorum, maledictionibusque perversorum agitur. Item á Conc. Trid. sess. 6. can. 8. "Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel á peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere: Anathema sit." Et sess. 14. "Contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, et sit cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem: verum etiam donum Dei esse, et Spiritus Sancti impulsum, etc. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt; et misericordiam á Domino impetrarunt." Et can. 5 "Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum, et utilem dolorem; nec præparare ad gratiam; sed facere hominem hypocritam, et magis peccatorem: demum illam esse dolorem coactum, et non liberum, ac voluntarium: Anathema sit." *Tertio* vides: etc.

QUÆSTIO CENTESSIMA,

DE PRÆCEPTIS MORALIBUS VETERIS LEGIS, IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de singulis generibus præceptorum veteris legis.

Et primo de præceptis moralibus. Secundo de cæremonialibus. Tertio de judicialibus.

Circa primum quæruntur duodecim.

Primo, utrum omnia præcepta moralia veteris legis sint de lege naturæ.

Secundo, utrum præcepta moralia veteris legis sint de actibus omnium virtutum.

Tertio, utrum omnia præcepta moralia veteris legis reducantur ad decem præcepta decalogi.

Quarto, de distinctione præceptorum decalogi.

Quinto, de numero eorum.

Sexto, de ordine.

Septimo, de modo tradendi ipsa.

Octavo, utrum sint dispensabilia.

Nono, utrum modus observandi virtutem cadat sub præcepto.

Decimo, utrum modus charitatis cadat sub præcepto.

Undecimo, de distinctione aliorum præceptorum moralium.

Duodecimo, utrum præcepta moralia veteris legis justificent.

ARTICULUS I.

Utrum omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ.

Pro negativa.=Videtur quod non omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ.

1. Præcepta quæ dantur per disciplinam, non pertinent ad legem naturæ. Sed quædam præcepta moralia habentur per disciplinam. Ergo præcepta moralia non pertinent omnia ad legem naturæ.

Maior prob., quia disciplina dividitur contra legem naturæ, eo quod lex naturalis non addiscitur, sed ex naturali instinctu habetur.

Minor probatur., quia Eccles. 17. dicitur: *adidit illis disciplinam, et legem vitæ hereditavit eos.*

2. Lex humana supperaddit aliqua ad bonos mores pertinentia his quæ sunt de lege naturæ. Ergo multo fortius lex divina aliqua ad bonos mores pertinentia debuit addere supra legem naturæ.

Antec. patet ex hoc quod lex naturæ est eadem apud omnes, hujusmodi autem morum instituta sunt diversa, apud diversos.

Conseq. prob., quia lex divina perfectior est quam lex humana.

3. Ea quæ inducuntur per fidem, non pertinent ad legem naturalem. Sed quædam præcepta moralia inducuntur per fidem. Ergo non omnia præcepta moralia pertinent ad legem naturalem.

Maior prob., quia fides non continetur sub lege naturæ, cum ea quæ sunt fidei, sint supra rationem.

Minor prob., quia sicut ratio naturalis inducit ad aliquos bonos mores; ita et fides; unde etiam dicitur ad Gal. 5. quod *fides per dilectionem operatur.*

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Apost. Rom. 2. dicit. quod *gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt*: quod oportet intelligi de his, quæ pertinent ad bonos mores. Ergo omnia præcepta moralia legis sunt de lege naturæ.

Determinatio.

Conclusio. Omnia præcepta moralia pertinent ad legem naturæ, sed diversimode.

Quæ concl. prius probat., deinde declaratur.

Probatur. Præcepta quæ sunt de his, quæ dicuntur in ordine ad rationem, pertinent omnia ad legem naturæ. Sed omnia præcepta moralia sunt de his, quæ dicuntur in ordine ad rationem. Ergo omnia præcepta moralia pertinent ad legem naturæ.

Maior prob., quia omne judicium rationis practicæ, sicut etiam speculativæ, procedit ex quibusdam principiis naturaliter cognitis, ut dictum est qu. 94. art. 4. Unde omne præceptum quod est de eo, quod dicitur in ordine ad rationem, pertinet aliquo modo ad naturalem legem.

Minor prob. Mores dicuntur in ordine ad rationem, boni inquam, quia sunt rationi conformes, mali vero, quia á ratione discordant. Sed præcepta moralia sunt de his quæ ad bonos mores pertinent. Ergo præcepta moralia sunt de his, quæ dicuntur per ordinem ad rationem.

Maior hujus patet, quia ratio est principium humanorum actuum.

Minor hujus prob., quia præcepta moralia á cæremonialibus, et judicialibus sunt distincta, quia moralia sunt de his, quæ secundum se ad bonos mores pertinent.

Deinde declaratur conclusio, quoad illum terminum. *Diversimode*; ostendendo quomodo præcepta, quæ ad bonos mores pertinent, diversimode pertinent ad legem naturalem.

Pro quo est considerandum, quod ratio humana in operalibus, sicut etiam in speculabilibus, procedit ex aliquibus principiis naturaliter cognitis, ut dictum est: ex quibus principiis diversimode procedit ad judicandum de diversis. Ea igitur quæ ratio practica ex primis principiis practicis naturaliter notis dijudicat, sunt in triplici differentia. Quædam enim sunt in actibus humanis adeo explicita, quod statim cum modica consideratione possunt approbari, vel reprobari, per illa principia communia. Quædam vero sunt ad quorum judicium requiritur multa consideratio, diversarum circumstantiarum, quas considerare diligenter, non est cujuslibet, sed sapientum. Sicut in speculativis, considerare particulares conclusiones scientiarum, non pertinet ad omnes, sed ad solos sapientes. Quædam vero sunt, ad quæ dijudicanda indiget homo adjuvari instructione divina. Ut in speculativis accidit rationi in his quæ sunt fidei, quæ ratio naturalis attingere non potest, nisi adjuta lumine fidei.

Breviter igitur dicitur, quod actus humani approbandi, vel reprobandi, quidam dijudicantur á ratione per solam notitiam primorum principiorum: quidam per notitiam primorum principiorum, et per disciplinam humanam superadditam: quidam tandem, qui non possunt dijudicari per solam notitiam primorum principiorum, nec per humanam disciplinam, sed per instructionem divinam, quorum omnium exempla modo adducentur. In lege igitur veteri dantur præcepta de hoc triplici genere actuum. Sunt enim quædam præcepta in lege de actibus, quos statim naturalis ratio cujuslibet hominis dijudicat esse facienda, vel non facienda: sicut «honora patrem »tuum et matrem, et non occides; non furtum facies et alia hujusmodi;» quædam vero sunt, quæ subtiliori rationis consideratione á sapientibus judicantur esse facienda, et ista sic sunt de lege naturæ, ut tamen indigeant disciplina, quam minores á sapientioribus instruantur, sicut illud. «Coram cano capite consurge, et honora personam senis,» et alia hujusmodi: quædam vero sunt, ad quæ judicanda ratio humana indiget instructione divina per quam erudimur in divinis, sicut est illud. »Non facies tibi sculptibile, neque omnem similitudinem.»

Ex quibus patet quod omnia præcepta moralia in lege veteri contenta, ad naturalem legem pertinent, tamen diversimode: quædam enim pertinent ad simplicem legem naturalem. Quædam vero per disciplinam habentur. Et alia ad quæ est necessaria divina instructio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Nam ut dictum est in corpore, quædam præcepta pertinent ad legem naturalem, de quibus tamen ratio non potest judicare, nisi per disciplinam. Ad prob. dicitur, quod quamvis lex naturæ, et disciplina se-

cundum se differant, tamen de eodem esse possunt diversimode, ut dictum est.

Ad 2. Dicitur ad consequentiam, quod etiam lex divina addit aliqua pertinentia ad bonos mores supra legem naturæ, quæ tamen etiam ad naturæ legem pertinent, sed ad eorum judicium ratio non poterat sine divina instructione pervenire.

Ad 3. Negatur maior. Sunt enim quædam præcepta moralia, ad quorum rectum judicium perducitur ratio per instructionem fidei. Ad probationem dicitur, quod licet fides non contineatur sub lege naturæ, et ea quæ sunt fidei, per se sint supra rationem, tamen per fidem possumus instrui etiam de his quæ ad legem naturæ pertinent, quæ non possunt ex sola principiorum cognitione judicari.

ARTICULUS II.

Utrum præcepta moralia legis sint de omnibus actibus virtutum.

Pro negativa. — Videtur quod præcepta moralia legis non sint de omnibus actibus virtutum.

1. Justificatio non est de omnibus actibus virtutum, sed solius justitiæ. Sed observatio præceptorum veteris legis justificatio nominatur. Ergo præcepta moralia non sunt nisi de actibus justitiæ.

Maior prob., quia justificatio est executio justitiæ.

Minor prob., quia in Psal. 118. dicitur. *Justificationes tuas custodiam.*

2. Quod habet rationem debiti, pertinet ad solam justitiam. Sed quod cadit sub præcepto, habet rationem debiti. Ergo præcepta moralia legis sunt solum de actibus justitiæ.

Maior prob., quia actus solius justitiæ proprius, est reddere debitum.

3. Inter virtutes morales sola justitia respicit bonum commune, ut dicitur. 5. Ethic. cap. 1. Ergo præcepta moralia sunt solum de actibus justitiæ.

Conseq. prob., quia omnis lex ponitur propter bonum commune, ut Isid. dicit lib. 5. Etym. c. 21.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Lex quam quis potest transgredi per quodlibet peccatum, debet ordinare de actibus omnium virtutum. Sed legem divinam quis transgreditur per quodlibet peccatum. Ergo lex divina debet ordinare de actibus omnium virtutum.

Maior prob., quia peccata contrariantur omnibus actibus virtutum.

Minor probatur, quia Amb. lib. de parad. cap. 8. dicit, quod «peccatum est »transgressio legis divinæ, et cælestium inobedientiam mandatorum.»

Determinatio.

Distinctio. Lex quæ proponit præcepta moralia est duplex: humana et divina. Differunt autem hæ duæ leges ab invicem in proposito, quia lex humana ordinatur ad communitatem civilem, quæ est hominum ad invicem; lex vero divina ordinatur ad communitatem, quæ est hominum ad Deum in præsenti, vel in futura vita. Est autem hoc distinctivum sufficiens, quia cum leges ordinentur ad bonum commune, ut dictum est quæst. 90. art. 2. secundum diversos modos communitatis diversificantur leges ad invicem. Unde et Phil. in sua Politica libro 3. cap. 5. 6. docet alias leges oportere statuere in civitate, quæ regitur á rege, et alias in ea quæ regitur per populum, vel per aliquos potentes de civitate. Quia igitur alius modus communitatis est, ad quam ordinatur lex humana, et alius ad quam ordinatur lex divina, secundum hos diversos modos communitatis distinguitur lex humana á divina.

1.ª Conclusio. Lex humana non proponit præcepta nisi de actibus justitiæ.

Prob. Lex quæ ordinatur solum ad communitatem politicam, vel civilem quæ est hominum ad invicem, non proponit præcepta de actibus aliarum virtutum, sed solius justitiæ. Sed lex humana ordinatur solum ad civilem communitatem, quæ est hominum ad invi-

cem. Ergo lex humana proponit præcepta de actibus solius justitiæ.

Maior prob., quia homines ordinantur ad invicem per exteriores actus, quibus homines sibi invicem communicant, quæ communicatio pertinet ad rationem solius justitiæ, quæ est proprie directiva communitatis humanæ; et ideo lex quæ ordinatur ad hanc civilem communitatem, non proponit præcepta nisi de actibus justitiae, et si praecipiat actus aliarum virtutum, hoc non est, nisi in quantum assumunt rationem justitiae, ut patet 5. Ethic c. 1.

Minor prob., quia in hoc humana lex á divina distinguitur, ut dictum est.

2.ª Conclusio. Lex divina convenienter proponit praecepta de actibus omnium virtutum.

Prob. Lex quae ordinatur ad communitatem hominum ad Deum, convenienter proponit praecepta de actibus omnium virtutum. Sed lex divina ordinatur ad communitatem, quae est hominum ad Deum in praesenti, vel in futura vita, ut dictum est. Ergo lex divina convenienter proponit praecepta de actibus omnium virtutum.

Maior prob. Homo non potest habere communitatem ad Deum, nec ad ipsum convenienter ordinari, nisi per actus omnium virtutum. Ergo lex quae ordinatur ad communitatem hominum ad Deum, debet proponere praecepta omnium virtutum.

Conseq. haec patet. Quia omnis lex quae ordinatur ad aliquam communitatem, debet proponere praecepta de omnibus necessariis ad communitatem illam.

Antec. prob. Nam homo conjungitur Deo secundum mentem, secundum quam est Dei imago. Unde ad hoc, ut homo Deo conjungi possit, oportet ut sit perfectus secundum rationem, vel mentem. Mens autem hominis non potest bene in Deum ordinari, nisi per actus omnium virtutum. Nam virtutes intellectuales bene ordinant actus rationis in seipsis: virtutes vero morales ordinant actus rationis circa interiores passiones, et exteriores operationes.

Aliter formatur haec litera ad probandum secundam conclusionem.

Lex divina ordinat homines in Deum. Ergo lex divina debet proponere praecepta de omnibus actibus omnium virtutum.

Antec. prob., quia lex divina in hoc distinguitur á lege humana, quia haec ordinat homines ad se invicem, lex divina ordinat homines in Deum.

Conseq. prob., quia ad bene ordinandum hominem in Deum, necessarii sunt actus omnium virtutum. Et hoc prob., quia cum homo conjungatur Deo secundum mentem, secundum quam est homo Dei imago: et mens non possit esse bene disposita nisi per actus omnium virtutum: virtutum, inquam, intellectualium, per quas bene disponitur secundum proprios actus; virtutum vero moralium, per quas bene disponitur secundum exteriores operationes et interiores passiones, sequitur quod ad bene disponendum et ordinandum homines ad divinam communitatem, necessarii sint actus omnium virtutum.

Quomodo lex divina diversimode ad diversa, quæ per ipsam ordinantur, obliget.

Sed sciendum quod ea, de quibus lex divina ordinat, sunt in duplici differentia. Quaedam enim sunt, sine quibus ordo virtutis et rationis servari non potest: ut unum Deum esse colendum: et non esse occidendum. Quaedam vero sunt quae pertinent ad bene esse perfectae virtutis: ut sunt caste vivere: nihil de proprio habere. Priora cadunt sub obligatione praecepti. Haec vero sub admonitione consilii.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod justificatio tot modis dicitur, quot modis dicitur justum. Justum autem dicitur dupliciter.

Uno modo proprie; et justum sic acceptum attenditur secundum debitum unius hominis ad alium. Alio modo dicitur justum communiter, et sic justum potest dici quod homo debet per ordinem ad Deum, vel secundum quod pars inferior in homine debet in ordine ad partem superiorem. Debitum enim est et justum, quod homo obediat Deo, et vires inferiores subdantur rationi. Sic etiam aliquid potest dici justificatio dupliciter, scilicet proprie et communiter. Ad maiorem igitur dicitur, quod justificatio proprie dicta non est nisi de actibus justitiae. Justificatio vero communiter accepta, potest se extendere ad actus omnium virtutum. Unde loquendo de justificationibus communiter acceptis negatur maior: et ad probationem dicitur, quod justificatio proprie accepta est executio justitiae, non autem justificatio communiter. Ad minorem dicitur, quod observatio praeceptorum veteris legis, dicitur justificatio communiter accepta, quatenus justum est ut homo Deo obediat, et quod ea quae sunt hominis, rationi subdantur.

Ad 2. Dicitur quod debitum dupliciter accipitur. Proprie et metaphorice. Proprie dicitur debitum, quod est unius hominis ad alterum. Metaphorice dicitur debitum, quod est virium inferiorum ad rationem. Unde Phil. 5. Ethic. c. ult. assignat quamdam justitiam metaphoricam. Ad maiorem igitur dicitur quod est vera de debito proprie dicto, non autem de debito metaphorice dicto. Et ad probationem dicitur, quod reddere debitum proprie dictum est solius justitiae: reddere autem debitum improprie, convenit etiam aliis virtutibus.

Ad 3. Dicitur quod bonum commune est duplex. Unum quod est communitatis civilis, quod est hominis ad hominem. Aliud quod est communitatis, quae est hominis ad Deum, ut dictum est. Tunc ad antecedens dicitur quod inter virtutes morales, sola justitia respicit bonum commune civilis communitatis: tamen ad bonum communitatis quae est hominis ad Deum omnes virtutes ordinantur.

ARTICULUS III.

Utrum omnia præcepta moralia veteris legis reducantur ad decem præcepta decalogi.

Pro negativa. — Videtur quod non omnia praecepta moralia veteris legis reducantur ad decem praecepta decalogi.

1. Prima et principalia praecepta legis sunt; *Diliges dominum Deum tuum, et diliges proximum tuum*, ut habetur Matt. 22. quae tamen non continentur inter praecepta decalogi. Ergo non omnia praecepta moralia continentur in praeceptis decalogi.

2. Praecepta moralia non reducuntur ad praecepta caeremonialia, sed potius é converso caeremonialia ad moralia reduci debent. Sed unum praeceptorum decalomi est caeremoniale, scilicet: *Memento ut diem sabbati sanctifices.* Ergo ad praecepta decalogi non debent reduci praecepta moralia.

3. Inter praecepta decalogi ponuntur sola praecepta pertinentia ad actus justitiae, ut patet discurrenti per singula. Ergo praecepta decalogi non continent omnia praecepta moralia.

Conseq. prob., quia praecepta moralia sunt de omnibus actibus virtutum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Super illud Matth. 5. *Beati estis cum maledixerint*, etc. dicit Glossa quod *Moyses decem præcepta proponens postea per partes explicat.* Ergo omnia praecepta legis sunt quaedam partes praeceptorum decalogi.

Determinatio.

Distinctio. Praecepta moralia sunt in triplici differentia. Quaedam sunt prima et communia, et per se nota: sicut quod homo nulli debet male facere, et alia hujusmodi, et horum non oportet aliquam editionem esse, sed sunt scripta in na-

turali ratione. Unde haec non computantur inter praecepta decalogi. Quaedam vero sunt quae statim ex principiis communibus primis cognosci possunt, modica consideratione, et illa quae statim ex fide divinitus infusa innotescunt, et haec sunt tradita á Deo per seipsum populo, et hujusmodi sunt praecepta decalogi. Quaedam vero sunt praecepta, quae per diligentem inquisitionem sapientum inveniuntur rationi convenire, et hujusmodi sunt quae proveniunt á Deo ad populum, mediante disciplina sapientum.

Cum igitur sint tria genera praeceptorum moralium, unum tantum horum constituit decalogum, scilicet genus illorum praeceptorum, quae ex cognitione primorum principiorum, modica consideratione, vel per fidem divinitus traditam innotescunt. Prima vero praecepta, quae sunt naturaliter per se nota, et ea quae per diligentem sapientum inquisitionem habentur, non computantur inter praecepta decalogi.

Conclusio. Quamvis praecepta moralia per se nota, et illa quae ex per se notis per diligentem sapientum considerationem innotescunt, non computentur inter praecepta decalogi, tamen utraque horum praeceptorum, aliquo modo in praeceptis decalogi continentur.

Manifestatur. Nam illa praecepta quae sunt prima, et communia, continentur in eis sicut principia in conclusionibus proximis. Illa vero quae per sapientes cognoscuntur, continentur in eis, sicut conclusiones in principiis: sunt enim praecepta decalogi quasi conclusiones praeceptorum per se notorum, et sunt principia praeceptorum, quae per sapientes traduntur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod illa duo praecepta sunt prima, et communia praecepta legis naturae, quae sunt per se nota rationi humanae, vel per naturam, vel per fidem, et ideo omnia praecepta decalogi ad illa duo referuntur, sicut conclusiones ad principia communia.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod praeceptum de observatione sabbati est secundum aliquid morale, in quantum per hoc praecipitur, quod homo aliquo tempore vacet rebus divinis, secundum illud Psal. 45. *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus*, et secundum hoc inter praecepta decalogi computatur: non autem quantum ad taxationem temporis, quia secundum hoc est caeremoniale.

Ad 3. Neg. conseq. Ad probationem dicitur, quod licet praecepta moralia sint de omnibus actibus virtutum, tamen quia ratio debiti in aliis virtutibus est magis latens quam in justitia, ideo praecepta aliarum virtutum non sunt ita nota populo, sicut praecepta de actibus justitiae, et propter hoc actus justitiae specialiter cadunt sub præceptis decalogi quae sunt prima legis elementa, praecepta vero de actibus aliarum virtutum sunt, quae per diligentem sapientum investigationem traduntur, et reducuntur ad praecepta decalogi, ut conclusiones ad principia.

ARTICULUS IV.

Utrum præcepta decalogi convenienter distinguantur.

Pro negativa.=Videtur quod inconvenienter praecepta decalogi distinguantur.

1. Praeceptum, quod datur de actibus plurium virtutum, non est unum, sed plura praecepta. Sed primum praeceptum decalogi respicit actus diversarum virtutum. Ergo primum praeceptum decalogi non est unum, sed plura.

Maior prob., quia praecepta dantur de actibus virtutum. Unde de actibus diversarum virtutum diversa dantur praecepta.

Minor prob. Fides et latria sunt diversae virtutes. Sed in primo praecepto decalogi ponitur aliquid pertinens ad finem, dum dicitur: *Non habebis Deos alienos coram me*: et aliquid pertinens ad la-

triam, dum subditur: *non facies tibi sculptile*. Ergo primum praeceptum decalogi respicit actus diversarum virtutum.

2. Praeceptum affirmativum, et negativum non sunt unum, sed duo praecepta. Sed in primo praecepto decalogi ponitur unum praeceptum affirmativum, dum dicitur: *Ergo sum Dominus Deus tuus*. Et aliud negativum, dum subditur: *Non habebis Deos alienos coram me*. Ergo primum praeceptum decalogi non est unum sed duo præcepta.

Maior prob., quia praecepta affirmativa in lege distinguuntur á negativis: ut *honora patrem et matrem*, et *non occides*.

3. Praeceptum de non concupiscendo videtur esse tantum unum. Ergo inconvenienter in decalogo dividitur in suo; scilicet: *non concupisces uxorem*, et *non concupisces rem alienam*.

Antec. manifest. Quia Rom. 7. dicit. *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret. Non concupisces*, in quibus verbis videtur, quod Apost. ponat esse unum concupiscentiae praeceptum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

August. qu. 71. in Exod. ponit tria praecepta pertinentia ad Deum, et septem ad proximum.

Determinatio.

Diversorum sententia

Praecepta decalogi diversimode á diversis distinguuntur.

Esitii sententia.

Esitius enim in Levit. cap. 26. super illud: *Decem mulieres in uno clibano coquunt panes*, dicit, praeceptum de observatione sabbati non esse de decem praeceptis, quia non est observandum secundum literam, secundum omne tempus. Distinguit tamen quatuor praecepta pertinentia ad Deum, et sic ordinantur praecepta decalogi secundum Esitium.

Præcepta pertinentia ad Deum.

1. Ego sum Dominus Deus tuus.
2. Non habebis Deos alienos coram me.
3. Non facies tibi sculptile.
4. Non assumes nomen Domini tui in vanum.

Præcepta pertinentia ad proximum.

5. Honora patrem tuum et matrem tuam.
6. Non occides.
7. Non mœchaberis.
8. Non furtum facies.
9. Non dices falsum testimonium.
10. Non concupisces.

Cum Esitio concordat Hyeronymus, quoad hoc quod dividit primum praeceptum in illa duo prima, scilicet. *Ego sum Dominus Deus tuus. Et non habebis Deos alienos coram me*, ut patet super illud Oseae. 10. *Propter duas iniquitates tuas* etc. Unde secundum Hieronym. sic ordinantur.

Præcepta ordinantia ad Deum.

1. Ego sum Dominus Deus tuus.
2. Non habebis Deos alienos coram me.
3. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.
4. Memento, ut diem sabbati sanctifices.

Præcepta ordinantia ad proximum.

5. Honora patrem tuum, et matrem tuam.
6. Non occides.
7. Non mœchaberis.
8. Non furtum facies.
9. Non dices falsum testimonium.
10. Non concupisces.

Reprobatio sententia Esitii.

Sed Esitii positio reprobatur quantum ad duo. Primo quantum ad hoc, quod negat praeceptum de observatione sabbati ad decalogum pertinere. Si enim hoc praeceptum ad decalogum non pertineret, quorsum interponere illud inter praecepta decalogi?

Secundo reprobatur quantum ad hoc quod dicit: *Ego sum Dominus Deus tuus. Et non habebis Deos alienos coram me*, esse duo præcepta. Nam cum scriptum sit Matt. 7. *Nemo potest duobus Domi-*

nis servire, ejusdem rationis esse videtur, et sub eodem praecepto cadere. «Ego sum Dominus Deus tuus, et non «habebis Deos alienos.»

Origenis sententia.

Origenes hom. 8. in Exod. ponit etiam quatuor praecepta ordinantia in Deum et sex in proximum. Sed duo prima praecepta assignata ab Esitio ponit pro uno, et addit praeceptum de observatione sabbati hoc modo.

Præcepta ordinantia ad Deum.

1. Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos coram me.

2. Non facies sculptile.

3. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

4. Memento, ut diem sabbati sanctifices.

Præcepta ordinantia ad proximum.

5. Honora, patrem et matrem.

6. Non occides.

7. Non mœchaberis.

8. Non furtum facies.

9. Non dices falsum testimonium.

10. Non concupisces.

Reprobatio.

Haec Origenis positio reprobatur quantum ad hoc, quod ponit prohibitionem de non faciendo sculptile esse praeceptum speciale contradistinctum primo præcepto quod ipse ponit. Nam facere sculptile, vel similitudinem non est prohibitum nisi secundum hoc, ut non colantur pro Diis. *In tabernaculo* enim *Deus præcepit fieri imaginem Seraphim*, ut dicitur Exodi 25.

Augustini vera sententia.

August. loc. cit. ponit sub uno praecepto tria prima praecepta assignata ab Esitio, scilicet: *Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos coram me.* Et *non facies tibi sculptile.* Praeceptum vero de non concupiscendo dividit in duo, scilicet: *non concupisces uxorem alienam*, quod pertinet ad concupiscentiam carnis. Et *non concupisces rem alienam*, pertinet ad concupiscentiam oculorum. Secundum igitur Augustinum sunt tria praecepta in ordine ad Deum, et septem in ordine ad proximum, hoc ordine.

Præcepta decalogi in ordine ad Deum.

1. Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos coram me; non facies tibi sculptile.

2. Non assumes nomen Dei tui in vanum.

3. Memento ut diem sabbati sanctifices.

Præcepta decalogi in ordine ad proximum.

4. Honora patrem tuum, et matrem tuam.

5. Non occides.

6. Non mœchaberis.

7. Non furtum facies.

8. Non dices falsum testimonium.

9. Non concupisces uxorem alienam.

10. Non concupisces rem alienam.

Et hæc Augustini sententia est cæteris convenientior.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur dupliciter. Primo, quod virtutes sunt in duplici differentia. Quædam sunt subordinatæ ad invicem. Et quædam non sunt subordinatæ. Tunc ad maiorem dicitur, quod est vera de virtutibus non subordinatis: præcepta enim de actibus diversarum virtutum, quæ non subordinantur, sunt plura et non unum tantum. Si tamen virtutes sint subordinatæ, potest idem præceptum ad actus diversarum virtutum pertinere. Ad minorem igitur dicitur, quod primum præceptum est quidem de actibus diversarum virtutum scilicet fidei et latriæ, tamen hæ duæ virtutes sunt ad invicem subordinatæ: latria enim non est nisi quædam protestatio fidei, unde non sunt danda alia præcepta de latria et alia de fide.

Dicitur secundo negando minorem. Primum enim præceptum non est de actu fidei, sed de actu latriæ. Ad probationem dicitur, quod de actu fidei non fuit necesse in decalogo dare aliquod præ-

ceptum, quia præceptum fidei præsupponitur ad præcepta decalogi, sicut præceptum dilectionis. Sicut enim prima præcepta communia legis naturæ sunt per se nota habenti rationem naturalem, et promulgatione non indigent, ita etiam hoc, quod est credere in Deum est primum, et per se notum ei qui habet fidem. «Accedentem enim ad Deum oportet credere,» ut dicitur Heb. 11. et ideo non indiget alia promulgatione, nisi infusione fidei.

Ad 2. Dicitur, quod præcepta affirmativa et negativa sunt in duplici differentia. Quædam enim se invicem includunt, ut sunt «honora patrem tuum, et matrem tuam, et non maledicas patri, vel matri.» In hoc enim quod est honorare parentes includitur ne patri, vel matri maledicatur. Quædam vero sunt, quæ non se invicem includunt, sicut in præcepto de honore parentum, non includitur, non esse occidendum, mœchandum, furandum, et hujusmodi, nec é contra. Ad maiorem igitur dicitur, quod de his affirmativis et negativis, quæ non se invicem includunt, dantur diversa præcepta: secus autem est de his, quæ se invicem includunt; quia enim in præcepto de honore parentum non includitur, non esse occidendum, dantur duo præcepta de his. Et quia in præcepto de non furando includitur hoc affirmativum, ut res aliena conservetur, et ut alienum restituatur, non dantur de his diversa præcepta. Ad minorem dicitur, quod præceptum de credendo unum Deum comprehendit, non esse plures Deos colendos; ideo de his solum unum præceptum datur.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, et ad ejus probationem, quod quia omnis concupiscentia convenit in una communi ratione, ideo Apost. singulariter de mandato concupiscendi loquitur. Quia tamen in speciali diversæ sunt rationes concupiscendi, ideo Aug. distinguit diversa præcepta de non concupiscendo: differunt enim specie concupiscentiæ, secundum diversitatem actionum, vel concupiscibilium, ut Phil. dicit 10. Eth. 5.

ARTICULUS V.

Utrum præcepta decalogi convenienter enumerentur.

Pro negativa.=Videtur quod præcepta decalogi inconvenienter enumerentur.

1. In praeceptis decalogi non ponuntur aliqua praecepta ordinantia hominem ad seipsum, sed solum ordinantia ipsum ad Deum et ad proximum. Ergo praecepta decalogi inconvenienter enumerantur.

Conseq. prob., quia peccatum, quod secundum Ambrosium libro de parad. c. 8. est divinae legis transgressio, et cœlestium inobedientia mandatorum, distinguitur per hoc quod homo peccat, vel in Deum, vel in proximum, vel in seipsum. Cum igitur in decalogo non ponantur praecepta ordinantia hominem ad ipsum, inconvenienter insufficienter enumerantur.

2. In decalogo non ponuntur aliqua praecepta de observantia aliarum solemnitatum, et immolatione sacrificiorum, sed solum de observatione sabbati. Ergo insufficienter enumerantur.

Consequentia probatur, quia sicut ad cultum Dei pertinebat observatio sabbati, ita etiam ad eumdem cultum pertinebat observatio aliarum solemnitatum, et immolatio sacrificiorum. Unde sicut, datum fuit praeceptum de observantia sabbati, ita debuit dari praeceptum de observantia aliarum solemnitatum.

3. Inter praecepta decalogi ponitur unum praeceptum prohibens perjurium cum dicitur: «Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.» Ergo inter praecepta decalogi debuit etiam poni aliquod praeceptum prohibens blasphemiae, et falsae doctrinae peccatum.

Conseq. prob., quia sicut contra Deum contingit peccare perjurando, ita etiam blasphemando, vel etiam alias contra divinam doctrinam mentiendo.

4. Inter praecepta decalogi ponitur

unum praeceptum pertinens ad parentes, dum dicitur. *Honora patrem et matrem.* Ergo debuit etiam poni aliud praeceptum pertinens ad filios, ut scilicet parentes diligant filios, et aliud pertinens ad alios proximos, ut scilicet quilibet diligat proximum.

Prior pars consequentiae probatur: quia sicut homo naturalem dilectionem habet ad parentes, ita etiam ad filios.

Altera pars ostenditur. Mandatum charitatis ad omnes proximos extenditur. Sed praecepta decalogi sunt praecepta charitatis: ordinantur enim ad charitatem secundum illud 1. Timoth. 1. *Finis praecepti est charitas.* Ergo inter praecepta decalogi debuit poni praeceptum pertinens ad omnium dilectionem.

5. Inter praecepta decalogi ponuntur praecepta, quibus seorsum prohibetur peccatum operis, quorumdam generum peccatorum á peccato cordis. Ergo idem debuit fieri in aliis.

Antec. manifest. Nam in peccatis furti et adulterii seorsum prohibetur peccatum operis, dum dicitur, «non mœchaberis, non furtum facies:» et seorsum prohibetur peccatum cordis, dum dicitur, non concupisces rem proximi tui, et uxorem proximi tui: idem igitur debuit fieri in peccatis homicidii et falsi testimonii.

6. Quibusdam praeceptis decalogi prohibetur inordinata concupiscentia, cum dicitur: *Non concupisces.* Ergo debuerunt etiam poni in decalogo aliqua praecepta, per quae prohiberetur inordinatio irascibilis.

Ex quibus omnibus videtur quod insufficienter decalogi praecepta enumerentur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Deuteron. 4. dicitur. *Ostendit vobis pactum suum, quod præcepit, ut faceretis, et decem verba quæ scripsit in duabus tabulis lapideis.*

Determinatio.

Conclusio. Praecepta decalogi convenienter denario numero enumerantur.

Prob. Per decem praecepta decalogi sufficienter ordinatur homo ad communitatem, quae est hominum ad Deum. Ergo praecepta decalogi convenienter enumerantur.

Conseq. prob., quia præcepta legis divinæ ordinant ad quamdam communitatem, seu rempublicam hominum sub Deo: tot igitur debent esse, quot sufficiant ad ordinandum hominem ad hanc divinam communitatem.

Antec. manifestatur. Ad hoc enim, ut aliquis in aliqua communitate bene commoretur, duo requiruntur. Primum est, ut homo bene se habeat ad eum qui præest communitati. Aliud est, ut bene se habeat ad alios communitatis consocios, et comparticipes. Oportet igitur, ut in lege divina primo ferantur quædam præcepta ordinantia hominem ad Deum, et inde alia quædam præcepta ordinantia hominem ad alios proximos, simul convenientes sub Deo.

Principi communitatis tria debet homo.

Primo, fidelitatem.

Secundo, reverentiam.

Tertio, famulatum.

Fidelitas ad Dominum in hoc consistit, ut honorem principatus ad alium non deferat. Et quantum ad hoc accipitur primum præceptum, cum dicitur: *Non habebis Deos alienos.*

Reverentia autem ad Dominum requirit, ut nihil injuriosum in eo committatur. Et quantum ad hoc accipitur secundum præceptum, quod est: *non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.*

Famulatus autem debetur Domino in recompensationem beneficiorum, quæ ab ipso percipiunt subditi. Et ad hoc pertinet tertium præceptum de sanctificatione sabbati, in memoriam creationis rerum. Et hæc sunt tria præcepta quæ

ordinant hominem ad principem divinæ communitatis.

Ad proximos autem aliquis bene se habet specialiter, vel generaliter. Specialiter quidem quantum ad illos, quibus est debitor, ut eis reddat debitum. Et quantum ad hoc accipitur præceptum de honoratione parentum.

Generaliter autem quantum ad omnes, homo bene debet se habere, ut nulli nocumentum inferat, neque opere, neque corde, neque ore.

Opere infertur nocumentum alteri tripliciter. Primo in persona propria. Et hoc prohibetur per quintum præceptum quod est: *non occides.*

Secundo in persona conjuncta ad generationem prolis. Et hoc prohibetur per sextum præceptum quod est; *non mœchaberis.*

Tertio in rebus quæ possidentur. Et hoc prohibetur per septimum præceptum quod est: *non furtum facies.*

Nocumentum oris prohibetur per octavum præceptum quod est: *non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*

Nocumentum cordis per nonum et decimum, quæ sunt: *non concupisces uxorem, nec rem alienam.* Et sic patet antecedens.

Breviter igitur dicitur quod præcepta sunt decem, ut dictum est. Tria, quæ bene ordinant hominem in Deum, et septem, quæ ordinant hominem ad proximum.

Præcepta ordinantia hominem in Deum.

1. *Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me.* Propter fidelitatem Deo debitam.

2. *Non assumes nomen* Domini Dei *tui in vanum.* Propter reverentiam.

3. *Memento, ut diem sabbati sanctifices.* Propter famulatum.

Præcepta ordinantia ad proximum.

1. *Honora patrem et matrem.* Propter debitum.

2. *Non occides.* Ad prohibendum nocumentum operis in persona.

3. *Non mœchaberis.* Ad prohibendum nocumentum operis in persona conjuncta ad generationem prolis.

4. *Non furtum facies.* Ad prohibendum nocumentum operis in rebus, quæ possidentur.

5. *Non dices falsum testimonium.* Ad prohibendum nocumentum oris.

6. *Non concupisces uxorem alienam*: etc.

7. *Non concupisces rem alienam.* Ad prohibendum nocumentum cordis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, dupliciter. Primo quod quamvis contingat peccare in Deum, in seipsum, et in proximum, tamen non fuit necesse dare præceptum dilectionis sui ipsius, sicut fuit necesse ponere præceptum de dilectione Dei, et proximi, per quod homo recte se haberet ad Deum, et proximum, et hoc propter duo. Primo, quia quantum ad dilectionem Dei, et proximi lex naturalis erat obscurata, propter peccatum; quantum autem ad dilectionem sui ipsius, lex naturalis vigebat. Secundo, quia dilectio sui ipsius includitur in dilectione Dei et proximi. In hoc enim homo vere se diligit quod se ordinat in Deum: et propter hoc in decalogo ponuntur solum præcepta ordinantia in Deum, et proximum.

Secundo dicitur ad probationem consequentiæ, quod præceptum ordinans hominem ad seipsum, non pertinet ad decalogum. Præcepta enim decalogi sunt illa quæ immediate populus recepit á Deo. Unde dicitur Deuter 10. *Scripsit in tabulis justa id quod prius scripserat verba decem, quæ locutus est ad vos Dominus.* Unde oportet præcepta decalogi talia esse, quæ statim in mente populi cadere possunt. Præceptum autem habet rationem debiti, quod autem homo ex necessitate debeat aliquid Deo vel proximo, hoc de facili cadit in concep-

tione hominis, et præcipue fidelis; sed quod aliquid ex necessitate sit debitum homini, de his, quæ pertinet ad seipsum, et non ad alium, hoc non ita in promptu apparet: videtur enim primo aspectui quod quilibet sit liber in his quae ad ipsum pertinent; et ideo praecepta, quibus prohibentur inordinationes hominis ad seipsum, perveniunt ad populum, mediante instructione sapientum, unde non pertinet ad decalogum.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod rationabiliter inter praecepta decalogi ponitur praeceptum de observatione sabbati, et non aliarum solemnitatum, vel sacrificiorum, quia per illud commemorabatur praecipuum, et generale beneficium Dei, scilicet creationis et praefigurabatur aliud praecipuum futurum beneficium, quod est quies mentis in Deum, vel in praesenti per gratiam, vel in futuro per gloriam. Aliae vero solemnitates celebrabantur propter aliqua particularia beneficia, temporaliter transeuntia: sicut celebratio phase, propter praeteritum beneficium liberationis ex Ægypto, et propter futuram passionem Christi, quae temporaliter pertransiit. Et ideo praetermissis omnibus aliis solemnitatibus, et sacrificiis, de solo sabbato fiebat mentio inter praecepta decalogi.

Ad 3. Neg. conseq. Non enim est eadem ratio de perjurio, et de falsa doctrina, vel blasphemia. Nam sicut dicit Apost. ad Hebr. 6. «homines per maiorem sui jurant, et omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum:» et ideo quia juramentum est omnibus commune, propter hoc prohibitio inordinationis circa juramentum specialiter praecepto decalogi prohibetur. Peccatum vero falsae doctrinae non pertinet nisi ad paucos, unde non oportebat ut de hoc fieret mentio inter praecepta decalogi, quamvis etiam quantum ad aliquem intellectum, in hoc quod dicitur: *non assumet nomen Domini tui in vanum*, prohiberetur falsitas doctrinnae una enim glosa exponit: *Non dices Christum esse creaturam.*

Ad 4. Neg. conseq. et ad prob. prioris dicitur, quod rationabiliter ponitur praeceptum de honore parentum filiis, et non parentibus de amore filiorum. Nam in decalogo non ponitur praeceptum de faciendo aliquid pro alio, nisi sit debitum, et hoc statim constet, et quia nulla tergiversatione negari potest quin filii parentibus sint debitores, propterea merito in decalogo ponitur. Parentes autem nullum debitum habent cum filiis, ut sic, et omnino non debuit in decalogo praecipi parentibus, ut filios diligerent.

Vel dicendum quod cum filii sint aliquid parentum, dilectio filiorum pertinet ad dilectionem sui ipsius. Unde ea ratione, quam præceptum de dilectione sui ipsius, non pertinet ad decalogum, vel non fuit necessarium, eo quod lex vigebat, quoad hoc, nec amor filiorum erat præcipiendus.

Ad probationem secundae partis dicitur, quod praecepta decalogi, quae prohibent nocumentum, communia sunt omnibus, et ad omnes se extendunt, ut in corpore ostensum est. Quod autem omnibus sit faciendum beneficium, non statim omnes cognoscunt, nec natura dictat, et ideo praecepta de impendendo beneficia omnibus non pertinent ad decalogum.

Ad 5. Neg. conseq. Rationabiliter enim ponuntur praecepta prohibentia non solum opus adulterii et furti; sed etiam desiderium ipsorum, et non ponuntur praecepta prohibentia homicidium, et falsum testimonium, nisi solum opus. Nam delectatio adulterii, et utilitas divitiarum sunt propter seipsa appetibilia, in quantum habent rationem boni delectabilis, vel utilis, et propter hoc oportuit in eis prohiberi non solum opus, sed etiam concupiscentiam. Sed homicidium et falsitas sunt secundum seipsa horribilia, quia proximus et ve-

ritas naturaliter amantur, et non desiderantur nisi propter aliud, et ideo non oportuit circa peccatum homicidii, et falsi testimonii prohibere peccatum cordis, sed solum operis.

Ad 6. Negatur consequentia, et ratio est, quia cum, ut dictum est quæst. 23. art. 1. Omnes passiones irascibilis deriventur á passionibus concupiscibilis, ideo in præceptis decalogi, quæ sunt quasi prima elementa legis, non erat facienda mentio de passionibus irascibilis, sed solum de passionibus concupiscibilis.

ARTICULUS VI.

Utrum convenienter ordinentur decem præcepta decalogi.

Pro negativa.=Videtur quod inconvenienter ordinentur decem præcepta decalogi.

1. Præcepta, quæ sunt prævia ad dilectionem Dei, debent prius poni, quam præcepta, quæ ordinant ad ipsam Dei dilectionem. Sed praecepta, quae ordinant ad dilectionem proximi, sunt praevia ad dilectionem Dei. Ergo praecepta, quae ordinant ad dilectionem proximi, quae sunt septem posteriora, debent praeponi praeceptis ordinantibus in Deum, quae sunt prima tria.

Minor prob., quia proximus est nobis magis notus, quam Deus, secundum illud 1. Joan. 3. «Qui fratrem suum quem videt, non diligit; Deum quem non videt, quomodo potest diligere?»

2. Praecepta, per quae prohibentur actus vitiorum, prius debent poni, quam ea, per quae imperantur actus virtutum. Sed per praecepta negativa prohibentur actus vitiorum, et per affirmativa imperantur actus virtutum. Ergo inter praecepta pertinentia ad proximum, praecepta negativa debent poni ante praecepta affirmativa.

Maior prob., quia secundum Boëtium in commentar. praedicam. prius sunt extirpanda vitia, quam inferantur virtutes.

3. Praecepta pertinentia ad actum cordis, debent esse propria his quae pertinent ad actum oris, vel operis. Sed praeceptum de non concupiscendo uxorem, vel rem alienam pertinent ad actum cordis. Ergo debuerunt ante omnia poni, et non ultimo loco.

Maior prob., quia in actibus hominis, de quibus praecepta dantur, prior est actus cordis, quam oris, vel exterioris operis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Quæ sunt, á Deo ordinata sunt, ut dicitur Ro. 13. Sed decem praecepta decalogi sunt immediate á Deo. Ergo decem praecepta decalogi convenientem habent ordinem.

Determinatio.

Conclusio. Decem praecepta, decalogi convenienter ordinantur.

Prob. Praecepta, quae sunt de his quae magis prompte mens hominis suscipit, convenienter ordinantur, dum praeponuntur his, quae minus prompte mens suscipit. Sed praecepta decalogi, quae prius praeponuntur in decalogo, sunt de his, quae magis prompte mens suscipit, quam ea quae posterius ponuntur. Ergo præcepta, decalogi convenienter ordinantur.

Maior prob., quia praecepta decalogi dantur de his, quae statim in promptu mens suscipit, ut dictum est art. 3. et 5. hujus quaest.

Minor probatur. Illud, cujus contrarium gravius est, et magis repugnans rationi, magis prompte mens suscipit. Sed contraria prioribus praeceptis enumeratis in decalogo graviora sunt, et magis repugnantia rationi. Ergo praecepta prius enumerata magis prompte mens suscipit.

Minor hujus manifestatur. Cum enim ordo rationis á fine incipiat, maxime est contra rationem, ut homo inordinate circa finem se habeat. Finis autem humanae vitae, et societatis est Deus, et ideo primo oportuit per praecepta decalogi ordinare hominem ad Deum, cum ejus

contrarium sit gravissimum. Sicut etiam in exercitu (qui ordinatur ad ducem, sicut ad finem) primum est quod miles subdatur duci, et hujus contrarium est gravissimum. Secundum vero, ut aliis coordinetur. Et ideo oportuit primo ponere praecepta, quibus homo in Deum ordinatur: deinde ea, quibus ordinatur ad proximum. Inter ea autem quibus in Deum ordinamur, primo occurrit, ut homo ei fideliter subdatur, nullam participationem cum inimicis habens, et ideo primum praeceptum est: *Non habebis Deos alienos coram me.* Secundo occurrit quod homo Deo reverentiam exhibeat, unde in secundo praecepto dicitur: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Tertio occurrit, ut homo Deo exhibeat famulatum, unde est tertium praeceptum: *Sabbata sanctifices.* Peccare contra primum, gravius est, quam peccare contra secundum; et peccare contra secundum, gravius est, quam peccare contra tertium. Sicut si miles infideliter agens, faciat cum hoste pactum, gravissime peccat. Si vero exhibeat duci aliquam irreverentiam, minus peccat, et si non exhibeat famulatum, adhuc minus peccat. Unde si miles non exhibeat duci famulatum, male facit, si exhibeat duci irreverentiam, pejus facit, si infideliter agat, habens pactum cum hostibus, pessime facit.

Inter ea autem, quibus homo ad proximum ordinatur, primo occurrit, ut homo reddat debitum his, quibus magis tenetur, qui sunt parentes: unde primum praeceptum inter haec, est de honore parentum, et peccare contra hoc, est gravius, quam peccare contra alia sequentia, utpote magis rationi repugnans. Secundo occurrit, ut non inferatur alicui nocumentum; quod quia tripliciter contingere potest, scilicet opere, ore, et corde, et cum majus nocumentum inferatur proximo opere, quam ore; et ore, quam corde: ideo primo ponuntur præcepta prohibentia nocumentum operis. Secundo prohibentia nocumentum oris. Et tertio praecepta prohibentia peccatum cordis.

Nocumentum operis potest esse vel contra personam proximi, et hoc est gravissimum, et ideo inter haec ponitur primo praeceptum de prohibitione homicidii: *Non occides*: vel contra personam conjunctam ad procreationem prolis, unde secundo proponitur praeceptum de prohibitione mœchiae: *Non mœchaberis*, Vel contra res possessas, et ideo ponitur tertio praeceptum de prohibitione furti: *Non furtum facies.* Furari est grave, mœchari gravius, occidere gravissimum, et ideo convenienter sunt ordinata haec praecepta. Ore offenditur proximus, dicendo falsum testimonium. Corde concupiscendo uxorem, vel rem possessam; et quia primum est gravius secundo, ideo primo prohibetur desiderium alienae uxoris, et secundo desiderium rei possessae. Ex quibus patet quod convenienter ordinentur decalogi praecepta, praemittendo semper praecepta prohibentia majus peccatum, deinde ea quae minus gravibus peccatis contrariantur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur quod quamvis secundum viam sensus proximus sit magis notus, quam Deus, tamen dilectio Dei est ratio dilectionis proximi, ut infra patebit, et ideo praecepta ordinantia ad Deum fuerunt praeordinanda.

Ad 2. Negatur maior. Ratio enim ordinis praeceptorum decalogi, non est prohibitio vitii, vel virtutis imperium; sed est maior, vel minor reatus, quem transgressio praecepti inducit, et quia maiorem reatum inducit transgressio alicuius praecepti affirmativi, propterea aliqua affirmativa praecepta negativis praeponuntur, et é converso, quia gravius est transgredi aliqua negativa, puta « non assumes nomen Domini Dei tui in vanum » quam quaedam affirmativa, pu-

ta *honora patrem, et matrem*; ideo aliqua negativa aliquibus affirmativis præponuntur. Ad probationem dicitur quod quantum ad executionem operis, prius sunt extirpanda vitia, tamen cognitio virtutum, quae est per legis praecepta, praecedit extirpationem vitiorum. Cum quibus stat quod illud sit prius praeceptum, cujus transgressio inducit majus reatum, ut in corpore dictum est.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, et ad ejus probationem quod etsi peccatum cordis sit prius in executione, tamen ejus prohibitio posterius cadit in ratione.

ARTICULUS VII.

Utrum præcepta decalogi convenienter tradantur.

Pro negativa. = Videtur quod praecepta decalogi inconvenienter tradantur.

1. Circa quamlibet materiam virtutes et vitia opponuntur. Ergo in qualibet materia de qua ordinat praeceptum decalogi, debuit poni praeceptum affirmativum, et negativum. Ergo inconvenienter ponuntur solum circa aliquam materiam praeceptum affirmativum, et circa aliam praeceptum solum negativum.

Conseq. prob., quia praecepta affirtiva ordinant ad actus virtutum, negativa vero abstrahunt ab actibus vitiorum. Cum igitur virtus, et vitium opponantur circa quamlibet materiam, necessario videtur quod circa quamlibet materiam, circa quam decalogi praecepta ordinant, debuerint poni duo praecepta, unum affirmativum, et alterum negativum.

2. Praeceptorum omnium pertinentium ad legem divinam debet assignari ratio. Sed omnia praecepta decalogi pertinent ad legem divinam. Ergo in omnibus praeceptis decalogi debuit ratio assignari, et non solum in primo, et tertio praecepto.

Maior probatur, quia Isid. dicit quod *lex ratione constat.*

3. Per observantiam cujuslibet praecepti, meretur homo praemia á Deo. Ergo in quolibet praecepto debuit poni promissio, et non solum in primo, et quarto.

Conseq. prob., quia promissiones divinae sunt de praemiis praeceptorum.

4. In omnibus praeceptis pertinentibus ad legem veterem debuit poni comminatio pœnae. Sed omnia praecepta decalogi pertinent ad legem veterem. Ergo in omnibus debuit poni comminatio pœnae, et non solum in primo, et secundo.

Maior prob., quia lex vetus dicitur lex timoris, in quantum per comminationes pœnarum inducebatur ad observantiam praeceptorum.

5. Omnia praecepta Dei sunt in memoria retinenda secundum illud Proverb. 3. *Describe ea in tabulis cordis tui.* Ergo inconvenienter in solo tertio praecepto fit mentio de memoria, et ex his videntur inconvenienter esse tradita praecepta decalogi.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Sapientiae 11. dicitur, quod *Deus omnia fecit in numero, pondere et mensura.* Ergo multo magis in praeceptis suae legis congruum modum servabit.

Determinatio.

Conclusio. Praecepta divinae legis convenienti modo sunt tradita.

Prob. Praecepta, in quibus maxima sapientia continetur, convenienti modo sunt tradita, Sed in praeceptis divinae legis maxima sapientia continetur. Ergo praecepta divinae legis convenienti modo sunt tradita.

Maior prob., quia sapientis est omnia debito modo, et ordine disponere

Minor prob., quia Deuter. 4. dicitur. *Hæc est vestra sapientia, et intellectus coram populis.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, praemittendo quod abducere á vitio, et inducere ad virtutem, est commune om-

nibus præceptis moralibus, sive decalogi, sive extra decalogum. Unde ex hoc quod praecepta decalogi inducunt ad virtutem, vel abducunt á vitiis, non potest desumi convenientia assignationis, et traditionis praeceptorum. Unde aliunde desumenda est convenientia assignationis, et traditionis praeceptorum decalogi. Sciendum igitur quod sicut dictum est, proprius finis praeceptorum decalogi est ordinare hominem, ut bene se habeat ad Deum, qui est princeps divinae communitatis, et ad alios homines. Haec autem recta ordinatio consistit in duobus. Primo, ut nulli inferat injuriam, et omnibus reddat debitum, et haec sunt duo prima moralia principia, naturali lumine rationis nota, ex quibus pendent praecepta decalogi, ut propriae, et immediatae conclusiones. Ne homo inferat injuriam, prohibetur per praecepta negativa: ut reddat beneficium, per praecepta affirmativa praecipitur. Injuriam non debet inferre homo Deo, et proximo, et ideo ponuntur aliqua negativa praecepta prohibentia, ne homo Deo injuriam inferat, et alia ne inferat injuriam homini. Deo injuriam potest homo inferre in duobus. Primo in hoc quod attribuit alteri principatum, et ad hoc prohibendum, ponitur primum praeceptum quod est: *Non habebis Deos alienos coram me.* Secundo in hoc quod non revereatur Deum, et ad hoc prohibendum ponitur secundum praeceptum: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.*

Proximis vero potest homo inferre injuriam, vel nocumentum, opere, ore, et corde. Opere, vel in propria persona occidendo, et contra hoc ponitur quartum praeceptum: *Non occides.* Vel contra personam ei conjunctam ad prolis procreationem, et ad hoc inhibendum, ponitur sextum praeceptum: *Non mœchaberis.* Vel in re possessa, et contra hoc dicitur: *Non furtum facies.*

Ore diciendo falsum testimonium, et ad hoc prohibendum, ponitur octavum praeceptum: *Non dices falsum testimonium.*

Corde, concupiscendo uxorem, vel rem possessam contra quæ ponuntur reliqua duo præcepta.

Debitum autem tenetur homo reddere primo Deo, et ad hoc inducitur per tertium præceptum: *Memento ut diem sabbati sanctifices.* Secundo tenetur homo reddere debitum parentibus, et ad hoc inducitur per quartum præceptum: *Honora patrem, et matrem*, et hæc est vera ratio convenientiæ assignationis præceptorum decalogi.

Ad prob. igitur dicitur, quod actus virtutis et vitii circa eamdem materiam pertinent ad idem præceptum, sive affirmativum, sive negativum, eo quod unum aliud includat, puta quod parentes debeant honorari, et quod non debeant injuriari, pertinet ad unum præceptum quod est: *Honora patrem et matrem*, quia in hoc includitur negativum, scilicet: *non spernas parentes, vel non vituperes parentes.* Unde non sunt ponenda duo præcepta circa quamlibet materiam, de qua ordinat decalogus, scilicet affirmativum, et negativum, quia inducere ad virtutem, et abducere á vitio pertinent ad idem præceptum, sive sit affirmativum, sive negativum, ut dictum est.

Et si quæratur, quare sint tantum duo affirmativa, et octo negativa, cum possent poni omnia negativa, ut dicendo: *non operaberis in sabbato, et non dehonores patrem, et matrem:*

Respond. quod cum præcepta decalogi, ut dictum est, tradita sint ad prohibendum nocumentum et injuriam, et ad redditionem debiti, et in præceptis negativis de non inferendo nocumentum, non includantur affirmativa de reddendo debitum, hinc necessarium fuit ponere illa duo affirmativa, cum soli Deo, et parenti, quis ex dictamine naturæ sit debitor.

Ad 2. Dicitur, quod præcepta decalogi sunt in duplici differentia. Quædam

sunt pure moralia; quædam vero sunt, quibus additur aliquod cæremoniale determinativum communis præcepti moralis, et hæc sunt duo, scilicet primum et tertium. In primo enim additum cæremoniale est: *non facies sculptile*. In tertio vero determinatur dies, in quo Deo est vacandum, scilicet dies sabbati. Reliqua vero sunt pure moralia. Ad maiorem igitur dicitur, quod si sermo sit de præceptis pure moralibus, est falsa. Præcepta enim moralia habent manifestam rationem, unde non oportuit ut in eis aliqua ratio adderetur, et ad probationem dicitur, quod lex ratione constat, aliquando quidem manifesta, et tunc non est necesse addere rationem præceptis, aliquando non manifesta, et tunc necessarium est adjungere rationem præceptis. Si vero sermo sit de praeceptis non pure moralibus conceditur. Et quia sola duo præcepta sunt hujusmodi, ut dictum est, ideo solum ipsis scilicet primo, et tertio additur ratio. Quæ sint rationes, quæ adduntur ad hæc præcepta, patet Exod. 20. et Deuter. 5. et ratio primi est: *Ego enim sum Dominus Deus tuus*, etc. Ratio tertii est. «Sex enim diebus fecit Deus «cœlum et terram.»

Et brevius dicitur ad maiorem, quod non omnium præceptorum decalogi erat assignanda ratio, cum pure moralia habeant manifestam rationem, sed solum præceptorum, quibus additur aliquid cæremoniale scilicet primi, et tertii.

Ad 3. Neg. conseq. Licet enim per observantiam omnium mandatorum homo mereatur præmia á Deo, tamen non fuit necessarium apponere divinam præmii promissionem, nisi in duobus præceptis, primo, et quarto. Et in primo quidem dicitur, *Ego enim Dominus faciens misericordiam in multa millia, his, qui diligunt me*, etc. Et in 4. dicitur: *ut sis longævus super terram*. Ratio autem, quare in his duobus tantum opponitur præmium, est, quia homines, ut plurimum actus suos ad aliquam utilitatem ordinant, et ideo in illis præceptis necesse fuit promissionem præmii apponere, ex quibus videbatur nulla utilitas sequi, vel aliqua utilitas impediri: quia vero parentes jam sunt in recedendo, ab eis non expectatur utilitas, et ideo præcepto de honore parentum additur promissio. Similiter etiam in præcepto de prohibitione idololatriæ, quia per hoc videbatur impediri apparens utilitas, quam homines credunt se posse consequi per pactum cum dæmonibus initum.

Ad 4. Neg. maior. Non enim fuit necessarium omnibus decalogi præceptis addere comminationem pœnæ, sed solum duobus primis. Et in primo quidem dicitur Exod. 20. *Deus æmulatur visitans iniquitatem patrum in filios*, etc. et in secundo: *nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra*: et idem dicitur Deuter. 5. Ratio autem, quare solum his duobus præceptis pœnæ apponuntur, est, quia pœnæ præcipue necessariæ sunt, contra illos, qui sunt proni ad malum, ut dicitur 10. Ethic. c. ult. respectu quorum, lex dicitur lex timoris, et ideo solis illis præceptis legis additur comminatio pœnarum, in quibus erat pronitas ad malum. Erant autem homines proni ad idololatriam propter generalem consuetudinem gentium, et similiter sunt etiam homines proni ad perjurium, propter frequentiam juramenti, et ideo primis duobus præceptis adjungitur comminatio.

Ad 5. Negatur consequentia. Licet enim omnia Dei præcepta sint memoriæ retinenda, tamen duplici ratione in solo præcepto de sanctificatione sabbati fit mentio de memoria. Primo, quia hoc præceptum ponitur, ut commemorativum beneficii præteriti, et ideo specialiter in eo fit mentio de memoria. Secundo, quia præceptum de sabbato habet determinationem adjunctam, quæ non est de lege naturæ, sed est cæremonialis, et ideo hoc præceptum speciali admonitione indiguit.

ARTICULUS VIII.

Utrum præcepta decalogi sint dispensabilia.

Pro affirmativa.=Videtur quod præcepta decalogi sint dispensabilia.

1. Præcepta, quæ sunt de jure naturali, sunt dispensabilia. Sed præcepta decalogi sunt de jure naturali. Ergo præcepta decalogi sunt dispensabilia.

Maior probatur, quia jus naturale in aliquibus deficit, et mutabile est, sicut et natura humana, ut Phil. dicit 5. Ethic. c. 7. Et cum defectus legis in aliquibus particularibus, sit ratio dispensandi, sequitur quod ea quæ sunt de naturali jure, sint dispensabilia.

2. Præcepta legis institutæ á Deo, sunt dispensabilia á Deo. Sed præcepta decalogi sunt præcepta legis institutæ á Deo. Ergo præcepta decalogi sunt dispensabilia á Deo. Tunc ultra. Sed prælati vice Dei funguntur in terris, secundum illud 2. Cor 2. «Nam si quid ego donavi propter vos, donavi in persona Christi.» Ergo etiam prælati possunt dispensare in præceptis decalogi.

Maior prob. Homo potest dispensare in præceptis legis ab homine conditæ. Ergo et Deus potest dispensare in præceptis legis á se conditæ.

Probatur hæc consequentia. Quia sicut se habet homo ad legem humanam, ita se habet Deus ad legem divinam.

3. In præcepto homicidii videtur dispensari per homines. Ergo præcepta decalogi sunt dispensabilia.

Conseq. prob., quia inter præcepta decalogi continetur prohibitio homicidii.

Antec. prob., quia secundum præceptum legis humanæ homines licite occidantur, puta malefactores, vel hostes reipublicæ.

4. In præcepto de observantia sabbati fuit dispensatum. Ergo præcepta decalogi sunt dispensabilia.

Antec. prob., quia in 1. Mach. 2. dicitur: «et cogitaverunt in illa die dicentes. Omnis homo quicumque venerit ad nos in die sabbatorum, pugnemus adversus eum.»

Conseq. prob., quia observantia sabbati continetur inter præcepta decalogi.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Isaiæ 24. dicitur, quidam reprehenduntur de hoc quod «mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum,» quod maxime videtur intelligi de præceptis decalogi. Ergo præcepta decalogi mutari per dispensionem non possunt.

Determinatio.

Conclusio. Præcepta decalogi sunt omnino indispensabilia.

Probat. Præcepta, quæ continent intentionem legislatoris, sunt omnino indispensabilia. Sed præcepta decalogi continent intentionem legislatoris. Ergo præcepta decalogi sunt omnino indispensabilia.

Maior prob., quia tunc in præceptis legis debet fieri dispensatio, ut dictum est supra quæst. 96. art. 6. quando occurrit aliquis particularis casus, in quo si verbum legis observaretur, contraria-retur intentioni legislatoris. Ergo præcepta quæ continent ipsam intentionem legislatoris indispensabilia sunt.

Minor probatur. Præcepta, quæ continent ipsum ordinem ad bonum commune et ordinem justitiæ et virtutis, continent intentionem legislatoris. Sed præcepta decalogi continent ipsum ordinem ad bonum commune, et ordinem justitiæ, et virtutis. Ergo præcepta decalogi continent intentionem legislatoris.

Maior hujus manifestatur. Quia intentio cujuslibet legislatoris ordinatur primo, et principaliter ad bonum commune: secundo autem ad ordinem justitiæ, et virtutis, secundum quem bonum commune conservatur, et ad ipsum pervenitur. Si qua ergo præcepta dentur, quæ contineant ipsam conservationem boni communis, vel ipsum ordinem justitiæ et virtutis, hujusmodi præcepta continent intentionem legislatoris.

Minor hujus prob., scilicet quod præcepta decalogi contineant intentionem legislatoris, scilicet Dei. Nam præcepta primæ tabulæ, quæ ordinant ad Deum, continent ipsum ordinem ad bonum commune, et finale quod est Deus. Præcepta vero secundæ tabulæ continent ordinem justitiæ observandæ inter homines, ut scilicet nulli fiat indebitum, et cuilibet reddatur debitum secundum; hanc enim rationem sunt intelligenda præcepta decalogi.

Manifestatur autem hæc ratio adducta ad probandam conclusionem exemplariter. Si enim poneretur hoc præceptum in aliqua communitate, ut nullus destrueret rempublicam, neque proderet civitatem hostibus, sive quod nullus faceret aliquid injuste, hujusmodi præcepta essent indispensabilia. Sed si aliqua alia præcepta traderentur ordinata ad ista præcepta, quibus determinarentur aliqui speciales modi, in talibus præceptis dispensatio posset fieri, in quantum per omisionem in aliquo præceptorum in aliquibus casibus non fieret præjudicium primis præceptis, quæ continent intentionem legislatoris. Puta si ad conservationem reipublicæ statueretur in aliqua civitate quod de singulis vicis, aliqui vigilarent ad custodiam civitatis obsessæ, posset cum aliquibus dispensari propter aliquam maiorem utilitatem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod Philosophus non loquitur de justo naturali, quod continet ipsum ordinem justitiæ: hoc enim numquam deficit, scilicet justitiam esse servandam; sed loquitur quantum ad determinatos modos observationis justitiæ, qui in aliquibus fallunt.

Ad 2. Negatur maior de præceptis, quæ continent ipsam intentionem legislatoris, qualia sunt præcepta decalogi: in his enim Deus dispensare non potest, Et ratio est, quia ut dicitur 2. Timotth. 2. «Deus fidelis permanens, negare seipsum «non potest;» negaret autem seipsum, si ordinem suæ justitiæ auferret, cum ipse sit ipsa sua justitia, et ideo Deus dispensare non potest in hoc quod liceat homini non ordinate se habere ad Deum, quod fit per præcepta primæ tabulæ, vel non subdi ordini justitiæ ejus, etiam in his, secundum quæ homines ad invicem ordinantur, quod fit per præcepta secundæ tabulæ. Ad probationem dicitur quod nec homini licet dispensare in præceptis legis, quæ continent intentionem legislatoris, quæ debet esse conservatio boni communis.

Ad 3. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod occisio hominis prohibetur in decalogo, secundum quod habet rationem indebiti; sic enim præceptum continet ipsam rationem justitiæ. Lex autem humana, hoc concedere non potest quod licite homo indebite occidatur. Sed malefactores occidi, vel hostes reipublicæ, hoc non est indebitum: unde hoc non contrariatur præcepto decalogi, nec talis occisio est homicidium, quod præcepto decalogi prohibetur, ut Aug. dicit in 1. de lib. arbit. c. 4. Et similiter si alicui auferatur quod suum erat; si debitum est quod ipsum amittat; hoc non est furtum, vel rapina, quæ præcepto decalogi prohibentur. Et ideo quando filii Israel præcepto Dei tulerunt Ægiptiorum spolia, non fuit furtum, quia hoc eis debebatur ex sententia Dei. Similiter, et Abraham dum consensit occidere filium, non consensit in homicidium, quia debitum erat eum occidi per mandatum Dei, qui est Dominus vitæ et mortis. Ipse enim est qui pœnam mortis infligit omnibus hominibus justis et injustis pro peccato primi parentis, cujus sententiæ si homo sit executor authoritate divina, non erit homicida, sicut nec Deus. Et similiter dicitur Osee accedens ad uxorem fornicariam, vel mulierem adulteram, non est mœchatus, nec fornicatus, quia accessit ad eam, quæ sua erat secundum mandatum divi-

num, qui est auctor institutionis matrimonii. Sic igitur præcepta ipsa decalogi quantum ad rationem justitiæ, quam continent, immutabilia sunt, sed quantum ad aliquam determinationem per applicationem ad singulares actus (ut scilicet hoc, vel illud sit homicidium, furtum, vel adulterium, aut non) hoc quidem est mutabile, quandoque sola authoritate divina, in his scilicet quæ á solo Deo sunt instituta, sicut in matrimonio, et in aliis hujusmodi. Quandoque etiam authoritate humana, sicut in his, quæ sunt commissa hominum jurisdictioni. Quantum enim ad hoc homines gerunt vicem Dei, non autem quantum ad omnia.

Ad 4. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur quod illa excogitatio magis fuit interpretatio præcepti, quam dispensatio. Non enim intelligitur violare sabbatum, quod est necessarium ad salutem humanam, sicut Dominus probat Matth. 12.

ARTICULUS IX.

Utrum modus virtutis cadat sub præcepto.

Pro affirmatia.=Videtur quod modus virtutis cadat sub præcepto.

1. Deuter 16. dicitur: *juste quod justum est exequeris.* Ergo modus virtutis cadit sup præcepto.

Conseq. prob., quia modus virtutis est ut aliquis juste operetur justa, et fortiter fortia, et similiter de aliis virtutibus.

2. Quod est de intentione legislatoris, maxime cadit sub præcepto. Sed modus virtutis est de intentione legislatoris. Ergo modus virtutis cadit sub præcepto.

Minor prob. Intentio legislatoris ad hoc fertur principaliter, ut homines faciat virtuosos, ut dicitur 2. Ethic. c. 1. Ergo modus virtutis est de intentione legislatoris.

Consequentia hæc probatur, quia virtuosi est virtuose vivere.

3. Voluntarie, et delectabiliter operari, cadit sub præcepto. Sed modus virtutis proprie esse videtur, ut aliquis voluntarie et delectabiliter operetur. Ergo modus virtutis cadit sub praecepto.

Maior prob., quia in Psalmo 99. dicitur, *servite domino in lætitia*, et 2. Corinth 9. dicitur *Non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus*, ubi Glosa dicit: *quidquid boni facis, cum hilaritate fac, et tunc bene facis: si autem cum tristitia facis, tunc directe tu non facis.*

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Si modus virtutis caderet sub præcepto legis, sequeretur quod quidquid faceret ille, qui non habet habitum virtutis, mereretur pœnam. Sed hoc est contra intentionem legis, quæ intendit homines assuefaciendo ad bona opera inducere ad virtutem. Ergo modus virtutis non cadit sub præcepto.

Maior conditionalis probatur. Nam nullus potest operari eo modo, quo operatur virtuosus, nisi habeat habitum virtutis, ut patet in 2. et 5. Ethic. c. 4. Et quia quicumque agit contra præceptum, meretur pœnam, sequitur evidenter quod si modus caderet sub præcepto, quilibet operans etiam bonum, non per habitum virtutis, mereretur pœnam.

Determinatio.

Distinctio. Actus virtutis á tribus dependet, scilicet ab intellectu, á voluntate, et ab habitu, et secundum hæc tria in tribus consistit modus virtutis. Primum est, ut quis operetur sciens. Secundum quod operetur volens et eligens. Tertium quod operetur firmiter, et immobiliter. Primum pertinet ad intellectum. Secundum ad voluntatem. Tertium ad habitum per quem operans habet quasi radicatam operationem.

1.° CONCLUSIO. Modus virtutis, secundum quod est ex intellectu, cadit sub præcepto, tum divinæ, tum humanæ legis.

Prob. Illud, quod potest judicari et puniri, tum á lege divina, tum humana, cadit sub præcepto legis, tum divinæ, tum humanæ. Sed modus, secundum id quod est ab intellectu, dijudicatur et punitur, tum á lege humana, tum divina. Ergo modus virtutis, secundum id quod habet ab intellectu, cadit sub præcepto egis, tum divinæ, tum humanæ.

Maior prob. Quia præceptum habet vim coactivam. Illud ergo directe cadit sub præcepto legis, ad quod lex cogit. Coactio autem legis est per metum pœnæ, ut dicitur 10. Ethic. cap. ult. Illud ergo proprie cadit sub præcepto legis, pro quo pœna infligitur. Illud ergo de quo lex humana, et divina dijudicat, et pœnam decernit, cadit sub præcepto legis humanæ et divinæ.

Minor prob. Quia ex hoc quod aliquis facit aliquid scienter, vel ignoranter tam secundum legem divinam, quam humanam, dijudicatur dignum venia, vel pœna, secundum quod talis ignorantia, vel scientia ex effectu exterius apparet.

2.ª Conclusio. Modus virtutis, secundum id, quod dependet á voluntate, ut scilicet operans operetur voluntarie, et ut eligens, non cadit sub præcepto legis humanæ, sed tantum divinæ.

Prob. Modus interior non subjicitur judicio humanæ legis, sed solius divinæ. Sed modus virtutis secundum id, quod est ex voluntate, est modus interior scilicet velle, et eligere, de quibus dictum est quæst. 8. art. 12. Ergo modus virtutis, secundum id quod est á voluntate, non cadit sub præcepto humanæ legis, sed divinæ tantum.

Maior prob. Ex differentia inter judicium divinæ, et humanæ legis. Aliter enim se habet lex divina, et aliter lex humana ad instituendum pœnam. Pœna enim legis non infligitur, nisi pro illis, de quibus legislator habet judicare, quia ex judicio lex punit. Homo autem, qui est legislator humanæ legis, non habet judicare nisi de exterioribus actibus, quia «homines vident ea quæ patent,» ut dicitur 1. Reg. 16. Et solius Dei, qui est lator legis divinæ, est judicare de interioribus motibus voluntatis, secundum illud Psalmi. 7. «Scrutans corda, et re«nes Deus.» Quia igitur velle et eligere, sunt interiores motus voluntatis, ad divinam, et non ad humanam legem pertinere possunt.

Et confirmatur conclusio; Quia lex humana non punit eum, qui vult occidere, et non occidit: punit autem lex divina, secundum illud Matth. 5. «Qui irascitur «fratri suo, reus erit judicio.»

3.ª Conclusio. Modus virtutis, secundum quod est, ex habitu operari, non cadit sub præcepto legis divinæ nec humanæ.

Manifestatur. Illud quod cadit sub præcepto legis divinæ, vel humanæ, punitur á lege divina, vel humana. Sed quod aliquis ex habitu non operetur, non punitur á lege divina, vel humana. Ergo modus virtutis, qui est ex habitu, non cadit sub præcepto legis humanæ, aut divinæ.

Maior ex dictis patet.

Minor prob., quia neque ab homine, neque á Deo punitur tamquam præcepti transgressor, qui debitum honorem parentibus impendit, quamvis non habeat habitum pietatis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod justum *juste* fieri, potest dupliciter intelligi. Uno modo, ut ly *juste* significet ordinem juris et legis, et sensus est, faciatis justum secundum ordinem juris. Alio modo, ut ly *juste* significet operationem, quæ est ex habitu: et sensus est, *juste*, idest ex habitu justitiæ exequamini justum. Ad authoritatem igitur scripturæ inductam pro antecedente dicitur quod sensus illius sententiæ est, quod justum debeat fieri *juste* idest secundum juris ordinem, et iste modus cadit sub præcepto legis humanæ, et divinæ: pertinet enim ad actum justitiæ, secundum quod respicit

intellectum, et de ipso est sermo in prima conclusione, non autem ly *juste* significat modum justitiæ, qui est ex habitu.

Ad formam autem argumenti, supposita vera antecedentis intelligentia, scilicet ut ly *juste*, dicit ordinem juris, conceditur totum; hic enim modus cadit sub præcepto. Si autem ly *juste* dicat modum, qui est ex habitu, negatur consequentia, et ad probationem dicitur, quod fit transitus á priori ad secundum sensum.

Ad 2. Dicitur ad maiorem quod intentio legislatoris est de duobus. De uno quidem ad quod intendit per præcepta legis inducere, et hoc est ipsa virtus, idest habitus virtutis. Aliud est, de quo intendit præceptum ferre, et hoc est, quod ducit, vel disponit ad habitum virtutis, quod est actus virtutis. Virtus igitur est intenta á legislatore, ut finis. Actus vero est intentus, ut ad finem. Virtus est finis præcepti. Actus vero est, de quo præceptum datur, hæc enim duo non sunt idem, sicut in aliis rebus non est idem finis, et quod est ad finem. Si igitur maior intelligatur de eo quod intendit legislator ut finis, negatur. Finis enim præcepti intenditur á legislatore, sed tamen non cadit sub præcepto: et ad minorem dicitur, quod quia modus virtutis, secundum quod est firmiter operari, dependet ex habitu virtutis, qui habitus est finis legislatoris, ad quem ducere intendit, propterea non cadit sub præcepto. Si vero maior intelligatur de eo quod cadit sub intentione legislatoris, ut id quod est ad finem, conceditur: quod enim hoc modo est intentum á legislatore, cadit sub præcepto; sed tunc negatur minor. Modus enim virtutis, secundum quod est ex habitu, intenditur á legislatore, ut finis. Intendit enim legislator per legem inducere hominem ad operandum secundum habitum virtutis. Et ad probationem dicitur, quod intentio legislatoris est ad hoc, ut homines virtuose vivant, ut finis, non ut id quod est ad finem, de quo est præceptum.

Ad 3. dicitur:, quod delectatio operis potest ex tribus provenire. Primo, ex ipsa voluntate, quando scilicet voluntas voluntarie operatur, tunc enim delectabiliter operatur, et é contra, quando non voluntarie operatur, non delectatur in opere. Secundo, ut delectatio provenit ex amore Dei, vel proximi: si quis enim diligat Deum, delectabiliter ei inservit, et qui diligit proximum, delectatur pro eo aliquid facere. Tertio, ut delectatio est ex habitu existente in operante. Qui enim habet habitum virtutis, delectabiliter operatur opera virtuosa: est enim delectatio operis signum habitus generati, ut dicitur 2. Ethic. cap. 3. Tunc ad minorem dicitur, quod delectabiliter operari, secundum quod est voluntarie operari, cadit sub præcepto legis divinæ. Operari delectabiliter, secundum quod est ex amore Dei vel proximi, etiam cadit sub præcepto, sicut et amor Dei vel proximi. Operari vero delectabiliter, secundum quod delectatio est ex habitu, non cadit sub præcepto. Ad probationem dicitur, quod illæ authoritates intelligendæ sunt de delectatione operis primo et secundo modo acceptæ, et est sensus quod debemus servire Deo, volentes, et ex amore, non invite.

ARTICULUS X.

Utrum modus charitatis cadat sub præcepto divinæ legis.

Pro affirmativa.=Videtur quod modus charitatis cadat sub præcepto divinæ legis.

1. Illud quod est necessarium ad hoc, ut homo ad æternam vitam pervenire possit, cadit sub præcepto. Sed modus charitatis est necessarius ad hoc, ut homo ad vitam æternam pervenire possit. Ergo modus charitatis cadit sub præcepti.

Maior probatur. Quia Dominus dicit Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: ex quibus verbis videtur

quod ad perveniendum ad vitam, sufficiat observatio mandatorum. Omne igitur quod est necessarium ad hoc, ut homo introducatur ad vitam, sub præcepto cadere potest.

Maior prob. Quia nulla opera bona sufficiunt ad introducendum in vitam, nisi ex charitate fiant: unde dicitur 1. Corinth. 13. *Si distribuero in cibus pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

2. Quod omnia fiant propter Deum, cadit sub præcepto. Sed ad modum charitatis proprie pertinet, ut omnia fiant propter Deum. Ergo modus charitatis cadit sub præcepto.

Maior prob., quia Apost. dicit 1. Corint 10. *Omnia in gloriam Dei facite.*

3. Si modus charitatis non caderet sub præcepto, sequeretur quod aliquis posset implere præcepta legis sine gratia. Sed hoc est Pelagiani erroris, Augustino teste in libro de Hæresibus cap. 88. Ergo modus charitatis cadit sub præcepto.

Conseq. prob., quod potest fieri sine charitate, potest fieri sine gratia. Sed si modus charitatis non caderet sub præcepto, quis posset observare præceptum aliquod legis, puta præceptum de honore patentum absque charitate. Ergo posset etiam observare ipsum sine gratia.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Si modus charitatis caderet sub præcepto, sequeretur, quod quicumque non haberet charitatem, peccaret mortaliter in omni opere quod faceret, quantumcumque esset de genere bonorum, quod est inconveniens.

Conseq., prob., quia quicumque non servat præceptum, peccat mortaliter. Si igitur modus charitatis cadat sub præcepto, sequitur quod quicumque operatur aliquid non ex charitate, peccet mortaliter.

Determinatio.

Diversæ de hoc quæsito opiniones.

Circa hoc quæsitum fuerunt contrariæ opiniones. Quidam dixerunt, absolute modum charitatis esse sub præcepto; addentes quod non est impossibile observare hoc præceptum, de modo charitatis, his qui charitatem non habent, quia possunt tales se disponere ad hoc, ut charitas eis á Deo infundatur.

Ad argumentum autem pro negativa factum respondent, negando consequentiam; ex hoc enim quod modus charitatis cadit sub præcepto, non sequitur quod quando aliquis, non habens charitatem, facit aliquid de genere bonorum peccet mortaliter, quia hoc præceptum de modo charitatis est affirmativum, unde non obligat ad semper, sed pro tempore illo, quo operans habet charitatem. Unde aliquis non habens charitatem, honorans parentes, non peccat mortaliter, præceptum de honore patentum cum charitate, est affirmativum, et non obligat ad diligendum parentes cum charitate, nisi quando actu habetur charitas.

Aliqui vero dixerunt, quod omnino modus charitatis non cadit sub præcepto.

Judicum de his opinionibus et vera sententia.

Distinctio. Utrique opinantes aliquid verum dixerunt. Ad cuius evidentiam est sciendum, quod actus charitatis dupliciter considerari potest. Uno modo secundum quod est quidam actus per se. Alio modo secundum quod est modus aliarum virtutum, hoc est, secundum quod actus aliarum virtutum ordinantur ad charitatem, quæ est finis præcepti, ut dicitur 1 Timoth. 1.

1.ª Conclusio. Actus charitatis secundum quod est quidam actus per se, cadit sub præcepta divinæ legis.

Prob. quia de charitatis actu specialiter in lege divina datur præceptum: scilicet *Diliges Dominum Deum tuum, et diliges proximum tuum.*

Et quantum ad hoc primi opinantes

verum dixerunt, tum quoad primum quod dicebant, scilicet quod actus charitatis cadat sub præcepto. Tum quoad secundum, scilicet quod hoc præceptum de actu charitatis non sit impossibile ad observandum, quia homo non habens charitatem, potest se disponere ad charitatem habendam, et quando eam habuerit, potest ea uti.

2.ª Conclusio. Actus charitatis, ut est modus actuum aliarum virtutum, non cadit sub præcepto divinæ legis.

Prob. Finis præcepti non cadit sub præcepto, ut dictum est art. præcedenti. Sed actus charitatis, ut est modus aliarum virtutum, est finis, ad quem alia præcepta ordinantur, ut dictum est. Ergo actus charitatis, ut est modus aliarum virtutum, non cadit sub præcepto.

Et hoc modo verum est quod secundi opinantes dixerunt, quod modus charitatis non cadit sub præcepto. Hoc est dictum quod in hoc præcepto, *honora patrem tuum et matrem tuam*, non includitur quod honoretur pater ex charitate, sed solum quod honoretur pater. Unde qui honorat partem, licet non habeat charitatem, non efficitur transgressor hujus præcepti, ut sit transgressor præcepti, quod est de actu charitatis, propter quam transgressionem mereatur pœnam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, quod aliquid potest esse necessarium ad salutem dupliciter. Ut actus per quem ad vitam æternam quis pervenire debet: vel ut modus ipsius actus; quod est necessarium ut actus, cadit sub præcepto. Non autem quod est necessarium, ut modus, quia sic pertinet ad finem, qui non cadit sub præcepto. Actus igitur charitatis, ut actus est, cadit sub præcepto, et sine observantia hujus præcepti nulla bona opera ad vitam æternam perducere possunt. Unde cum Dominus non dixerit, serva mandatum, sed serva mandata, scilicet omnia, *si vis ad vitam ingredi, necessarium est ut servetur etiam præceptum charitatis*: cum quo tamen stat quod modus charitatis non cadat sub præcepto; ita ut absque aliqua præcepti transgressione, quis possit diligere patrem, non furari, etc. etiam si desit charitatis modus.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod omnia fieri propter Deum, cadit sub præcepto, non ratione modi charitatis, sed ratione hujus præcepti, scilicet diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Ita quod qui honorat parentes, tenetur eos honorare propter Deum, non ex vi hujus præcepti, *honora patrem*, quia hoc præcepto præcipitur solum honor parentum, sed tenetur eos diligere propter Deum ex vi hujus præcepti, quod est, *diliges Dominum Deum tuum*, etc. et cum ista sint duo præcepta affirmativa, scilicet *diliges Dominum*, *honora parentes*, et præcepta affirmativa non obligent ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare, et ideo potest contingere, ut aliquis implens præceptum de honore parentum, non transgrediatur tunc præceptum de omissione modi charitatis.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad prob. negatur minor. Homo enim non potest servare omnia legis præcepta, sine hoc quod impleat præceptum charitatis, quod non est sine gratia, et ideo impossibile est, quod Pelagius dixit, hominem posse implere legem sine gratia.

ARTICULUS XI.

Utrum convenienter distinguantur alia moralia præcepta legis præter decalogum.

Pro negativa.=Videtur quod inconvenienter distinguantur alia moralia præcepta legis præter decalogi præcepta.

1. *In duobus præceptis charitatis pendet omnis lex, et prophetæ*, ut Dominus dicit Matth. 22. Ergo præter præcepta decalogi, non oportet alia præcepta moralia tradere.

Consequentia probatur, quia hæc duo præcepta explicantur per decem præcepta decalogi.

2. Præcepta decalogi sufficienter determinantur per præcepta cæremonialia

et judicialia, quæ á moralibus sunt distincta. Ergo præter præcepta decalogi, non sunt ponenda alia præcepta moralia.

Consequentia prob., quia præcepta moralia, vel in ipso decalogo continentur, ut sunt præcepta moralia communissima, vel ad decalogum reducuntur, ut sunt præcepta non statim ex primis manifesta, de quibus supra dictum est. Unde quæ superadduntur ad determinandum ipsa moralia præcepta, solum judicialia, et cæremonialia erunt.

3. In lege ponuntur præter præcepta decalogi alia præcepta moralia pertinentia ad latriam, liberalitatem, misericordiam, et castitatem, ut patebit in corpore. Ergo pari ratione debuerunt superaddi decalogo aliqua præcepta pertinentia ad alias virtutes, puta ad fortitudinem, sobrietatem, et alia hujusmodi, quod tamen non fit. Ergo inconvenienter distinguuntur in lege alia præcepta moralia, præter decalogum.

Consequentia prob. quia præcepta moralia sunt de actibus omnium virtutum, ut dictum est, art. 2. hujus quæst.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ea per quæ homo conservatur absque macula, convenienter in divina lege traduntur. Sed per alia moralia, præter præcepta decalogi, homo conservatur absque macula. Ergo alia præcepta moralia, præter decalogum, convenienter in lege traduntur.

Maior prob., quia *lex Domini est immaculata convertens animas.* ut d. Ps. 18.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Præter præcepta decalogi convenienter traduntur in lege alia præcepta moralia.

Manifestatur. Nam præcepta moralia in hoc á cæremonialibus, et judicialibus distinguuntur, quod cæremonialia, et judicialia ex sola divina institutione vim habent, quia antequam instituerentur, non videbatur referre, utrum sic, vel aliter fieret. Præcepta autem moralia ex ipso dictamine rationis naturalis efficaciam habent, etiamsi numquam in lege statuta fuissent.

Sed horum præceptorum moralium triplex est gradus. Quædam enim sunt communissima, et adeo manifesta, quod editione non indigent, et ideo inter præcepta decalogi non ponuntur. Sicut sunt mandata de dilectione Dei et proximi, et alia hujusmodi, de quibus dictum est supra q. 94. art. 4. quod sunt quasi fines præceptorum. Unde circa ea nullus potest errare secundum judicium rationis. Sunt igitur hujusmodi præcepta præambula ad præcepta decalogi. Quædam vero sunt præcepta moralia magis determinata, quorum rationem statim quilibet etiam popularis potest de facili videre, et tamen quia in paucioribus, circa hujusmodi præcepta, contingit judicium humanum perverti, indigent hæc præcepta editione, et hæc sunt præcepta decalogi. Quædam tandem sunt præcepta moralia, quorum ratio non est cuilibet tam manifesta, sicut ratio præceptorum decalogi, sed solum sapientibus, et ista sunt præcepta moralia, quæ sunt tradita populo á Deo per Moysen.

Cum igitur ex illis primis præceptis communissimis pendeant non solum præcepta decalogi, sed etiam alia præcepta moralia, quamvis non tam manifeste, sicut ex illis pendent præcepta decalogi, propterea convenienter in lege divina, á Deo per Moysen tradita sunt alia præcepta moralia.

Remanet etiam hæc conclusio probata per argumentum pro affirmativa inductum.

2.ª Conclusio. Praecepta moralia tradita in lege divina, praeter praecepta decalogi, convenienter reducuntur ad praecepta decalogi per modum cujusdam additionis.

Prob. et declaratur. Prob. inquam. Ad praecepta magis manifesta convenienter reducuntur praecepta minus manifesta.

Sed praecepta decalogi sunt magis manifesta, quam alia moralia praecepta, quae ex illis communissimis principiis dependent. Ergo praecepta decalogi convenienter hujusmodi praecepta moralia reducuntur, eisque superadduntur.

Maior prob. quia manifesta sunt principia cognoscendi ea, quæ non sunt manifesta.

Declaratur conclusio. Nam in primo praecepto decalogi prohibetur cultus alienorum Deorum, et huic praecepto superadduntur sequentia praecepta Deuteron. 18. prohibitiva eorum, quae ordinantur ad cultum idolorum 1. «Non »inveniatur in te, qui lustret filium suum, »aut filiam suam ducens per ignem. 2. «Nec sit maleficus, atque incantator 3. »Nec pythones consulat neque divinos, et »quaerat á mortuis veritatem.»

Secundum praeceptum prohibet perjurium, et ei superadduntur duo alia praecepta. 1. Est prohibitio blasphemiæ ut patet Lev. 14. 2. Prohibitio falsae doctrinae, ut patet Deut. 13.

Tertio praecepto de sanctificatione sabbati, superadduntur omnia caremonialia, de quibus quaest. sequenti erit sermo.

Quarto praecepto de honore parentum superadditur praeceptum de honoratione senum secundum illud Lev. 19. «Co»ram cano capite consurge, et honora »personam senis,» et universaliter omnia praecepta inducentia ad reverentiam exhibendam maioribus, vel ad beneficia exhibenda aequalibus vel minoribus.

Quinto praecepto, quod est de prohibitione homicidii additur 1. Prohibitio odii, et cujuslibet violationis contra proximum secundum illud Lev. 19. «Non »stabis contra sanguinem proximi tui.» 2. Prohibitio odii fratris, secundum illud Lev. 19. «Ne oderis fratrem tuum »in corde tuo.

Sexto praecepto, quod est de prohibitione adulterii, supperadditur 1. Praeceptum de prohibitione meretricii, secundum illud Deuter. 24. «Non erit me»retrix de filiabus Israel, neque fornica»tor de filiis Israel.» 2. Prohibitio vitii contra naturam, ut patet Levit. 18. «Cum »masculo non commisceberis, cum omni »peccore non coibis.»

Septimo praecepto de prohibitione furti adjungitur. 1. Praeceptum de prohibitione usurae, secundum illud Deuter. 18. «Non fœneraberis fratri tuo ad usu»ram.» 2. Prohibitio fraudis, secundum illud Deuter. 25. «Non habebis in sac»culo diversa pondera,» et universaliter omnia, quae ad prohibitionem calumniae et rapinae pertinent.

Octavo praecepto, quod est de prohibitione falsi testimoni; additur 1. Prohibitio falsi judicii, secundum illud Exodi 23. «Nec in judicio plurimorum acquies»ces sententiae, ut á veritate devies.» 2. Prohibitio mendacii sicut ibi subditur. «Mendacium fugies.» 3. Prohibitio detractionis, secundum illud Lev. 19. «Non eris criminator, et susurro in populis.»

Aliis autem duobus praeceptis, scilicet 9. 10. Nulla alia adjunguntur praecepta, quia per ea universaliter omnis mala concupiscentia prohibetur.

Ex quibus omnibus patet, quam fuerit necessarium praeceptis decalogi adjungere alia praec. moralia, et quam convenienter ad praec. decalogi reducantur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur, quod praecepta, quae ordinantur ad dilectionem Dei et proximi, sunt in duplici differentia. Quaedam enim ad ipsam ordinantur secundum manifestam rationem, et haec sunt praecepta decalogi. Quaedam vero secundum rationem magis occultam, et haec superadduntur praeceptis decalogi.

Ad 2. Dicitur ad antec., quod praecepta decalogi dupliciter determinari possunt: primo ex vi naturalis instinctus: secundo ex vi institutionis. Ex vi divina institutionis determinantur per præc. caeremonialia et judicialia. Sed ex vi instinctus naturalis rationis determinantur per praec. moralia superaddita.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur, quod virtutes sunt in duplici differentia; quædam ordinant ad alium, et istæ directe ad commune bonum pertinent, ut sunt justitia, misericordia etc. Quædam non ordinant ad alium, et hæ directe, et principaliter non pertinent ad bonum commune, ideo in lege ponuntur præcepta principaliter solum de virtutibus ordinantibus directe ad bonum commune, et propter hoc ponuntur præcepta de latria, quæ ad Deum ordinant, de liberalitate, et misericordia, quæ ordinant ad proximum, et de castitate quæ deservit bono communi speciei. De actu autem fortitudinis datur præceptum proponendum per duces exhortantes in bello quod pro bono communi suscipitur: ut patet Deut. 20. ubi mandatur sacerdoti, *nolite metuere, nolite cedere.* Similiter etiam actus gulæ prohibendus committitur monitioni paternæ quia contrariatur bono domestico. Unde Deut. 21. ex persona parentum dicitur. *Monita nostra audire contemnit, commessasionibus vacat, luxuriæ, atque convitiis.*

Omnium moralium præceptorum ordo, et numerus.

Ex hoc articulo, et præcedentibus colliguntur omnia præcepta moralia ad legem pertinentia. Sunt igitur præcepta moralia in triplici ordine. Quædam sunt communissima et notissima, quæ propterea nulla indigent editione, et hæc sunt quatuor. 1. Omnibus reddere debitum. 2. Nulli nocumentum, vel injuriam inferre. 3. Diligere Deum. 4. Diligere proximum.

Quædam sunt, quæ ex prædictis absque aliqua diligenti investigatione sunt manifesta, et hæc sunt decem præcepta decalogi superius enumerata.

Quædam vero sunt, quæ pendent ex illis primis notissimis præceptis, mediantibus præceptis decalogi, et sunt omnia enumerata in artic. præsenti.

Quæ omnia moralia præcepta sic se habent, quod præcepta decalogi reducuntur ad illa quatuor communissima, et ad præcepta decalogi omnia alia reducuntur.

Ad 1. Præceptum communissimum reducuntur præcepta decalogi hoc modo.

OMNIBUS REDDENDUM EST DEBITUM.

Deo.

Memento, ut diem sabbati sanctifices.

Parentibus.

Honora patrem et matrem.

2. Nulli inferenda est injuria, nec nocumentum.

Non Deo.

1. Non habebis Deos alienos coram me. 2. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

Non proximo.

1. Non occides. 2. Non mœchaberis. 3. Non furtum facies. 4. Non dices falsum testimonium. 5. Non concupisces uxorem alienam. 6. Non concupisces rem alienam.

Ad alia duo præcepta communissima sic reddantur præcepta decalogi.

Diligendus est Deus.

1. Non habebis Deos alienos. 2. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. 3. Memento, ut diem sabbati sanctifices.

Diligendus est proximus.

1. Honora patrem et matrem. 2. Non occides. 3. Non mœchaberis. 4. Non furtum facies. 5. Nun dices falsum testimonium. 6. Non concupisces uxorem. 7. Non concupisces rem alienam.

Cætera vero præcepta moralia reducuntur ad præcepta decalogi hoc ordine.

Ad 1. Non habebis Deos alienos coram me, reducuntur. 1. Nullus lustret filium suum aut filiam. 2. Nullus sit maleficus, atque incantator. 3. Nullus consulat pythones, etc.

Ad 2. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum reducuntur. 1. Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur. Levit. 24. 2. Et prohibitio falsæ doctrinæ, per totum cap. 13. Deut.

Ad 3. Memento, ut diem sabbati

sanctifices, reducuntur omnia cæremonialia.

Ad 4. Honora patrem et matrem reducuntur. 1, Coram cano capite consurge, etc. Lev. 19. Et universaliter omnia præcepta inducentia ad reverentiam.

Ad 5. Non occides reducuntur. 1. Non stabis contra sanguinem proximi tui Levit. 19. 2. Non oderis fratrem tuum in corde tuo.

Ad 6. Non mœchaberis reducuntur. 1. Non erit meretrix de filiabus Israël, etc. Deuter. 24.

2. Cum masculo non commisceberis, etc. Lev. 18. Ad 7. Non furtum facies reducuntur. 1. Non fœneraberis fratri tuo ad usuram. Deut. 18. b. Non habebis in sæculo diversa pondera. Deut. 25. 3. Et universaliter omnia, quæ prohibent rapinam et calumniam.

Ad 8. Non dices falsum testimonium, reducuntur. 1. Nec in judicio plurimorum acquiesce sententiæ, etc. Exod. 24. 2. Mendacium fugies, ibidem.

Ad 9. Et 10. nullum reducitur morale præceptum.

Omnia igitur moralia præcepta legis sunt.

Communissima non edita.

1. Omnibus reddendum est debitum. 2. Nulli facienda est injuria. 3. Deus est colendus. 4. Proximus est diligendus.

Decalogi.

1. Non habebis Deos alienos. 2. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. 3. Memento ut diem sabbati sanctifices. 4. Honora patrem et matrem. 5. Non occides. 6. Non mœchaberis. 7. Non furtum facies. 8. Non dices falsum testimonium. 9. Non concupisces uxorem proximi tui. 10. Non concupisces rem proximi tui.

SUPER ADDITA.

Primo.

1. Nullus lustret filium vel filiam. 2. Nullus sit maleficus, et incantator. 3. Nullus consulat pithones.

Secundo.

1. Nullus blasphemet nomen Domini. 2. Nullus doceat falsam doctrinam.

Tertio.

1. Servanda sunt cæremonialia.

Quarto.

1. Honora senes, et similia pertinentia ad reverentiam.

Quinto.

1. Non stabis contra sanguinem proximi. 2. Non oderis fratrem tuum.

Sexto.

1. Non erit meretrix. 2. Non cum masculo coeas.

Septimo.

1. Non fœneraberis ad usuram. 2. Non habebis diversa pondera.

Octavo.

1. Non facies falsum judicium. 2. Mendacium fugies. 3. Non eris criminator.

ARTICULUS XII.

Utrum præcepta moralia veteris legis justificarent.

Pro affirmativa.=Videtur quod præcepta moralia veteris legis justificarent.

1. Factores legis justificantur. Sed qui implent præcepta legis, sunt factores legis. Ergo qui implent præcepta legis justificantur, et sic præcepta legis impleta justificant.

Maior prob., quia Rom. 2. dicitur. «Non enim auditores legis justi sunt «apud Deum sed factores legis justifi- «cabuntur.»

2. Præcepta quæ observata causant vitam spiritualem, justificant. Sed præcepta legis observata, causant vitam spiritualem. Ergo præcepta legis justificant.

Maior probatur, quia vita spiritualis hominis est per justitiam.

Minor prob., quia Levit. 18. dicitur. «Custodite leges meas, atque judicia, «quæ faciens, homo vivet in eis.»

3. Lex humana justificat. Ergo multo magis præcepta legis divinæ justificant.

Antec. prob. Quia quædam justitia est in hoc quod præcepta legis adimplentur.

Conseq. prob., quia lex divina efficacior est, quam lex humana.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Apost. 2. Cor. 3. dicit. *Litera occidit* quod secundum Augustinum in lib. de spiritu, et litera c. 14. intelligitur etiam de præceptis moralibus. Ergo præcepta moralia non justificabant.

Determinatio.

1.ª *Distinctio.* Justificatio dicitur dupliciter. Uno modo primo et proprie. Alio modo secundario. Justificatio primo et proprie est ipsa factio justitiæ. Justificatio secundario est vel significatio justitiæ, vel dispositio ad justitiam.

Manifestatur hæc distinctio á simili in hoc nomine sanum. Sanum enim dicitur proprie, et primo illud, quod habet sanitatem, per posterius autem sanum dicitur, quod significat, vel conservat sanitatem, ut sunt urina et dieta. Sic hoc nomen justificatio, est enim quoddam analogum significans primo, et proprie functionem justitiæ, et secundario id quod significat justitiam, vel ad ipsam disponit.

2.ª *Distinctio.* Justificatio proprie, dupliciter dicitur. Uno modo secundum quod homo fit justus adipiscens habitum justitiæ. Alio modo secundum quod homo operatur opera justitiæ, ut secundum hoc justificatio nihil aliud sit quam justitiæ executio.

Manifestatur hæc distinctio. Quia justitia potest accipi, prout est in habitu, et prout est in actu. Aliquis enim est justus, quia habet habitum justitiæ: Alius vero est justus, quia exequitur actus justitiæ, licet careat habitu.

3.ª *Distinctio.* Justitia sicut et aliæ virtutes, est duplex. Acquisita et infusa. Acquisita causatur ab operibus. Infusa causatur á Deo per gratiam, et hæc est vera justitia, de qua nunc loquimur, secundum quam aliquis dicitur justus apud Deum, secundum illud Rom. 4. «Si «Abraham justificatus est ex operibus «legis, habet gloriam, sed non apud «Deum.»

1.ª Conclusio. Omnia præcepta legis, non solum moralia, sed cæremonialia, et judicialia justificabant, secundum quod justificatio dicitur id quod significat, vel disponit ad justitiam.

Manifestatur, quia præcepta omnia legis disponebant homines ad gratiam Christi justificantem, quam etiam significabant.

Et confirmatur, quia Aug. dicit lib. 22. contra faustum, cap. 24. quod «etiam «vita illius populi prophetica erat, et «Christi figurativa.»

2.ª Conclusio. Præcepta moralia legis veteris non poterant justificare, causando habitum infusum justitiæ.

Prob. Actus humani non possunt causare habitum infusum virtutis justitiæ, sed solus Deus. Sed præcepta moralia sunt de actibus humanis. Ergo præcepta moralia non poterant justificare causando habitum infusum justitiæ.

3.ª Conclusio. Præcepta cæremonialia non poterant nec ipsa justificare, causando habitum infusum justitiæ.

Prob. Præcepta quæ possunt justificare, causant gratiam, Sed præcepta cæremonialia non causabant gratiam. Ergo non poterant justificare.

Maior probatur, quia justificatio proprie est per gratiam.

Minor prob., quia sacramenta legis antiquæ, de quibus magis videtur, ut justificare possent, et causare gratiam, non justificabant, nec gratiam causabant, ad differantiam sacramentorum novæ legis, quæ propter hoc, quod gratiam conferunt, justificare dicuntur.

4.ª Conclusio. Si accipiatur justificatio pro executione actus justitiæ, omnia præcepta legis justificabant, aliter tamen et aliter.

Prob. Primo. Deinde declaratur. Probatur inquam. Ea quæ aliquo modo continent justitiam, justificant eos qui ea exercent, secundum quod diversimode

justitiam continent, sed omnia præcepta legis, tum moralia, tum cæremonialia, tum judicialia continent aliquo modo justitiam. Ergo præcepta omnia legis justificant, secundum quod diversimode justitiam continent.

Maior prob. et simul declaratur conclusio. Nam præcepta cæremonialia continebant secundum se justitiam in generali, prout exhibebantur in cultu Dei. In speciali vero non continebant secundum se justitiam, nisi ex sola determinatione legis divinæ. Sicut immolatio agni continebat justitiam generalem, quatenus immolabatur ad Dei honorem: in speciali vero non continebat justitiam, nisi ex institutione divina, quatenus Deus hanc immolationem, ad aliquod justum ordinavit, et ideo de hujusmodi præceptis dicitur quod non justificabant, nisi ex devotione, et justitia facientium.

Præcepta vero moralia et judicialia continebant id quod erat secundum se justum, vel in generali, vel etiam in speciali. Præcepta inquam moralia continebant id, quod est secundum se justum, secundum justitiam generalem, quæ est omnis virtus, ut dicitur 5. Ethic. cap. 1. Præcepta vero judicialia pertinebant ad justitiam specialem, quæ consistit circa contractus humanæ vitae, qui sunt inter homines ad invicem.

Quæ omnia breviter colligendo dicitur.

Primo. Omnia praecepta legis antiquae justificabant, secundum quod justificatio dicitur significatio justitiae, vel ordo ad justitiam: quia omnia significabant justitiam Christi, et ad eam disponebant.

Secundo. Praecepta legis non justificabant proprie causando habitum justitiae infusae: quia justitia infusa est solum per gratiam Dei.

Tertio. Omnia praecepta legis justificabant, secundum quod justificatio dicitur, exercitium actus justitiae, aliter tamen et aliter. Quia omnia legis praecepta justitiam continent, sed diversimode, ut dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem, et ad ejus prob. quae est sententia Apostoli, quod Apostolus accipit ibi justitiam, pro executione justitiae, et sensus est quod factores legis justificantur, quatenus opera, et praecepta continentia justitiam exequuntur, non autem quod justitiam infusam acquirant, ex sola antiquae legis praeceptorum observantia.

Ad 2. Negatur minor. Ad probationem dicitur quod homo faciens precepta legis, dicitur vivere in eis, quia non incurrebat pœnam mortis quam lex transgressoribus infligebat, in quo sensu inducit hoc Apostolus ad Galat. 3.

Ad 3. Dicitur ad antec., quod praecepta legis humanae justificant, justitia acquisita, de qua non est sermo ad praesens, sed solum de justitia, quae est apud Deum.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 100.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo* : quomodo per rationem et ostendas, et recto sensu intelligas, merito esse á scripturis insinuatum: quod omnia moralia sunt de lege naturæ. Ut Ro. 2. secundum quod cum declaratione ponitur *in arg. cont.* Pro quo nota, quod ideo gentes omnem legem moralem naturaliter habere dicebantur: quia de omnibus actibus humanis sciebant judicare naturali ratione utrum essent boni, vel mali, idest, concordantes rationi, vel discordantes ab ipsa: et ultra hoc, habebant etiam naturalem inclinationem ad amplectendum bonos mores, et recusandum malos, in quantum

scilicet, et modo illo, quo virtus est nobis insita á natura q. 63. ar. 1. cor. *Secundo* vides; quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et Ambrosio insinuatum, quod præcepta legis sunt de actibus omnium virtutum. A B. Ambrosio quidem: ut cum discursu ponitur *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur Tim. 3. " Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. » Constat enim, quod per legem homo non esset instructus ad omne opus bonum: nisi lex ipsa præciperet de actibus omnium virtutum: quibus perficitur, ut sit homo Dei. Apostolum autem ibi locutum esse de scriptura legis veteris, innuit ipse contextus, dicens ly *ab infantia sacras literas nosti.* Nam de veteri lege eruditum fuisse Timotheum ab infantia, probabile est: quoniam Judæi solent esse de hoc soliciti, ut filii sui instruantur in pertinentibus ad legem veterem, et Timotheus erat ex patre filius Judæorum, Act. 16. nec Apostolo adhæsit, nisi post infantiam. *Secundo* vides; etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et glossa insinuatum, quod alia præcepta moralia reducuntur ad decem præcepta decalogi. A glossa quidem super Matthæum; ut cum applicatione est *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod dicitur Deuteron. 4. " Quæ est alia gens tam inclyta, ut habeat cæremonias, justaque judicia, et universam legem, quam, » etc. Ex eo enim, quod decem verba decalogi, quæ á cæremonialibus, et judicialibus inibi distinguuntur, vocat universam legem, satis innuit quod omnia alia præcepta moralia ad ista decem decalogi reducuntur. Item per hoc, quod dicitur Exod. 25. " pones in arca testificationem, » idest, ut habetur Deuteron. 10. " duas tabulas lapideas, in quibus scripta erant verba decem. » Quæ et propterea vocantur Hebr. 9. *tabulæ testamenti.* Per hanc enim tam solicitam conservationem præceptorum decalogi, præ aliis, scilicet cæremonialibus, et judicialibus, subintelligi voluit Deus: quod in decem præceptis decalogi continentur virtualiter omnia alia moralia præcepta, ubicumque ponantur. Hoc ipsum sic intelligendum visus est notificare, tamquam á simili, Dominus Prov. 4. " Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit. » Ac si aperte dicat. Ex conservatione diligentissima circa rem aliquam habita, licitum est, inferre: quod in illa re virtualiter continentur multa alia: sicut ergo conservationem diligentissimam cordis homini præcipio, quoniam in corde tota vita omnium aliarum partium, scilicet manuum, pedum, capitis, etc. virtualiter continentur; item insinuatur id in principio dictum per illud Matth. 22. " Diliges Dominum Deum tuum, etc. et proximum tuum etc. in his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ. » Ideo enim hinc pendere universa lex dicitur, et prophetæ: quia virtualiter continentur in his duobus mandatis omnia mandata legis, et prophetarum. Cum igitur illa duo dilectionis mandata contineantur virtualiter in decem præceptis decalogi, tamquam principia in conclusionibus, ut dicitur *ad primum*, manifeste sequitur secundum scripturam illam, quod in præceptis decalogi omnia alia totius legis, et prophetarum præcepta moralia continentur virtualiter. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et Aug. insinuatum, quod convenienter distinguuntur decem præcepta decalogi. A B. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod in tabulis duabus fuisse scripta decem verba narratur Exo. 24. 31. 32. 34. et Deuteron. 4. 5. In harum enim tabularum una erant scripta præcepta pertinentia ad Deum; in alia vero pertinentia ad proximum: et consequenter præcepta decalogi distincte tradita sunt. Patet autem ex Exod. 20. quod pertinentia ad proximum fuerunt septem: quoniam sic ibi legitur: " Honora patrem tuum, et matrem; Non occides; Non mœchaberis; Non furtum facies; Non loqueris contra proximum tuum falsum testmonium; Non concupisces domum proximi tui; Nec desiderabis uxorem ejus. » Ecce septem præcepta ad literam planam. Relinquitur ergo, quod pertinentia ad Deum non essent,

nisi tres unitates numerales: requiruntur et in duabus illis tabulis decem tantum verba, idest præcepta erant scripta, Exod. 24. et Deute. 4. Cæterum propter ly *convenienter*, vide de convenientia scripturarum, quæst. 68. art. 4. appen. et 2. 2. quæst. 122. art. 2. appen. et quæst. 140. art. 1. app. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod præcepta decalogi convenienter enumerentur, idest, quod convenienter sunt in numero denario tantum. Ut *Deut.* 4. secundum quod est *in arg. cont.* Pro cujus captu, quod scilicet concludetur ex illa auctoritate intentum articuli, idest, quod præcepta decalogi convenienter assignentur in numero denario, notabis nunc pro semper, quod adducere aliquam scripturæ sacræ auctoritatem de tali materia, puta, in proposito, de numero denario, sufficit ad hoc, ut ostendatur, tale quid poni convenienter. Ratio hujus est: quia quodcumque scriptura sacra pro convenienti, pro laudabili, pro, etc. habet vel refert; tale est proculdubio conveniens, laudabile, etc. Quia igitur scriptura sacra præcepta decalogi pro convenienti, utpote cum sint á Deo in scriptis etiam, ubi nos magis appendere veritatem, et convenientiam ibi positorum solemus, exarata assignat in numero denario per ly *decem verba*; ideo secundum regulam nunc de scripturis sacris præmissam, indubius conclude, quod decalogi præcepta convenienter enumerantur, idest convenienter sunt, et dicuntur esse decem. Adhuc pro prædictorum diffusiori juvamine vide art. 4. appendices et loca ibi citata, de convenientia scripturarum. Ad propositum quoque hoc videas de sufficientia scripturarum, quæst. 68. art. 4. appen. et 2. 2. quæst. 179. art. 2. appen. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod præcepta decalogi convenienter ordinentur. Ut *Roman.* 13. secundum quod cum applicatione est *in arg. cont.* Pro quo nota, quod ab universali licitum est inferre idem de particulari, secundum Philosophum in Logicis, ut omnis homo currit; ergo iste homo currit; nullus homo currit; ergo iste non currit. Et sic procedit textus hic: quoniam ex universaliter dicto ab Apostolo, concludit idem de hoc particulari, scilicet de positis in decalogo. Pro ly *immediate* data á Deo vide quæst. 99. art. 5. ad 2. in Elucidat. ne erres. Rursum nota, quod ex ly *immediate*, vult habere á fortiori intentum suum Doctor sanctus. Ac si dicat: si quæcumque á Deo sunt, ordinata sunt: ergo multo magis ordinata erunt, quæ á Deo immediate sunt. Cæterum pro ly *convenienter*, vide de convenientia scripturarum, quæst. 68. art. 4. append. et 2. 2. quæst. 122. art. 2. append. et ibidem quæst. 140. art. 1. append. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum: quod præcepta decalogi convenienter traduntur. Ut *Sapient.* 11. secundum quod cum applicatione est *in arg. cont.* Pro cujus ampliori notitia vide ar. 6. app. et loca ibi citata de convenientia scripturarum. Insinuatur item per hoc, quod dicitur Lucæ 12. " capilli vestri omnes numerati sunt. » Item per dictum Eccles. 1. " Arenam maris, et pluviæ guttas quis dinumeravit? Unus est altissimus creator omnium. » Ac si aperte dicat: Illa non dinumeravit aliquis, nisi Deus. Per hoc ergo, quod de tam minimis rebus, scilicet capillis, arenæ minutiis, guttis pluviæ, tantam curam habet Deus, ut ea omnia singillatim numeravit, ideoque ordine, et modo convenienti disposuerit, datur intelligi scholasticis perspicacibus, quod Deus multo magis modo, et ordine convenienti ea omnia, quæ in sacris literis sunt, et consequenter decalogi præcepta tradidit. Vide quæst. 68. art. 4. append. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod præcepta decalogi sunt immutabilia, seu indispensabilia. Ut *Isaiæ* 24. secundum quod cum applicatione est *in arg. cont.* Item per id, quod dicitur 2.

Timoth. 2. " Deus seipsum negare non potest. » Applica, ut in ad *secundum*. Item per dictum psal. 88. " Neque profanabo testamentum meum, et quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita. » Patet enim, quod testamentum Dei vetus proprie, et principaliter est decalogus: hoc est, consistit in præceptis decalogi. Nam præcepta decalogi vocat Apostolus Hebr. 9. *tabulas testamenti*. Hoc ergo suum testamentum, dixit Deus: *Non profanabo*, et hæc verba, quæ immediate, art. 6. append. processerunt de labiis suis, inquit idem: *Non faciam irrita*. Testamentum itaque hoc est immobile, et verba talia decem sunt irrefragabilia. Quod totum magis apparet omnibus esse verum ex adjunctione hac, scilicet, quod scripta fuerunt, et quidem digito Dei, et in tabulis lapideis. Nam ad firmitatem rei pertinet, ut liquido constat, et quod aliquid scribatur, et quod manu propria legislatoris regis scribatur, et quod in petra durissima exaretur. Nec obstat præmissis, quod Psalm. 88. loquatur ad literam planam de promissione á Deo facta, David de successione regni, quam illis verbis contestatur fore inviolabilem, atque irretractabilem, quoniam scriptura sacra sub una etiam litera sensus literales plures habet, 1. quæst. 1. art. 10. cum Elucid. maxime si á simili, prout nunc fecimus, procedatur. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 9. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis insinuatum, quod modus virtutis non cadit sub præcepto. Ut per hoc, quod dicitur Ezech. 29. " Nabuchodonosor rex Babylonis fecit servire exercitum suum servitute magna adversus Tyrum, et merces non est reddita ei, neque exercitus ejus de Tyro pro servitute, qua servivit mihi adversus eum. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce dabo, etc. et erit merces exercitui illius, et operi, quo servivit. Dedi ei terram Ægypti, pro eo, quod laboraverit mihi: ait Dominus Deus. » Manifestum enim est, quod servitus ista, et labor, quo rex Babylonis Deo servivit, et laboravit, non processerunt ex habitu virtutis, cum regem illum pateat infidelem fuisse, 2. 2. quæst. 4. art. 5. et quæst. 27. art. 7. et tamen non tantum non punitus est pro illa servitute, et labore, sed é contrario est remuneratus. Quod si modus virtutis caderet sub præcepto, rex ipse, etiam quod Deo tunc servierit, ac laboraverit, puniretur, tamquam transgresor præcepti. Modum namque virtutis tanto minus servavit in tali servitio laborioso, quanto magis ignorabat, se Deo servire, hoc ipsumque non intendebat. Quinimo suæ cupiditati, ac superbiæ militare studebat ut scilicet suas divitias, regnum, atque potentiam dilataret, de quibus etiam sic ampliatis postea superbivit. Unde B. Ambrosius de hujusmodi hominibus, quibus divina justitia tamquam flagellis utitur ad alios peccatores puniendos, ait: " Tales in eo, quod puniunt, Deo servire dicuntur: in eo autem, quod ignorant, se esse ministros iræ Dei, impia vanitate superbiunt: mercedem suæ servitutis á Deo, nonnisi temporalem inveniunt; pœnam vero suæ superbiæ non effugiunt. » Hæc ille, et recitantur in decretis 23. quæst. 5. cap. *remittuntur*. Scriptura igitur prædictis verbis Ezech. 29. sicut et illis, scilicet *Nabuchodonosor regis Babylonis servi mei*, Isa. 27. si scholasticam linguam assumat, breviter dixit: modus virtutis non cadit sub præcepto, et hoc á fortiori patet hic. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 10. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis, Concilio, et Aug. insinuatum, quod modus charitatis non cadit sub præcepto legis divinæ. A Concilio quidem Trident. sess. 6. can. 7. " si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut, quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare; Anathema sit. » Patet enim, quod quicumque, ut dicit *in arg. cont.* non servat præceptum, peccat mortaliter. Si igitur modus charitatis cadat sub præcepto, sequetur, quod, quicumque operatur aliquid non ex charitate, peccet mortaliter. Quicumque autem non habet charitatem, operatur non ex charitate. Ergo sequetur, quod quicumque non habet charitatem, peccet mortaliter in omni opere, quod facit, quantumcumque sit de genere bonorum,

quod est inconveniens. Adde tu, quod est hæresis *Lutheri*, contra quam loquitur ibi Concilium supra adductum. In errore igitur *Lutheri* includebatur, immo et ille error ex hoc sequebatur, quod modus charitatis caderet sub præcepto; et consequenter ab oppositis in canone illo contra *Lutherum* includitur contrarium, scilicet quod modus charitatis non cadit sub præcepto. Articulus itaque præsens D. Th. oppugnat, expugnatque hæresim *Lutheri*; licet nondum á multis annis natus esset, tantoque magis, quanto á Concilio sacro ad ipsam expugnandam juvatur. Verum, si contra hæresim prædictam, et consequenter in favorem veritatis hujus articuli, vis plura, vide veritates aureas super totam legem veterem, Gen. 4. conc. 3. et Additio. art. nu. 58. A scripturis autem insinuatur in principio dictum per hoc, quod legitur 2. Machab. 3. " Cum sancta civitas habitaretur in omni pace, leges etiam optime custodirentur, fiebat, ut et ipsi reges, et principes locum summo honore dignum ducerent; et templum maximis muneribus illustrarent; ita ut Seleucus Asiæ rex de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes.» Clarum enim est, quod isti reges pagani non erant in charitate: quorum tamen opera præmissa, ut peccata, non vituperantur; sed ut bona moralia, valde laudabiliter hic commemorantur; Ex his ergo scriptura scholasticis acutis concludendum aperte relinquit, quod modus charitatis non cadit sub praecepto. A B. Aug. quoque insinuatur idem per hoc, quod in libris de civit. Dei, speciatim *in quinto*, plura ejus colligendo in unum, dicit, quod Romani antiquitus meruerunt imperium á Deo multis de causis, scilicet ex amore patriæ ex zelo justitiæ, ex pietate civilis benevolentiæ. De qua re videas pulcherrima in D. Tho. opúsculo 20. videlicet de regimine principum lib. 3. c. 4. 5. 6. Constat vero, quod Romanorum nobiles antiquissimi fuerunt pagani, et consequenter charitatem virtutem theologicam non habentes; et consequenter prædicta sua opera, scilicet amor patriæ, zelus justitiæ, singularis pietas civilis benevolentiæ, non procedebant ex tali charitate: et tamen his tribus non modo non peccarunt, sed é contrario tam amplissimum in toto orbe dominium meruerunt; certissimum hujus rei signum, quod modus charitatis non est in præcepto. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 11. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum: quod convenienter ponuntur alia moralia extra decalogum, ab ipsoque distinguuntur. Ut per hoc, quod dicitur in Psalmo 18. Lex, etc. secundum quod cum discursu est *in arg. cont.* Item per hoc, quod leguntur extra decalogum tamquam ab eo distincta, alia multa moralia, ut Deuter. 18. 13. Levit. 14. 19. etc. ut in corpore, sufficit enim, quod inveniantur distincte extra decalogum posita á scriptura, ad ostendendum, quod convenienter extra ponuntur, et distinguuntur. Pro cujus intellectu vide de convenientia scripturarum, quæst. 68. art. 4. append. et q. 140. art. 1. append. Item, si vis, de sufficientia illarum, qu. 68. art. 4. append. et 2. 2. quæst. 179. art. 2. append. Secundo vides: quomodo etc.

Ex art. 12. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis insinuatum, quod præcepta moralia non justificabant. Ut 2. Cor. 3. secundum quod cum expositione B. Aug. est *in arg. cont.* Item per hoc, quod dicitur Ezch. 20. " Dedi eis præcepta non bona, et judicia, in quibus non vivent. » Per præcepta enim intendit et moralia, et cæremonialia: per judicia vero judicialia. Dicuntur vero illa non bona, quia non justificabant. Quomodo tamen hoc in speciali de cæremonialibus verificetur, vel non, vide q. 103. ar. 2. Item per hoc, quod præceptum legis vocatur Heb. 6. " Mandatum infirmum, et inutile, ad perfectum non adducens. » Non enim hoc dicitur ad significandum, quod mandatum non esset sanctum, justum, et bonum, cum hujus contrarium habeatur Rom. 7. sed ad denotandum, quod mandata illa non justificabant. *Secundo* vides: etc.

QUÆSTIO CENTESIMA PRIMA,

DE PRÆCEPTIS CÆREMONIALIBUS SECUNDUM SE, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de præceptis cæremonialibus.

Et primo de ipsis secundum se. Secundo de causa eorum. Tertio de duratione ipsorum.

Circa primum quæruntur quatuor.

Primo, quæ sit ratio præceptorum cæremonialium.

Secundo, utrum sint figuralia.

Tertio, utrum debuerint esse multa.

Quarto, de distinctione ipsorum.

ARTICULUS I.

Utrum ratio præceptorum cæremonialium consistat in hoc, quod pertinent ad cultum Dei.

Pro negativa. — Videtur quod ratio præceptorum cæremonialium non consistat in hoc, quod pertinent ad cultum Dei.

1. In lege traduntur quædam præcepta cæremonialia, quæ non videntur pertinere ad cultum divinum. Ergo ratio cæremonialium præceptorum non est, ut pertineant ad cultum divinum.

Antec. prob. Levit. 11. datur præceptum de abstinentia á quibusdam cibis, et præceptum quod datur Levit. 19. «Ne induantur veste, quæ ex duobus tex«ta est,» et præceptum, quod datur Num. 15. «ut faciant sibi fimbrias per «angulos palliorum.» Hæc inquam, præcepta non videntur pertinere ad cultum divinum, et tamen inter cæremonialia debent computari.

Quod autem hæc præcepta sint cæremonialia ostenditur, quia omnia præcepta legis, aut sunt moralia, aut judicialia, aut cæremonialia. Sed præcepta non sunt moralia, cum non maneant semper. Nec sunt judicialia, cum non pertineant ad judicium faciendum inter homines. Ergo hæc præcepta sunt cæremonialia.

2. Quidam dicunt, quod *præcepta cæremonialia* dicuntur illa, *quæ pertinent ad solemnitates*: quasi dicerentur á cereis, qui in solemnitatibus acceduntur. Sed multa alia sunt pertinentia ad cultum Dei præter solemnitates. Ergo videtur, quod legis præcepta cæremonialia non ea ratione dicantur, quia pertinent ad cultum Dei.

3. Secundum quosdam, præcepta cæremonialia dicuntur quasi normæ, id est regulæ salutis. Nam chere in græco, idem est quod salve. Sed omnia præcepta legis sunt regulæ salutis, et non solum illa, quæ pertinent ad Dei cultum. Ergo non solum illa præcepta dicuntur cæremonialia, quæ pertinent ad cultum Dei, sed omnia alia.

4. Rabbi Moyses dicit, quod præcepta cæremonialia dicuntur, quorum ratio non est manifesta. Sed multa pertinentia ad cultum Dei habent rationem manifestam: sicut sabbati observatio, et celebratio phase, et scenophegiæ, et multorum aliorum, quorum ratio assignatur in lege. Ergo cæremonialia non sunt, quæ pertinent ad cultum Dei.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Exodi 18. dicitur. «Esto populo in «his, quæ ad Deum pertinent, ostendasque populo cæremonias, et ritum colendi.

Determinatio.

Conclusio. Praecepta caeremonialia proprie dicuntur, quae ad Dei cultum pertinent.

Prob. Praecepta quae determinant praecepta moralia in ordine ad Deum, pertinent ad divinum cultum. Sed praecepta caeremonialia determinant praecepta moralia, in ordine ad Deum, sicut judicialia determinant praecepta moralia in ordine ad proximum. Ergo praecepta caeremonialia pertinent ad cultum divinum.

Ratio nominis praeceptis caeremonialis posita est supra, quaest. 99. art. 3. ubi praecepta cæremonialia ab aliis sunt distincta.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod illa praecepta sunt caeremonialia, quae licet non pertineant ad cultum Dei immediate, sicut sacrificia, et alia hujusmodi, tamen pertinent ad divinum cultum dispositive. Sicut enim in aliis, quaecumque sunt praeparativa ad finem, cadunt sub scientia, quae est de fine; ita hujusmodi praecepta, quae dantur de cibis et vestibus colentium Deum, pertinent ad quamdam praeparationem ministrantium, ut sint idonei ad cultum Dei, ac per hoc ad cultum Dei dispositive pertinent.

Ad 2. Dicitur dupliciter. Primo ad maiorem quod illa expositio nominis non videtur esse multum conveniens, praesertim cum non multum inveniatur in lege, quod in solemnitatibus, cerei accenderentur: immo in ipso candelabro, lucernae cum oleo olivarum praeparabantur, ut patet Levit. 24.

Secundo nihilominus dicitur ad minorem, quod in solemnitatibus omnia, quae pertinebant ad cultum Dei diligentius observabantur, et secundum hoc omnia caeremonialia includuntur in observatione solemnitatum.

Ad 3. Dicitur dupliciter. Primo ad maiorem, quod nec etiam illa expositio nominis videtur esse multum conveniens. Nomen enim caeremoniae, non est grecum, sed latinum.

Secundo potest dici ad minorem, quod licet omnia praecepta legis sint praecepta salutis, tamen illa videntur praecipuae esse salutis regulae, quae ordinant hominem ad Deum, qualia sunt caeremonialia, quae ad ipsum Dei cultum pertinent.

Ad 4. Dicitur, quod ratio illa Rabbi Moys. caeremonialium, non est necessaria, sed quodammodo probabilis. Non enim caeremonialibus, ut sic, convenit habere rationem non manifestam, sed hoc consequitur ad ipsa caeremonialia, ex eo quod sunt figuralia, ut dicetur. Unde et eorum figuralis ratio non est á Deo manifesta.

ARTICULUS II.

Utrum præcepta cæremonialia sint figuralia.

Pro negativa.=Videtur quod præcepta cæremonialia non sint figuralia.

1. Ea quæ debent esse manifesta, non sunt figuralia. Sed praecepta divinæ legis debent esse maxime manifesta. Ergo praecepta cæremonialia divinae legis non sunt figuralia.

Maior prob., quia figuralia non sunt manifesta, nisi exponatur quid figurent. Et cum in lege non exponatur, quid figurent legis præcepta, si essent figuralia, non essent manifesta.

Minor prob., quia pertinet ad officium cujuslibet doctoris, ut sic pronunciet, ut de facili intelligi possit, ut Aug. dicit lib. 4. de doct. Christ. cap. 4. et hoc maxime videtur esse necessarium in legislatione, quia praecepta legis populo proponuntur. Unde *lex debet esse manifesta*, ut Isid. dicit lib. 5. cap. 21.

2. Ea quae in cultu Dei aguntur, non debent esse figuralia. Sed praecepta cæremonialia ad cultum Dei ordinantur. Ergo praecepta caeremonialia non sunt figuralia.

Maior prob. Ea quæ maxime continent honestatem et veritatem, non sunt figuralia. Sed quae pertinent ad divinum cultum, debent maxime habere veritatem et honestatem. Ergo ea quæ in cultu Dei aguntur, non sunt figuralia.

Maior hujus manifestatur, quia facere aliquid, ad representandum aliquid aliud (quod est esse figurale) videtur esse theatricum sive poëticum. In theatris enim representabantur olim per aliqua, quæ ibi gerebantur, quaedam aliorum facta, unde nec honestatem, nec veritatem habebant. Ea igitur quæ maxime veritatem et honestatem continent, figuralia esse non possunt.

3. Praecepta quae dantur de fide spe et charitate, non sunt figuralia. Sed *Deus maxime colitur Fide, Spe, et charitate* ut Aug. dicit in Enchir. c. 3.

Ergo praecepta quibus Deus colitur, quæ sunt cæremonialia, non sunt figuralia.

4. Praecepta de divina adoratione non sunt figuralia. Sed praecepta cæremonialia pertinent ad divinam adorationem. Ergo praecepta caeremonialia non sunt figuralia.

Maior prob., quia *Deus est adorandus in spiritu, et veritate*, Joan 4. Sed figura non est ipsa veritas, sed contra eam dividitur. Ergo præcepta de divina adoratione non sunt figuralia.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Apost. ad Coloss. 2. dicit. *Nemo judicet vos in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi aut Neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum.*

Determinatio.

Conclusio. Praecepta caeremonialia antiquae legis sunt figuralia.

Prob. Praecepta pertinentia ad divinum cultum in statu, in quo nec ipsa divina veritas ipsi humano intellectui erat manifesta, neque erat propalata via ad hanc perveniendi, sunt figuralia. Sed praecepta caeremonialia antiquae legis sunt pertinentia ad divinum cultum, in statu, in quo nec ipsam divinam veritatem poterat humanus intellectus intueri, nec erat prolata via ad divinae veritatis visionem perveniendi. Ergo praecepta caeremonialia antiquae legis erant figuralia.

Utraque praemissarum simul declaratur, et probatur.

Sciendum igitur quod cultus Dei ad quem praecepta caeremonialia ordinantur est duplex; interior et exterior. Et ratio hujus distinctionis est, quia cum homo sit compositus ex anima et corpore, utrumque debet applicari ad colendum Deum, ut anima colat Deum interiori cultu, et corpus exteriori. Unde dicitur in Psal. 83. *Cor meum*, idest anima, *et caro mea*, idest corpus, *exultaverunt in Deum vivum*. Hi duo cultus sic se habent quod cultus interior ordinatur in Deum, et cultus exterior ordinatur ad cultum interiorem.

Consistit autem cultus interior in hoc quod anima conjungatur Deo per intellectum, et affectum. Unde secundum quod diversimode intellectus et affectus hominis conjunguntur Deo, diversimode etiam actus exteriores ad divinum cultum applicantur. Si igitur intellectus intueatur ipsam divinam veritatem in se ipsam, et ipsa per affectum fruatur, tunc cultus exterior non poterit esse figurativus, quia habita ipsa veritate, nullus remanet figurae locus. Si vero intellectus non intueatur ipsam divinam veritatem, actus exteriores ordinati ad cultum divinum necessario sunt figurativi.

Status autem humanae cognitionis, respectu divinae veritatis, duplex est: scilicet status praesentis vitae, et status futurae beatitudinis. In statu futurae beatitudinis humanus intellectus intuebitur divinam veritatem in seipsa, et ideo exterior Dei cultus in illo statu, non consistet in aliqua figura, sed solum in laude Dei, quae procedit ex interiori cognitione et affectione, secundum illud Isa. 51. «Gaudium, et laetitia «invenietur in ea, gratiarum actio, et «vox laudis.» In statu autem praesentis vitae non possumus divinam veritatem in seipsa intueri, sed oportet ut «radius «divinae veritatis nobis illucescat sub ali«quibus sensibilibus figuris,» ut Dionys. dicit. cap. 1. cael. hier. Sed quia status humanae cognitionis in hac vita, duplex est, scilicet status antiquae legis, qui jam est consummatus, et status legis gratiae, ideo diversimode humanus intellectus secundum, horum statuum diversitatem, se habet ad cognitionem veritatis. In lege enim veteri, neque ipsa divina veritas in seipsa manifesta erat, neque adhuc propalata erat via ad hoc perveniendi, ut dictum est ad Hebr. 7. et ideo necessarium erat ut exterior divinus cultus esset figurativus duorum,

scilicet ipsius divinae veritatis manifestandae in patria, et Jesu-Christi, qui est via ducens ad illam veritatem

In statu autem novae legis, haec via jam revelata est unde hanc praefigurari non oportet, sicut futuram, sed commemorari per modum praeteriti, vel praesentis: oportet tamen praefigurari gloriæ futurae veritatem nondum revelatam.

Quia igitur status antiquæ legis remotior erat á cognitione divinae veritatis in seipsa, magis erat figuris indigens, quam status novae legis, et propterea ad Heb. 10. dici Apost. *Umbram habet lex, scilicet vetus, futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum,* sicut nova. Umbra enim minus est, quam imago, et umbra pertinet ad legem veterem, imago vero ad legem novam.

Breviter igitur haec omnia colligendo dicitur quod triplex est status humanæ cognitionis respectu veritatis divinae, scilicet legis antiquae, legis novae, et futurae gloriae.

In statu legis antiquae, nec divinam veritatem poterat humanus intellectus intueri, nec erat propalata via perveniendi ad visionem divinae veritatis: Ideo cultus exterior erat figurativus divinae veritatis, et ejus, per quem propalanda erat via.

In statu legis novae non est cognita veritas divina in seipsa, sed propalata est via per Christum qua ad ipsam pervenitur: et ideo cultus exterior novae legis est figurativus veritatis patriae, et commemorativus ejus, qui viam propalavit perveniendi ad visionem veritatis, scilicet Christi.

In statu gloriae divina veritas videbitur in seipsa, unde divinus exterior cultus non erit aliquo modo figurativus, sed solum consistet in Dei laude.

Lex antiqua erat umbra divinae veritatis: Nova est imago: et gloria est ipsamet divina veritas.

Ex quibus patent primo termini assumpti in utraque praemissa, ad probandam conclusionem: et etiam habetur probatio utriusque, et maioris quidem, quae erat: quod praecepta pertinentia ad divinum cultum, in statu, in quo, nec divina veritas erat homini nota, nec propalata erat via ad ipsam, sunt figuralia. Patet, quia oportet ut hujusmodi praecepta in illo statu figurent ipsam veritatem, et eum, qui viam debebat propalare, scilicet Christum.

Minoris etiam probatio patet ex differentia, quae est inter statum legis antiquae ex una parte, et legis novae, et gloriae ex altera. In statu enim gloriae, nulla erit figura. In lege nova, solius gloriae. In lege vero veteri necessarium erat, et veritatem divinam, et propalatorem viae ad ipsam perveniendi, praefigurare.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod aliqua debere esse manifesta, potest dupliciter intelligi. Uno modo absolute. Alio modo respective, scilicet per respectum ad eos, quibus proponuntur, ut sint manifesta juxta eorum capacitatem. Ad maiorem igitur dicitur, quod ea quae sunt manifesta absolute, et simpliciter, profecto non sunt figurativa: Ea autem, quae debent fieri manifesta, juxta capacitatem eorum, quibus proponuntur, possunt esse; immo aliquando necessarium est ut sint figuralia, ut mediantibus figuris possit ille, cui praeceptum proponitur, ad veritatis captum pervenire. Tunc ad minorem dicitur, quod praecepta divina non sunt revelanda hominibus, nisi secundum eorum capacitatem; alioquin daretur eis praecipitii materia, dum contemnerent quae capere non possent: Et ideo utilius fuit, ut sub quodam figurarum velamine divina mysteria rudi populo traderentur, ut saltem ea implicite cognoscerent, dum illis figuris deservirent ad honorem Dei.

Ad 2. Negatur maior. Ad cujus probationem negatur etiam maior, et ad ejus prob. dicitur, quod repraesentatio est

necessaria in poëticis et theatricis, et etiam in pertinentibus ad divinum cultum in hac vita, et praecipue in veteris legis statu, sed diversa ratione. In theatricis enim et poëticis est necessaria repraesentatio propter defectum veritatis. In pertinentibus vero ad divinum cultum est necessaria repraesentatio propter excellentiam veritatis. Quia enim poetica non capiuntur á ratione humana propter defectum veritatis qui est in eis, opus est repraesentatione, ut intellectus aliquid de his capere possit. Et ex altera parte quia veritas divina est tantae excellentiæ quod intellectus eam secundum seipsam capere non potest, necessariae sunt repraesentationes, ut his mediantibus intellectus ed attingendam aliqualiter ipse pervenire possit.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod August. loquitur de cultu interiori ad quem tamen cultum exteriorem ordinari oportet, ut in corpore dictum est.

Ad 4. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod Deus adorandus est in spiritu, et veritate cultu interiori, ad quem per Christum plenius homines sunt introducti, cum quo stat quod in lege veteri essent necessariae figurae, ut dictum est.

ARTICULUS III.

Utrum debuerint esse multa cæremonialia præcepta.

Pro negativa.=Videtur quod debuerint esse multa caeremonialia praecepta.

1. Ea quæ ordinantur ad unum finem, non debent multiplicari. Sed praecepta caeremonialia ordinantur ad cultum Dei, et in figuram Christi, tamquam ad unum finem. Ergo praecepta caeremonialia non debuerunt multiplicari.

Maior prob., quia ea quæ sunt ad finem, debent esse proportionata fini.

Minor prob. Et quod præcepta cæremonialia ordinentur ad cultum Dei, et in figuram Christi jam dictum est art 1. et 2. Quod vero ordinentur ad hæc tamquam ad unum finem, probatur. Quia est *unus Deus, á quo omnia et unus Dominus Jesus Christus per quem omnia*, ut dicitur 1. Corinth. 8.

2. Quod contrariatur humanæ saluti, non debet inveniri in divina lege. Sed multiplicatio præceptorum contrariatur humanæ saluti. Ergo multiplicatio præceptorum non debet esse in divina lege.

Maior probatur. Quia omnis lex debet congruere saluti hominum, ut Isidorus dicit lib. 5. Ethymol. capit. 3. et 21.

Minor prob. Transgressio divinorum praeceptorum contrariatur humanae saluti. Sed multiplicatio caeremonialium praeceptorum est occasio transgressionis: dicit enim Petrus Actor. 15. *Quid tentatis Deum imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus?* Ergo multiplicatio praeceptorum contrariatur humanae saluti.

3. Praecepta, quae pertinebant ad cultum Dei exteriorem, non debuerunt in divina lege multiplicari, sed potius minui. Sed praecepta caeremonialia pertinebant ad cultum Dei exteriorem. Ergo praecepta caeremonialia non debuerunt in divina lege multiplicari, sed potius minui.

Maior prob., quia lex vetus ordinabat ad Christum qui docuit homines Deum colore in spiritu et veritate, Joan. 4.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Oseae 8. dicitur: *Scribam eis multiplices leges intus*, et Job 11. dicitur. *Ut ostenderet tibi secreta sapientiæ, quod multiplex sit lex ejus.*

Determinatio.

Conclusio. Convenienter in veteri lege data fuerunt multa praecepta caeremonialia.

Prob. Praecepta veteris legis necessaria ad revocandum ab idololatria illos qui de populo, cui lex data fuit ad idolorum cultum erant proni, et ad instruendum

eos, qui ad bonum erant inclinati, convenienter multa sunt tradita. Sed praecepta caeremonialia erant necessaria ad revocandum eos, qui de populo judaeorum ad idololatriam proni erant, ab idololatria et ad instruendum eos, qui ad bonum erant inclinati. Ergo convenienter in veteri lege multa praecepta caeremonialia sunt á Deo tradita.

Maior prob. Quoad utramque partem. Et primo quod praecepta, per quae retrahebantur homines ab idololatria deberent esse multa, prob. Fuit enim hoc necessarium propter duo. Primo quia idololatrae multipliciter idolatriæ deserviebant et ideo oportebat é contrario multa institui ad singula reprimenda. Secundo, fuit necessarium imponere multa praecepta his qui ad idololatriam erant inclinati, ad hoc ut quasi honerati his, quae ad cultum Dei impenderent, non vacaret idololatriae deservire.

Altera pars maioris, scilicet quod praecepta caeremonialia debuerint esse multa ad instruendum eos, qui ad bonum proni erant, ostenditur. Fuit enim hoc conveniens et necessarium propter duo. Primo, quia per hoc diversimode mens eorum referabatur in Deum, et magis assidue. Secundo, quia mysterium Christi, quod per hujusmodi caeremonialia figurabatur, multiplices utilitates attulit mundo, et multa circa ipsum consideranda erant, quae oportuit per diversa caeremonialia praefigurari.

Minor prob., quia legis praecepta dantur ad revocandos á malo eos qui ad malum proni sunt, et instruendos bonos qui ad bonum sunt vel ex natura, vel ex assuetudine, vel ex gratia inclinati.

Aliter formatur hic articulus.

Distinctio. In quolibet populo, cui lex datur invenitur duplex hominum genus. Quidam proni sunt ad malum, et hi sunt per præcepta legis coercendi, ut dictum est, quæst. 95. art. 1. Quidam vero sunt inclinati ad bonum, vel ex natura, vel ex consuetudine, vel ex gratia. Et tales sunt per praecepta legis instruendi, et in melius promovendi.

In populo, cui data fuit lex divina, hoc duplex hominum genus inveniebatur. Erant enim in illo populo aliqui ad idololatriam proni: aliqui vero proni erant ad bonum divini cultus. Illos oportebat ab idololatria ad cultum Dei revocare. Hos vero oportebat instruere, et in melius promovere.

Conclusio. Necessarium fuit ut in divina veteri lege traderentur multa praecepta caeremonialia, ad revocandos ad divinum cultum eos qui ad idololatriam proni erant, et ad instruendos, et in melius promovendos eos qui ad divinum cultum proni erant.

Prob. Et quoad priorem partem. Erat enim necessaria multitudo caeremonialium praeceptorum, ad revocandos ad divinum cultum eos, qui ad idololatriam erant inclinati propter duo. Primo, quia cum homines multipliciter idololatriae deservirent, necesse fuit multa praecepta caeremonialia tradere ad singula contraria reprimenda. Secundo necessarium fuit talibus multa praecepta imponere, ut quasi onerati his quae ad cultum Dei impenderent, non vacarent idololatriae deservire.

Altera conclusionis pars prob. Necessaria enim fuit multitudo caeremonialium praeceptorum, ex parte eorum, qui ad cultum divinum erant inclinati, etiam propter duo, Tum quia per hoc mens eorum diversimode referebatur in Deum et magis assidue. Tum etiam quia mysterium Christi, quod per hujusmodi caeremonialia figurabatur, multiplices utilitates attulit mundo, et multa circa ipsum consideranda erant, quae oportuit per diversa caeremonialia praefigurari.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod ordinata ad finem sunt in duplici differentia: quaedam sic se habent quod sunt sufficientia ad conse-

quendum finem, ad quem ordinantur. Quaedam vero sunt deficientia. Ad maiorem dicitur, quod quando aliquid ordinatur ad finem, et sufficiens est ad perducendum ad finem, tunc ad unum finem unum sufficit. Si autem non sufficienter perducat ad finem; unum ad unum finem non sufficit, sed plura sunt necessaria. Sicut si una medicina sit efficax, sufficit ad sanitatem inducendam, et tunc non oportet multiplicari medicinam. Si vero non sit sufficiens ad inducendam sanitatem, plura alia adhibentur remedia infirmo. Maior igitur est vera de eo quod sufficienter conducit ad finem, non autem de eo quod insufficienter inducit ad finem. Tunc ad minorem dicitur, quod caeremoniae veteris legis invalidae, et imperfectae erant ad repræsentandum Christi mysterium, quod est superexcellens, et ad subjugandum mentes hominum Deo. Unde Apost. dicit ad Hebr. 7. *Reprobatio fit præcedentis mandati, propter infirmitatem et inutilitatem, nihil enim ad perfectum adduxit lex.*

Ad 2. Negatur minor. Ad maiorem probationis dicitur, quod quamvis transgressio mandatorum contrarietur humanae saluti, tamen quia sapientis legislatoris est, minores transgressiones permittere, ut maiores caveantur, ideo ut caveretur transgressio idololatriae et superbiae, quae in judaeorum cordibus nasceretur, si omnia praecepta legis implerent, non propter hoc prætermisit Deus multa caeremonialia praecepta tradere, quia de facili sumebant ex hoc transgrediendi occassionem.

Ad 3. Dicitur ad maiorem et ad ejus probationem, quod vetus lex in multis diminuit corporalem cultum propter quod statuit, quod non in omni loco sacrificia offerrentur, neque á quibuslibet, et multa hujusmodi statuit ad diminutionem exterioris cultus, sicut etiam Rabbi Moyses Ægyptius dicit. Oportebat tamen non ita attenuare corporalem cultum Dei, ut homines ad cultum daemonum declinarent.

ARTICULUS IV.

Utrum cæremoniæ veteris legis convenienter dividantur in sacrificia, sacramenta, sacra, et observantias.

Pro negativa.=Videtur quod caeremoniae veteris legis inconvenienter dividantur in sacrificia, sacramenta, sacra, et observantias.

1. Ea quæ ordinabantur ad figurandum Christum, inconvenienter dividuntur in sacrificia, sacra, sacramenta, et observantias. Sed omnia cæremonialia ordinabantur ad figurandum Christum. Ergo caeremonialia inconvenienter dividuntur in quatuor praedicta.

Maior prob., quia per sola sacrificia figurabatur sacrificium, quo Christus *se obtulit oblationem, et hostiam Deo*, ut dicitur ad Eph. 5.

Aliter. Sola sacrificia figurabant Christum. Ergo sola sacrificia sunt caeremonialia.

Antec. prob., quia per sola sacrificia praefigurabatur sacrificium quo Christus se obtulit Deo.

Conseq. prob., quia caeremonialia veteris legis praefigurabant Christum.

2. In nova lege ipsum sacrificium est ipsum sacramentum altaris. Ergo nec in veteri lege debuerunt distingui sacramenta contra sacrificia.

Consequentia probatur: quia vetus lex ordinabatur ad novam.

3. Omnia caeremonialia erant sacra. Ergo inconvenienter una pars caeremonialum sacra nominatur.

Antec. prob., quod est Deo dicatum, et ad divinum cultum ordinatum, est sacrum secundum quem modum tabernaculum, et vasa sanctificari dicebantur. Sed omnia caeremonialia erant ordinata ad cultum divinum, ut dictum est. Ergo omnia caeremonialia erant sacra.

4. Omnia praecepta legis sunt observantiae. Ergo inconvenienter observantiae ponuntur una pars caeremonialium.

Antecedens probatur. Omnia praecep-

ta legis sunt observanda, ut dicitur Deut. 8. Ergo omnia praecepta legis sunt observantiae.

Conseq. haec prob., quia observantiae ab observando dicuntur.

5. Divisio non comprehendens omnia contenta sub diviso, est inconveniens. Sed diviso caeremonialium in quatuor praedicta, non comprehendit omnia caeremonialia. Ergo divisio caeremonialium in quatuor praedicta, non est conveniens.

Minor manifestatur. Solemnitates, oblationes, et munera, inter caeremonialia computantur. Solemnitates quidem quia sunt umbra futuri, ut dicitur ad Coloss. 2. Oblationes vero, et munera inter caeremonialia ponuntur ad Heb. 9. quae tamen non continentur sub aliquo quatuor membrorum assignatorum. Ergo divisio caeremonialium est insufficiens.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In scriptura, haec quatuor caeremoniae vocantur. Ergo convenienter caeremoniae per haec quatuor dividuntur.

Antec. Quoad singula ostenditur.

Et de sacrificiis, dicitur Num. 5. «Offeret vitulum, et sacrificium ejus ac libamenta ut caeremoniae ejus postulant.»

De sacramento etiam ordinis, dicitur Lev. 7. «Haec est unctio Aaron, et filiorum ejus in caeremoniis.»

De sacris, dicitur Exodi. 38. «Haec sunt instrumenta tabernaculi testimonii in caeremoniis Levitarum.»

De observantiis, dicitur 3. Reg. 9. «Si aversi fueritis non sequentes me, nec observantes caeremonias, quas proposui vobis.»

Determinatio.

Conclusio. Caeremoniae veteris legis convenienter dividuntur in sacrificia, sacra, sacramenta, et observantias.

Prob. Ea quae ordinantur ad divinum cultum, convenienter dividuntur in sacrificia, sacramenta, et observantias. Sed caeremoniae antiquae legis ordinabantur ad cultum Dei, ut dictum est. Ergo caeremoniae convenienter dividuntur in sacrificia, sacra, sacramenta, et observantias.

Maior manifestatur. In divino enim cultu tria considerantur. Primum, ipse cultus. Secundum, instrumenta quibus cultus Dei exercebatur, et tertium ipsi qui Deum colebant, qui vel erant ministri in divino cultu, vel caeteri de populo, et sic in exhibendo Deo debitum cultum quatuor concurrunt. Primo cultus. Secundo instrumenta colendi. Tertio ministri. Quarto cæteri de populo, qui Deum colebant.

Ipse divinus cultus consistit in sacrificiis, quae in Dei reverentiam offeruntur. Instrumenta colendi, ut erat tabernaculum, templum, vasa, et hujusmodi dicuntur sacra. Institutio ministrorum, quae fiebat per quamdam consecrationem, pertinet ad sacramenta. Et tandem singularis conversatio populi colentis Deum, per quam distinguitur á populo, qui Deum non colebat, ut sunt ciborum delectus, vestimenta, et alia hujusmodi, pertinent ad observantias.

Sacrificia igitur sunt, in quibus ipse divinus cultus consistit, idest ea quae Deo in reverentiam offeruntur.

Sacra sunt omnia instrumenta, sive loca in quibus sacrificia Deo offeruntur ut vasa templum tabernaculum, etc.

Sacramenta sunt ea, quibus instituuntur ministri in divino cultu, ut unctio etc.

Observationes sunt, quibus populus Deum colens, ab aliis populis qui Deum non colunt, secernitur.

Ex quibus patet quod convenienter quae ordinantur et requiruntur ad divinum cultum, in haec quatuor dividuntur, quae erat maior probanda.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad priorem formam negando maiorem. Ad probationem dicitur, quod quamvis sola sacrificia figurarent Christum, tamen necessaria erant instrumenta offerendi, ut templum et vasa,

necessarii erant ministri, et populus qui Deum coleret, et ideo praeter sacrificia, erant necessaria sacra, sacramenta, et observationes, ad cultum divinum. Et sicut per sacrificia figurabatur Christus immolandus, ita per sacra, sacramenta, et observantias, figurabantur sacra, sacramenta, et observantiae novae legis. In nova enim lege est sacrificium altaris, quod praefigurabatur per omnia sacrificia veteris legis. Sunt vasa quibus sacrificium offertur quae dicuntur sacra. Sunt sacramenta, quibus vel ministri ad cultum Dei dedicantur, ut sacramentum ordinis, vel populus Deo dicatur, ut baptismus et caetera sacramenta.

Et tandem sunt observantiae christianae, ut delectus ciborum, etc.

Ad aliam formam neg. conseq. Ad probationem dicitur, quod caeremoniae praefigurabant Christum, et omnia quae ad Christum pertinebant quae sunt, non solum sacrificium, sed etiam sacramenta, sacra, et observantiae, ut in corpore et in alia responsione ostensum est.

Ad 2. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de sacrificiis, et sacramentis antiquae legis et novae. Sacrificium enim novae legis quod est sacrificium missae, est sacramentum, et sacrificium. Sacramentum quatenus est rei sacrae signum, immo multarum rerum sacrarum sanctificantium nos inter quas est ipse Christus praesens, qui *per suum sanguinem sanctificavit populum suum*, ut dicitur Hebr. ultimo. Sacrificium vero quatenus Deo offertur. Sacrificia vero veteris legis non continebant Christum, sed solum praefigurabant, et ideo non dicuntur sacramenta. Seorsum igitur in lege veteri erant sacramenta, quibus figurabantur ea, quae erant futurae consecrationis.

Ad 3. Neg. conseq. Omnia enim caeremonialia sunt sacra, tamen sunt quaedam sacra', quae non sunt sacramenta, nec sacrificia, nec observantiae, ut dictum est de vasis etc. et ideo haec nominantur communi nomine, et dicuntur sacra.

Ad 4. Dicitur ad maiorem, quod nomen observantiæ dupliciter sumitur. Uno modo communiter, et sic omnia cæremonialia dicuntur observantiæ, qui erant observanda. Alio modo proprie, prout significant conversationem populi Deum colentis, et sic non omnia cæremonialia sunt observantiæ: retinebat enim hæc populi conversatio nomen commune, quatenus á prædictis deficiebat. Non poterant enim hæ observantiæ dici sacra, quia non habebat immediatum respectum ad cultum Dei, sicut tabernaculum et vasa, sed per quamdam consequentiam erant cæremonialia, in quantum pertinebant ad quamdam idoneitatem populi colentis Deum, et multo minus poterant dici sacramenta, aut sacrificia.

Ad 5. Negatur minor. Nam solemnitates inter sacra computabantur, erant enim tempus sacrificiorum offerendorum. Oblationes vero, et munera computantur cum sacrificiis, quia Deo offerebantur. Unde dicitur ad Heb. 5. *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.*

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI

EX PRÆCED. 101.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito á Papa, scripturis, et Concilio insinuatum; quod cæremonialium ratio consistit in hoc, quod pertinent ad cultum Dei. A scripturis quidem, ut Exod. 18. secundum quod adducitur *in arg. cont. Cæremonias* (inquit) et *tritum colendi*: Hoc est cæremonias colendi, et ritum colendi, scilicet Deum. Idest, cæremonias ad cultum Dei pertinentes, et ritum eas-

dem cæremonias concomitantem. Item á Papa Engenio, ut habetur ex q. 103. a. 3. append. ubi dicit, quod divino cultui illa ætate congruebant; et consequenter importat hoc, scilicet, quod ratio cæremonialium, quæ ipse vocat legalia, consistebat in pertinere ad cultum Dei. Item á Concil. Trid. sess. 22. cap. 5. " Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli : propterea pia mater Ecclesia in Missa cæremonias adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliave id genus multa, ex Apostolica disciplina, et traditione: quo et majestas tanti sacrificii commendaretur ; et mentes fidelium per hæc visibilia religionis, et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur. » Quæ pro tanto solum hic adducuntur, pro quanto manifestant intentum hoc, scilicet, quod cæremoniæ pertinent ad divinum cultum, et hoc ipsum quidem ex doctrina Apostolorum. Nec te moveat, quod de novæ legis cæremoniis loquitur; quoniam utrobique formaliter, idest caeremoniarum, ut caeremoniae sunt eadem ratio est: ut homo, licet á brutis maximo intervallo distet, tamen in eo, quod animal est, ejusdem rationis est cum eis: quoniam animal, ut animal, utrobique substantia animata sensibilis esse. *Secundo* vides: quomodo ex iis, etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis et Papa insinuatum, quod caeremonialia erant figuralia. A Papa quidem Eugenio, ut habetur q. 103. a. 3. appen. A scripturis vero, ut Colos. 2. secundum quod est *in arg. cont.* Item per totum fere capitulum ad Heb. 9. ubi et tabernaculum, et hostiae, et animalium sanguis, et annualis introitus Pontificis in sancta sanctorum, assignantur, tamquam figurae Christi, idest multorum á Christo in correspondentiam factorum. Vide tu ibi. Item per ly " Quorum animalium infertur sanguis, etc. horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret populum suum, extra castra passus est. » Heb. 13. Ad ampliorem intenti praemissi insinuationem, vide veritates aureas super totam legem veterem, Exo. 12. concl. 1. Et c. 27. concl. 1. 2. et c. 30. concl. 4. et c. 31. concl. 3. Item Lev. 1. concl. 3. et c. 4. conc. 5. 6. et alibi passim. Vide ibi, sicut et alibi, indicem conclusionum ad haec, et multa similia citius invenienda. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, Glossa, et Papa insinuatum, quod caeremonialia debebant esse multa. A Gl. quidem, per locum á simili, cum super illud Gal. 4. " Ubi venit plenitudo temporis, etc. dicit; Quanto major judex veniebat, tanto praeconum series longior praecedere debebat. » Ac si á simili dicat: Quanto venturi mysteria majora erant futura, tanto caeremonialium figurarum series numerosior praecedere debebat. Vide resp. ad 1. A scripturis vero per dictum Oseae 8. " Scribam eis multiplices leges meas. Hostias offerent, immolabunt carnes, et comedent. » Patet enim hic ad literam ex contextu: quod loquitur Deus de caeremonialibus easque multiplices nominat. Caeterum de sententiis amicorum Job, de quibus fit mentio *in arg. cont.* quomodo universaliter pro veritate intelligi possint, vel non, vide supra a. n. 467. A Papa autem Eugen. ut habetur ex a. 4. app. Ubi nomine communi ipse vocat legalia; quae in textu praesenti sanctus doctor nominat caeremonialia. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: qnomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et Papa insinuatum; quod caeremonialia convenienter dividuntur in quatuor, scilicet, sacra, sacrificia, sacramenta, et observantias. Ut Num. 15. etc. secundum quod distincte adducuntur *in arg. cont.* Item á Papa Eug. III. in Concil. " Flor. Sacrosancta Rom. Ecclesia firmiter credit, profitetur, et docet, legalia veteris testamenti, seu Mosaicae legis: quae dividuntur in caeremonias, sacra, sacrificia, sacramenta, cessasse. » Haec ille. in constit. super unione Jacobinorum. Ubi nomine caeremoniarum, cum eas aliis tribus condividat, intelligi caeremonias quasdam specialiter sumptas: quae in textu isto vocantur observantiae. Caeterum per ly *convenienter* vide de convenientia, et sufficientia scripturarum q. 68. a. 4. append. et 2. 2. q. 122. ar. 2. app. et q. 140. a. 1. app. et q. 179. a. 2. app. *Secundo* vides: etc.

QUÆSTIO CENTESSIMA SECUNDA,

DE CÆREMONIALIUM PRÆCEPTORUM CAUSIS, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de causis cæremonialium præceptorum.

Et circa hoc quæruntur sex.

Primo, utrum præcepta cæremonialia habeant causam.

Secundo, utrum habeant causam literalem, vel solum figuralem.

Tertio, de causis sacrificiorum.

Quarto, de causis sacrorum.

Quinto, de causis sacramentorum.

Sexto, de causis observantiarum.

ARTICULUS I.

Utrum cæremonialia præcepta habeant causam.

Pro negativa.=Videtur quod cæremonialia præcepta non habeant causam.

1. Ea quæ evacuantur per rationabilia præcepta non habent aliquam rationem, sive causam. Sed præcepta cæremonialia veteris legis evacuantur per rationabilia præcepta novæ legis. Ergo præcepta cæremonialia nullam habent rationem, sive causam.

Maior prob., quia ea quæ habent rationem, vel causam, frustra evacuarentur per alia rationabilia præcepta.

Minor probatur. Quia super illud ad Ephes. 2: *Legem mandatorum decretis evacuans*, dicit Glosa interlin. *Idest evacuans legem veterem, quantum ad carnales observantias decretis, idest præceptis Evangelicis, quæ ex ratione sunt.*

2. In lege naturæ fuit aliquod præceptum, quod nullam rationem habebat, nisi ut hominis obedientia probaretur, sicut Aug. dicit 8. super Gen. ad lit. c. 6. de prohibitione ligni scientiæ boni et mali. Ergo etiam in veteri lege aliqua præcepta danda erant, in quibus hominis obedientia, probaretur, quæ de se nullam rationem haberent.

Conseq. prob., quia lex vetus successit legi naturæ.

3. Si præcepta cæremonialia haberent aliquam rationem, non differrent á præceptis moralibus. Ergo præcepta cæremonialia nullam habent causam.

Antec. prob., quia opera hominis dicuntur moralia, quia sunt á ratione. Unde si cæremonialia essent á ratione non different á moralibus.

Conseq. prob., quia ratio præcepti ex aliqua causa sumitur, igitur si cæremonialia non habeant rationem, nec causam habere possunt.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Præcepta Dei non sunt sine rationabili causa. Sed præcepta cæremonialia sunt præcepta Dei. Ergo præcepta cæremonialia non sunt sine rationabili causa.

Maior prob. Præcepta lucida, et illuminantia oculos non sunt sine rationabili causa. Sed præcepta Domini sunt lucida, et illuminantia oculos, ut dicitur in Psal. 17. Ergo præcepta Domini non sunt sine rationabili causa

Determinatio.

Conclusio. Præcepta cæremonialia habent rationabiles causas.

Prob. Ea quæ sunt ordinata, habent rationabiles causas. Sed præcepta cæremonialia sunt ordinata. Ergo præcepta cæremonialia habent rationabiles causas.

Maior manifest. Ad hoc enim ut aliqua sint ordinata, duo requiruntur. Primo quod ordinentur ad debitum finem, qui est principium totius ordinis in rebus agendis: ea enim quæ casu eveniunt, præter intentionem finis, vel quæ non serio fiunt, dicimus esse inordinata. Secundo, ut id quod est ad finem, sit proportionatum fini. Et ex hoc sequitur, quod ratio eorum quæ sunt ad finem, ex fine sumatur: sicut ratio dispositionis serræ, sumitur ex sectione quæ est finis, ut dicitur 2. Phys t. 88.

Minor prob. Ea quæ sunt ex divina sapientia, sunt ordinata. Tum quia sapientis est ordinare, ut dicitur 1. Met.

cap. 2. Tum quia Apostol. dicit Rom. 13. *quæ á Deo sunt, ordinata sunt.* Sed præcepta cæremonialia sunt ex divina sapientia. Unde dicitur Deuter 4. *Hæc est sapientia vestra, et intellectus coram populis.* Ergo præcepta caeremonialia sunt ordinata.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod aliquod præceptum potest dici rationabile dupliciter. Uno modo ex natura actus, sive secundum sui naturam, ut sunt praecepta moralia. Alio modo per ordinem ad aliud, sicut quod serra fiat talis formæ et materiæ, habet rationem solum ex fine. Ad maiorem dicitur, quod ea quæ evacuantur per irrationabilia praecepta, no habent causam, sive rationem ex sui natura, possunt tamen habere rationem per ordinem ad aliquem finem. Tunc ad minorem subsumendam dicitur, quod præcepta cæremonialia secundum se nullam habebant causam: quod enim vestis non conficeretur ex lana, et lino, nullam habebat secundum sui naturam rationem, poterat tamen habere rationem in ordine ad aliud, in quantum vel aliquíd per hoc figurabatur, vel aliquid excludebatur. Decreta vero novæ legis quæ praecipue consistunt in fide, et dilectione Dei, ex ipsa natura actus rationabilia sunt.

Ad 2. Dicitur ad antec. quod prohibitio ligni scientiæ boni et mali, non fuit rationabilis ex sui natura, quasi illud lignum esset malum naturaliter, tamen fuit rationabilis ex ordine ad aliud, in quantum per hoc aliquid figurabatur et sic etiam moralia præcepta legis habent rationem in ordine ad aliud.

Ad 3. Negatur antec. Sive sequela conditionalis, scilicet quod si præcepta cæremonialia haberent aliquam rationem, non different á moralibus. Ad probationem dicitur, quod praecepta moralia habent rationabiles causas ex sui natura. Sicut *non occides. Non furtum facies*, etc. sed praecepta cæremonialia habent rationabiles causas tantum in ordine ad aliud, ut dictum est.

ARTICULUS II.

Utrum præcepta cæremonialia habeant causam literalem, vel figuralem tantum.

Pro negativa. = Videtur quod præcepta caeremonialia non habeant causam literalem, sed figuralem tantum.

1. Circumcisio, et immolatio agni paschalis non habebant nisi causam figuralem. Ergo multo minus alia cæremonialia habebant causam, nisi figuralem.

Consequentia probatur. Quia inter cæremonialia præcepta, præcipua erant circumcisio, et immolatio agni Paschalis.

Antec. prob., quia utrumque horum datum est in signum. Et de circumcisione dicitur Gen. 17. *Circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit signum fœderis inter me, et vos.* De celebratione aute phase quando immolabatur agnus, dicitur Exo. 13. *Erit quasi signum in manu tua, et quasi monumentum ante oculos tuos.*

2. Præcepta figuralia habent solam causam figuralem. Sed omnia præcepta cæremonialia sunt figuralia, ut dictum est supra q. præced. art. 2. Ergo præcepta cæremonialia habent causam tantum figuralem.

Maior prob., quia effectus proportionatur suæ causæ.

3. Illud quod de se est indifferens utrum sic, vel non sic fiat, non videtur habere aliquam literalem causam. Sed quædam sunt in præceptis cæremonialibus, quæ non videntur differre, utrum sic, vel non sic fiant, sicut est de numero animalium offerendorum, et aliis hujusmodi particularibus circumstantiis. Ergo præcepta veteris legis non habent onmia rationem literalem.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In historiis veteris testamenti, præter intellectum mysticum seu figuralem, est

etiam sensus literalis. Ergo etiam præcepta cæremonialia præter causas figurales, habebant etiam causas literales.

Conseq. prob., quia sicut præcepta cæremonialia figurabant Christum, ita etiam historiæ veteris testamenti, dicitur enim 1. Corint. 10. *Omnia in figuris contingebant illis.*

Determinatio.

Conclusio. Præcepta cæremonialia veteris legis habebant non solum causam literalem, sed etiam figuralem.

Prob. Ea quæ in veteri lege ordinabantur ad cultum Dei, pro tempore illo, et ad figurandum Christum, habebant non solum causam literalem, sed etiam figuralem. Sed præcepta cæremonialia veteris legis ordinabantur ad cultum Dei, pro tempore illo, et ad figurandum Christum. Ergo præcepta cæremonialia veteris legis habebant causam, non solum literalem, sed etiam figuralem.

Maior prob. Nam ut dictum est art. præced. Ratio eorum quæ sunt ad finem, oportet quod á fine sumatur. Unde ea quæ ad duplicem finem ordinantur, duplicem habent rationem. Ea igitur quæ ordinantur ad divinum cultum, et ad figurandum Christum, habent causam literalem, ex hoc quod ordinantur ad divinum cultum, et figuralem ex hoc quod ordinantur ad figurandum Christum.

Minor vero prob., quia sicut verba prophetarum sic respiciebant præsens tempus, quod etiam in figuram futuri dicebantur, ut Hierony. super Oseæ dicit, ita cæremoniæ veteris legis sic respiciebant cultum divinum pro illo tempore, quod respiciebant etiam Christum.

Quæ et quot sint rationes literales cæremonialium antiquæ legis.

Ex hoc quod cæremoniæ respiciebant divinum cultum, desumebantur quatuor rationes literales. Cæremoniæ enim secundum quod ordinantur ad divinum cultum,

Aut fuerunt ordinatæ ad excludendum cultum idololatriæ;

Aut ad rememoranda aliqua beneficia;

Aut ad insinuandam divinam excellentiam;

Aut ad designandam dispositionem mentis quæ tunc requirebatur in colentibus Deum. Et hæ sunt quatuor rationes literales, quæ possunt assignari de præceptis cæremonialibus, ut inferius patebit.

Quodlibet enim præceptum cæremoniale, aut est datum ad excludendam idololatriam, aut ad rememoranda Dei beneficia, aut ad insinuandam Dei excellentiam, aut ad designandam dispositionem mentis Deum colentium.

Quot sint rationes figurales cæremonialium præceptorum.

Ex hoc enim quod cæremoniæ sunt figurativæ Christi habere possunt tres rationes figurales, sive mysticas.

Aut enim præcepta cæremonialia figurabant Christum, et Ecclesiam: et ex hoc desumitur allegoria.

Aut figurabant mores populi Christiani: et ex hoc sumitur ratio moralis.

Aut præfigurabant statum gloriæ, prout in eam introducimur per Christum et ex hoc desumitur ratio anagogica.

Sunt igitur in universum rationes, sive causæ moralium præceptorum antiquæ legis septem, quatuor literales, et tres figurales, sive mysticæ.

Literales.

1. Ut excluderetur idololatria.
2. Ut insinuaretur divina excellentia.
3. Ut rememorarentur Dei beneficia.
4. Ut designaretur dispositio mentis eorum, qui Deum colebant.

Figurales.

5. Ut figuraretur Christus et Ecclesia.
6. Ut figurarentur mores populi Christiani.
7. Ut figuraretur status futuræ gloriæ.

Et de his abunde patebit in sequentibus articulis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antec. Ad prob. dicitur, quod sicut intellectus metaphoricæ locutionis in scripturis est literalis (quia verba ad hoc proferuntur, ut hoc significent) ita etiam significationes cæremoniarum legis, quæ sunt commemorativæ beneficiorum Dei, propter quæ instituta sunt, vel aliorum quæ ad illum statum pertinebant, non trascendunt ordinem literalium causarum. Unde quando assignatur causa celebrationis phase, quod est signum liberationis ex Ægypto; et quod circumcisio est signum pacti quod Deus habuit cum Abraham, pertinet ad causam literalem, et non ad figuralem.

Ad 2. Dicitur, quod ratio illa procederet, si cæremonialia essent data tantum ad figurandum futurum, et non ad colendum Deum præsentialiter. Unde ad formam dicitur ad maiorem, quod ea quæ sunt solum figuralia, habent tantum causam figuralem. Et ad minorem dicitur, quod cæremoniæ veteris legis non solum sunt figurales futuri, sed ordinabantur ad aliquod præsens, ad colendum nempe Deum.

Ad 3. Dicitur, quod sicut in legibus humanis dictum est, quod in universali habent rationem, non autem quantum ad particulares conditiones, sed hæc sunt ex arbitrio instituentium; ita etiam multæ particulares determinationes in cæremoniis veteris legis non habent aliquam causam literalem, sed solam figuralem: in communi vero habent etiam causam literalem.

ARTICULUS III.

Utrum possit assignari conveniens ratio cæremoniarum, quæ ad sacrificia pertinent.

Pro negativa.=Videtur quod non possit conveniens ratio assignari cæremoniarum, quæ ad sacrificia pertinent, de quibus habetur Levit. per decem et septem priora capita.

1. Ea quæ sunt necessaria ad sustentandam humanam vitam, inconvenienter Deo in sacrificium offeruntur. Sed ea quæ Deo in sacrificium offerebantur, erant necessaria ad sustentandam humanam vitam. Ergo inconvenienter Deo hujusmodi sacrificia offerebantur.

Maior prob., quia Deus tali sustentamento non indiget, secundum illud Psal. 49. *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?*

Minor prob., quia in sacrificiis offerebantur quædam animalia et panes.

2. In sacrificium divinum non offerebatur nisi de tribus generibus animalium quadrupedium, scilicet de genere boum, ovium, et caprarum, et de avibus quidem turtur, et columba. Specialiter autem in emundatione leprosi, fiebat sacrificium de passeribus. Ergo inconvenientia erant hujusmodi sacrificia.

Conseq. prob. Omne quod est melius et optimum, est Deo exhibendum. Sed multa erant animalia his nobiliora. Ergo etiam ex aliis generibus animalium erat Deo sacrificium offerendum.

3. Homo habuit á Deo dominium non solum volatilium et bestiarum, sed etiam piscium. Ergo inconvenienter pisces á divino sacrificio excludebantur.

4. Indifferenter offerri mandabantur turtures ut columbæ. Ergo sicut mandabantur offerri pulli columbatum, ita debuerunt offerri pulli turturum.

5. Deus est auctor vitæ non solum hominum, sed etiam animalium, ut patet per id quod dicitur Genes. 1. Sed mors opponitur vitæ. Ergo non debuerunt Deo offerri animalia occisa, sed magis animalia viventia: praecipue quia etiam Apostolus monet Rom. 12 «Ut »exhibeamus corpora nostra hostiam vi»ventem, sanctam, Deo placentem.»

6. Si animalia Deo in sacrificium non offerebantur nisi occisa, nulla videtur esse differentia qualiter occidantur. Ergo inconvenienter determinatur modus immolationis, praecipue in avibus, ut patet Levit. 1.

7. Animalia offerebantur Deo occisa. Ergo inconveniens fuit prohibere oblationem animalis imperfecti, puta claudi, aut cœci, aut aliter maculosi.

Conseq. prob., quia omnis defectus animalis via est ad corruptionem et mortem: unde si mortua mandabantur offerri, non erat prohibenda oblatio animalis imperfecti.

8. Illi qui offerunt hostias Deo, debent de illis participare, secundum illud Apostoli 1. Corint. 10. *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Ergo inconvenienter quaedem partes hostiarum offerentibus subtrahebantur, scilicet sanguis, et adeps.

9. Sacrificium holocausti fiebat ex quadrupedibus et volatalibus, et non offerebatur aliquod animal fœminini sexus. Ergo inconvenienter in hostiis pacificis, et in hostiis pro peccato, offerebantur animalia fœminini sexus: et iterum inconvenienter in hostiis pacificis non offerebantur aves, quæ tamen offerebantur in hostiis pro peccato.

Conseq. prob., quia sicut holocausta offerebantur in honorem Dei, ita etiam hostiæ pacificæ, et hostiæ pro peccato. Ergo sicut in holocaustis offerebantur quadrupedia, et aves, et excludebantur animalia fœminini sexus: ita in aliis duobus sacrificiis debuerunt offerri quadrupedia, et aves, et prohiberi fœmininus sexus.

10. Omnes bestiæ pacificæ unius generis esse videntur. Ergo non debuit poni ista differentia, quod quorumdam pacificorum carnes non possent vesci in crastino, quorumdam vero possent vesci, ut mandatur Levit. 7.

11. Omnia peccata in hoc conveniunt, quod á Deo avertunt. Ergo pro omnibus peccatis in Dei reconciliationem, unum genus, sacrificii debuit offerri.

12. Omnia animalia quæ offerebantur in sacrificium, uno modo offerebantur, scilicet occisa. Ergo non videtur conveniens, quod de terra nascentibus diversimode fieret oblatio. Nunc enim offerebantur spicæ, nunc simila, nunc panis, quandoque quidem coctus in clibano, quandoque in craticula.

13. Omnia quæ in usum nostrum veniunt, á Deo recognoscere debemus. Ergo inconvenienter præter animalia, solum hæc Deo offerebantur, scilicet panis, vinum, oleum, thus, et sal.

14. In interiori sacrificio plus est de dulcedine, quam repræsentat mel, quam de mordacitate, quam repræsentat sal. Dicitur enim Eccl. 24. *Spiritus meus super mel dulcis.* Ergo inconvenienter prohibebatur in sacrificio apponi mel, et fermentum, quod etiam facit panem sapidum, et præcipiebatur ibi apponi sal, quod est mordicativum, et thus, quod habet saporem amarum.

Conseq. prob., quia sacrificia corporalia exprimunt interius sacrificium cordis, quo homo spiritum suum offert Deo. Ergo videtur quod ea quæ pertinent ad cæremonias sacrificiorum, non habeant rationabilem causam.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ea quæ sunt cum sapientia instituta, habent rationabiles causas. Sed omnia sacrificia sunt cum sapientia instituta. Ergo omnia sacrificia habent rationabiles causas.

Minor probatur. Quia hæc sacrificia instituta sunt á Deo. Dicitur enim Levit. 1. «Oblata omnia adolebit sacerdos super altera in odorem suavissimum Domino, qui neminem diligit, nisi qui cum «sapientia inhabitat,» ut dicitur Sap. 7.

Determinatio.

Distinctio. Cæremoniæ veteris legis duplicem causam habebant. Unam literalem secundum quod ordinabantur ad cultum Dei; et aliam figuralem, sive mysticam, secundum quod ordinabantur ad figurandum Christum, prout dictum est art. præced.

Conclusio. Cæremoniæ, quæ ad sacrificia pertinent, habent convenientem

rationem literalem et figuralem, communem et particularem.

Quæ conclusio habet quatuor partes.

Prima, quod cæremoniæ quæ ad sacrificia pertinent, habent rationem literalem communem.

Secunda, quod habent rationem figuralem communem.

Tertia, quod habent rationem literalem particularem.

Quarta, quod habent rationem figuralem particularem.

Quarum duæ primæ probantur in corpore, reliquæ vero duæ ex responsionibus argumentorum remanent manifestæ.

Prima igitur pars, scilicet quod cæremonia ad sacrificia pertinentes haberent convenientem literalem rationem communem, manifestatur. Cæremoniæ, per quas representabatur ordinatio mentis in Deum, et per quas Dei cultores ab idololatria retrahebantur, habent convenientem literalem rationem communem. Sed sacrificia veteris legis erant cæremoniæ, per quas representabatur ordinatio mentis in Deum, ad quam etiam per ipsa sacrificia excitabatur offerens. Ergo sacrificia habent convenientem literalem rationem communem.

Maior ostenditur: Nam ratio literalis cæremoniarum desumitur ex hoc, quod ad Dei cultum ordinabantur: et cum directio intentionis in Deum sit ipse Dei cultus, hinc fit quod illæ cæremoniæ, quæ repræsentabant hanc mentis directionem in Deum, haberent convenientem rationem literalem.

Minor manifestatur quoad utramque partem, et primo quoad primam. Pro quo est sciendum, quod ad directionem mentis in Deum, duo requiruntur, primo, ut homo recognoscat á Deo, ut á primo principio, habere omnia quæ habet, et in ipsum tamquam in ultimum finem omnia ordinet. Secundo, ut ea quæ habet á solo Deo recognoscat, et ad solum Deum, tamquam ad ultimum finem ordinet, et non ab alio tamquam á primo principio recognoscat, nec ad alterum tamquam ad ultimum finem ordinet. Quæ duo repræsentabantur per sacrificia, secundum quod homo ex rebus suis, quasi in recognitionem, quod eas habebat á Deo, in honorem Dei offerebat, secundum quod dixit David 1. Paralip. c. 29. *Tua sunt omnia, et quod de manu tua accepimus, dedimus tibi.* In hoc quod dicit de manu tua accepimus recognoscit Deum, ut primum principium. In hoc vero quod subdit, dedimus tibi, recognoscit Deum ut ultimum finem, ad quem omnia essent referenda. Alterum quod pertinet ad directionem intentionis in Deum, in sacrificiis repræsentabatur, quia prohibebantur offerri alteri á Deo. Unde Exod. 22. dicitur. *Qui immolat Diis, occidetur, præter domino soli.*

Altera pars minoris scilicet, quod per sacrificia retraherentur cultores Dei ab idololatria, ostenditur. Præcepta de sacrificiis non fuerunt data populo judæorum nisi postquam declinavit ad idololatriam, adorando vitulum conflatilem, quasi hujusmodi sacrificia sint instituta, ut populus id sacrificandum promptus, hujusmodi sacrificia magis Deo, quam idolis offerret. Unde dicitur Iere. 7. *Non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Egypti, de verbo holocaustomatum et victimarum.*

Ratio igitur literalis sacrificiorum, communis omnibus sacrificiis erat duplex. Prima ut populus per sacrificia dirigeret mentem in Deum, recognoscendo ab ipso omnia quæ habebat, tamquam á primo principio, et ordinando omnia in ipsum, tamquam in ultimum finem, et ut á solo Deo omnia recognosceret, ut á primo principio et ad solum ipsum omnia ordinaret, tamquam in ultimum finem. Altera literalis ratio etiam communis omnibus sacrificiis erat, ut populus á cultura idolorum ratraheretur.

Secunda conclusionis pars, scilicet quod sacrificia haberent rationem figuralem communem, ostenditur. Omnia sacrificia antiquæ legis ordinabantur ad figurandum verum Christi sacrificium. Ergo ex sacrificio Christi desumitur omnium sacrificiorum ratio.

Antec. ostenditur. Nam inter omnia dona, quæ Deus humano generi per peccatum lapso contulit, præcipuum est quod dedit filium suum. Unde dicitur Jo. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et ideo potissimum sacrificium est, quo Christus *seipsum obtulit Deo in odorem suavitatis*, ut dicitur Ephes. 5. Et propter hoc, omnia alia sacrificia offerebantur in lege, ut hoc unum singulare, et præcipuum sacrificium figuraretur, tamquam perfectum per imperfecta. Unde Apostol. dicit Heb. 10. quod *sacerdos veteris legis easdem sæpe offerebat hostias, quæ numquam possunt auferre peccata. Christus autem obtulit unum pro nobis sempiternum.*

In forma sic prob. antec. Sacrificia imperfecta sunt figura sacrificii perfectissimi. Sed sacrificia veteris legis erant imperfecta, Christi vero sacrificium est perfectissimum. Ergo sacrificia veteris legis figurabant sacrificium Christi.

Consequentia vero præcipuæ rationis ostenditur, quia ex figurato accipitur ratio figuræ. Cum igitur sacrificia antiquæ legis sint figura sacrificii Christi, ex Christi sacrificio desumenda est ratio figuralis omnium sacrificiorum.

Figuralis igitur communis ratio, quare instituta sunt sacrificia est, ut essent figura singularissimi et præcipui sacrificii, quo Christus seipsum obtulit Deo in odorem suavitatis.

Reliquæ vero duæ conclusionis partes, scilicet quod sacrificia veteris legis habeant peculiares rationes literales et figurales, patebunt, ut dictum est in solutionibus argumentorum, in quibus assignabitur propria, literalis, et figuralis ratio institutionis singulorum sacrificiorum et cæremoniarum quæ ad ipsa pertinent.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod Deus nolebat hujusmodi secrificia sibi offerri propter ipsas res quæ offerebantur, quasi eis indigeret. Unde dicitur Isa. 1. *Holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et hircorum, et agnorum nolui.* Sed volebat ea sibi offerri (ut supra dictum est art. 2.) tum ad excludendam idololatriam, tum ad significandum debitum ordinem mentis humanæ in Deum, tum etiam ad figurandum mysterium redemptionis humanæ per Christum.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod conveniens fuit hujusmodi animalia offerri, scilicet de genere boum, ovium, et caprarum, et de avibus turtures et columbæ duplici ratione, scilicet literali et figurali. Ratio literalis duplex fuit. Prima, quia per oblationem horum animalium excludebatur idololatria. Secunda, quia significabatur ordinatio mentis in Deum.

Quod autem per sacrificium horum animalium excluderetur idololatria, manifestatur. Nam omnia alia animalia offerebant idololatræ diis suis, vel eis ad maleficia utebantur. Ista autem animalia, scilicet boves, oves, et capræ, apud Ægyptios, cum quibus conservati erant Hæbræi, abominabilia erant ad occidendum, et ideo ea non offerebant diis suis in sacrificium. Unde dicitur Exod. 8. *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro*; oves enim colebant. Hircos venerebantur, quia in eorum figura dæmones apparebant. Bobus etiam utebantur ad agriculturam, quam inter res sacras habebant.

Quod vero per oblationem horum animalium significaretur mentis ordinatio in Deum, patet ex duobus. Primo quia per hujusmodi animalia maxime susten-

tatur vita humana, et cum hoc mundissima sunt, et mundissimum habent nutrimentum. Alia vero animalia, vel sunt silvestria, et non sunt communiter usui hominum deputata, vel si sunt domestica, immundum habent nutrimentum, ut sunt porcus et gallina, solum autem id quod est purum, Deo est attribuendum. Per hoc igitur quod offerebantur Deo, ea animalia quæ sunt ad sustentamentum humanæ vitæ, et quæ purissima erant, optime designabatur ordinatio mentis in Deum.

Secundo, per sacrificia horum animalium ordinabatur mens in Deum, quia per immolationem horum animalium designabatur puritas mentis. Nam Glosa Levit. 1. dicit, «Vitulum offerimus, cum «carnis superbiam vincimus. Agnum cum «irrationales motus corrigimus. Hædum «cum lasciviam superamus. Turturem, «dum castitatem servamus. Panes azymos «cum in azymis sinceritatis ambulamus.» In columba significatur castitas et mentis simplicitas.

Ratio vero figuralis sacrificiorum horum animalium erat, quia hæc animalia offerebantur in figuram Christi. Unde Glosa ibi supra dicit. «Christus in vitu«lo offertur propter virtutem crucis. In «agno propter innocentiam. In ariete »propter principatum. In hirco propter «similitudinem carnis peccati. In turture «et columba duarum naturarum conjunc«tio monstrabatur. In similagine asper«sio credentium per aquas baptismi fi«gura batur.»

Ad 3. Negatur consequentia. Duplici enim ratione pisces non offerebantur in sacrificiis. Prima quia cum pisces in aqua vivant, magis sunt alieni ab homine, quam cætera animalia. Secunda, quia pisces ex aqua extracti statim moriuntur, unde non poterant in templo offerri, sicut alia animalia.

Ad 4. Negatur conseq. Cum enim omne quod est optimum, Deo sit offerendum, et cum turtores meliores sint maiores quam pulli, et in columbis é converso meliores sint pulli, quam maiores. Ideo præceptum est, ut offerrentur turtures et pulli columbarum.

Ad 5. Dicitur ad consequentiam, quod animalia occidebantur triplici ratione. Prima et est literalis, quia veniunt in usum hominis occisa, secundum quod á Deo dantur homini ad esum, et ideo etiam igni cremabantur, quia per ignem decoacta, apta fiunt usui humano.

Secunda ratio et est etiam literalis, quia per occissionem animalium significatur destructio peccatorum, et quod homines digni erant occissione pro peccatis suis, ac si illa animalia loco eorum occidererentur, ad significandum expiationem peccatorum.

Tertia ratio quæ est figuralis, quia per occisionem hujusmodi animalium significabatur occisio Christi.

Ad 6. Negatur consequentia. Specialis enim modus occidendi animalia immolata determinabatur in lege duplici ratione.

Prima est literalis, ad excludendos alios modos quibus idololatræ animalia idolis immolabant.

Vel secunda ratio et est etiam literalis, quam Rabbi Moyses assignat, lex elegit genus occisionis, quo animalia minus affligebantur occisa, per quod etiam excludebatur immisericordia offerentium, et deterioratio animalium occisorum.

Ad 7. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod animalia maculosa solent haberi contemptui, etiam apud homines: ideo prohibitum est ne Deo in sacrificium offerrentur, propter quod etiam prohibitum erat ne mercedem prostibuli, aut pretium carnis in domum Dei offerrent; et eadem etiam ratione non offerebant animalia ante septimum diem quia talia animalia erant quasi abortiva, nondum plene consistentia propter teneritudinem.

Ad 8. Dicitur ad antecedens, quod

triplex erat genus sacrificiorum: primum dicebatur holocaustum: secundum, hostia pro peccato: tertium, hostia pacifica.

Holocaustum offerebatur Deo specialiter ad reverentiam majestatis ipsius, et amorem bonitatis ejus.

Hostia pro peccato offerebatur Deo, ex necessitate remissionis peccati.

Hostia pacifica offerebatur Deo, vel pro gratiarum actione, vel pro salute et prosperitate offerentium ex debito beneficii accipiendi vel accepti.

Holocaustum totum comburebatur: unde dicebatur holocaustum, idest totum incensum.

Hostia pro peccato dividebatur in duas partes, quarum una comburebatur, altera vero cedebat in usum sacerdotum.

Hostia pacifica dividebatur in tres partes. Una pars incendebatur in Dei honorem: alia pars cedebat in usum sacerdotum, quæ erat pectusculum et armus dexter: tertia pars veniebat in usum offerentium. Et hoc generaliter in omnibus sacrificiis observabatur quod sanguis et adeps non veniebat in usum sacerdotum, nec offerentium.

Holocaustum conveniebat statui perfectionis in impletione consiliorum.

Hostia pro peccato conveniebat statui pœnitentium in satisfactione peccatorum.

Hostia pacifica conveniebat statui proficientium in impletione mandatorum.

Ratio quare holocaustum totum comburebatur, erat ut significaretur quod sicut totum animal resolutum in vaporem sursum ascendebat, ita etiam totum hominem et omnia quæ ipsius sunt, Dei dominio esse subjecta et ei offerenda.

Ratio quare hostia pro peccato dividebatur in duas partes, quarum una comburebatur, et altera cedebat in usum sacerdotum, erat ad significandum quod expiatio peccatorum fit á Deo per ministerium sacerdotum.

Sed sciendum quod hujusmodi sacrificium aliquando offerebatur pro peccato offerentis, aliquando pro peccatis totius populi, et aliquando specialiter pro peccato sacerdotis.

Quando offerebatur pro peccato tantum alicujus particularis, tunc dividebatur in duas partes prædictas, quarum una cedebat in usum sacerdotum, et altera comburebatur ratione jam dicta, quia scilicet peccatorum expiatio fit á Deo per sacerdotes.

Quando vero offerebatur pro peccatis totius populi vel pro peccato sacerdotis, totum comburebatur, et hoc duplici ratione.

Prima est, quia non debebant in usum sacerdotum venire ea quæ pro peccato eorum offerebantur, ut nihil peccati in eis remaneret.

Secunda ratio est, quia si pars eorum quæ vel pro peccato sacerdotum specialiter, vel pro populo sub quo etiam sacerdotes ipsi comprehendebantur, veniret in usum eorum pro quibus offeruntur, idem esse videretur, ac si non offerretur.

Ratio autem quare hostia pacifica dividebatur in tres partes, quarum prima comburebatur, altera cedebat in usum sacerdotum, et altera in usum offerentium, est ut significaretur quod salus hominis procedit á Deo, dirigentibus Dei ministris, cooperantibus ipsis hominibus qui salvantur.

Ratio quare de hostiis pacificis in usum sacerdotis cedebat pectusculum et armus dexter, erat duplex: prima, ad excludendam quamdam divinationis speciem, quæ vocatur spatulamantia, quia scilicet in spatulis animalium immolatorum divinabant, et similiter in osse pectoris, et ideo ista offerentibus subtrahebantur.

Secunda. Per hoc etiam significabatur quod sacerdoti erat necessaria sapientia cordis ad instruendum populum quod significabatur per pectus, quod est tegumentum cordis, et etiam fortitudo ad sus-

tentandum defectus, quæ significatur per armum dextrum.

Ratio vero quare sanguis et adeps non veniebant in usum sacerdotum nec offerentium, sed sanguis effundebatur ad crepidinem altaris in honorem Dei, et adeps adurebatur in igne, erat quadruplex.

Prima fuit, ad excludendam idololatriam: idololatræ enim bibebant de sanguine victimarum, et comedebant adipes, secundum illud Deut. 32. *De quorum victimis comedebant adipes, et bibebant vinum libaminum.*

Secunda ratio est, ad informationem humanæ vitæ: prohibebatur enim eis usus sanguinis, ad hoc ut horrorent humani sanguinis effusionem: unde dicitur Gen. 9. *Carnem cum sanguine non comedetis.* Esus vero adipis prohibebatur eis ad refrænandam lasciviam. Unde dicitur Ezechielis 34. *Quod crassum erat, occidebatis.*

Tertia vero ratio est propter reverentiam divinam, quia sanguis est maxime necessarius ad vitam, ratione cujus dicitur animam esse in sanguine. Adeps autem abundantiam nutrimenti demonstrat, et ideo ut ostenderetur quod á Deo est nobis, et vita, et omnium bonorum sufficientia, ad honorem Dei effundebatur sanguis, et adurebatur adeps.

Quarta ratio est, quia per hoc figurabatur effusio sanguinis Christi, et pinguedo charitatis ejus, per quam se obtulit Deo pro nobis.

Ad 9. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod quamvis omnia sacrificia in Dei honorem oblata essent, tamen in holocausto non offerebantur nisi animalia masculini generis, et in hostia pro peccato offerebantur aves, non autem in hostia pacifica, duplici ratione: prima, quia holocaustum erat perfectissimum inter sacrificia, et ideo non offerebatur nisi masculus: nam fœmina est animal imperfectum. Oblatio turturum et columbarum fiebat in holocaustum propter paupertatem offerentium: holocaustum enim erat necessario offerendum: et quia pauperes maiora animalia offerre non poterant, offerebant turtures vel columbas; et eadem ratione hujusmodi aves poterant offerri in hostiis pro peccato, quia scilicet hujusmodi hostiæ erant quandoque necessario offerendæ. Ne igitur gravarentur pauperes, hæc animalia poterant offerri in holocaustum et in hostiam pro peccato: hostias vero pacificas nullus tenebatur offerre necessario, et ideo pauperes poterant omittere tales offerre hostias; unde non offerebantur in hoc sacrificio nisi animalia quadrupedia.

Secunda ratio est, quia hujusmodi aves propter altitudinem volatus, congruunt perfectioni holocaustorum. Et quia habent gemitum pro cantu congruunt hostiis pro peccato.

Ad 10. Dicitur ad antecedens, quod quamvis omnes bestiæ pacificæ sint unius generis, tamen quia habent ordinem quemdam ad invicem in sanctitate, propterea rationabiliter observabatur quædam differentia in comestione carnium diversorum sacrificiorum: inter omnia enim sacrificia holocaustum erat præcipuum, quia totum comburebatur in honorem Dei, et nihil ex eo comedebatur. Secundum vero locum in sanctitate tenebat hostia pro peccato, quæ comedebatur solum in atrio, á sacerdotibus in ipsa die sacrificii. Tertium vero gradum tenebant hostiæ pacificæ pro gratiarum actione, quæ comedebantur ipsa die, sed ubique in Jerusalem. Quartum vero locum tenebant hostiæ pacificæ ex voto, quarum carnes poterant in crastinum comedi.

Ratio hujus ordinis est, primo, quia, maxime homo Deo obligatur propter ejus majestatem: secundo, propter offensam dimissam: tertio, propter beneficia jam suscepta, quarto, propter beneficia separata.

Ad 11. Dicitur ad antecedens, quod quamvis omnia peccata conveniant in hoc quod á Deo avertunt, tamen gravantur

ex statu peccantis, ut dictum est quæst. 75. art. 10. et ideo alia hostia mandabatur offerri pro peccato sacerdotis et alia pro peccato principis, vel alterius privatæ personæ, et propterea diversa animalia pro diversitate peccatorum diversarum personarum offerebantur. Est autem attendendum, ut Rabbi Moyses dicit, quod *quanto gravius erat peccatum, tanto vilior species animalis offerebatur pro eo.* Unde capra, quod est vilissimum animal, offerebatur pro idololatria, quod est gravissimum peccatum: pro ignorantia sacerdotis offerebatur vitulus: et pro negligentia principis hircus.

Ad 12. Negatur consequentia. Ratio enim quare animalia omnia offerabantur uno modo, scilicet occisa, ea vero quæ ex terra nascebantur, diversimode offerebantur, est duplex: una litèralis, altera vero figuralis. Literalis fuit, quia lex in sacrificiis providere voluit offerentium paupertati, ut qui non posset habere animal quadrupes, saltem offerret avem, quam qui non posset habere, saltem offerret farinam vel spicas: causa vero figuralis fuit, quia panis significat Christum, qui est *panis vivus*, ut dicitur, Joan. 6. Qui quidem erat sicut spica, in statu legis naturæ in fide patrum: erat sicut simila in doctrina legis prophetarum: erat sicut panis formatus post assumptam humanitatem, coctus igne, idest formatus Spiritu Sancto in clibano uteri virginalis qui etiam fuit coctus in sartagine per labores quos in mundo sustinuit: in cruce vero quasi in craticula fuit adustus.

Ad 13. Negatur consequentia. Convenienter enim præter animalia offerebantur solum illa quinque, scilicet panis, vinum, oleum, sal et thus, duplici rationi. Una est literalis, altera figuralis. Literalis est, quia ea quæ de terræ nascentibus in usum hominis veniunt, vel sunt in cibum, et de eis offerebatur panis: vel in potum, et de his offerebatur vinum; vel in condimentum, et de his offerebatur oleum et sal; vel in medicamentum, et de his offerebatur thus, quod est aromaticum et consolidativum. Figuralis vero ratio est, quia per panem figurabatur caro Christi, per vinum, sanguis ejus; oleum ejus gratiam, sal scientiam, thus orationem significant.

Ad 14. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod quamvis sacrificia corporalia repræsentarent interius sacrificium quo homo spiritum suum offert Deo; tamen rationabiliter á divino sacrificio excludebatur mel et fermentum, et offerebatur sal et thus. Mel excludebatur duplici ratione. Prima, quia mel consueverat offerri in sacrificiis idolorum: secunda, ad significandum quod á divino spirituali sacrificio debet excludi omnis carnalis dulcedo. Fermentum etiam excludebatur duplici ratione. Prima, quia forte etiam in sacrificiis idolorum solitum erat offerri: secunda, ad excludendam corruptionem. Sal offerabatur duplici ratione. Prima, quia impedit corruptionem putredinis, sacrificia autem Dei debent esse incorrupta: secunda, quia per sal significatur discretio sapientiæ, vel etiam mortificatio carnis. Thus offerebatur duplici ratione. Prima, ad designandam devotionem mentis, quæ est necessaria offerentibus: secunda, ad designandum odorem bonæ famæ: thus enim est pingue, per quod significatur devotio; et est odoriferum, per quod significatur bona fama. Unde in sacrificio zelotypiæ, quia non procedebat ex devotione, sed magis ex suspicione, non offerebatur thus.

ARTICULUS IV.

Utrum assignari possit certa ratio cæremoniarum quæ ad sacra pertinent.

Pro negativa.—Videtur quod cæremoniarium veteris legis, quæ ad sacra pertinent, sufficiens ratio assignari non possit.

1. Deus non in manufactis templis habitat. Ergo inconvenienter ad cultum Dei tabernaculum vel templum in veteri lege est institutum.

Antecedens prob., quia Actorum 17. dicitur: *Deus qui fecit mundum, et omnia quæ in eo sunt, hic cœli et terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat.*

2. Status veteris legis non fuit immutatus nisi per Christum. Sed tabernaculum designabat statum veteris legis. Ergo tabernaculum non debuit mutari per ædificationem templi.

3. In lege quæ debebat inducere homines ad divinum cultum, debebant esse multa templa et multa altaria. Sed divina lex vetus præcipue debebat inducere homines ad cultum divinum. Ergo in lege veteri non debuit esse solum unum templum, et unum altare, et unum tabernaculum, sed multa.

Maior prob., quia ad argumentum divini cultus pertinet, quod fiant multa altaria et multa templa, ut patet in lege nova.

4. Illud quod ordinatur ad Dei cultum, inconvenienter videtur per aliqua interposita esse distinctum in plures partes, seu loca. Sed tabernaculum et templum in veteri lege ordinabantur ad divinum cultum. Ergo inconvenienter videtur tabernaculum et templum fuisse per quædam vela distincta.

Maior prob., quia in Deo oportet præcipue venerari unitatem et simplicitatem.

5. Quod est institutum ad Dei adorationem, debet esse magis dispositum versus orientem quam versus occidentem. Sed tabernaculum fuit institutum ad Dei adorationem. Ergo tabernaculum debebat esse dispositum magis versus orientem quam versus occidentem.

Maior prob., quia virtus primi moventis qui est Deus, primo apparet á parte orientis, á qua parte incipit primus motus.

6. Dominus præcepit Exod. 20. ut *non facerent sculptile, neque aliquam similitudinem.* Ergo inconvenienter in tabernaculo vel in templo fuerunt sculptæ imagines cherubim. Ac etiam per hoc sine rationabili causa videntur fuisse ibi arca propitiatorium, candelabrum, mensa, et duplex altare.

7. Exod. 20. Dominus præcepit: *Altera de terra facietis mihi.* Et iterum: *non ascendes ad altare meum per gradus.* Ergo inconvenienter mandatur postmodum altare fieri de lignis, auro vel ære contextis, et tantæ altitudinis, ut ad illud nisi per gradus ascendi non posset: dicitur enim Exod. 27: *Facies altare de lignis Sethim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, et totidem in latitudine, et tres cubitos in altitudine, et operies illud ære.* Et Exod. 30. dicitur, *Facies altare ad adolendum thymiamata de lignis Sethim, vestiesque illud auro purissimo.*

8. Uni tabernaculo vel domui sufficit unum operimentum. Ergo inconvenienter tabernaculo fuerunt apposita multa tegumenta, scilicet cortinæ, saga cilicina, pelles arietum rubricatæ, et pelles hyacinthinæ.

Conseq. prob., quia in operibus Dei nihil debet esse superfluum, sicut nec in operibus naturæ aliquid superfluum invenitur.

9. Corpora inanimata inconvenienter consecrantur. Sed tabernaculum et ejus vasa erant corpora inanimata. Ergo tabernaculum et vasa inconvenienter consecrabantur.

Maior probatur, quia consecratio exterior interiorem sanctitatem significat, cujus sanctitatis subjectum est anima.

10. Deus semper est laudandus, et non solum certis diebus. Sed solemnitates instituuntur ad laudandum Deum. Ergo non fuit conveniens ut instituerentur aliqui certi dies ad solemnitates peragendas.

Maior prob., quia in Psalmo. 33. dicitur: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.*

Ex quibus omnibus videtur, quod cæremoniæ sacrorum; de quibus habetur

Exod. 25. 26. 27. 28. convenientes causas non haberent.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Quæ representant imaginem cælestium, sunt valde rationabilia. Sed cæremoniæ sacrorum representabant imaginem cælestium. Ergo cæremoniæ sacrorum habent rationabilem causam.

Minor prob., quia ad Hebræos 8. dicitur quod *illi qui offerunt secundum legem munera, exemplari et umbræ deserviunt cælestium, sicut responsum est Moysi, dum consummaretur tabernaculum*: vide (inquit) *omnia facito secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.*

Determinatio.

Conclusio. Cæremoniarum quæ ad sacra pertinebant in lege veteri, potest certa ratio assignari.

Manifestatur. Duplex enim causa harum cæremoniarum quæ ad sacra pertinent, assignari potest: una literalis, altera figuralis. Causa sive ratio literalis harum cæremoniarum, est ut homines Deum in reverentiam habeant: causa vero figuralis est, quia per hujusmodi sacra figurabatur mysterium Christi.

Quod per hujusmodi cæremonias quæ ad sacra pertinent, inducerentur homines in divinam reverentiam, ostenditur: Nam habet hoc humanus affectus, ut ea quæ communia sunt et non distincta ab aliis, minus revereatur: ea vero quæ habent aliquam excellentiæ discretionem ab aliis, magis admiretur et revereatur. Et inde etiam consuetudo inolevit, ut reges et principes, quos oportet in reverentia haberi á subditis, et pretiosioribus vestibus ornentur, et ampliores et pulchriores possideant habitationes. Et propter hoc oportuit ut aliqua specialia tempora, speciale tabernaculum, specialia vasa et speciales ministri ad cultum Dei ordinarentur, ut per hoc animi hominum ad maiorem reverentiam erga Deum adducerentur.

Quod vero ad figurandum mysterium Christi fuerint hujusmodi cæremoniæ, quæ ad sacra pertinent, necessariæ, ostenditur; quia ad figurandum aliquid oportet institui aliquod determinatum, ut sic figuratum repræsentare possit. Ergo cum mysterium Christi aliquid determinatum sit, ad illud figurandum aliqua determinata erant instituenda.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod cultus Dei duo respicit, scilicet Deum qui colitur, et homines colentes. Tunc ad antecedens dicitur quod ipse Deus qui colitur, nullo corporali loco clauditur, unde propter ipsum non oportuit speciale tabernaculum fieri, aut templum. Sed homines ipsum colentes corporales sunt, et propter eos oportuit speciale tabernaculum vel templum institui ad cultum Dei, propter duo. Primo quidem, ut ad hujusmodi locum convenientes, cum hac cogitatione quod deputaretur ad colendum Deum, cum maiori reverentia accederent. Secundo, ut per dispositionem talis templi vel tabernaculi significarentur aliqua pertinentia ad excellentiam divinitatis vel humanitatis Christi, et hoc est quod Salomon dicit 3. Regum 8. *Si cælum, et cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificavi tibi?* Et postea subdit: *Sint oculi tui aperti super domum hanc, de qua dixisti, erit nomen meum ibi, ut exaudias deprecationem servi tui, et populi tui Israël.* Ex quo patet quod domus sanctuarii non est instituta ad hoc quod Deum capiat, quasi localiter inhabitantem, sed ad hoc quod nomen Dei inhabitet ibi, idest ut notitia Dei ibi manifestetur per aliqua quæ ibi fiebant vel dicebantur, et quod propter reverentiam loci, orationes fierent ibi magis exaudibiles ex devotione orantium.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod status veteris legis non fuit immutatus ante Christum, quantum ad impletionem

legis quæ facta est per solum Christum: est tamen immutatus quantum ad conditionem populi qui erat sub lege: nam primo populus fuit in deserto, non habens certam mansionem. Postmodum autem habuerunt varia bella cum finitimis gentibus. Ultimo autem tempore David regis et Salomonis populus ille habuit quietissimum statum, et tunc primo ædificatum fuit templum in loco quem designaverat Abraham ex divinia demonstratione ad immolandum: dicitur enim Gen. 22. quod Dominus mandavit Abrahæ ut offerret filium suum in holocaustum *super unum montium, quem monstravero tibi*: et postea dicit quod *appellavit nomen illius loci; Dominus videt*, quasi secundum Dei prævisionem esset locus ille electus ad cultum divinum: propter quod dicitur Deuter 12. *Ad locum quem elegerit Dominus Deus vester, venietis et offeretis holocausta et victimas vestras.* Locus autem ille designari non debuit per ædificationem templi ante tempus prædictum, propter tres rationes quas Rabbi Moyses assignat. Prima est, ne gentes appropriarent sibi locum illum: secunda, ne gentes ipsum dsstruerent: tertia, ne quælibet tribus vellet habere locum illum in sorte sua, et propter hoc orirentur lites et jurgia, et ideo non fuit ædificatum templum, donec haberent regem per quem posset hujusmodi jurgium compesci. Antea vero ad cultum Dei per erat ordinatum tabernaculum portatile diversa loca, quasi nondum existente determinato loco divini cultus. Et hæc est ratio literalis diversitatis tabernaculi et templi.

Ratio autem figuralis esse potest, quia per hæc duo significatur duplex status: per tabernaculum enim, quod est mutabile, significatur status præsentis vitæ mutabilis. Per templum vero, quod erat fixum et stans, significatur status futuræ vitæ, qui omnino immutabilis est: et propter hoc in ædificatione templi dicitur, quod non est auditus sonitus mallei vel securis, ad significandum quod omnis perturbationis tumultus longe erit á futuro statu: vel per tabernaculum significatur status veteris legis: per templum autem á Salomone constructum, status novæ legis: unde ad constructionem tabernaculi soli judæi sunt operati; ad ædificationem vero templi cooperati sunt etiam gentiles, scilicet Tyrii et Sidonii, ut patet 3. Regum cap. 5. et 7.

Ad 3. Dicitur, quod divinus cultus duplex est, spiritualis et corporalis. Cultus spiritualis in lege veteri consistebat in doctrina legis et prophetarum: cultus vero corporalis consistebat in oblatione sacrificiorum, et aliis cæremoniis ad ea pertinentibus. Quantum ad spiritualem cultum in lege veteri erant diversa loca quæ Synagogæ dicebantur, in quibus populus conveniebat ad laudem Dei. Ad cultum vero corporalem non erat deputatus nisi unus locus in quo erat templum.

Ratio autem quare unum tantum templum fuit institutum in lege veteri, duplex esse potest, scilicet literalis, et figuralis.

Literalis est multiplex. Prima, ad exclusionem idololatriæ, quia Gentiles diversis diis diversa templa constituebant: et ideo ut firmaretur in animis hominum fides unitatis divinæ, voluit Deus ut in uno loco tantum sacrificium sibi offerretur. Secunda, ut per hoc ostenderetur quod ille corporalis cultus non erat propter se Deo acceptus, et ideo compescebantur ne passim et ubique sacrificia offerrent. In lege autem nova acceptantur multa templa et multa altaria, quia cultus novæ legis in cujus sacrificio spiritualis gratia continetur, est secundum se Deo acceptus. Et iterum, in lege nova non distinguitur locus doctrinæ á loco sacrificii, quia et doctrina et sacrificium spiritualia sunt. Unde Ecclesia succedit templo, quatenus in ea offertur Deo sacrificium, et Synagogæ quatenus in ea fideles instruuntur.

Ratio figuralis unitatis templi in lege veteri fuit, quia per hoc significabatur unitas Ecclesiæ militantis vel triumphantis.

Ad formam igitur argumenti dicitur ad maiorem, quod in lege quæ debet inducere homines ad spiritualem Dei cultum, debent esse plura templa, altaria, etc. hoc verum est de lege inducente ad spiritualem cultum, et ad corporalem, qui est Deo secundum se gratus. Et quia cultus corporalis antiquæ legis non erat secundum se Deo gratus, ideo ad compescendum populum á frequentia talis cultus, unum solum fuit templum, per quod etiam idololatria excludebatur, et unitas Ecclesiæ figurabatur.

Ad 4. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod sicut in unitate templi vel tabernaculi repræsentabatur unitas Dei vel unitas Ecclesiæ, ut in responsione præcedenti dictum est; ita etiam in distinctione tabernaculi vel templi representabatur distinctio eorum quæ Deo sunt subjecta, ex quibus in Dei venerationem consurgimus.

Distinguebatur tabernaculum in duas partes. Una vocabatur sancta sanctorum, quæ erat occidentalis: alia vocabatur sancta, quæ erat ad orientem. Hæ duæ partes erant distinctæ quodam velo, quod erat ex quatuor coloribus, scilicet bysso, purpura, hyacinto et cocco: et ante ipsum tabernaculum erat atrium. In sancta sanctorum introibat solus Summus Pontifex semel in anno: in sancto introibant sacerdotes: in atrio populus.

Hæc distinctio habet duplicem rationem: unam literalem, aliam figuralem. Sancta sanctorum significabat sæculum altius, quod est spiritualium creaturarum: sancta exprimebat mundum corporalem. Per velum significatur materia quatuor elementorum, quæ sunt media inter sæculum altius, et mundum corporalem. Per quatuor veli colores significantur ipsa quatuor elementa: per byssum significatur terra, quia byssus, idest linum, de terra nascitur: per purpuram significatur aqua, quia purpureus color fit ex quibusdam conchis quæ in mari inveniuntur: per hyacinthum, aër, quia habet aëreum colorem: per coccum bis tinctum significatur ignis. In sancta sanctorum solum summus sacerdos, et semel in anno introibat, ut designaretur quod hæc est finalis perfectio hominis, ut ad illud sæculum spirituale introducatur.

In tabernaculum quod dicebatur sancta, introibant sacerdotes quotidie, non autem populus qui solum ad atrium accedebat, ad significandum quod ipsa corporalia populus percipere potest, ad interiores autem eorum rationes soli sapientes per considerationem attingere possunt.

Ratio vero figuralis est. Per sancta sanctorum, significatur vel cælestis gloria, vel etiam status spiritualis novæ legis, qui est quædam inchoatio futuræ gloriæ.

Per exterius tabernaculum quod dicebatur sancta, significatur status veteris legis, ut dicitur ad Heb. 9.

Velum significabat spiritualium occultationem sacrificiorum, in veteribus sacrificiis.

Quatuor colores quibus velum exornabatur, quatuor figurabant: byssus figurabat carnis puritatem: purpura, passiones quas sancti sustinuerunt pro Deo: coccus bis tinctus, geminam charitatem Dei et proximi: hyacinthus, cælestem meditationem.

Populus non intrabat tabernaculum, sed soli sacerdotes, ad significandum quod populus considerabat tantum ipsa corporalia sacrificia quæ offerebantur in atrio; sacerdotes vero considerabant rationes sacrificiorum, habentes fidem magis explicitam de misteriis Christi.

Velum, quod erat inter sancta et atrium, significabat quod quædam non erant revelata populo de misteriis Christi, quæ sacerdotibus erant nota. Non

tamen erant hæc sacerdotibus bene nota, sicut in nova lege, et ideo erat aliud velum distinguens sancta á sancta sanctorum.

Ad 5. Dicitur ad maiorem, et ad ejus probationem, quod licet in oriente primo Dei virtus appareat, tamen duplici ratione adoratio Dei fuit introducta ad occidentem in veteri lege. Prima, et est literalis, ad excludendam idololatriam: nam omnes gentiles in reverentiam solis adorabant ad orientem. Unde dicitur Ezech. 8. quod «quidam habebant dorsa «contra templum Domini, et facies ad «orientem, et adorabant ortum solis:» unde ad hoc excludendum, tabernaculum habebat sancta sanctorum ad occidentem, ut versus occidentem adorarent.

Secunda ratio figuralis potuit esse, quia totus status prioris tabernaculi ordinabatur ad significandum mortem Christi, quæ figuratur per occasum, secundum illud Psalmi 67. «Qui ascendit «super occasum, Dominus nomen illi.

Ad 6. Dicitur quod conveniens reddi potest ratio eorum quæ in tabernaculo continebantur, non solum literalis, sed etiam figuralis. Sciendum igitur quod duplex erat tabernaculum, sive pars tabernaculi, scilicet interius quod dicebatur sancta sanctorum, et aliud exterius quod dicebatur sancta, ut supra dictum est. Per sancta sanctorum designabatur sæculum altius spiritualium creaturarum pars vero exterior quæ dicebatur sancta, significabat sæculum corporale, ut etiam dictum est in responsione ad 4.

In sancta sanctorum tria præcipua continebantur; arca testamenti propitiatorium, et duo cherubim. Quæ sic erant disposita: nam arca testamenti erat inter duos cherubim, qui se mutuis vultibus respiciebant: et super arcam erat quædam tabula quæ sustentabatur super alas cherubinorum: quæ tabula dicebatur propitiatorium, ac si imaginaretur quod illa tabula esset sedes Dei, unde propitiatorium dicebatur, quasi ex inde Deus populo ad preces summi sacerdotis propitiaretur. Et portabatur á cherubinis, quasi Deo obsequentibus: arca vero testamenti erat quasi scabellum sedentis super propitiatorium.

In arca testamenti erant tria, una aurea habens manna; virga Aaron quæ fronduerat: et duæ tabulæ in quibus erant praecepta legis scriptæ.

Igitur in sancta sanctotum erant omnia hæc, scilicet:

1. Arca testamenti.
2. Propitiatorium.
3. Duo cherubim.

In arca erant tria.

1. Urna aurea cum manna.
2. Virga Aaron quæ fronduerat.
3. Duæ tabulæ, in quibus erant scripta præcepta legis.

Dispositio rerum que erant in sancta sanctorum.

Arca erat in medio tabernaculi quod dicebatur sancta sanctorum.

Cherubim erant duo: unus ex una parte arcæ, et alius ex altera, qui mutuis vultibus se respiciebant.

Tabula quæ dicebatur propitiatorium erat super arcam, et sustentabatur super alas cherubinorum.

Et horum omnium assignanda est primo literalis, deinde figuralis ratio.

Ratio literalis omnium horum est duplex. Primo: per tria quæ erant in Sancta sanctorum, significabantur tria quæ sunt in illo altiori sæculo, significato per hanc priorem tabernaculi partem: quæ sunt, Deus, creaturæ spirituales et rationes omnium rerum quæ in hoc sæculo inferiori perficiuntur. Est primo in illo altiori sæculo Deus, qui significabatur per propitiatorium; quia sicut propitiatorium erat super arcam et super cherubinos, sic Deus est super omnia spiritualia et corporalia. Et quia Deus est incomprehensibilis, propterea nulla similitudo ejus ponebatur ad repræsentandam ejus invisibilitatem. Ponebatur quasi sedes Dei, quæ erat illa tabula, ad

significandum quod creatura Deo subjecta, est comprehensibilis. Secundo, in illo altiori sæculo sunt spirituales substantiæ, scilicet angeli qui significabantur per cherubinos, qui mutuo se respiciebant, ad ostendendam eorum concordiam ad invicem, secundum illud Job. 25. *Qui facit concordiam in sublimibus.* Erant duo, et non unus tantum ad denotandam eorum multitudinem, et ut excluderetur cultus eorum, ab his quibus præcipiebatur ut solum unum Deum colerent. Tertio sunt in illo altiori sæculo rationes omnium rerum quæ in hoc sæculo fiunt, quodammodo clausæ, sicut rationes effectus clauduntur in suis causis, et hæc significabantur per arcam et per tria in illa clausa.

In rebus enim humanis tria præcipua inveniuntur: vita, potestas regiminis, et sapientia.

Vita repræsentabatur per manna.

Potestas regiminis per virgam.

Sapientia, per tabulas legis.

Vel per hæc tria repræsentantur tria præcipua Dei attributa, scilicet sapientia in tabulis, potentia in virga, et bonitas in manna: tum propter dulcedinem, tum quia fuit ex Dei misericordia populo datum. Unde et in memoriam divinæ misericordiæ conservabatur.

Hæc tria fuerunt etiam significata in visione Isaiæ 1. *Vidi Dominum* (inquit) *sedentem super solium excelsum: en propitiatorium. Plena erat omnis terra majestate ejus:* en arca, et ea quæ in ipsa continebantur. Et Seraphim stabant super illud, en substantiæ spirituales et hæc quantum ad ea quæ continebantur in sancta sanctorum.

Ea quæ erant in sancta.

In exteriori vero tabernaculo quod dicebatur sancta, erant hæc tria, videlicet.

1. Altare thymiamatis.

2. Mensa propositionis, cui erant superpositi duodecim panes.

3. Candelabrum.

Quæ sic erant disposita.

1. Altare thymiamatis erat directe contra arcam.

2. Mensa erat posita á parte Aquilonari altaris.

3. Candelabrum erat á parte meridionali.

Altare igitur erat in medio, candelabrum á parte dextera, et mensa á parte sinistra.

Per quæ tria significabantur et repræsentabantur magis explicite ea quæ repræsentabantur per ea quæ continebantur in arca.

Per candelabrum enim designabatur, ut in signo visibili, sapientia; per altare thymiamatis, potestas regendi: in eo enim sacerdotes, quorum erat populum regere, offerebant thymiamata boni odoris: et per mensam repræsentabatur, vel Dei bonitas et misericordia, vel nutrimentum vitæ.

Igitur quod repræsentabatur in arca per tabulas, repræsentabatur in tabernaculo exteriori per candelabrum: quod in arca repræsentabatur per virgam, in tabernaculo exteriori repræsentabatur per altare thymiamatis; et tandem quod ibi repræsentabatur per manna, hic repræsentatur per mensam et panes superpositos.

Convenienter autem altare erat in medio.

Candelabrum á parte meridionali et mensa á parte septentrionali, quia sapientia significata in candelabro pertinet ad dexteram, sicut et cætera spiritualia bona: vitæ vero nutrimentum significatum per mensam, pertinet ad sinistram, utpote temporale bonum, secundum illud Prov. 3. *In sinistra ejus divitiæ et gloria.* Potestas autem sacerdotalis per altare significata, media est inter temporalia bona et spiritualem sapientiam, quia per eam spiritualis sapientia et temporalia dispensantur.

Et hæc est prima ratio literalis eorum quæ erant in utroque tabernaculo.

Altera ratio omnium horum magis literalis potest assignari, et est quod tabulæ legis asservabantur in arca ad tol-

lendam legis oblivionem. Unde dicitur Exod. 24. *Dabo tibi duas tabulas lapideas, et legem ac mandata quæ scripsi, ut doceas filio Israel.*

Virgo Aaron ponebatur ibi ad comprimendam dissensionem populi, de sacerdotio Aaron. Unde dicitur Num. 17. *Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonii, ut reservetur in signum rebellium filiorum Israel.*

Manna conservabatur in arca ad commemorandum beneficium quod Dominus præstitit filiis Israel in deserto. Unde dicitur Exod. 16. *Imple Gomor ex eo, ut custodiatur in futuras generationes, ut norint panes quibus alui vos in solitudine.*

Candelabrum erat institutum ad magnificentiam tabernaculi: pertinet enim ad magnificentiam domus, ut sit bene luminosa.

Septem calami quos habebat candelabrum, ut Joseph dicit libro 3. Aniquitatum cap. 10. significabant septem planetas quibus totus mundus illuminatur.

Candelabrum ponebatur in parte australi, quia ex illa parte est nobis planetarum cursus.

Altare thymiamatis erat institum, ut in tabernaculo esset jugiter fumus boni odoris, tum propter venerationem tabernaculi, tum etiam in remedium fœtoris, quem oportebat accidere ex occissione animalium, et sanguinis effusione.

Mensa ponebatur ad significandum quod sacerdotes templo deservientes, in templo victum habere debebant. Unde duodecim panes superpositos mensæ, in memoria duodecim tribuum, solis sacerdotibus edere licitum erat ut dicitur Mat. 12.

Mensa non ponebatur directe ante propitiatorium, sed in uno latere, ad excludendum idololatriæ ritum. Nam gentiles in sacris lunæ ponebant mensam coram idolo lunæ. Unde dicitur Jerem 7. *Mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ cœli.*

In atrio exteriori erat altare holocaustorum, in quo offerebantur Deo sacrificia de his quæ erant á populo possessa, de quibus dictum est articulo præcedenti, et ideo in eo poterat esse populus qui offerebat Deo per manus sacerdotum ea quæ erant ab ipso populo possessa.

Erat autem hoc altare extra tabernaculum in atrio constitutum, ad removendum cultum idololatriæ: nam gentiles infra templa altaria constituebant, ad immolandum idolis.

Omnium supradictorum figurales rationes.

Ratio figuralis omnium horum desumitur ex relatione tabernaculi ad Christum. Sed est considerandum quod cum figuræ legales fuerint imperfectæ, oportuit multas institui ad significandum Christum, in quo omnes erant perfectiones.

Primo igitur Christus significabatur per propitiatorium, quia *ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, ut dicitur 1. Joannis 2.

Propitiatorium á Cherubim portabatur, quia de eo scriptum est: *Adorent eum omnes angeli Dei*, ad Hebræos 1.

Arca etiam significabat Christum, quia sicut arca erat de lignis Sethim, ita Corpus Christi de purissimis membris constabat.

Arca erat deaurata, quia Christus fuit plenus sapientia et charitate quæ per aurum significatur.

In arca erat urna aurea habens manna, et in Christo erat sancta anima habens omnem plenitudinem sanctitatis et divinitatis.

In arca erat virga, idest potestas sacerdotalis, quia Christus est factus sacerdos in æternum.

In arca erant etiam tabulæ legis, ad designandum quod Christus est legislator.

Candelabrum etiam significabat Christum, quia ipse dixit, *Ego sum lux mundi.*

Per septem lucernas significabantur septem dona Spiritus sancti, quæ erant in Christo.

Mensa etiam significabat Christum, quia ipse est spiritualis cibus, secundum illud Joan. 6. *Ego sum panis vivus.*

Duodecim panes significabant duodecim Apostolos, vel eorum doctrinam.

Vel per mensam et candelabrum potest significari doctrina Ecclesiæ, quæ illuminat et reficit.

Utrumque altare, scilicet thymiamatis et sacrificiorum, significabant etiam Christum, quia per ipsum offerimus Deo opera virtutum, illa inquam opera, quibus carnem affligimus, quasi offerimus in altari holocaustorum: opera vero spiritualia offerimus quasi in altari thymiamatis, secundum illud ad Heb. ult. *Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo.*

Ad formam igitur hujus sexti argumenti, dicitur ad antecedens, quod Dominus prohibuit fieri sculptile ad colendum et ad adorandum, non autem ad aliquid repræsentandum. Unde Cherubim non erant in tabernaculo, ut colerentur, sed ut essent in signum ministerii, ut dictum est.

Ad 7. Dicitur, quod de constructione altaris, duplex datum fuit á Deo præceptum. Unum quidem in principio legis, scilicet Exod. 20. ubi Dominus mandavit tria. Primo, ut facerent altare de terra, vel saltem de lapidibus non sectis. Secundo, quod non facerent altare excelsum, ad quod oporteret per gradus ascendere. Unde dicitur: non ascendes ad altare meum per gradus, ne reveletur turpitudo tua. Tertio, quod non plantarent circa altare arbores. Unde dicitur Deut. 16. *Non plantabis lucum et omnem arborem juxta altare Domini Dei tui.*

Post constructionem autem tabernaculi præcepit Deus alia duo de altari. Primo, ut fieret de lignis Sethim: secundo, quod haberet quinque cubitos in latitudine, et quinque in longitudine, et tres in altitudine: ex quo sequebatur ut non posset ascendi ad altare, nisi per aliquos gradus: qui gradus erant lignei et portatiles, nec erant prope altare nisi tempore sacrificii offerendi, per quos sacerdos ad altare ascendebat.

Horum præceptorum ratio duplex fuit, scilicet literalis et figuralis.

Ratio literalis, quare præceptum fuit ut construeretur altare, fuit ad offerenda sacrificia et munera in honorem Dei, quæ etiam deserviebant ad sustentationem ministrorum qui tabernaculo deserviebant.

Ratio quare præcepit Deus ut altare fieret de terra vel de lapidibus non sectis, et quod non fieret excelsum, sed humile, ita ut non esset necesse ascendere ad altare per aliquos gradus, fuit ad excludendos ritus gentilium qui faciebant altaria excelsa, et ornata diis suis. Et eadem ratione Dominus prohibuit plantationem luci et arborum juxta altare, quia scilicet idololatræ consuevérant sub arboribus sacrificare, propter amœnitatem et umbrositatem.

Ratio vero figuralis horum, erat: et

Primo, quod altare erat de terra, figurabat quod in Christo debemus confiteri veram carnis naturam, quantum ad humanitatem.

Secundo. Non erat ascendendum ad altare per gradus, quia debemus confiteri ipsum esse æqualem Patri, quantum ad divinitatem.

Tertio. Non debebant juxta altare plantari arbores aut luci, quia non debemus admittere doctrinam gentilium, ad lasciviam provocantem.

Ratio autem aliorum duorum præceptorum quæ facta fuerunt post factum tabernaculum de constructione altaris, scilicet quod esset altum ita ut esset omnibus conspicuum, et de ære lignis et auro, est quia facto tabernaculo ad honorem Dei, non erant timendæ hujusmodi occasiones idololatriæ.

Unde ad formam argumenti negatur consequentia: convenienter enim post factum tabernaculum potuerunt fieri alia

præcepta de altari, ut dictum est.

Ad 8. Dicitur, quod operimenta tabernaculi habent etiam suas rationes literales et figurales; sed antequam assignentur, videnda est dispositio operimentorum tabernaculi.

Sciendum igitur quod fabrica tabernaculi constabat ex quibusdam tabulis in longum erectis: quæ tabulæ interius tegebantur quibusdam cortinis, ex quatuor coloribus variatis, scilicet de bysso retorta, hyacintho, purpura coccoque bis tincto; sed hujusmodi cortinæ tegebant solum latera tabernaculi.

In tecto tabernaculi erant tria operimenta.

Primum, de pellibus hyacinthinis.

Secundum, quod erat super hoc, de pellibus arietum rubricatis.

Tertium, quod erat desuper, de quibusdam sagis cilicinis, quæ non tantum operiebant tectum, sed etiam latera tabernaculi exterius. Unde latera tabernaculi interius operiebantur cortinis, et exterius sagis cilicinis.

Ratio igitur literalis omnium horum operimentorum in communi erat ornatus tabernaculi, et protectio ejus, ut in reverentia haberetur.

In speciali vero secundum quosdam, cortinæ significabant cælum sydereum, colores varii, varias stellas; saga significabant aquas quæ super cælos sunt: pelles rubricatæ, cælum empyreum, in quo sunt angeli: pelles hyacinthinæ, cælum Sanctissimæ Trinitatis.

Figuralis ratio fuit, quia per tabulas tabernaculi significabantur Christi fideles, ex quibus construitur Ecclesia.

Cortinæ quadricoloratæ ornantes tabernaculum interius, significant quatuor virtutes quibus fideles interius ornantur; nam «in bysso retorto significa«tur caro castitate nitens: in hyacintho, «mens superna cupiens: in purpura, caro «passionibus subjacens: in cocco bis tinc«to, mens inter passiones, Dei, et pro«ximi dilectione præfulgens.

Per operimenta tecti designantur Prælati et doctores, in quibus debet renitere cælestis conversatio: quod significatur per pelles hyacinthinas: promptitudo ad martyrium, quod significatur per pelles rubricatas: austeritas vitæ ad toleranda adversa, quod significatur per saga cilicina quæ erant exposita ventis et pluviis.

Negatur igitur ad argumentum consequentia: nam omnia illa operimenta erant necessaria tabernaculo, propter dictas rationes.

Ad 9. Dicitur, quod etiam consecratio vasorum habebat rationem literalem et figuralem: literalis erat, quia per consecrationem deputabantur divino cultui, et habebantur in maiori reverentia.

Figuralis erat, quia per hujusmodi sanctificationem significatur spiritualis sanctificatio viventis tabernaculi, scilicet fidelium ex quibus constituitur Ecclesia Christi.

Ad formam argumenti negatur maior. Ad probationem dicitur, quod consecratio vasorum non fiebat ad significandam sanctitatem interiorem vasorum, sed solum per ipsam deputabantur divino cultui, vel sanctitatem interiorem viventis tabernaculi figurabant, ut dictum est.

Ad 10. Dicitur, quod festivitatum antiquæ legis una erat continua, et septem erant temporales, de quibus habetur Num. 28. et 29.

Festum continuum erat jugis oblatio agni, qui offerebatur quolibet die, mane et vespere.

Festivitatum temporalium prima erat festum sabbati, quod iterebatur quolibet septimana.

Secunda solemnitas iterebatur semel in mense, in novilunio, scilicet festum Neomeniæ.

Tertia solemnitas celebrabatur semel in anno, scilicet festum Phase et celebrabatur mense primo.

Quarta solemnitas erat festum pente-

costes, post quadraginta dies celebrationis Phase.

Quinta solemnitas, et aliæ sequentes, celebrabantur mense septimo, et erat festum tubarum.

Sexta solemnitas erat festum expiationis, quod celebrabatur decima die ejusdem mensis, post festum tubarum.

Septima solemnitas erat festum Scenopoeiæ, idest tabernaculorum.

Hæ igitur sunt solemnitates antiquæ legis.

Juge sacrificium celebrabatur quotidie.

Sabbatum, semel in septimana.

Neomeniæ, semel in mense in vovilumio.

Phase, semel in anno, mense primo.

Pentecostes, semel in anno 50. dies. post Phase.

Festum tubarum, mense septimo.

Festum expiationis, decem dies post festum tubarum.

Festum scenopoegiæ, eodem mense. Et post octo dies celebrabatur.

Festum collectæ, in quo colligebantur á populo ea quæ erant necessaria ad expensas cultus divini.

Omnes igitur hæ solemnitates habent rationes literales, et etiam figurales.

Ratio literalis jugis sacrificii est quia per ipsum repræsentabatur perpetuitas beatitudinis divinæ.

Festum sabbati celebrabatur in commemorationem beneficii creationis rerum, ut supra dictum est quæst. 100. art. 5.

Festum Neomeniæ celebrabatur ad commemorandum beneficium gubernationis divinæ: et quia hæc inferiora variantur secundum motum lunæ, ideo celebrabatur in novilunio, non in plenilunio, ad evitandam occasionem idololatriæ. Et quia hæc duo beneficia erant communia toti humano generi, ideo frequentius iterabantur quam alia.

Festum Phase celebrabatur ad commemorandum beneficium eductionis de Ægypto.

Festum Pentecostes celebrabatur ad commemorandum beneficium legis latæ quadragesima die post exitum de Ægypto.

Festum tubarum, in memoriam liberationis Isaac per arietem, quando Abraham voluit ipsum sacrificare.

Festum expiationis celebrabatur in memoriam beneficii quo Deus propitiatus est peccato populi de adoratione vituli, ad preces Moysi.

Festum Scenopoeiæ celebrabatur ad commemorandum beneficium divinæ protectionis, et deductionis per desertum, ubi in tabernaculis habitaverunt. In hoc festo debebant habere fructum arboris pulcherrimæ, idest citrum: et lignum densarum frondium, idest myrtum, quæ sunt odorifera, et spatulas palmarum, et salices de torrente, quæ diu retinent suum virorem, et omnia hæc ad significandum quod per aridam terram deserti eos Deus deduxerat in terram deliciosam.

Per collectas significabatur adunatio populi, et pax præstita in terram promissionis.

Et hæ sunt literales rationes omnium festorum antiquæ legis.

Figuralis ratio horum erat, quia per juge sacrificium agni figuratur perpetuitas Christi, qui est agnus Dei, secundum illud ad Heb. ultimo: *Jesus Christus heri et hodie ipse et in sæcula.*

Per sabbatum designatur spiritualis requies nobis data per Christum, ut habetur ad Hebr. 4.

Per neomeniam, quæ est incensio novæ lunæ, significatur illuminatio primitivæ Ecclesiæ per Christum, eo prædicante et miracula faciente.

Per festum Pentecostes significatur descensus Spiritus Sancti in apostolos.

Per festum tubarum significatur prædicatio apostolorum.

Per festum expiationis significatur emundatio á peccatis populi Christiani.

Per festum tabernaculorum, peregrinatio eorum in hoc mundo, in quo ambulant in virtutibus proficiendo.

Per festum cœtus atque collectæ sig-

nificatur congregatio fidelium in regno cælorum: ideo istud festum dicebatur sanctissimum esse

Et hæc tria festa erant continua ad invicem, quia oportet expiatos á vitiis proficere in virtute, quousque perveniant ad Dei visionem, ut dicitur in Psalm. 83.

Ad formam argumenti dicitur ad maiorem, quod quia Deus semper est laudandus, erat in lege juge sacrificium: in aliis vero festivitatibus laudabatur pro acceptis beneficiis magnificentius, ut dictum est.

ARTICULUS V.

Utrum sacramentorum veteris legis conveniens causa esse possit.

Pro negativa. ==Videtur quod sacramentorum veteris legis conveniens causa esse non possit.

1. Ea quæ sunt similia his quæ idololatræ observant in cultu deorum suorum, inconvenienter instituuntur in lege ad divinum cultum. Sed circumcissio, quæ est unum sacramentorum veteris legis, est similis his quæ idololatræ observabant in cultu Deorum suorum. Ergo circumcissio inconvenienter fuit in veteri lege instituta ad divinum cultum.

Maior probatur, quia ea qua ad cultum divinum fiunt, non debent esse similia his quæ idololatræ observabant. Unde dicitur Deut. 22. *Non facies similiter Domino Deo tuo: omnes enim abominationes quibus adversatur Dominus, fecerunt diis suis.*

Minor prob., quia cultores idolorum in cultu eorum cultris se incidebant usque ad effusionem sanguinis: dicitur enim 3. Regum 18. quod *incidebant se juxta ritum suum cultris et lanceolis, donec perfunderentur sanguine.* Propter quod mandavit Dominus Deut. 18. «Non «vos incidetis nec facietis calvitium su«per mortuos, quoniam populus sanctus «es Domino Deo tuo, et te elegit ut sis «ei in populum peculiarem de cunctis «gentibus.» Unde circumcisio quæ fiebat per incissionem, videbatur similis his quæ idololatræ in cultu deorum suorum observabant.

2. Ea quæ in cultum divinum fiunt, debent honestatem et gravitatem habere, secundum illud Psalmi 34. *In populo gravi laudabo te.* Sed comestio agni paschalis, quæ erat aliud Sacramentum veteris legis, non videtur habere gravitatem et honestatem. Ergo comestio agni paschalis non fuit convenienter in divinum cultum, in veteri lege instituta.

Minor prob., quia ad levitatem quamdam pertinere videtur quod homines festinanter comedant, et alia faciant quæ præcipiuntur Exodi 12. circa comestionem agni paschalis.

3. Per agnum paschalem figurabatur Sacramentum Eucharistiæ, secundum illud 1. ad Corinthios 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Ergo debuerunt esse in antiqua lege etiam alia sacramenta, quæ præfigurarent alia Sacramenta novæ legis, sicut Confirmationem, Extremam Untionem, Matrimonium, et alia novæ legis sacramenta.

Conseq. prob., quia sacramenta veteris legis fuerunt figura sacramentorum novæ legis.

4. Ab eo quod non est immundum, inconvenienter quis purificatur. Sed nullum corporale apud Deum reputatur immundum. Ergo propter contactum corporis mortui, vel alicujus hujusmodi corporalis infectionis, inconvenienter aliqui in lege veteri purificabantur, ut habetur Num. 19.

Maior prob., quia purificatio non potest convenienter fieri nisi ab aliquibus immunditiis.

Minor prob. Nulla creatura Dei est immunda, secundum illud 1. Tim. 4. *Omnis creatura Dei bona est, et nihil ejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.* Sed omne corpus est creatura Dei. Ergo nullum corpus est immun-

dum, ita ut per contactum corporis aliquis efficiatur immundus, et purificari indigeat.

5. Ab immundo non potest aliquis mundari, juxta illud Eccl. 34. *Ab immundo quis mundabitur*? Sed cinis vitulæ rufæ erat immundus. Ergo non poterat purificare aliquem, et ita inconvenienter præcipiebatur Num. 19. ut immundi purificarentur per aspersionem cineris vitulæ rufæ.

Minor prob. Quod reddit immundum est immundum. Sed cinis vitulæ rufæ reddebat immundum. Ergo cinis vitulæ rufæ erat immundus.

Minor hujus prob. Quia Num. 19. dicitur, quod *sacerdos qui immolabat eam, commaculatus erat usque ad vesperum*, similiter et illi qui eam comburebant, et ille qui cineres colligebat.

6. Peccata non sunt aliquid corporale quod possit deferri de loco ad locum, neque etiam per aliquid immundum potest homo á peccato purificari. Ergo inconvenienter ad expiationem peccatorum populi, sacerdos super unum hircum confitebatur peccata filiorum Israel, ut portaret ea in desertum: per alium autem quo utebantur ad purificationes, simul cum vitulo comburentes extra castra, immundi reddebantur, ita ut oporteret eos lavare vestimenta et carnem aqua, ut habetur Lev. cap. 16.

7. Illud quod jam est mundatum, non oportet iterum mundari. Ergo inconvenienter mundata lepra hominis, vel etiam ejus domus, alia purificatio adhibebatur, de qua habetur Lev. 14.

8. Spiritualis immunditia non potest per corporalem aquam vel pilorum rasuram emundari. Ergo irrationabile videtur, quod Dominus præcepit Exod. 30. «ut fieret labium æneum cum basi sua, «ad lavandum manus et pedes sacerdotum «qui ingressuri erant tabernaculum,» et quod præcipitur Num. 8. quod «Levitæ «aspergerentur aqua lustrationis, et ra«derent omnes pilos carnis suæ.

9. Quod majus est, non potest sanctificari per illud quod minus est. Ergo inconvenienter per quamdam corporalem unctionem, et corporalia sacrificia, et oblationes corporales, fiebat in lege consecratio maiorum, et minorum sacerdotum, ut habetur Levit. 8. et Levitarum, ut habetur. Num. 8.

10. Sicut dicitur 1. Reg. 16. «homi«nes vident, ea, quæ patent; Deus autem «intuetur cor.» Sed ea quæ exterius patent in homine, est corporalis dispositio. et indumenta. Ergo inconvenienter sacerdotibus maioribus, et minoribus quædam specialia vestimenta deputabantur, de quibus habetur Exod. 28. et sine ratione videtur, quod prohiberetur aliquis á sacerdotio propter corporales defectus, secundum quod dicitur Levit. 21. «Homo de semine tuo per familias, «qui habuerit maculam, non offeret pa«nes Deo suo, si cæcus fuerit, vel clau«dus, etc.» Ergo videtur quod sacramenta veteris legis irrationabilia fuerint.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Quod fit á Deo, non fit sine ratione, sed cum summa sapientia. Sed sanctificatio quæ erat per sacramenta, fiebat in lege veteri á Deo. Ergo omnia sacramenta veteris legis habent rationabilem causam.

Maior prob. In Psal. 103. dicitur: «Omnia in sapientia fecisti.»

Minor prob., quia Levit. 20. dicitur; «Ego sum Dominus, qui sanctifico vos.

Determinatio.

Quod essent sacramenta veteris legis.

Sacramenta veteris legis generaliter erant sex. Circumcisio, consecratio sacerdotum, esus agni paschalis, esus eorum quæ sacerdotum usibus erant deputata, purificationes et expiationes, ablutio manuum, pedum, et rasio pilorum.

Manifestatur. Nam sacramenta veteris legis proprie dicebantur illa quæ adhibebantur Dei cultoribus ad quamdam con-

secrationem, per quam deputabantur ad cultum Dei, ut dictum est quæst. præc. art. 4. Cultus autem Dei pertinebat generali modo ad totum populum, et speciali modo ad ministros divini cultus, scilicet sacerdotes et levitas.

Ad deputandum populum ad divinum cultum, tria erant necessaria.

Primum est, ut populus institueretur in statu colendi Deum, et hoc fiebat per sacramentum circumcisionis, sine qua nullus admittebatur ad legalia.

Secundum est usus eorum, quæ pertinent ad divinum cultum, et hoc erat esus agni paschalis, ad quem nullus incircumcissus admittebatur, ut patet Exo. 12.

Tertium est remotio eorum, quæ impediebant á divino cultu, scilicet immunditiarum, et hoc fiebat per purificationes á quibusdam exterioribus immunditiis, et per expiationes á peccatis.

Ad deputandum vero sacerdotes ad divinum ministerium, tria etiam requirebantur.

Primum erat, ut instituerentur in statu ministerii, et hoc fiebat per consecrationem sacerdotum, et aliorum ministrorum divini cultus.

Secundum erat usus eorum quæ pertinebant ad ministerium divini cultus, et hoc fiebat per oblationem sacrificiorum, et esum eorum quæ ex sacrificiis erant eorum usui deputata, ut erant panes propositionis, et ea quæ ex hostiis sibi debebantur.

Tertium erat remotio eorum, per quæ ministri Dei impediebantur á divino ministerio, quæ erant immunditiæ quædam, et ad hoc erant ordinata ablutio manuum, et pedum, et rasio pilorum.

Ex quibus patet quod sex erant sacramenta veteris legis: tria pertinebant generaliter ad totum populum, et alia pertinebant ad solos sacerdotes.

Quæ pertinebant ad totum populum communiter erant: Circumcisio, esus paschalis convivii, purificationes, et expiationes.

Quæ pertinebant ad solos sacerdotes erant consecratio, esus eorum quæ erant sacerdotibus deputatata, et ablutio manuum, pedum et rasio pilorum.

Conclusio. Omnia sacramenta veteris legis habent rationabiles causas literales, et figurales.

Manifestatur dupliciter, scilicet in communi, et in speciali.

In communi quidem, quia omnia hæc sacramenta erant ordinata ad cultum qui Deo pro tempore illo debebatur, et iterum omnia ordinabantur ad figurandum Christum. Ergo omnia sacramenta habebant literalem causam, quatenus scilicet ordinabantur ad divinum cultum, et figuralem, quatenus ordinabantur ad figurandum Christum.

Quæ sint speciales rationes, tum literales, tum figurales singulorum sacramentorum, patebit in responsionibus argumentorum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod in circumcisione plura sunt consideranda.

Primo, quare fuerit instituta.

Secundo, quare fuerit instituta tempore Abrahæ.

Tertio, quare fieret in carne.

Quarto, quare in tali membro carnis.

Quinto, quare fieret octavo die. Et omnia hæc habent rationes literales et figurales.

Instituta fuit circumcisio ad protestationem fidei unius veri Dei, quia per ipsam separabantur cultores veri Dei, á cultoribus idolorum, et infidelibus.

Instituta fuit tempore Abrahæ, quia ipse fuit primus, qui se ab infidelibus separavit, exiens de domo sua, et de cognatione sua, et hanc rationem assignat Apost. Roman. 4. dicens. «Signum ac«cepit circumcisionis, signaculum justi«tiæ, fidei, quæ est in præputio,» quia scilicet in hoc legitur «Abrahæ fides re«putata ad justitiam quod contra spem,»

scilicet naturæ in spem, scilicet gratiæ credidit, ut fieret pater multarum gentium, cum ipse esset Senex, et Sara anus.

Fiebat in carne, ut hæc protestatio, et imitatio fidei Abrahæ firmaretur in cordibus judæorum, et oblivisci non possent. Unde dicitur Genes. 17. «Erit pactum meum in carne vestra in fœdus æternum.»

Fiebat in tali membro, scilicet quod deputatum est generationi, duplici ratione. Prima propter debilitationem concupiscentiæ in membro illo. Secunda, ad detestationem Veneres, et Priapis in quibus membrum illud honorabatur.

Fiebat octava die et non ante, nec postea. Non ante, quia puer est valde tenellus, ut possit graviter lædi, et reputatur adhuc quasi aliquid non solidatum. Unde nec animalia offerebantur ante octavum diem. Ideo vero non magis retardabatur, ne propter dolorem, aliqui signum circumcisionis refugerent, et ne parentes quorum amor increscit ad filios post frequentem conversationem, et eorum augmentum, eos circumcisioni subtraherent.

Figuralis autem ratio circumcisionis erat, quia figurabatur ablatio corruptionis fienda per Christum, quæ quia non complebitur nisi in octava ætate resurgentium, ideo fiebat octavo die.

Fiebat in membro generationis, quia omnis corruptio culpæ et pœnæ provenit in nos per carnalem originem, ex peccato primi parentis. Unde Apost. dicit Col. 2. «Circumcisi estis in Christo, »circumcisione non manufacta, in expo»liatione corporis carnis, sed in circum»cisione Domini nostri Jesu Christi.»

Ad formam argumenti negatur minor. Circumcisio enim non erat similis incisioni idololatrantium: nam ipsi non se incidebant in membro generationis, sed potius illud in sacris Veneris, et Priapi venerebantur, in quorum detestationem instituta est circumcisio, ut dictum est.

Ad 2. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod esus agni, et omnia quæ ad hoc sacramentum pertinent, habent rationes literales et figurales.

Sciendum igitur quod in hoc convivio multa sunt consideranda.

Primum est ejus institutio.

Secundum, ea quæ comedebantur, quæ erant agni carnes assæ igni, cujus ossa non erant frangenda, et debebant comedi in eadem domo panes azymi, et lactucæ agrestes.

Tertium est modus comedendi, qui erat ut haberent renes accinctos, calceamenta haberent in pedibus, baculos tenerent in manibus, et comederent festinanter, et quod ex sanguine agni linirent superliminaria domorum.

Rationes igitur literales horum erant, et primo, ratio institutionis hujus convivii fuit in commemorationem beneficii quo Deus eduxit eos de Ægypto. Unde per hujusmodi convivii celebrationem, profitebantur se ad illum populum pertinere, quem Deus sibi assumpserat ex Ægiypto.

Superliminaria domorum liniebant ex sanguine agni, quasi protestantes se recedere á ritibus Ægyptiorum, qui arietem colebant. Unde et liberati sunt per aspersionem sanguine agni á periculo exterminii quod imminebat Ægyptiis.

Ea quæ comedebant, et modus comedendi, significabant festinationem cum qua ex Ægypto exire debebant, quæ necessaria erat, tum quia Ægyptii eos cogebant ad egrediendum, tum quia his, qui remanerent, immineret periculum vitæ ab Ægiptiis.

Comedebant igitur carnes assas igni quia citius parantur.

Non frangebant ossa, quasi non habentes ad hoc temporis copiam.

Comedebant azymos panes, quasi non valentes ipsum fermentare, cogentibus Ægyptiis ut exirent.

Renes accincti, calceamenta in pedibus, baculi in manibus, et festinans comestio,

manifeste ostendunt existentes in promptu itineris.

Lactucæ agrestes significabant amaritudinem quam in Ægypto passi erant.

Figurales vero rationes hæ erant.

Per immolationem agni paschalis figurabatur immolatio Christi, secundum illud 1. Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus.*

Sanguis vero agni liberans ab exterminatore, linitis superliminaribus domorum, significat fidem passionis Christi in corde et ore fidelium, per quam liberamur á peccato et á morte, secundum illud 1. Petri 1. *Redempti estis pretioso sanguine agni immaculati.*

Comedebantur carnes illæ ad significandum esum Corporis Christi in Sacramento.

Erant assæ igni, ad significandum charitatem vel passionem Christi.

Comedebantur cum azymis panibus, ad significandum puram conversationem fidelium sumentium Corpus Christi, secundum illud ad Cor. 5. *Epulemur in azymis sinceritatis et veritatis.*

Lactutæ agrestes addebantur in signum pœnitentiæ peccatorum, quæ necessaria est sumentibus Corpus Christi.

Renes accingendi sunt cingulo castitatis.

Calceamenta pedum sunt exempla mortuorum patrum.

Baculi in manibus significant pastoralem custodiam.

In una domo agnus paschalis comedendus præcipitur, idest in Ecclesiis catholicorum, non in conveniticulis hæreticorum.

Hujusmodi igitur cæremoniæ quæ servabantur in convivio agni paschalis, non habebant levitatem, sed maximam gravitatem, tum propter literales rationes, tum propter gravissima mysteria, quæ figurabant.

Ad 3. Negatur consequentia. Non enim omnia sacramenta novæ legis debuerant figurari per sacramenta antiquæ legis sed solum quatuor.

Baptismus figurabatur per circumcisionem.

Convivium agni paschalis figurabat Eucharistiam.

Sacramentum Pœnitentiæ figurabant omnes purificationes antiquæ legis.

Sacramentum Ordinis figurabatur per consecrationem pontificis et sacerdotum.

Sacramento autem Confirmationis, quod est Sacramentum plenitudinis gratiæ, non potest respondere in veteri lege aliquod Sacramentum, quia nondum advenerat tempus plenitudinis, eo quod neminem ad perfectum adduxit lex.

Sacramento Extremæ-Unctionis non respondebat aliquod Sacramentum in veteri lege, quia hoc Sacramentum est quædam præparatio immediata ad introitum gloriæ, cujus aditus nondum patebat in lege veteri, pretio nondum soluto.

Matrimonium autem fuit quidem in lege veteri prout erat officium naturæ, non autem prout est Sacramentum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, quæ nondum erat facta. Unde et dabatur libellus repudii, quod est contra rationem Sacramenti.

Ad 4. Antequam respondeatur, ostendendum est quæ et quot essent immunditiæ antiquæ legis, et purificationes ab ipsis.

Sciendum igitur quod immunditiæ erant quædam impedimenta divini cultus, ita quod homo maculatus aliqua immunditia, non poterat vacare divino cultui: et si erat minister, ut sacerdotes et levitæ, impediebatur per immunditiam á divino ministerio, et ad haec impedimenta removenda ordinabantur purificationes.

Impedimenta sive immunditiae divini cultus, erant in duplici differentia: quaedam erant spiritualia, et quaedam corporalia.

Ratio autem hujus distinctionis est, quia duplex est cultus divinus: spiritualis et corporalis. Spiritualis est qui con-

sistit in devotione mentis ad Deum; corporalis vero consistit in sacrificiis, oblationibus, et aliis hujusmodi.

Secundum igitur duplicem divinum cultum, spiritualem et corporalem erant duplicia impedimenta: quaedam impediebant á cultu spirituali, et quaedam á cultu corporali. Immunditiae impedientes á cultu spirituali, erant peccata quibus homines pollui dicebantur, et haec erant praecipue quatuor, scilicet idololatria, homicidium, adulterium et incaestus. Ab his spiritualibus immunditiis purificabantur homines per aliqua sacrificia, vel communiter oblata pro tota multitudine, vel pro peccatis singulorum; non quod sacrificia illa haberent ex seipsis virtutem expiandi peccatum, sed significabant expiationem peccatorum fiendam per Christum, cujus expiationis Christi participes erant antiqui protestantes fidem Redemptoris in figuris sacrificiorum.

Immunditiae corporales impedientes á corporali cultu, erant in duplici differentia; quaedam erant rerum animatarum, et quaedam rerum inanimatarum: immunditia rerum animatarum erat principaliter in ipsis hominibus, et consequenter in aliis animalibus.

Immunditiæ quæ poterant esse in homine, erant in duplici differentia; quædam proveniebant ex ipso homine, scilicet in aliqua corruptione in ipso; et quædam ex contactu rei immundæ.

Immunditiæ quæ considerabantur in homine, erant hæ.

1. Cadaver hominis mortui.

2. Leprosi.

3. Mulieres patientes sanguinis fluxum sive per infirmitatem, sive per naturam, sive tempore menstrui, sive tempore conceptionis.

4. Viri patientes fluxum seminis, sive propter infirmitatem, sive per pullutionem nocturnam, sive per coïtum, et hæ omnes dicebantur immunditiæ, quia ex quadam corruptione procedebant.

Immunditia vero ex contactu, proveniebat in homine ex tactu quarumcumque rerum immundarum, quæ immunditia contactus derivabatur etiam ad res inanimatas. Unde quidquid tangebat immundus, immundum erat: quidquid enim tangebat leprosus, corpus mortuum, menstruata, patiens fluxum sanguinis vel seminis; omnia inquam hæc immunda reputabantur.

Immunditiæ vero rerum inanimatarum poterant esse in tribus: in vestimentis in domibus, in vasis.

Immunditia in domo dicebatur corrosio quædam, quæ accidebat in domibus ex nimia humiditate vel siccitate, et dicebatur lepra domus.

Immunditia vestimentorum erat etiam corrosio, vel alia vestimenti corruptio ex quadam putredine, et dicebatur lepra vestis, sive lanæ, sive lineæ.

Immunditia vasorum erat, quando vas non habebat operculum et ligaturam, ut dicitur Numer. 19. «Vas quod non «habebit cooperculum et ligaturam de«super, immundum erit.»

Ab omnibus immunditiis purificabantur per solam aspersionem aquæ. et quæ maiores erant per aliquod sacrificium ad expiandum peccatum, ex quo tales infirmitates contingebant.

Breviter igitur colliguntur omnes immunditiæ antiquæ legis.

Immunditia duplex, spiritualis et corporalis.

Immunditia spiritualis erat, quæ impediebat á cultu spirituali Dei.

Immunditia corporalis erat, quæ impediebat á cultu exteriori.

Immunditia spirituali erant immundi:

Idololatræ, Deut. 7.

Adulteri Num. 5.

Homicidæ, Num. 36.

Incæstuosi, Levit. 18.

Immunditia corporali immunda erant omnia quæ sequuntur.

Cadaver hominis mortui, Num. 19.

Leprosus, Levit. 13.

Qui fluxum seminis patiebantur. Lev. 15.

Qui passi erant pollutionem nocturnam Lev. 15.

Qui erant polluti per coitum, Lev. 15.

Mulieres patientes fluxum sanguinis, propter infirmitatem Lev. 15.

Mulieres patientes eumdem sanguinis fluxum per naturam, Lev. 15.

Mulieres patientes idem, tempore menstrui, Lev. 12.

Mulieres patientes idem, tempore conceptionis, Lev. 13.

Domus ex putrefactione corrosa, Lev. 13.

Vestis ex putrefactione corrosa, Lev. 13.

Vas sine operculo et ligatura, Num. 19.

Et generaliter omne, quod tangebat aliquod immundum, et omne quod tangebatur ab aliquo immundo.

Ab omnibus hujusmodi immunditiis purificabantur, vel per sacrificia et oblationes aliquas, vel per aspersionem aquæ.

Habent omnes supradictæ immunditiæ corporales, rationes literales et figurales.

Literalis ratio communis omnium immunditiarum quæ homini accidere poterant, erat propter reverentiam eorum quæ ad divinum cultum pertinent: tum quia homines pretiosas res contingere non solent, cum fuerint immundi: tum etiam, ut ex raro accessu ad sacra, ea magis venerarentur: cum enim omnes hujusmodi immunditias aliquis raro vitare posset, contingebat ut homines raro possent accedere ad ea quæ pertinebant ad divinum cultum; et quando accedebant, accedebant cum maiori humilitate et reverentia.

Lepræ immunditia habebat specialem rationem, quæ erat, quia si leprosi ad ea quæ sunt divini cultus, fuissent admissi, multi retracti fuissent á divino cultu, ut periculum lepræ, quæ est infirmitas contagiosa, evaderent.

Immunditia sanguinis et seminis habebant etiam suam literalem rationem peculiarem, ad vitandam idololatriam: quia gentiles in ritu suorum sacrificiorum utebantur quandoque humano sanguine et semine.

Immunditia lepræ domus vel vestis, quæ ex quadam corruptione domus vel vestis proveniebat, habebat rationem literalem, scilicet in detestationem idololatriæ: idololatræ enim circa hujusmodi corrosiones et corruptiones domorum vel vestium Deos penates venerabantur; et propterea præcepit Dominus ut hujusmodi domus sic corrosæ funditus destruerentur, et vestes comburentur.

Immunditia vasorum sine operculo et ligatura, erat etiam ad destestandum idololatriam; credebant enim idololatræ, quod si mures aut lacertæ, vel aliquid hujusmodi quæ immolabant idolis, caderent in vasa, vel in aquis, essent Diis gratiora. Adhuc autem aliquæ mulierculæ vasa dimittunt discooperta, in obsequium nocturnorum numinum, quæ Lamas vocant: et propterea dicebatur vas, absque cooperculo, immundum, quia de facili poterat in eo aliquid immundum cadere.

Immunditia contactus habet peculiarem rationem literalem, quia lex divina in hoc voluit attenuare superstitiones gentilium: gentiles enim reputabant aliquem immundum, non solum ex contactu rei immundæ, sed ex collocutione et ex aspectu. Lex autem divina restrinxit hanc immunditiam ad solum contactum, et hæ sunt rationes literales omnium immunditiarum, de quibus habetur sermo in antiqua lege. Reliquum est ut assignentur rationes figurales.

Rationes figurales.

Rationes figurales sunt hæ:

Communiter omnes exteriores immunditiæ figurabant diversa peccata. Nam

Per immunditiam cadaveris cujuscum-

que significatur immunditia peccati, quod est mors animæ.

Immunditia lepræ significat immunditiam hæreticæ doctrinæ: tum quia hæretica doctrina contagiosa est: tum quia falsis aliqua vera permiscet, sicut lepra inter maculas, etiam colorem veræ carnis relinquit in superficie.

Immunditia mulieris sanguinifluæ designat immunditiam idololatriæ propter cruorem immolantium.

Immunditia viri seminiflui designat immunditiam variæ locutionis, eo quod semen sit verbum Dei.

Immunditia mulieris menstruatæ designat immunditiam mentis per voluptatem emollitæ.

Immunditia coitus et mulieris parientis designat immunditiam peccati originalis.

Per immunditiam quæ erat ex contactu rei immundæ, designatur immunditia consensus in peccatum alterius, de qua dicitur 1. ad Cor. 6. *Exite de medio eorum, et separamini, et immundum ne tetigeritis.*

Per immunditiam rerum inanimatarum, communiter significabatur quod similiter sunt Deo odio impius et impietas ejus, ut dicitur Sap. 14.

In particulari vero per lepram domus significatur immunditia congregationis hæreticorum.

Per lepram in veste linea significatur perversitas morum ex amaritudine mentis.

Per lepram vestis laneæ significatur perversitas adulatorum.

Per lepram in stamine significantur vitia animæ.

Per lepram in subtegmine significantur peccata carnalia: sicut enim stamen est sub tegmine, ita anima in corpore.

Per immunditiam vasis non habentis cooperculum nec ligaturam, significatur homo qui non habet aliquod velamen taciturnitatis, et qui non constringitur aliqua censura disciplinæ.

Ad formam igitur argumenti dicitur ad minorem, quod nullum corporale secundum se est immundum; tamen ex aliqua corruptione, et etiam ex hoc quod idololatræ in suo cultu utebantur, aliquid reputabatur immundum, et impediebat cultores Dei á divino cultu vel ministerio, ut dictum est.

Ad 5. Dicitur, quod ut patere potest ex præcedenti responsione, duplices sunt immunditiæ antiquæ legis: quædam enim proveniebant ex corruptione mentis vel corporis: quædam vero ex solo contactu rei immundæ. Illæ erant maiores, et istæ erant minores. Immunditiæ quæ proveniebant ex corruptione mentis vel corporis, expiabantur per sacrificia pro peccato, quia omnis corruptio procedit ex peccato, et peccatum significat. Sed secunda immunditia expiabatur per solam aspersionem cujusdam aquæ quæ dicebatur aqua expiationis, de qua habetur Num. 19. ut infra, videlicet: præcipe filiis Israël, ut adducant ad te vaccam rufam, ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portaverit jugum, traderisque eam Eleazaro sacerdoti, qui eductam extra castra immolabit in conspectu omnium, et tingens digitum in sanguine ejus asperget contra fores tabernaculi septem vicibus, comburetque eam cunctis videntibus, cum pelle et carnibus ejus, ac sanguine et fimo flamma comburetis: lignum quoque cedrinum et hyssopum, coccumque bis tinctum, sacerdos mittet in flammam quæ vaccam vorat, et tunc demum lotis vestibus et corpore suo, ingredietur in castra, commaculatusque erit usque ad vesperum. Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, et effundet eos extra castra in loco purissimo, ut sint multitudini filiorum Israël in custodiam et in aquam aspersionis: cumque laverit qui portaverat vaccæ cineres vestimenta sua, immundus erit usque ad vesperum, et infra. Ipse quoque qui aspergit aquas, lavabit vestimenta sua; et qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit usque ad vesperum.

Universæ hæ cæremoniæ quæ fiebant ad parandam aquam expiationis, habent rationes literales et figurales.

Rationes literales erant hujusmodi.

Mandatur accipi vacca rufa, in memoriam peccati quod commiserunt in adoratione vituli. Et dicitur magis vacca quam vitulus, quia sic Dominus consueverat vocare Synagogam, secundum illud Osee 5. *Sicut vacca lasciviens declinavit Israel.* Et ideo Dominus vaccam Synagogam appellat, quia vaccas in mortem Ægytii coluerunt, secundum illud Osee 10. *Vaccas Bethavem coluerunt.*

Immolabatur vacca rufa extra castra, sicut etiam omnia sacrificia quæ pro expiatione multitudinis offerebantur in detestationem idololatriæ.

Aspergebatur sanguis ad detestationem etiam idololatriæ: idololatræ enim non effundebant, sed congregabant sanguinem sacrificiorum, et circa ipsum comedebant in honorem idolorum.

Aspergebatur septies contra faciem tabernaculi, ut ostenderetur per hoc sacrificium emundari populus ab universitate peccatorum: numerus enim septenarius universitatem significat.

Comburebatur in igne, vel quia Deus apparuit Moysi in igne, vel quia lex data fuit in igne.

Comburebatur vacca cum pelle, carnibus, sanguine et fimo, ut significaretur quod idololatria, et omnia quæ ad idolatriam pertinent, erant totaliter extirpanda.

Adjungebatur in combustione vaccæ lignum cedrinum, hyssopus, coccusque bis tinctus, ad significandum quod sicut ligna cedrina non de facili putrescunt, et coccus bis tinctus non amittit colorem, et hyssopus retinet etiam odorem, postquam fuerit desiccatus, ita hoc sacrificium erat in conservationem populi et honestatis et devotionis ipsius. Unde dicitur de cineribus vaccæ, ut sint multitudini filiorum Israël in custodiam.

Et quia hoc sacrificium offerebatur pro peccato idololatriæ, in ejus detestationem, et comburens, et cineres colligens, et ille qui aspergit aquas imundi reputabantur, ut per hoc ostenderetur quod quicquid quocumque modo ad idololatriam pertinet, quasi immundum est abjiciendum.

Ab hac immunditia quam contrahebant ex tactu cinerum, purificabantur per solam vestimentorum ablutionem. Nec indigebant aqua aspergi propter hujusmodi immunditiam, quia sic esset processus in infinitum: ille enim qui aspergebat aquam, immundus fiebat, et sic si seipsum aspergeret immundus fiebat; si ab alio aspergeretur aspergens esset immundus, et sic in infinitum.

Figuralis ratio hujus sacrificii erat, quia per vaccam rufam significatur Christus secundum infirmitatem assumptam, quam fœminius sexus designat.

Vaccæ color designat sanguinem ejus in passione effusum.

Debebat esse vacca rufa ætatis integræ, ad designandum quod omnis operatio Christi fuit perfecta.

Nulla debebat esse macula in vacca rufa, quia in Christo nulla fuit macula, nec portavit jugum peccati.

Præcipitur adduci ad Moysen, quia Christo, imputabatur transgressio Mosaïcæ legis in violatione sabbati.

Præcipitur tradi Eleazaro sacerdoti, quia Christus occidendus in manus sacerdotum traditus est.

Immolabatur extra castra, quia Christus extra portam passus est.

Intingit autem sacerdos digitum in sanguine ejus, quia per discretionem quam digitus significat, mysterium passionis Christi est considerandum et imitandum.

Aspergitur sanguis contra tabernaculum, per quod synagoga designatur, vel ad condemnationem judæorum, non credentium, vel ad purificationem judæorum credentium

Aspergitur septem vicibus, vel prop-

ter septem dona Spiritus Sancti, vel propter septem dies in quibus omne tempus intelligitur.

Comburebatur autem vacca cum pelle, sanguine et fimo, quia omnia quæ ad Christi incarnationem pertinent, sunt igne cremanda, idest spiritualiter intelligenda: nam per pellem et carnem exterior Christi operatio significatur; per sanguinem, subtilis et interna virtus exteriora facta, verificans; per fimum, fames, sitis, lassitudo, et alia ad ejus infirmitatem pertinentia.

Adduntur autem tria simul cum vacca comburenda, scilicet cedrus, hyssopus et coccus, ad significandum quod Christo debemus adhærere per altitudinem spei vel contemplationem, quæ significantur per cedrum: per humilitatem vel fidem, quæ significantur per hyssopum, et per geminam charitatem, quam significat coccus.

Iste cinis combustionis colligitur á viro mundo, quia reliquiæ passionis pervenerunt ad gentiles qui non fuerunt culpabiles in Christi morte.

Apponuntur hujusmodi cineres in aqua ad expiandum, quia per passionem Christi baptismus sortitur virtutem emundandi peccatum.

Sacerdos qui immolabat et comburebat vaccam, et ille qui colligebat cineres, immundus erant et etiam qui aspergebat aquam, quia Judæi sunt facti immundi ex occisione Christi, per quam occisionem nostra peccata expiantur.

Et hoc usque ad vesperum, idest usque ad finem mundi, quando reliquiæ Israël convertentur.

Ad formam igitur argumenti negatur minor. Ad probationem dicitur, quod cinis ille reddebat eos qui eum tangebant vel tractabant immundos, non propter cineris immunditiam; sed ratione eorum quæ significabantur per cinerem, scilicet idololatriam, vel Christi mortem, ex qua hebræi propter eorum malitiam facti sunt immundi.

Ad 6. Dicitur, quod omnis immunditia quæ proveniebat ex corruptione mentis vel corporis, expiabatur per sacrificia pro peccato, ut dictum est supra ad 4. et singuli tenebantur pro suis specialibus peccatis, specialia sacrificia offerre. Sed quia aliqui negligentes erant circa expiationem suorum peccatorum et immunditiarum, vel propter ignorantiam ab expiatione desistebant, institutum fuit ut semel in anno decima die septimi mensis fieret sacrificium expiationis pro toto populo, ut habetur Num. 29. Et quia, ut Apostolus dicit ad Hebræos 7. *Lex constituit homines sacerdotes infirmitatem habentes*, oportebat ut *sacerdos offerret prius sacrificium pro seipso* deinde pro populo. Offerebat autem pro seipso vitulum pro peccato, et arietem in holocaustum, pro populo offerebat duos hircos, quorum unus immolabatur ad expiandum peccatum multitudinis, et ejus sanguis simul cum sanguine vituli inferebatur in sancta sanctorum, et aspergebatur ex eo totum sanctuarium: corpus vero hirci et vituli pro peccato sacerdotis et populi comburebantur extra castra: alter vero hircus emittebatur in desertum, cui prius sacerdos inponebat manus super caput, confitens peccata filiorum Israël, ac si ille hircus portaret ea in desertum, ubi á bestiis comederetur, ut habetur Levit. 16.

Quæ omnia habebant rationes literales et figurales.

Literaliter, sacerdos offerebat vitulum pro peccato, in commemorationem peccati Aaron, quod fecerat in conflatione vituli aurei.

Per arietem oblatum in holocaustum significabatur, quod sacerdotis prælatio quam aries designat, qui est dux gregis, erat ordinanda ad honorem Dei.

Per hircum qui immolabatur pro peccato populi, cum hircus sit animal fœtidum, ex cujus pilis fiunt vestimenta pungentia, significatur fœtor et immunditia aculei peccatorum.

Illatio sanguinis hirci et vituli in sanctuarium, et aspersio sanctuarii fiebat ad significandum quod tabernaculum emundabatur ab immunditiis filiorum Israël.

Combustio corporum vituli et hirci ostendit consummationem peccatorum.

Non comburebantur in altari, quia in eo non comburebantur totaliter nisi holocausta.

Comburebantur extra castra, in detestationem peccati.

Hoc sacrificium non fiebat nisi pro peccato multitudinis, vel pro aliquo gravi peccato.

Aliter hircus mittebatur in desertum, non ut offerretur dæmonibus quos colebant gentiles in desertis, quia eis nihil licebat immolare; sed hoc fiebat ad significandum effectum illius sacrificii immolati: ideo enim sacerdos imponebat manus super caput hirci emittendi, confitens peccata filiorum Israël, ac si ille hircus deportaret ea in desertum ubi á bestiis comederetur, quasi portans pœnam pro peccatis populi.

Figuraliter per vitulum significabatur Christus propter virtutem.

Per arietem significatur Christus, quia ipse est dux fidelium.

Per hircum significatur Christus propter similitudinem carnis peccati.

Per immolationem horum trium significabatur, quod Christus erat immolandus pro peccatis sacerdotum et populi, quia per passionem ejus maiores et minores á peccato emundabantur.

Infertur sanguis vituli et hirci per Pontificem in sancta, quia per sanguinem passionis Christi patet nobis introitus in regnum cælorum.

Comburuntur corpora eorum extra castra, quia Christus extra portam passus est, ut dicitur Heb. ult.

Per hircum qui emittebatur, potest significari, vel ipsa divinitas Christi, quæ in solitudinem abiit, homine Christo patiente, non quidem locum mutans, sed virtutem cohibens. Vel significatur concupiscentia mala, quam debemus abjicere á nobis, virtuosos autem motus Domino immolare.

Ad formam igitur argumenti dicitur, exponendo consequens, quod hircus qui mittebatur in desertum, dicebatur portare peccata populi, vel quia in ejus emissione significabatur remissio peccatorum populi, vel quia colligabatur super caput ejus aliqua schedula, ubi erant scripta peccata: de immunditia vero quam contrahebant immolantes, est eadem ratio quæ est de immunditia, quæ contrahebatur in sacrificio vitulæ rufæ, de quo dictum est in responsione ad 5.

Ad 7. Dicitur, quod per ritum legis leprosus non emundabatur á macula lepræ, sed emundatus ostendebatur, ut patet Levit. 14. ibi enim dicitur, *cum invenerit lepram esse mundatam*. Jam igitur lepra erat mundata. Purificari igitur dicebatur leprosus in quantum judicio sacerdotis restituebatur consortio hominum et cultui divino. Contingebat tamen quandoque, ut divino miraculo per ritum legis corporalis mundaretur lepra, quando sacerdos decipiebatur in judicio.

Fiebat autem hujusmodi purificatio leprosi, dupliciter, primo enim judicabatur esse mundus: secundo, restituebatur tamquam mundus consortio hominum et cultui divino, et hoc fiebat post septem dies, postquam judicatus fuerat mundus. In prima purificatione offerebat pro se leprosus mundandus, duos passeres vivos, lignum cedrinum, vermiculum et hyssopum. Hoc modo, unus ex passeribus immolabatur in vase fictili super aquas viventes: passer vero alter remanebat vivus, et ligabatur simul cum hyssopo in ligno cedrino, cum filo coccineo, ac si fieret aspersorium, cujus manuptium erat lignum cedrinum, et passer et hyssopus ligata cum filio intingebantur in sanguine alterius passeris immolati in aquis vivis, et aspergebatur leprosus mundandus septies, et

passer vivus dimittebatur, ut in agrum avolaret. In octavo autem die restituebatur consortio hominum: primo tamen rasis pilis totius corporis, et lotis vestimentis. Deinde offerebatur sacrificium cum cæremoniis, de quibus habetur Levit. 14.

Rationes literales omnium horum erant: et primo, offerebantur illa quatuor, scilicet passer, hyssopus, lignum cedrinum et coccus, contra quatuor defectus lepræ. Primus defectus lepræ est putredo, contra quem offerebatur lignum cedrinum, quod est lignum imputribile. Secundus lepræ defectus est fœtor, contra quem offerebatur hyssopus, quæ est herba odorifera. Tertius lepræ defectus est insensibilitas, contra quem offerebatur passer vivus. Quartus lepræ defectus est turpitudo coloris, contra quem offerebatur vermiculus qui habet vivum colorem.

Passer vivus advolare admittebatur in agrum, quia leprosus restituebatur pristinæ libertati.

Radebantur pili, et abluebantur vestimenta, quia lepra pilos corrodit, et vestimenta coinquinat, et fœtida reddit.

Offerebatur sacrificium pro peccato, quia lepra plerumque inducitur pro peccato.

De sanguine sacrificii tingebatur extremum auriculæ ejus qui erat mundandus, et pollices manus dexteræ et pedis, quia in istis partibus prius lepra dignoscitur et sentitur.

Adhibebantur etiam huic ritui tres liquores, scilicet sanguis, oleum et aqua viva.

Sanguis adhibebatur contra sanguinis corruptionem.

Oleum, ad designandam sanationem morbi.

Aqua viva, ad emundandam spurcitiam.

Figurales rationes erant.

Per duos passeres significantur divinitas et humanitas Christi, quorum unus, scilicet humanitas, immolatur in vase fictili super aquas viventes, quia per passionem Christi aquæ Baptismi consecrantur.

Alius passer, scilicet impassibilis divinitas vivus remanebat, quia divinitas mori non potest, unde et avolabat, quia passione adstringi non poterat.

Passer vivus simul cum ligno cedrino, cocco, vermiculo et hyssopo, idest fide, spe et charitate, ut dictum est art. 4. ad 4. *mittitur in aquam ad aspergendum*, quia in fide Dei et hominis baptizamur.

Lavat autem homo per aquam Baptismi et lachrymarum, vestimenta sua, idest opera; et pilos, idest cogitationes.

Tingitur autem extremum auriculæ ejus qui mundatur, de sanguine et de oleo, ut ejus audium muniat contra corrumpentia verba.

Polices manus et pedis dextri tinguntur, ut sit ejus actio sancta.

Aliæ vero cæremoniæ quæ ad hanc purificationem lepræ, vel etiam aliarum purificationum pertinent, non habent aliquam specialem rationem, præter eas quas habent alia sacrificia pro peccatis vel pro delictis.

Ad formam igitur argumenti dicitur, quod supponit unum falsum, scilicet quod per ritum legis mundaretur lepra: hoc enim regulariter non erat verum, sed per ritum legis ostendebatur leprosus mundatus, et addebatur secunda purificatio ad restituendum, qui fuerat leprosus, consortio hominum et divino cultui, ut dictum est. Prima ergo purificatio, quæ fiebat per aspersionem aquæ vivæ et sanguinis passeris, cum aspersorio composito ex ligno cedrino, passere vivo, vermiculo, et hyssopo, erat ad ostendendum leprosum esse mundatum á lepra. Secunda vero purificatio, quæ fiebat octavo die per rasionem pilorum, et ablutionem vestimentorum, erat ad restituendum ipsum consortio hominum.

Ad 8. et 9. Simul dicitur, quod sicut per circumcisionem universus populus instituebatur ad cultum Dei, ita per ali-

quam specialem purificationem, et consecrationem aliqui instituebantur ministri divini cultus. Unde et separari ab aliis præcipiuntur, quasi specialiter ad ministerium divini cultus deputati.

Tres erant ordines ministrorum divini cultus, scilicet:

1. Summus sacerdos.
2. Minores sacerdotes.
3. Levitæ.

In institutione horum ministrorum tria fiebant.

Primo, purificabantur.

Secundo, consecrabantur.

Tertio, applicabantur ad usum ministerii.

Purificabantur omnes ministri communiter per tria.

Primo, per ablutionem cum aqua.

Secundo, per oblationem sacrificiorum.

Tertio, specialiter levitæ, per rasionem pilorum carnis eorum.

Sacrificia, quæ offerebantur in consecratione ministrorum, erant

1. Vitulus pro peccato.
2. Aries in holocaustum.
3. Aries consecrationis, qui erat quasi hostia pacifica.
4. Canistrum panum.

Consecratio pontificis hoc ordine fiebat.

Primo, postquam fuerat purificatus per ablutionem, induebatur quibusdam specialibus vestimentis, de quibus dicetur ad 10.

Secundo, ungebatur oleo unctionis in capite.

Consecratio minorum sacerdotum sic fiebat.

Primo, postquam purificati fuerant per aquæ ablutionem, induebantur etiam ipsi quibusdam specialibus vestimentis, de quibus etiam dicetur in sequenti responsione.

Deinde consecrabantur per olei unctionem solæ manus.

Tertio, de sanguine animalis immolatitii tingebatur extremum auriculæ dextræ ipsorum, et pollices pedis, et manus dextræ.

Quarto, eodem sanguine aspergebantur ipsi, et vestimenta.

Levitarum vero consecratio, fiebat per hoc solum, quod postquam erant purificati per ablutionem aquæ, et rasionem pilorum offerebantur Domino á filiis Israel per manus pontificis, qui orabat pro eis.

Applicatio ministerii sacerdotum fiebat per hoc, quod imponebantur super manus eorum adeps arietis, et torta panis unius, et armus dexter.

Levitæ applicabantur ad ministerium per hoc, quod intromittebantur in tabernaculum fœderis.

Literales rationes omnium horum erant.

Purificabantur per ablutionem aquæ, et oblationem sacrificiorum omnes ministri divini cultus; ut ostenderetur eos esse specialiter ministerio divini cultus deputati.

Consecratio eorumdem, et institutio, ad hoc pertinebat, ut ostenderetur, eos habere quamdam prærogativam puritatis, veritatis, et dignitatis.

Speciali vestimenta pontificis et sacerdotum, designabant eorum supra cæteros dignitatem.

Unctio capitis pontificis oleo unctionis designabat quod ab ipso diffundebatur potestas consecrandi alios, sicut oleum á capite derivatur ad inferiora, ut habetur Psal. 132. *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.*

Consecratio manuum minorum sacerdotum significabat quod eorum manus erant applicanda ad sacrificia.

Tingebantur extremum auriculæ, et pollices pedis, et manus dextræ sanguine animalis immolati, ut essent obedientes legi Dei, in oblatione sacrificiorum, quod significatur in intinctione auris dextra, et quod essent solliciti, et promp-

ti in executione sacrificiorum, quod significatur in intinctione pedis, et manus dextræ.

Aspergebantur ipsi, et vestimenta eorum sanguine animalis immolati, in memoriam sanguinis agni, per quem fuerunt liberati in Ægypto.

Offerebatur in eorum consecratione vitulus pro peccato, in memoriam remissionis peccati Aaron, circa conflationem vituli.

Aries in holocaustum in memoriam oblationis Abrahæ, cujus obedientiam pontifex imitari debebat.

Aries consecrationis in memoriam liberationis de Ægipto per sanguinem agni.

Canistrum panum offerebatur in memoriam mannæ præstiti populo.

Adeps arietis, torta panis, et armus dexter imponebantur manibus sacerdotum, dum ministerio applicabantur, ut ostenderetur quod accipiebant potestatem hæc offerendi Domino.

Per hoc quod Levitæ intromittebantur in tabernaculum, significabatur eorum ministerium circa vasa sanctuarii.

Figuralis vero horum ratio erat quia illi qui sunt consecrandi ad spirituale ministerium Christi, debent primo purificari, per aquas baptismi, et lachrymarum in fide passionis Christi, quod est expiativum et purgativum sacrificium.

Et debent radere omnes pilos carnis, idest omnes pravas cogitationes.

Debent ornari virtutibus, tamquam specialibus indumentis.

Debent consecrari oleo Spiritu Sancti, et aspersione sanguinis Christi, et sic debent esse intenti ad exequenda spiritualia ministeria.

Ad formam igitur octavi et noni argumenti dicitur, quod speciales purificationes, et consecrationes ministrorum Dei in lege antiqua, non fiebant, quasi per hujusmodi ablutiones possent spirituales immunditias delere, et per consecrationes fieret aliqua sanctitas in anima, sed solum ut ostenderentur peculiares prærogativæ ministrorum divini cultus, de quibus dictum est.

Ad 10. Dicitur, quod ornatus vestium pro sacerdotibus institutus, habet rationem literalem et figuralem, et utramque habet in communi, et in particulari. Unde omnium ornamentorum sacerdotalium quatuor rationes assignandae sunt, scilicet literalis in communi, literalis in particulari, figuralis in communi, et figuralis in particulari.

Ad quorum evidentiam est praemittendum, quod intentio legis erat inducere ad reverentiam divini cultus: hoc autem dupliciter faciebat. Primo excludendo á culto divino omne id, quod poterat esse contemptibile. Alio modo apponendo ad cultum divinum omne illud, quod videbatur ad honorificentiam pertinere, et sicut hoc observatum fuit in tabernaculo, et vasis ejus, et animalibus immolandis, multo magis observandum erat in ipsis ministris.

Ad removendum igitur contemptum ministrorum, praeceptum fuit ut non haberent maculam, vel defectum corporalem, quia hujusmodi homines solent apud alios contemptui haberi propter quod etiam institutum fuit ut non sparsim ex quolibet genere ad Dei ministerium applicarentur; sed ex certa prosapia, secundum generis successionem, ut ex hoc clariores et nobiliores haberentur.

Ad hoc autem ut in reverentiam haberentur, adhibebatur eis specialis ornatus vestium, et specialis consecratio.

Ratio igitur literalis communis quod sacerdotes deberent esse sine macula, et habere specialia ornamenta erat, ne contemptui haberentur, et omnes eis reverentiam exhiberent.

Ratio autem figuralis in communi erat, ut significaretur, sacerdotes novæ legis debere esse mundos ab omni macula peccati, et ornatos omni virtute.

Ad sciendum autem rationes, tum li-

terales, tum figurales in particulari, enumerandæ sunt omnes maculæ, quæ impediebant, ne quis posset divino ministerio vacare, et singula ornamenta ministrorum ejusdem divini cultus.

Macula quæ impediebant á divino ministerio.

Maculæ sive defectus corporales, á quibus debebant sacerdotes esse immunes, sunt quæ sequuntur, Levicii 21.

1. Si sit cœcus.
2. Si sit claudus.
3. Si sit parvo, grandi, vel torto naso.
4. Si sit fracto pede, vel manu.
5. Si sit gibbus ante, vel retro.
6. Si sit lyppus.
7. Si habeat albuginem in oculo.
8. Si habeat jugem scabiem.
9. Si habuerit impetiginem.
10. Si sit herniosus, vel ponderosus.

Ornamenta Pontificis.

Ornamenta Pontificis erant octo. Exo. 28.

1. Habebat vestem lineam.

2. Tunicam hyacinthinam, in cujus extremitate versus pedes ponebantur per circuitum tintinabula quædam, et mala punica facta ex hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta.

3. Super humeros habebat duos onichinos, in quibus erant sculpta nomina filiorum Israel.

4. Habebat rationale, ex eadem materia factum, quod erat quadratum, et ponebatur in pectore, et conjungebatur superhumerali: et in hoc rationali erant: Primo, duodecim lapides pretiosi, distincti per quatuor ordines, in quibus erant sculpta nomina duodecim filiorum Israel. Secundo, erant in rationali doctrina et veritas, idest scribebantur quædam pertinentia ad doctrinam et veritatem. Iudæi tamen fabulantur quod in rationali erat lapis, qui secundum diversos colores mutabatur, secundum diversa, quæ debebant accidere filiis Israel, et hoc vocant veritatem, et doctrinam.

5. Erat Baltheus, idest cingulus quidam, factus ex prædictis quatuor coloribus.

6. Erat Tiara, idest Mitra quædam de bysso.

7. Erat lamina aurea, pendens in fronte ejus, in qua erat scriptum nomen Domini.

8. Erant femoralia linea, ut operiret carnem turpitudinis suæ, quando accederet ad sanctuarium, vel altare.

Ornamenta minorum sacerdotum.

Ex istis octo ornamentis pontificis, minores sacerdotes habebant quatuor scilicet.

1. Tunicam.
2. Femoralia.
3. Baltheum.
4. Tiaram, seu Mitram.

Ratio literalis in particulari defectuum.

Ratio literalis in particulari defectuum, quibus impediebantur ministri á divino cultu, est quia per unamquamque illarum macularum, sive defectuum solent homines contemptui haberi, et ideo ne despicerentur, debebant carere omnibus enumeratis corporalibus defectibus.

Ratio literalis in particulari ornamentorum pontificis.

Ornamentorum pontificis quidam rationem literalem assignant, dicentes: quod in istis ornamentis designabatur dispositio orbis terrarum, quasi pontifex protestaretur se esse ministrum Creatoris mundi. Unde Sapi. 18. dicitur quod *in veste Aaron erat descriptus orbis terrarum.*

Femoralia, et vestis linea figurabant terram, ex qua linum nascitur.

Baltheum significabat mare Oceanum, quod in modum cinguli circumvolvitur terræ.

Tunica hyacinthina significabat suo colore aerem, per cujus tintinnabula significabantur tonitrua, et per mala punica coruscationes.

Superhumerale significabat sua varietate cœlum sydereum.

Duo onichini, duo emisphæria, vel Solem, et Lunam.

Duodecim gemmæ in pectore, duodecim signa in Zodiaco, quæ dicebantur posita in rationali, quia in cœlestibus sunt rationes terrenorum, secundum illud Jo. 38. *Numquid nosti ordinem cœli, et ponis rationem ejus in terra?*

Cidaris, seu Tiara significabat cœlum empyreum.

Lamina aurea, Deum omnibus præsentem.

Rationes figurales in particulari defectuum, qui prohibebant divinum ministerium.

Figuralis ratio defectuum manifesta est. Nam maculæ, vel defectus corporales á quibus debebant sacerdotes esse immunes, significant diversa vitia et peccata, quibus debent carere.

Non debet esse cæcus, idest ignorans.

Non debet esse claudus, idest instabilis, ad diversa se inclinans.

Non debet esse magno, parvo, vel torto naso, ne per defectum discretionis, vel in plus, vel in minus excedat, aut etiam aliqua prava exerceat; per nasum enim discretio designatur, quia nasus est discretivus odorum.

Non sit manu, vel pede fractus, idest ne amittat virtutem bene operandi, vel procedendi in virtutem.

Non debet esse gibbosus, per superfluum amorem terrenorum.

Non debet esse lyppus, idest non debet habere, quod per carnalem affectum ejus ingenium obscuretur. Contingit enim lyppitudo ex fluxu humorum.

Repudiatur, qui habet albuginem in oculo, idest præsumptionem candoris justitiæ in sua cogitatione.

Repudiatur si habet jugem scabiem, idest petulantiam carnis.

Repudiatur si habuerit impetiginem, quæ sine dolore corpus occupat, et membrorum decorem fœdat, per quam avaritia designatur.

Si sit herniosus, vel ponderosus, qui scilicet gestat pondus turpitudinis in corde, licet non exerceat opere.

Rationes figurales in particulari ornamentorum minorum sacerdotum.

Ornamenta designant virtutes ministrorum Dei. Sunt autem quatuor virtutes omnibus necessariæ, scilicet:

Castitas quæ significatur per femoralia. Puritas vitæ, quæ significatur per lineam tunicam. Moderatio discretionis quæ significatur per cingulum. Rectitudo intentionis, quæ significatur per Tiaram.

Ornamenta pontificum.

Pontifices præ his debent habere quatuor.

1. Iugem Dei memoriam in contemplatione, et hoc significat lamina aurea habens nomen Dei in fronte.

2. Quod supportent infirmitates populi quod significat superhumerale.

3. Quod habeant populum in corde et in visceribus, per sollicitudinem charitatis, quod significatur per rationale.

4. Quod habeant conversationem cœlestem per opera perfectionis, quod significatur per tunicam hyacinthinam.

Unde et tunicæ hyacinthinæ adjunguntur in extremitate tintinabula aurea, per quæ significatur doctrina divinorum quæ debet conjungi cœlesti conservationi pontificis. Adjunguntur etiam mala punica, per quæ significatur unitas fidei, et concordia in bonis moribus, quia sic conjuncta debet esse pontificis doctrina, ut per eam fidei, et pacis unitas non rumpatur.

Et per hæc patet argumenti responsio.

ARTICULUS VI.

Utrum fuerit aliqua rationalis causa observantiarum cæremonialium.

Pro negativa. = Videtur quod observantiarum cæremonialium nulla fuerit rationabilis causa.

1. Quod est bonum, non est tamquam immundum prohibendum. Sed *omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*, ut dicitur 1. Tim. 4. Ergo incon-

venienter cultores antiquæ legis prohibiti sunt ab esu quorumdam ciborum, tamquam immundorum, ut patet Levit. 11.

2. Lex non distinxit in herbis aliquas immundas. Ergo nec de animalibus debuit aliqua prohibere, ut immunda.

Conseq. prob., quia sicut animalia dantur in cibum homini, ita et herbæ; unde dicitur Gen. 9. *Quasi olera virentia dedi vobis omnem carnem.*

Et confirmatur. Quia inter herbas aliquæ sunt maxime nocivæ et venenosæ.

3. Non prohibentur omnes carnes tamquam immundæ. Ergo non debuerunt prohiberi sanguis, et adeps, ut immunda, ut habetur Levit. 3.

Conseq. prob., quia cum id quod generatur ex materia immunda, immundum sit, et omnes carnes generentur ex sanguine, manifeste sequitur quod si omnis sanguis esset immundus, omnis caro, utpote ex sanguine genita, esset immunda.

4. Nullum nocumentum cedit homini post mortem, quid de ejus corpore fiat. Ergo multo minus pertinet ad animal iam occisum, qualiter ejus carnes decoquantur. Ergo irrationabile videtur esse, quod dicitur Exod. 23. *Non coques hædum in lacte matris suæ.*

Antec. prob., quia Matt. 10. dicitur, *non esse timendos, qui occidunt corpus, quia post mortem non habent quid faciant,* quod non esset verum, si nocumentum cederet homini, quid ex ejus corpore fieret.

5. Ea quæ sunt primitiva in hominibus et animalibus, tamquam perfectiora, præcipiuntur Domino offerri. Ergo inconvenienter præcipitur Lev. 19. *quando ingressi fueritis terram, et plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum,* idest prima germina *et immunda erunt vobis, nec edetis ex eis.*

6. Vestimentum est extra corpus hominis: ergo non debuerunt quædam specialia vestimenta judæis interdici, puta quod dicitur Levit. 19. *Vestem quæ ex duobus texta est, non indueris* et Deuter. 22. *Non induetur mulier veste virili, et vir non induetur veste fœminea,* et infra: *Non indueris vestimento, quod ex lana, linoque contextum sit.*

7. Memoria mandatorum Dei non pertinet ad corpus, sed ad cor. Ergo inconvenienter præcipitur Deuter. 6. quod *ligaret præcepta Dei, quasi signum in manu sua,* et quod *scriberentur in limine ostiorum,* et quod *per angulos palliorum facerent fimbrias, in quibus ponerent vittas hyacinthinas, in memoriam mandatorum Dei,* ut habetur Num. 15.

8. Apost. dicit 1. Cor. 6. Quod Deo *non est cura de bobus,* et per consequens nec de aliis animalibus irrationalibus. Ergo inconvenienter præcipitur Deuter. 23. *Si ambulaveris per viam, et inveneris nidum avis, non tenebis matrem cum filiis,* et Deuter. 25. *Non alligabis os bovis triturantis:* et Levit. 19. *Jumenta tua non facies coire cum alterius generis animantibus.*

9. Inter plantas non fiebat discretio mundarum ab immundis. Ergo multo minus circa culturam plantarum debuit aliqua discretio adhiberi, ut præcipitur Levit. 19. *Agrum tuum non seres diverso semine,* et Deut. 22. *Non seres vineam tuam altero semine, et non arabis in bove et asino.*

10. Ea quæ sunt inanimata, maxime videntur hominum potestati esse subjecta. Ergo inconvenienter arcetur homo ab argento et auro ex quibus fabricata sunt idola, et ab aliis quæ in idolorum domibus inveniuntur præcepto, quod habetur Deuter. 7. Ridiculum etiam videtur præceptum, quod habetur Deuter. 23. *ut egestiones humo operirent fodientes in terra.*

11. Ad pietatem pertinere videtur, quod aliquis funeribus amicorum intersit, et quod aliquis uxorem accipiat meretricem. Ergo inconvenienter hæc duo prohibebantur sacerdotibus Levit. 21.

Antec. Quoad priorem partem prob. quia de hoc laudatur Tobias, Tobiæ. 1.

Quoad aliam partem, quia accipiens meretricem in uxorem, eam á peccato liberat.

Conseq. prob., quia pietas maxime in sacerdotibus requiritur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Quæ sunt instituta á Deo, habent rationabiles causas. Sed cæremoniales observantiæ antiquæ legis fuerunt institutæ á Deo ad quamdam specialem prærogativam illius populi. Ergo cæremoniales observantiæ habent rationabiles causas.

Minor probatur, quia dicitur Deuter. 18. *Tu autem á Domino Deo tuo aliter institutus es.*

Determinatio.

Conclusio. Observantiæ cæremoniales antiquæ legis habent rationabiles causas, literales et figurales.

Prob. Quæ ordinantur ad divinum cultum in veteri lege, habent rationabiles causas literales, et figurales. Sed observantiæ cæremoniales veteris legis ordinabantur ad divinum cultum, qui tunc Deo debebatur. Ergo observantiæ cæremoniales veteris legis habent rationabiles causas literales et figurales.

Maior prob., quia cæremoniæ veteris legis ex hoc, quod ordinabantur ad divinum cultum, habent rationes literales. Ex hoc vero quod divinus cultus veteris legis figurabat mysterium Christi, secundum quod dicitur 1. Cor. 10. *Omnia in figura contingebant illis*, habent causas figurales.

Minor prob. Nam populus Judæorum, ut dictum est supra specialiter erat deputatus ad cultum divinum, et inter eos specialiter sacerdotes: et sicut aliæ res quæ applicantur ad cultum divinum, aliquam specialitatem debent habere, quæ pertineat ad honorificentiam divini cultus, ita etiam in conversatione illius populi, et præcipue sacerdotum debuerunt esse aliqua specialia congruentia ad cultum divinum spiritualem, vel corporalem.

Quæ autem sint rationes, tum literales, tum figurales patebit in solutionibus argumentorum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod in lege veteri prohibebatur esus:

1. Carnium quorumdam animalium, tum terrestrium, tum volatilium, tum piscium

2. Omnis sanguinis.

3. Omnis adipis.

4. Nervorum.

5. Suffocatorum, vel strangulatorum.

Animalia, quorum carnes prohibebantur in esum erant:

1. Quæ habent immundum nutrimentum, ut porcus.

2. Quæ immunde conversantur, ut mures et talpæ.

3. Quæ habent nimiam terrestreitatem, ut sunt animalia, quæ habent soleas, idest ungues integros non divisos, ut equi, asini, et muli.

4. Quæ habent nimiam siccitatem, ut sunt animalia terrestria, quæ habent multas fissuras in pedibus, ut sunt canes, feles, leones, et hujusmodi. Et animalia volatilia rapacia, ut aquilæ, corvi, et hujusmodi.

5. Quæ habent nimiam humiditatem ut sunt quædam vilatilia in aquis manentia, ut cycnus, arietes et similia, et pisces non habentes pinnulas, et squammas ut sunt anguillæ, et alia similia.

Quorumdam vero animalium concedebatur esus. De terrestribus concedebatur esus animalium, quæ ruminant, et dividunt ungulas.

De piscibus conceduntur, qui habent pennulas, et squammas.

De volatilibus quadrupedibus concedebantur ea quæ habent posteriora crura longiora, ut salire possint, alia vero prohibebantur.

De avibus quæ sunt magis temperatæ, ut gallinæ, perdices et hujusmodi.

Habent autem tam prohibitio, quam concessio supradictorum ad esum suas rationes literales et figurales.

Et quidem prohibitio esus carnium supradictorum animalium habet triplicem literalem rationem.

Prima. Quia animalia, quæ habent immundum nutrimentum, et etiam quæ immunde conversantur, habent quamdam immunditiam in se, propter quam merito ut immunda reputantur, et prohibentur. Animalia vero quæ habent nimiam vel terrestreitatem, vel siccitatem, vel humiditatem, prohibentur quia non generant bonum nutrimentum in humano corpore.

Altera ratio literalis erat in detestationem idololatriæ. Nam Gentiles, et Egyptii, inter quos Hebræi erant nutriti, hujusmodi animalia prohibita idolis immolabant, vel eis ad maleficia utebantur.

Tertia ratio fuit, ad tollendam nimiam diligentiam circa cibaria.

Prohibitio esus sanguinis habet duplicem rationem literalem. Prior est ad detestandam humani sanguinis effusionem, et ad vitandam crudelitatem, ut dictum est articulo 3.

Altera fuit, ad vitandum idololatriæ ritum, quia eorum consuetudo erat, ut circa sanguinem congregatum adunarentur, ad comedendum in honorem idolorum, quibus reputabant sanguinem acceptissimum esse, et ideo Dominus mandavit ut sanguis effunderetur, et quod pulvere operiretur.

Prohibitio esus adipis habet etiam triplicem rationem literalem.

Prima, quia idololatræ comedebant illum in honorem Deorum suorum.

Secunda, quia adeps cremabatur in honorem Dei, ut dicitur Levit. 3.

Tertia, quia adeps no generat bonum nutrimentum, ut ait Rabbi Moyses.

Causa autem prohibitionis esus nervorum exprimitur Genes. 32. ubi dicitur, quod non *comedunt filii Israel nervum, eo quod tetigerit nervum fœmoris Jacob, et obstupuerit.*

Prohibitio suffocatorum habebat duplicem rationem literalem.

Prima, quia sanguis non erat ab animalibus sic mortuis separatus, et ideo ea ratione, qua prohibebatur sanguis, prohibebantur etiam suffocata.

Secunda ratio erat, quia Dominus voluit eos prohibere á crudelitate etiam circa animalia bruta, ut per hoc magis recederent á crudelitate hominis.

Ratio autem literalis concessionis esus carnium supradictorum animalium erat, quia illa sunt temperatæ complexionis, et generant bonum nutrimentum, et etiam quia illa de facili, et in promptu haberi poterant, propter quod removebatur nimia diligentia in parandis cibariis.

Figuralis autem ratio dictæ prohibitionis erat, quia per omnia hujusmodi animalia prohibita, designantur aliqua peccata, in quorum figuram illa animalia prohibebantur. Unde August. dicit, lib. 6. contra Faustum cap. 7. *Si de porco et agno requiratur, utrumque natura mundum est, quia omnis creatura Dei bona est: quadam vero significatione, agnus mundus, porcus vero immundus est, tamquam si stultum, et sapientem diceres, utrumque hoc verbum natura vocis, et literarum, et syllabarum, ex quibus constat mundum est, significatione autem unum est mundum, et aliud immundum.* Animal enim quod ruminat, et ungulam findit, mundum est significatione, quia fissio ungulæ significat distinctionem duorum testamentorum, vel Patris, et Filii, contra Sabellium, vel duarum naturarum in Christo, vel discretionem boni et mali. Ruminatio autem significat meditationem scripturarum, et sanum intellectum earum. Cuicumque autem horum alterum deest, immundus est.

Similiter etiam in piscibus, illi qui habent pinnulas, et squamas, significa-

tione mundi sunt, quia per pinnulas significatur vita sublimis, vel contemplatio, per squamas autem significatur aspera vita, quorum utrumque necessarium est ad munditiam spiritualem.

In avibus autem quædam specialia genera prohibentur, quæ sunt aquila, gryphus, halyætus, milvus, vultur, corvus, struthio, nycticorax, larus, accipiter, bubo, mergulus, ibis, sive ciconia, cycnus, onocratulus, porphyrio, herodius, caladrion, pupa, vespertilio.

In aquila, quæ alte volat prohibetur superbia.

In gryphe, qui equis et hominibus infestus est, crudelitas potentum prohibetur.

In halyæto, qui pascitur minutis avibus, significantur illi, qui sunt pauperibus molesti.

In milvo autem, qui maxime insidiis utitur, designantur fraudulenti.

In vulture qui sequitur exercitum, expectans comedere cadavera mortuorum, significantur illi qui mortes, et seditiones hominum affectant, ut inde lucrentur.

Per animalia corvini generis significantur illi, qui sunt voluptatibus denigrati, vel qui sunt expertes bonæ affectionis, quia corvus semel emissus ab arca non est reversus.

Per struthionem, qui cum sit avis, volare non potest, sed semper est circa terram, significantur Deo militantes, et se negotiis secularibus implicantes.

Nicticorax, quæ nocte acuti est visus, in die autem non videt, significat eos, qui in temporalibus sunt astuti, et in spiritualibus hebetes.

Larus, qui volat in aëre, et natat in aqua, significat eos qui circumcisionem et baptismum venerantur. Vel significat eos, qui per contemplationem volare volunt, et tamen vivunt in aquis voluptatum.

Accipiter vero, qui deservit hominibus ad prædam, significat eos, qui ministrant potentibus ad deprædandum pauperes.

Per bubonem, qui in nocte victum quærit, de die autem latet, significantur luxuriosi, qui occultari quærunt nocturnis operibus, quæ agunt.

Mergulus cujus natura est ut sub undis diutius immoretur, significat gulosos, qui in aquis delitiarum se immergunt.

Ibis vero avis est in Africa, habens longum rostrum, quæ serpentibus pascitur, et forte est idem quod ciconia, significat invidos, quæ de malis aliorum quasi serpentibus reficiuntur.

Cycnus autem est coloris candidi et longum collum habet qui ex profunditate terræ, vel aquæ cibum trahit, potest significare homines, qui per exteriorem justitiæ candorem lucra terrena quærunt.

Onocratulus avis est in partibus orientis, longo rostro quæ in faucibus habet quosdam folliculos, in quibus primo cibum reponit, et post horam in ventrem mittit, et significat avaros, qui immoderata sollicitudine, necessaria vitæ congregant.

Porphyrio autem præter modum aliarum avium habet unum pedem latum ad natandum. Alium fissum ad ambulandum, quia et in aqua natat, ut anates, et in terra ambulat, ut perdices, solo morsu bibit, omnem cibum aqua tingens et significat eos, qui nihil ad alterius arbitrium facere volunt, sed solum quod fuerit tinctum aqua propriæ voluntatis.

Per hærodionem, qui vulgariter falco dicitur, significantur illi, quo eum pedes veloces sunt ad effundendum sanguinem. Caladrion, quæ est avis garrula, significat loquaces.

Upupa, quæ ædificat in stercoribus, et fœtenti pascitur fimo, et gemitum in cantu simulat, significat tristitiam sæculi, quæ in hominibus immundis mortem operatur.

Per vespertilionem, quæ circa terram volitat, significantur illi, qui sæculari scientia præditi, sola terrena sapiunt.

De volatilibus quadrupedibus prohi-

bentur illa, quæ terræ magis adhærent, quia illi abutuntur doctrina quatuor Evangelistarum, ut per eam in altum non subleventur, immundi reputantur.

Ratio figuralis prohibitionis adipis, et sanginis, et nervi est, quia in his prohibetur crudelitas, voluptas, et fortitudo ad peccandum. In sanguine inquam prohibetur crudelitas; in adipe voluptas; et in nervo fortitudo ad peccandum.

Ratio literalis concessionis quorumdam animalium, tum terrestrium, tum volatilium est, quia illa erant temperatæ complexionis, et generabant bonum nutrimentum.

Figuralis autem jam dicta est ex Aug. Nam per animal dividens ungulam significatur, qui duo testamenta distinguit, vel duas personas.

Per animal ruminans significatur, qui scripturas meditatur.

Per pisces cum pinnulis, et squammis significatur qui vitæ sublimi intendit, ut dictum est.

Ad formam igitur argumenti dicitur ad minorem dupliciter. Primo ex Aug. quod omnis creatura Dei bona est, et munda secundum suam naturam, tamen significatione potest dici immunda, quatenus aliquid immundum significat, ut dictum est.

Secundo, quod omnis creatura Dei bona est, quatenus non potest immunditiam spiritualem per se causare (quamvis per accidens causare eam possit) puta si quis vel nimium comedat, vel non debito tempore, puta tempore jejuniorum; potest tamen aliquam corporalem immunditiam, vel ex immundo nutrimento, vel ex immunda conversatione, vel ex nimia humiditate et siccitate causare, ut abunde in hac responsione ostensum est.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod esus plantarum, et aliorum terræ nascentium, fuit apud homines etiam ante diluvium; sed esus carnium videtur esse post diluvium introductus. Dicitur enim Genes. 8. *Quasi olera virentia dedi vobis omnem carnem*, et hoc ideo quia esus terræ nascentium magis pertinet ad quamdam simplicitatem vitæ. Esus autem carnium, ad quasdam delicias, et curiositatem vivendi: sponte enim terra herbam germinat, vel cum modico studio hujusmodi terræ nascentia in magna copia procurantur: oportet autem cum magno studio animalia nutrire, et etiam capere, et ideo volens dominus populum suum reducere ad simpliciorem victum, multa in genere animalium eis prohibuit non autem in genere terræ nascentium, vel etiam quia animalia immolabantur idolis non autem terræ nascentia.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod sanguis et adeps, non erant prohibita quasi immunda, sed rationibus superius dictis, et præcipue ad tollendam occassionem idololatriæ.

Ad 4. Dicitur, quod illud præceptum habet duplicem rationem literalem, et duplicem figuralem.

Prima ratio literalis erat, ad detestationem crudelitatis; ad quamdam enim crudelitatem pertinere videbatur, ut lac matris datum ei pro nutrimento, adhibeatur ad consumptionem carnis ipsius.

Secunda erat, ad detestandum ritum gentilium, et idololatriam. Gentiles enim in solemnitatibus idolorum taliter decoquebant carnes hædi ad immolandum, vel comedendum, et ideo Exod. 23. postquam prædictum fuerat de solemnitatibus in lege celebrandis, subditur: *Non coquas hædum in lacte matris suæ.*

Prior figuralis hujus præcepti ratio erat, quia figurabatur quod Christus qui est hædus, propter similitudinem carnis peccati, non erat á judæis coquendus, idest occidendus in lacte matris, hoc est in tempore infantiæ.

Altera figuralis ratio erat, quia per hoc significatur quod hædus, qui est peccator, non est conquendus in lacte matris, idest non est blanditiis deliniendus.

Ad formam igitur argumenti dicitur ad utrumque consequens, quod quamvis

hædus occisus non sentiret qualiter carnes ejus coquantur, tamen in animo decoquentis quamdam crudelitatem ostendere videbatur, ut dictum est. Vel ratio hujus præcepti fuit, ad figurandum quæ dicta sunt.

Ad 5. Dicitur quod præceptum de primitiis fructuum potest habere rationem literalem, et figuralem.

Ratio literalis erat ad detestandos gentilium ritus; gentiles enim fructus primitivos, quos fortunatos reputabant, diis suis offerebant vel etiam comburebant eos ad quædam magica facienda, et ideo præceptum est eis, ut fructus trium primorum annorum immundos reputarent. Prohibentur usque ad tertium annum, quia in tribus annis fere omnes arbores terræ illius fructum producunt, quæ scilicet seminantur, inseruntur, et plantantur, fructus quarti anni, tamquam mundi Deo offerebantur, et fructus quinti anni, et deinceps comedebantur.

Ratio prima figuralis erat, quia per hoc figurabatur, quod post tres status legis, quorum unus est ab Abraham, usque ad David: secundus á David usque ad transmigrationem Babylonis; tertius usque ad Christum, erat offerendus Deo fructus legis, qui est Christus.

Altera figuralis ratio erat, ut significaretur quod primordia operum nostrorum, debent esse nobis suspecta propter imperfectionem.

Ad formam igitur argumenti negatur conseq. Non enim est eadem ratio de primitiis fructuum, et animalium; priores enim fructus gentiles diis suis offerebant, non autem primitiva animalium, quæ Deo offerebantur.

Ad 6. Dicitur, quod prohibitio quorumdam vestimentorum, et ne mulier induatur veste virili, et ne vir induatur veste muliebri, habet rationes literales et figurales.

Et quidem prohibitio, ne vestimentum esset ex duobus contextum, ex lana et lino, duplicem habet literalem rationem.

Prima est, quod populus ille judæorum distingueretur ab aliis populis, non solum signo circumcisionis quod erat in carne, sed etiam vestimentis.

Altera ratio erat, ad vitandum idololatriæ cultum; hujusmodi enim variis vestibus ex diversis contextis, gentiles utebantur in cultu deorum suorum.

Alia prohibitio, scilicet quod mulier non utatur veste virili, nec vir veste muliebri, habuit duas literales rationes.

Prima est ad declinandam luxuriam, quod enim mulier induatur veste virili, et vir veste muliebri, incentivum est concupiscentiæ, et occasionem libidini præstat.

Altera ratio literalis est, ad vitandum idololatriæ cultum. Nam in cultu Martis mulieres utebantur armis virorum, et in cultu Veneris viri utebantur vestibus mulierum.

Figuralis ratio prioris prohibitionis est, quia ex vestimento contexto ex lana, et lino, interdicitur conjunctio simplicitatis et innocentiæ, quæ figuratur per lanam; et subtilitatis et malitiæ, quæ figuratur per linum.

Ratio figuralis alterius prohibitionis est, quia per ipsam prohibetur ne mulier sibi usurpet doctrinam vel alia virorum officia, et ne vir declinet ad mollitiem mulierum.

Ad formam igitur argumenti dicitur ad antecedens, quod licet vestimentum sit extra corpus hominis, tamen vestimentum enunciat de homine, ut dicitur Eccles. 19. et ideo ut ille populus esset ab aliis populis exteriori signo distinctus, prohibitum ei fuit ne indueretur quibusdam vestimentis, et etiam propter alias rationes, ut dictum est.

Ad 7. Dicitur dupliciter. Primo negatur consequentia. Licet enim mandata Dei pertineant ad cor, tamen quia populus ille carnalis erat, et duræ cervicis oportuit etiam per hujusmodi sensibilia eos ad legis observantiam excitari.

Secundo dicitur ad consequens, quod præceptum de faciendis fimbriis, á quibus penderent vittæ hyacinthinæ, habet rationem literalem, quæ est ut per hæc vestimentorum ornamenta ab aliis populis distinguerentur.

Et habet rationem figuralem, nam in hyacinthinis vittis, quæ paliis inserebantur, significatur cœlestis intentio, quæ omnibus operibus nostris debet adjungi.

Præceptum autem de ligandis præceptis legis in manibus, et de portandis ante oculos pharisæi male interpretabantur, scribentes in membranis decalogum Moysi, ligabant in fronte quasi coronam, ut ante oculos moverentur, cum tamen intentio Domini mandantis fuerit, ut haberent ea in manu, idest in operatione, et ante oculos, idest ea meditarentur.

Ad 8. Dicitur, quod ista tria præcepta, scilicet non alligabis os bovi trituranti. Non teneas matrem autem cum filiis. Et non facias coire jumenta tua cum alterius generis animantibus, habent rationes literales et figurales, et duo quidem priora præcepta habent duas rationes literales.

Prima est, ut Dominus populum judaicum ad crudelitatem pronum ad misericordiam revocaret et disponeret; prohibuit quædam circa animalia fieri, quæ ad quamdam crudelitatem pertinere videntur. Et ideo prohibuit, ne coqueretur hædus in lacte matris. Et quod non alligaretur os bovi trituranti. Et quod non occideretur mater cum filiis.

Secunda ratio est, quia hæc prohibita sunt eis ad detestationem idololatriæ. Nam Ægiptii nefarium reputabant, ut boves triturantes de frugibus comederent. Aliqui etiam malefici utebantur matre ovis incubante, et pullis ejus simul captis ad fœcunditatem, et fortunam circa nutritionem filiorum, et in auguriis reputabant hoc esse fortunatum, quod inveniretur mater incubans filiis.

Præceptum autem de commixtione animalium diversæ speciei tres potest habere rationes literales.

Prima ad destationem idololatriæ Ægiptiorum, qui diversis conmixtionibus utebantur in servitium planetarum, qui secundum diversas conjunctiones habent diversos effectus.

Alia ratio est, ad excludendum concubitum contra naturam.

Tertia ratio est, ad tollendum universaliter occasionem concupiscentiæ. Animalia enim diversarum specierum non conmiscentur de facili ad invicem, nisi hoc per homines procuretur, et in aspectu coitus animalium, excitatur homini concupiscentiæ motus. Unde et in traditionibus judæorum præceptum invenitur, ut homines avertant oculos ab animalibus coeuntibus, ut Rabi Moyses dicit.

Figuralis ratio omnium horum est, quia bovi trituranti, idest prædicatori deferenti segetes doctrinæ non sunt necessaria victus subtrahenda, ut Apost. dicit 1. Corinth. 9. *Matrem etiam non simul debemus tenere cum filiis*, quia in quibusdam retinendi sunt spirituales sensus quasi filii, et dimittenda est literalis observantia quasi mater sicut in omnibus cæremoniis.

Prohibetur etiam ne jumenta, idest populares homines non faciamus coire, idest conjunctionem habere cum alterius generis animantibus, idest cum gentibus, vel judæis.

Ad formam igitur argumenti dicitur ad antecedens, quod affectus hominis est duplex. Unus quidem secundum rationem. Alius vero secundum passionem; secundum affectum rationis non refert, quid homo circa animalia agat, quia omnia sunt subjecta ejus potestati á Deo, secundum illud Psal. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*. Et secundum hoc Apost. dicit, quod Deo non est cura de bovus, quia Deus non requirit ab homine, quid circa boves agat, vel circa alia animalia. Quantum vero ad affectum pas-

sionis, movetur affectus hominis circa alia animalia. Unde ad prohibendum crudelitatem, et excitandam misericordiam data sunt illa duo præcepta, ut dictum est.

Ad 9. Dicitur, quod illa præcepta quibus prohibentur commixtiones in agricultura, habent rationes literales et figurales.

Prima literalis ratio est, ad detestationem idololatriæ. Ægyptii enim ad venerationem stellarum diversas commixtiones faciebant in seminibus, et in animalibus, et in vestibus, repræsentantes diversas stellarum conjunctiones.

Secunda ratio est, quia hujusmodi commixtiones prohibebantur ad detestationem coitus contra naturam.

Habent etiam prohibitiones suas figurales rationes: quod enim dicitur: *Non seres vineam tuam alio semine*, est spiritualiter intelligendum, quod in Ecclesia quæ est spiritualis vinea, non est seminanda aliena doctrina, et similiter ager, idest Ecclesia, non est seminandus diverso semine, idest catholica doctrina et hæretica. Non est simul arandum in bove et asino: quia fatuus sapienti in prædicatione non est sociandus, quia unus impedit alium.

Ad formam argumenti negatur consequentia. Non enim est eadem ratio de plantis, et aliis seminibus rationibus dictis.

Ad 10. Dicitur, quod ratio illorum præceptorum in ipsomet textu assignatur, et primo quidem dum dicitur Deut. 7. in fine sculptilia eorum igne combures. Non concupisces argentum, et aurum de quibus facta sunt, neque assumas ex eis tibi quicquam, ne offendas propter ea, quia abominatio est Domini Dei tui.

Alterius autem præcepti ratio ibidem redditur, scilicet Deut. 5. dum dicitur *Dominus Deus tuus ambulat in medio castrorum, ut sint castra tua sancta et nihil in eis appareat fœditatis.*

Figuralis ratio esse poterat, ut caveamus quæ ad peccatum pertinent, et quod peccata abscondere debemus ab oculis Domini, per contritionem, confessionem, et pœnitentiam.

Ad 11. Dicitur, quod prohibitio facta sacerdotibus, ut non interessent funeribus amicorum, vel ut non acciperent meretricem, habent rationes literales, et figurales.

Et quidem literalis ratio quare sacerdotibus prohibebatur, ne interessent funeribus, nisi valde propinquorum, et summo sacerdoti ut nullius funeri interesset, fuit ad detestationem idololatriæ. Malefici enim et sacerdotes idolorum utebantur in his ritibus, ossibus, vel carnibus hominum mortuorum, et ideo ad extirpandum idololatriæ cultum, præcepit Dominus, ut sacerdotes minores, qui per certa tempora ministrabant sanctuario, non inquinarentur in mortibus, nisi valde propinquorum, scilicet patris et matris, et hujusmodi conjunctarum personarum. Pontifex autem semper debebat esse paratus ad ministerium sanctuarii, et ideo totaliter ei prohibitus erat accesus ad mortuos, quantumcumque propinquos.

Præceptum autem sacerdotibus factum, ne ducerent uxorem meretricem, vel repudiatam ratio literalis fuit; tum propter reverentiam sacerdotum, quorum dignitas quodammodo ex tali conjugio diminui videretur: tum etiam propter filios, quibus esset ad ignominiam turpitudo matris, quod maxime tunc erat vitandum quando sacerdotii dignitas secundum successionem generis conferebatur.

Præceptum etiam erat eis, ut non raderent caput, nec barbam, nec in carnibus suis facerent incisuram, ad removendum idololatriæ ritum. Nam sacerdotes gentilium radebant caput et barbam, unde dicitur Baruch 6. *Sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas, et capita, et barbam rasam.* Et etiam in cultu idolorum incidebant se cultris, et lanceolis, ut dicitur 3. Reg. 18. Unde contraria horum præcepta sunt sacerdotibus veteris legis.

Spiritualis autem ratio horum est, quia sacerdotes omnino debent esse immunes ab operibus mortuis, quæ sunt opera peccati. Et etiam non debent radere caput, idest deponere sapientiam, neque deponere barbam, idest sapientiæ perfectionem. Neque etiam scindere vestimenta, aut incidere carnes, ut scilicet vitium schismatis non incurrant.

Negatur igitur ad formam argumenti consequentia. Ad cujus probationem dicitur, quod quamvis interesse mortuorum funeribus, et accipere meretricem in uxorem sint quædam pietatis opera; tamen, quia per hujusmodi opera, quædam immunditia, et indignitas contrahebatur, ideo convenienter fuerunt sacerdotibus interdicta.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 102.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum quod cæremonialia præcepta habebant causam. Ut Psal. 18. *præceptum* etc. secundum quod cum applicatione est *in arg. cont.* Pro quo nota: quod luciditas interna, qua intellectus percipit aliquid, fit per causam, cum scire sit rem per causam cognoscere, *primo posteriorum.* Et ideo bene textus dixit ly *quod non esset, nisi haberent rationabilem causam.* Ac si aperte dicat: Lucidum est illud, quod habet causam rationabilem: et é contra, illud non est lucidum, quod non habet causam talem. Item insinuatur á Job 5. *Nihil in terra sine causa fit.* Patet siquidem, quod facta circa legem divinam, maxime in his, quae ad cultum Dei pertinent, neque esse debent, neque sunt minus ordinata: quam illa, quæ fiunt in terra: et consequenter, cum esse factum sine causa dicat quid inordinatum, concludendum Theologis scholasticis est, quod per sententiam Job præmissam monstratur, et á fortiori quidem, quod cæremonialia habent causam. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod cæremonialia causam habebant et literalem, et figuralem. Ut á simili probatur per illud 1. *Cor.* 10. *in arg. cont.* Pro cujus meliori captu, regulæ illius memento, quæ ponitur 1. q. 1. a. 9. 10. quod, scilicet, literalis sensus est fundamentum omnium aliorum sensuum. In regula siquidem ista fundatur id, quod dicitur hic, scilicet "historiæ veteris testamenti habent sensum literalem, et non tantum figuralem." Vide ibidem art. 9. Elucid. post. resp. ad 3. contra quorumdam abusum: sed et easdem super q. 68. ar. 2. append. et q. 91. ar. 1. append. et qu. 92. art. 3. append. A Papa Eugen. etiam insinuatur per hoc: quod dicit, quod legalia significabant aliquod futurum. Vide q. 103. a. 3. app. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod conveniens ratio cæremoniarum, quæ ad sacrificia pertinent, poterat assignari. Ut per dictum Levit. 1. conjunctum dicto Sap. 7. secundum quod est *in arg. cont.* Item per hoc, quod dicitur Psal. 98. *Honor regis judicium diligit.* Hoc est, in proposito: Cæremonialia, quibus honoratur Deus Rex rationabili judicio procedunt, quod Rex ipse diligit. Constat autem, quod judicium apud nos dicitur rationabile; quando causam convenientem concernit. De scripturarum tamen convenientia, ut plenius idipsum á scripturis insinuari, possit ostendere; vide quæst. 68. art. 4. append. et 2. 2. quæst. 122. art. 2. append. et qu. 140. art. 1. appen. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod cæremonialium, quoad sacra, conveniens ratio fuit. Ut per illud quod dicitur Hebr. 8. secundum quod cum applicatione adducitur *in arg. cont.* De convenientia etiam scripturarum applicando ad propositum hoc, vide quæt. 68. etc.

ut in art. 3 appen. *Secundo* vides: quomodo ex iis, atque similibus, quæ tibi investiganda relinquuntur, juxta not. pro lectoribus in 2. 2. quæst. 70. art. 1. append. bene pensatis, et applicatis doctrina, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod sacramenta veteris legis convenientem causam suæ institutionis habebant: Ut per dictum Lev. 20. et Ps. 103. secundum quod cum applicatione est *in arg. cont.* Item per dictum Job. 5. *Nihil in terra sine causa fit.* Ex hoc enim demonstratum esse vult scriptura, quod multo magis nihil in sacramentis sine causa fit, quanto sacramenta ad ordinem supernaturalem pertinent, terra vero ad naturalem. De convenientia quoque scripturarum, cum in his sacramenta talia ponantur, et ordinentur vide q. 68. ar. 4. append. et 2. 2. q. 122. ar. 2. app. et q. 140. a. 1. app. sed, et si vis, de earumdem sufficientia, vide q. 68. ar. 4. append. et 2. 2. q. 17. art. 6. app. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod convenienter cæremoniæ observantiarum institutæ fuerunt. Ut per illud Deut. 18. secundum quod cum applicatione est *in arg. cont.* Patet enim, quod á Deo non possunt, nisi convenientia, institui. Item per ly *si tetigero tantum fimbriam vestimenti ejus*, etc. Jo. 4. Ex singulis enim horum locorum colligitur, quod Salvator noster adimplebat observantiam fimbriarum, quæ factæ sunt, secundum Beatum Hieronymum, ad populum Israel dignoscendum ab aliis populis. Mulier enim Samaritana ipsum exinde esse Judæum cognovit, et ex contactu fimbriæ ejus alia sanata est. Constantissimum vero est, quod Christus, qui totum mundum ab inconvenientibus, et verbo, et facto, cum ad hoc venisset, studebat semper abstrahere, nihil penitus in seipso non conveniens admisisset. Hinc á simili potes sx scripturis ostendere convenientiam sacrorum ar. 4. app. per hoc, quod Christus veneratus est sacra ex eo, quod oblatus est in templo, Luc. 2. Et convenientiam sacrificiorum ar. 3. app. per hoc, quod voluit pro se tunc offerri *par turturum, aut duos pullos columbarum*, Luc. 2. Et convenientiam sacramentorum, ar. 5. app. per hoc, quod circumcisus est, Luc. 2. agnumque paschalem comedit, Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. Jo. 13. De convenientia etiam scripturarum vide loca citata art. 4. 5. append. *Secundo* vides: etc.

QUÆSTIO CENTESIMA TERTIA,

DE DURATIONE PRÆCEPTORUM CÆREMONIALIUM, IN QUATUOR ARTICLOS DIVISA.

Deinde considerandum est de duratione cæremonialium præceptorum.

Et circa hoc quæruntur quatuor.

Primo, utrum præcepta cæremonialia fuerint ante legem.

Secundo, utrum in lege aliquam virtutem habuerint justificandi.

Tertio, utrum cessaverint Christo veniente.

Quarto, utrum sit peccatum mortale observare ea post Christum.

ARTICULUS I.

Utrum cæremoniæ legis fuerint ante legem.

Pro affirmativa.=Videtur quod cæremoniæ legis fuerint ante legem.

1. Sacrificia, et holocausta fuerunt ante legem. Ergo cæremoniæ legis fuerunt ante legem.

Antec. prob., quia Genes. 4. dicitur, quod *Cain obtulit de frugibus terræ Domino; Abel autem obtulit de primogenitis regis sui, et de adipibus eorum.* Et Genes. 10. dicitur, quod *Noe obtulit holocaustum Domino*, et Genes. 22. idem dicitur de Abraham.

Conseq. prob., quia sacrificia, et holocausta pertinent ad sacrificia veteris legis, ut dictum est quæst. præc. art. 3.

2. Constructio altaris, et ejus unctio fuerunt ante legem. Ergo cæremoniæ veteris legis fuerunt ante legem.

Antecedens probatur, quia Genes. 13. legitur, quod *Abraham ædificavit altare Domino;* et de Jacob dicitur, Genes. 28. quod *tulit lapidem, et erexit in titulum, fundens oleum desuper.*

Consequentia prob., quia constructio altaris et ejus unctio pertinent ad cæremonias sacramentorum veteris legis.

3. Circumcisio et sacerdotium fuerunt ante legem. Ergo cæremoniæ sacramentorum fuerunt ante legem.

Antecedens probatur, et quoad priorem partem habetur Genes. 17. ubi dicitur, quod Deus dedit Abrahæ circumcisionem: quo vero ad aliam partem habetur Genes. 14. ubi dicitur, quod *Melchisedech* obtulit panem, et vinum, *erat enim Dei sacerdos.*

Conseq. prob., quia inter sacramenta legalia fuerunt circumcisio et sacerdotium.

4. Discretio mundorum et immundorum animalium fuit ante legem. Ergo cæremoniæ legales fuerunt ante legem.

Antec. prob., quia Genes. 7. dicitur. *Ex omnibus animalibus mundis tolle septena, et septena, de animantibus vero immundis duo, et duo.*

Consequentia probatur. Quia discretio mundorum animalium ab immundis pertinet ad cæremonias observantiarum, ut supra dictum est quæst. 101. art. 4. et 102. art. 6.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Deuter. 6. dicitur. *Hæc sunt præcepta, et cæremoniæ quæ mandavit Dominus Deus noster, ut docerem vos.* Non autem indiguissent super his doceri, si prius prædictæ cæremoniæ fuissent. Ergo cæremoniæ legis non fuerunt ante legem.

Determinatio.

Distinctio. Cæremoniæ legis ad duo ordinabantur, scilicet ad cultum Dei, et ad figurandum Christum, ut dictum est quæst. 102. art. 2.

CONCLUSIO. Ante legem fuerunt aliquæ cæremoniæ ordinatæ ad divinum cultum, et figurantes Christum, non tamen legis cæremoniæ dici poterant.

Hæc conclusio tres habet partes. Prima quod ante legem fuerint cæremoniæ ordinatæ ad divinum cultum. Secunda quod hujusmodi cæremoniæ essent figurativæ Christi mysterii. Tertia quod non possent dici cæremoniæ legis. Et quoad singulas partes probatur: et quoad primam sic ostenditur.

Ea, ad quæ pertinet determinatio divini cultus, fuerunt ante legem. Sed ad cæremonias pertinet determinatio divini cultus. Ergo cæremoniæ fuerunt ante legem, secundum quod ordinantur ad divinum cultum.

Maior prob., quia quicumque Deum colit, oportet ut per aliqua determinata eum colat, quæ ad exteriorem cultum pertinent. Et cum ante legem fuerint multi Deum colentes, sequitur quod fuerint ea quæ determinant divinum cultum.

Minor prob., quia sicut determinatio eorum, per quæ ordinamur ad proximum pertinet ad præcepta judicialia, ut dictum est quæst. 99. art. 4. ita determinatio eorum per quæ ad Deum ordinamur, scilicet divini cultus pertinet ad cæremonias.

Altera conclusionis pars manifestatur. Quia enim ante legem fuerunt quidam viri præcipue prophetico Spiritu pollentes, credendum est quod ex instinctu divino, quasi ex quadam privata lege inducerentur ad aliquem certum modum colendi Deum, qui et conveniens esset interiori cultui, et etiam congrueret ad significandum Christi mysterium, cum hæc significarentur etiam per alia eorum gesta, secundum illud 1. Corint. 10. *Omnia in figura contingebant illis.*

Tertia conclusionis pars manifestatur, quia hujusmodi cæremoniæ non erant ex authoritate alicujus legis determinatæ,

sed solum secundum voluntatem, et devotionem hominum colentium Deum.

Fuerunt igitur ante legem cæremoniæ quædam, non tamen erant cæremoniæ legis, quia non erant per aliquem legislatorem institutæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod illa sacrificia, quæ offerebantur ante legem, non pertinent ad cæremonias legis: non enim illa sacrificia, oblationes, et holocausta offerebantur Deo ante legem ex aliqua legislatione, quasi essent aliqua lege ordinata, sed ex quadam devotione propriæ voluntatis, secundum quod eis videbatur conveniens, ut in rebus, quas á Deo acceperant, in reverentiam divinam offerrent, et protestarentur recolere Deum, qui est omnium principium, et finis.

Ad 2. Neg. conseq. Ad probationem dicitur quod constructio, seu unctio altaris antequam lex daretur, non pertinebat ad cæremonias, aut sacra veteris legis, sed ab illis patribus instituta fuerunt ex voluntate et devotione. Videbatur enim eis conveniens ut in reverentiam divinam essent aliqua loca ab aliis distincta, divino cultui mancipata.

Ad 3. Negatur conseq. Ad probationem dicitur, quod circumcisio non est sacramentum legis, quasi á lege institutum, cum ex divino præcepto fuerit instituta ante legem tempore Abrahæ; sed dicitur sacramentum legis, quia in lege fuit observatum. Sacerdotium etiam quod erat ante legem, non pertinebat ad legem: nam sacerdotium legale statutum fuit ex divina ordinatione, sacerdotium vero quod erat ante legem apud colentes Deum, fuit secundum humanam determinationem institutum, et primogenitis, tamquam dignitas, collatum.

Ad 4. Dicitur, quod distinctio mundorum, et immundorum animalium est duplex, scilicet quantum ad esum et quantum ad oblationem sacrificiorum, quæ scilicet essent munda, vel immunda ad sacrificandum. Tunc ad antecedens dicitur, quod ante legem fuit discretio mundorum, et immundorum animalium, non quantum ad esum, sed solum quantum ad oblationem sacrificiorum. Unde dicitur Gen. 9. *omne quod, movetur, et vivit, erit vobis in cibum.* Si tamen quantum etiam ad esum esset tunc aliqua animalium discretio, hoc non erat, quia esus illorum reputaretur illicitus, cum nulla lege prohiberetur, sed propter abominationem, vel consuetudinem: sicut et nunc videmus quod aliqua cibaria inaliquibus terris, sunt abominabilia, quæ tamen alibi comeduntur.

ARTICULUS II.

Utrum cæremoniæ veteris legis haberent virtutem justificandi tempore legis.

Pro affirmativa.=Videtur quod cæremoniæ veteris legis haberent virtutem justificandi tempore legis.

1. In veteri lege erant consecratio hominis, et expiatio á peccato. Ergo in lege veteri cæremoniæ habebant vim justificandi.

Antecedens probatur. Quia Exodi 29. dicitur, quod per *aspersionem sanguinis, et unctionem olei consecrabantur sacerdotes, et vestes eorum.* Et Levit. 16. dicitur, quod *sacerdotes per aspersionem sanguinis vituli expiabant sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel, et á prævaricationibus eorum, atque peccatis.*

Conseq. prob., quia expiatio á peccato, et consecratio, ad justificationem pertinent.

2. Id, per quod homo placet Deo, habet vim justificandi: secundum illud Psal. 10. *Justus Dominus, et justitias dilexit.* Sed per cæremonias legis aliqui Deo placebant, secundum illud Levit. 10. *quomodo potui placere Domino in cæremoniis mente lugubri.*? Ergo cæremoniæ veteris legis habebant virtutem justificandi.

3. Per cæremonias veteris legis mundabatur leprosus, ut dicitur Levit. 14. Ergo cæremoniæ veteris legis multo ma-

gis poterant mundare animam justificando.

Conseq. prob., quia ea quæ erant divini cultus, quales erant legales cæremoniæ, magis pertinent ad animam, quam ad corpus: juxta illud Psal. 18. *Lex Domini immaculata convertens animas.*

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Si data esset lex, quæ posset justificare, Christus gratis, idest sine causa *mortuus esset*, ut dicitur Gal. 2. Sed hoc est inconveniens. Ergo cæremoniæ veteris legis non justificabant.

Determinatio.

Distinctio. Cum immunditia, quæ in lege veteri observabatur, duplex esset, scilicet spiritualis, quæ erat immunditia culpæ; et corporalis, quæ erat irregularitas quædam, tollens idoneitatem ad cultum divinum, ut erat leprosus, vel qui tetigerat morticinum, vel aliquid aliud immundum; dupliciter potest intelligi, utrum cæremoniæ veteris legis habuerint, vel non habuerint virtutem justificandi, vel expiandi. Primo, an habuerint vim expiandi ab immunditia spirituali. Secundo, ab immunditia corporali.

1.ª Conclusio. Cæremoniæ veteris legis habebant virtutem emundandi ab immunditia corporali.

Probatur. Quia hujusmodi cæremoniæ erant quædam remedia adhibita ex ordinatione legis, ad tollendas has immunditias, et statuto legis inductas.

Et confirmatur, quia Apost. Heb. 9. dicit, quod *sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis.* Et confimatur secundo. Quia propter hoc Apost. parum supra vocat cæremonias antiquæ legis justitias carnis: inquit, enim, «justitiis carnis usque ad tempus «correctionis impositis.»

Sed tamen est sciendum, quod hoc ipsum quod cæremoniæ expiabant ab immunditia carnis erat in figura expiationis á peccatis, quæ fit per Christum.

2.ª Conclusio. Cæremoniæ veteris legis secundum seipsas, non habebant virtutem expiandi ab immunditia mentis, sive culpæ.

Probatur. Mysterium incarnationis, et passionis Christi tempore legis nondum erat realiter peractum. Ergo cæremoniæ veteris legis in se non poterant continere realiter virtutem profluentem á Christo incarnato et passo, sicut continent sacramenta novæ legis, ut á peccato mundare possent.

Conseq. prob., quia expiatio á peccato numquam fieri potuit, nisi per Christum, *qui tollit peccata mundi*, ut dicitur Joan. 1.

Et confirmatur primo, quia Apost. dicit Hebr. 10. *Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata.*

Et confirmatur secundo. Quia Apost. Gal. 4. vocat cæremonias antiquæ legis *egena et infirma elementa.* Infirma quidem, quia non possunt á peccato mundare: sed hæc infirmitas provenit ex eo quod sunt egena, idest, eo quod non continent in se gratiam.

Objectio.

Sed nonne sacrificia quædam offerebantur pro peccato in veteri lege? Ergo á peccato mundare poterant.

Solutio.

Sed dicitur, quod tempore legis poterat mens fidelium per fidem conjungi Christo incarnato et passo, et ex fide Christi justificabatur (cujus fidei erat quædam protestatio hujusmodi caeremoniarum observatio) in quantum erant figura Christi. Sacrificia igitur offerebantur in veteri lege pro peccato, non quia ipsa sacrificia á peccato mundarent, sed quia erant quaedam protestationes fidei. Et hoc etiam ipsa lex innuit in modo loquendi,: dicitur enim Levit. 4. et 5. quod *in oblatione hostiarum pro peccato orabit pro eo sacerdos, et dimittetur ei*, quasi peccatum dimittatur, non ex vi sacrificiorum, sed ex fide, et devotione

offerentium. Ex quibus sequitur conclusio directe responsiva quaesito.

Conclusio. Caeremoniæ legis veteris in statu legis non habebant virtutem justificandi.

Quæ remanet probata, tum ex argumentis pro negativa, tum etiam ex ratione secundæ conclusionis, quæ est quod non erat adhuc peractum mysterium incarnationis, et passionis Christi, qui solus tollit peccata mundi.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Ad antecedens dicitur, quod illa sanctificatio sacerdotum et filiorum, et vestium ipsorum, vel quorumcumque aliorum per aspersionem sanguinis, nihil aliud erat, quam deputatio ad divinum cultum, et remotio impedimentorum ad emundationem carnis, et Apost. dicit in præfigurationem illius sanctificationis, qua *Jesus per suum sanguinem sanctificavit populum.* Expiatio etiam ad remotionem hujusmodi corporalium immunditiarum referenda est, non ad remotionem culpæ: unde etiam sanctuarium expiari dicitur, quod culpæ subjectum esse non poterat.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod sacerdotes placebant Deo in cæremoniis propter obedientiam et devotionem, et fidem de re præfigurata, non autem propter ipsas res secundum se consideratas.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod cæremoniæ illæ, quæ erant institutæ in emundatione leprosi, non ordinabantur ad tollendam immunditiam infirmitatis lepræ: quod patet ex hoc quod non adhibebantur hujusmodi cæremoniæ, nisi jam emundato, unde dictur Levit. 14. quod «sacerdos egressus de castris, cum «invenerit lepram esse mundatam, præ«cipiet ei qui purificatur, ut offerat, etc.»

Ex quo patet quod sacerdos constituebatur judex lepræ mundatæ, non emundandæ. Adhibebantur autem hujusmodi cæremoniæ ad tollendam immunditiam irregularitatis.

Dicunt tamen quod quandoque si contingeret sacerdotem errare in judicando, miraculose leprosus mundabatur á Deo, virtute divina, non autem virtute sacrificiorum. Sicut etiam miraculose mulieris adulteræ computrescebat femur, bibitis aquis, in quibus sacerdos maledicta congesserat, ut habetur Num. 5.

ARTICULUS III.

Utrum cæremoniæ veteris legis cessaverint in adventu Christi.

Pro negativa. — Videtur quod cæremoniæ veteris legis non cessaverint in adventu Christi.

1. Quæ pertinent ad legem æternam, in æternum durant. Sed cæremoniæ legis veteris pertinent ad legem æternam. Ergo caeremoniae legis veteris numquam cessarunt, sed in aeternum sunt duraturae.

Minor probatur. Quia lex, ad quam pertinent caeremoniae, est aeterna, secundum illud Baruch 5. «Hic est liber »mandatorum Dei et lex, quae est in »aeternum.»

2. In Evangelio praecipitur leproso mundato, ut hujusmodi oblationes offerat. Ergo caeremoniae veteris legis non cessaverunt, Christo veniente.

Conseq. prob., quia oblatio mundati leprosi ad caeremonias legis pertinebat.

3. Caeremoniae veteris legis habebant quasdam rationales causas, in quantum ordinabantur ad divinum cultum, et in figuram Christi. Ergo caeremoniæ veteris legis non debuerunt cessare.

Conseq. prob., quia manente causa, debet manere effectus.

4. Circumcisio erat instituta in signum fidei Abrahae, observatio vero sabbati ad recolendum beneficium creationis, et aliae solemnitates legis ad recolendum alia beneficia Dei. Ergo ad minus circumcisio, et solemnitates legis cessare non debuerunt.

Conseq. prob., quia fides Abrahae semper est etiam á nobis imitanda, et

beneficium creationis, et alia beneficia semper sunt recolenda.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Apostolus dicit ad Colos. 2. *Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum.* Et ad Heb. 8. dicitur, quod *dicendo novum testamentum, veterascit prius. Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est.*

Determinatio.

Conclusio. Cæremoniæ status veteris legis cessare debuerunt, veniente statu novæ legis.

Probatur. Cessante divino cultu interiori secundum unum statum, et adveniente divino cultu interiori secundum alium statum, cessare debuerunt cæremoniæ ordinatæ ad cultum divinum secundum priorem statum, et aliæ succedere, quæ sint proportionatæ cultui divino secundum alium statum. Sed in adventu Christi cessavit divinus cultus interior secundum statum, quem habebat in veteri lege, et advenit cultus divinus interior secundum alium statum. Ergo in adventu Christi cessare debuerunt cæremoniæ veteris legis, quæ erant proportionatæ cultui divino secundum statum, quem habebat in lege veteri, et succedere aliæ cæremoniæ proportionatæ divino cultui, secundum statum, quem habet in lege nova.

Maior prob., quia exterior cultus, qui in cæremoniis consistit, debet proportionari interiori cultui, qui consistit in fide, spe, et charitate. Unde secundum diversitatem interioris cultus, debuit diversificari exterior cultus.

Minor prob. Nam interioris cultus potest triplex status distingui. Unus quidem, in quo habetur fides, et spes de bonis cælestibus, et de his, per quæ ad bona cælestia introducimur, sicut de quibusdam futuris, et talis fuit status fidei, et spei in veteri lege. Alius est status interioris cultus, idest quo habetur fides, et spes de bonis cælestibus, sicut de quibusdam futuris: de his autem, per quæ in cælestia bona introducimur habemus fidem, et spem, sicut de præteritis, vel præsentibus, et iste est status novæ legis. Tertius status est, in quo utraque habentur, ut præsentia, et nihil creditur, ut absens, vel spectatur ut futurum: et iste est status beatorum, in quo nihil erit figurale ad divinum cultum pertinens, sed solum gratiarum actio, et vox laudis, et ideo dicitur Apocal. 21. «Templum non vidi in ea, Dominus «enim Deus omnipotens templum illius «est, et Agnus. Sicut igitur in tertio sta«tu cessabunt cæremoniæ secundi status, «pari ratione cæremoniæ primi status, «scilicet antiquæ legis, per quas figura«batur secundus, et tertius, veniente se«cundo statu, cessare debuerunt, et aliæ «cæremoniæ induci, quæ convenirent sta«tui cultus divini, pro tempore illo, in «quo bona cælestia sunt futura, et bene«ficia Dei, per quæ ad cælestia bona in«troducimur sunt præsentia, vel præte«rita.»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem et ad ejus probationem, quod lex vetus dicitur esse in æternum, secundum moralia quidem simpliciter, et absolute, secundum cæremonialia vero quantum ad veritatem per ea figuratam.

Ad 2. Dicitur ad antec., quod mysterium redemptionis humani generis completum fuit in passione Christi, unde tunc Dominus dixit, *Consummatum est*, ut habetur Joan. 19. et ideo tunc debuerunt cessare legalia totaliter, quasi jam veritate eorum consummata. In cujus signum in passione Christi velum templi legitur esse scissum, Mat. 27. Et ideo ante passionem Christi, Christo prædicante, et miracula faciente currebant simul lex, et Evangelium, quia jam mysterium Christi erat inchoatum, sed nondum consummatum, et propter

hoc mandavit Christus Dominus ante passionem leproso, ut legales cæremonias observaret.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod rationes literales cæremoniarum supra assignatæ referuntur ad divinum cultum: qui quidem cultus erat in fide venturi, et ideo jam veniente eo qui venturus erat, et cultus ille cessat, et omnes rationes ad hunc cultum ordinatæ.

Ad 4. Negatur consequentia. Ad prob. dicitur quod fides Abrahæ fuit commendata in hoc, quod credidit divinæ promissioni de futuro semine in quo benedicerentur omnes gentes, et ideo quamdiu hoc erat futurum, oportebat protestare fidem Abrahæ in circumcisione; sed postquam hoc jam est perfectum, oportet idem alio signo declarari, scilicet baptismo, qui in hoc circumcissioni succedit, secundum illud Apostoli, ad Colos. 2. «Circumcisi estis «circumcissione non manufacta in expo«liatione corporis carnis, sed in circum«cisione Domini nostri Jesu Christi, con«sepulti ei in baptismo.» Sabbatum autem quod significabat primam creationem, mutatur in diem dominicum in quo commemoratur nova creatura inchoata in resurrectione Christi. Et similiter aliis solemnitatibus veteris legis, novæ solemnitates succedunt: quia beneficia illi populo exhibita, significant beneficia nobis concessa per Christum. Unde festo phase, succedit festum passionis Christi, et resurrectionis. Festo Pentecostes in quo fuit data lex vetus, succedit festum Pentecostes, in quo fuit data lex spiritus vitæ. Festo neomeniæ succedit festum B. Mariæ Virginis, in qua primo apparuit illuminatio solis, idest Christi per copiam gratiæ. Festo tubarum succedunt festa Apostolorum. Festo expiationis, succedunt festa martyrum, et confessorum. Festo tabernaculorum succedit festum consecrationis Ecclesiæ. Festo cætus, atque collectæ succedit festum angelorum, vel etiam festum omnium sanctorum.

ARTICULUS IV.

Utrum post passionem Christi legalia possint servari sine peccato mortali.

Pro affirmatia.—Videtur quod post passionem Christi legalia possint servari sine peccato mortali.

1. Apostoli post adventum spiritus sancti legalia observaverunt. Ergo sine peccato mortali post passionem Christi possunt legalia observari.

Antecedens probatur, quia Paulus circumcidit Timotheum, ut dicitur Act. 16. et Paulus secundum consilium Jacobi, «assumptis viris purificatus cum eis in«travit in templum annuncians expletio«nem dierum purificationis, donec offer«retur pro unoquoque eorum oblatio,» ut dicitur Act. 21.

Conseq. prob., quia non est credendum, quod Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum, mortaliter peccaverint, ejus enim plenitudinem sunt induti virtute ex alto, ut dicitur Luc. ult.

2. Petrus primus Ecclesiæ Pastor, post Christi assumptionem vitavit consortia gentilium. Ergo legales cæremoniæ post passionem Christi absque peccato observari possunt.

Antec. prob., quia Galat. 2. dicitur, quod cum «venissent Antiochiam quidam «subtrahebat, et segregabat se Petrus á «Gentilibus.»

Conseq. prob., quia vitare consortia gentilium ad cæremonias legis pertinebat.

3. Ex decreto Apostolorum statutum fuit, quod gentiles quædam de cæremoniis legis observarent. Ergo absque peccato cæremoniæ legales possunt post Christi passionem observari.

Antecedens probatur. Quia Act. 15. dicitur: «visum est Spiritui Sancto, et «nobis, nihil ultra imponere oneris vobis, «quam hæc necessaria, ut abstineatis vos «ab immolatis simulachrorum, et san«guine, et suffocato, et fornicatione.

Conseq. prob., quia præcepta Apostolorum non induxerunt homines ad peccatum.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Quod excludit fructum Christi, est peccatum mortale. Sed observantia legalium cæremoniarum post passionem Christi excludit fructum Christi. Ergo observantia legalium cæremoniarum post Christi passionem est mortale peccatum.

Maior, prob., quia nihil excludit fructum Christi, nisi peccatum mortale.

Minor quia Gal. 5. dicitur, «si circumcuncidimini, Christus nihil vobis proderit.»

Determinatio.

Conclusio. Legales cæremoniæ non possunt, post passionem Christi, sine peccato mortali observari.

Probatur. Falsa protestatio fidei, in qua interior divinus cultus consistit, per aliqua facta, est peccatum mortale. Sed observantia legalium cæremoniarum, post passionem Christi, est falsa protestatio interioris fidei, in qua interior cultus divinus consistit. Ergo observantia cæremoniarum legalium est mortale peccatum post Christi passionem.

Maior prob., quia sicut quando quis protestatur falso interiorem fidem per verba, peccat mortaliter; sic peccat mortaliter, quando eam protestatur falso per facta: sicut enim peccaret mortaliter ille, qui diceret Christum non esse natum, etiam peccaret mortaliter ille, qui faceret aliquid, ex quo ostenderet, se credere Christum non esse natum.

Maior manifestatur: quamvis enim eadem sit fides, quam habemus de Christo, et quam antiqui patres habuerunt, tamen quia ipsi præcesserunt Christum, nos autem sequimur, eadem fides diversis verbis, et factis significatur á nobis, et ab eis. Nam ab eis dicebatur: *ecce virgo concipiet, et pariet filium*, quæ sunt verba futuri temporis. Nos autem idem repræsentamus per verba præteriti temporis dicentes, quod Virgo *concepit, et peperit*. Et sicut cæremoniæ veteris legis significabant Christum nasciturum, et passurum, nostra sacramenta significant ipsum ut natum et passum. Unde observantia legalium cæremoniarum post passionem Christi, est falsa protestatio interioris fidei, et propterea sicuti nunc peccaret mortaliter, qui suam fidem protestando, diceret Christum nasciturum, quod antiqui pie, et veraciter dicebant, ita peccaret mortaliter, qui nunc cæremonias observaret, quas antiqui pie, et fideliter observabant.

Et confirmatur conclusio, ex D. Aug. qui lib. 19. contra Faustum cap. 16. dicit. «Jam non promittitur nasciturus, «passurus, resurrecturus quod illa sacra«menta quodammodo personabant, sed «annuntiatur quod natus sit, passus sit, «et resurrexit quod hæc sacramenta, quæ «á christianis aguntur, personant.»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod circa observantiam legalium post passionem Christi, diversimode sensisse videntur Hier. et Augustinus.

Responsio Hieronymi.

Hieronymus enim distinxit duo tempora. Unum tempus á nativitate Christi, usque ad ejus passionem, aliud tempus post ejus passionem. In priori tempore legalia non erant mortua, quasi non habentia vim obligativam, aut expiativam suo modo, nec erant mortifera quia non peccabant ea observantes. In posteriori vero tempore, scilicet post Christi passionem inceperunt esse non solum mortua, idest non habentia virtutem et obligationem; sed etiam mortifera, ita scilicet quod peccabant mortaliter, qui ea observabant. Ad formam igitur argumenti, secundum Hieronymum, negatur antecedens. Apostoli enim secundum veritatem, numquam observarunt legalia post Christi passionem, sed solum quadam pia simulatione, ne scilicet scandalizarent judæos, et eorum conversionem impedirent. Quæ quidem simulatio sic intelligenda est, non quidem quod illos actus secundum rei veri-

tatem non facerent; sed quia illos non faciebant tamquam legis cæremonias observantes. Sicut nunc si quis pelliculam virilis membri abscinderet, non propter servandam circumcisionem, sed propter sanitatem. Ad probationem antecedentis dicitur, quod Paulus circumcidit Timotheum, et se purificavit, non ut legalia servaret, sed hac pia simulatione voluit vitare scandalum eorum, qui ex circumcisione convertebantur.

Responsio Augustini.

Sed quia indecens videtur ut apostoli occultarent propter scandalum, quæ pertinent ad veritatem vitæ et doctrinæ et quod simulatione uterentur in his quæ pertinent ad fidelium salutem, ideo convenientius Aug. aliter respondet. Distinguit enim August. tria tempora. Unum á nativitate Domini, usque ad ejus passionem, aliud post promulgationem evangelii, et tertium medium quod fuit á passione Christi usque ad promulgationem Evangelii. In priori tempore legalia non erant mortua, nec mortifera. In secundo erant mortua et mortifera. In tertio, idest in tempore medio, erant mortua, sed non mortifera. Erant quidem post passionem Christi usque promulgationem Evangelii mortua, quia neque vim aliquam habebant, neque aliquis ea observare tenebatur. Non tamen erant mortifera, quia illi, qui conversi erant ad Christum ex Judæis, poterant illa legalia licite observare, dummodo non sic ponerent spem in eis, quod ea reputarent sibi necessaria ad salutem, quasi sine legalibus fides Christi justificare non posset.

Ad formam igitur argumenti dicitur ad antecedens quod apostoli observaverunt legalia ante promulgationem Evangelii, tunc enim erat licitum, ut dictum est, non quidem omnibus, sed solum judæis conversis; gentilibus enim conversis nulla inerat causa observandi legalia, et ideo Paulus circumcidit Timotheum, qui ex matre judæa natus erat. Titum autem qui ex gentilibus natus erat circumcidere noluit.

Quæsitum.

Sed posset quis quærere, quæ fuerit ratio, ut gentilibus conversis statim fuerit prohibitus gentilitatis ritus, judæis vero conversis permissa fuerit per aliquod tempus observantia legalium.

Responsio.

Respondetur quod ideo noluit Spiritus sanctus ut statim inhiberetur his qui ex judæis covertebantur, observatio legalium, sicut inhibebatur his, qui ex gentilibus convertebantur, gentilitatis ritus, ut quædam differentia inter hos ritus ostenderetur. Nam gentilitatis ritus repudiabatur tamquam omnino illicitus, et ideo semper prohibitus. Ritus autem legis cessabat tamquam impletus per Christi passionem, utpote á Deo in figuram Christi institutus.

Responsio Hieronymi ad 2.

Ad 2. Dicitur, secundum Hieron. ad antecedens, et ad ejus probationem, quod Petrus simulatorie se á gentilibus subtrahebat, ut vitaret judæorum scandalum, quorum Apostolus erat.

Augustini responsio.

Sed Aug. hoc improbat. Quia Paulus in canonica scriptura, scilicet Gal. 2. in qua nefas est credere aliquid falsum esse, dicit quod *Petrus reprehensibilis erat.* Unde verum est quod Petrus peccavit, et Paulus vere eum, non simulatorie reprehendit. Non autem peccavit Petrus in hoc quod legalia ad tempus observaverit, quia hoc sibi licebat tamquam ex judæis converso, sed peccabat in hoc quod circa legalium observantiam nimian diligentiam adhibebat, ne scandalizaret judæos, ex quo scandalizabantur gentiles.

Quorumdam responsio ad 3.

Ad 3. Quidam dixerunt ad anteced., quod illa prohibitio Apostolorum non est intelligenda ad literam, sed secundum spiritualem intellectum, ut scilicet in prohibitione sanguinis intelligatur prohibitio

homicidi. In prohibitione suffocati, intelligatur prohibitio violentiæ, et rapinæ. In prohibitione immolatorum intelligatur prohibitio idololatriæ. Fornicatio vero prohibetur tamquam per se malum. Et hanc opinionem accipiunt ex quibusdam Glosis, quæ hujusmodi præcepta mystice exponunt.

Reprobatio.

Sed hæc opinio stare non potest, quia homicidium, et rapina etiam apud gentiles reputabantur illicita, unde non oportuisset speciale mandatum dari super hoc his, qui erant ex gentilitate conversi ad Christum.

Aliorum responsio.

Alii dicunt, quod ad literam illa comestibilia fuerunt prohibita ab Apostolis, non propter observantiam legalium, sed propter gulam comprimendam. Unde dicit Hieron. super illud Ezec. 44. *Omne morticinum*, etc. Condemnat sacer»dotes, qui in cibis, et cæteris hujusmo»di, cupiditatem gulæ non custodiunt.»

Reprobatio.

Sed cum multa sint alia cibaria magis ad gulam provocantia, non apparet ratio, quare ista fuerint magis prohibita quam alia. Si enim hæc prohibitio sanguinis, suffocatorum, et immolatorum fuit facta ad comprimendam gulam, multo magis delicatissima cibaria debuerunt prohiberi.

Vera sententia.

Et ideo dicendum est ad antecedens, quod ad literam ista sunt prohibita, non ad observandum cæremonias legis; sed ad hoc, ut posset coalescere unio gentilium, et judæorum insimul habitantium. Judæis enim propter antiquam consuetudinem sanguis et suffocatum erant abomibilia. Comestio autem immolatorum simulacris poterat in judæis aggenerare circa gentiles suspicionem reditus ad idololatriam, et ideo ista fuerunt prohibita pro tempore illo, in quo de novo oportebat convenire in unum gentiles et judæos. Procedente autem tempore, cessante causa, cessat effectus, manifestata Evangelica doctrinæ veritate, in qua Dominus docet quod nihil quod *per os intrat, coinquinat hominem*, ut dicitur Mat. 15. et quod *nihil est rejiciéndum quód cum gratiarum actione percipitur*, ut dicitur 1. ad Tim. 4.

Fornicatio autem specialiter prohibetur, quia gentiles non reputabant eam esse peccatum.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI

EX PRÆCED. 103.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo* : quomodo per rationem et recte intelligas, et ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod cæremoniæ veteris legis non fuerunt ante legem. Ut per illud Deut. 6. secundum quod cum applicatione est *in arg. cont.* Item per illud Hier. 7. " Non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum et victimarum. » Per hoc enim manifestum fit universaliter á simili, quod ante egressum Israelis de Ugypto cæremoniæ, si quæ fuerunt, sive ad sacra, sive ad sacramenta, sive ad observantias, sive ad sacrificia pertinentes, non solum non fuerunt, sed nec fuisse potuerunt, cæremoniæ legis, quoniam, ante exitum de Ægypto, immo nec in die exitus ipsius, data fuit lex. Vide dicta in ad 1. Cæterum pro notitia pleniori dictorum in articulo, vide veritates aureas super legem veterem, Gen. 4. conc. 2. 3. Et c. 8. conc. 3. 6. Item c. 12. conc. 3. 4. 5. Et c. 14. conc. 5. usque ad 7. Item c. 28. conc. 4. et c. 35. conc. 1. 3. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 2. habes *primo* : quomodo per rationem interimas hæresim *Judæorum* di-

centium (ut refert Directorium Inquisitorum 2. p. q. 22.) Justificationem hominis per circumcisionem, et opera legis fieri. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Galat. 2. *si data*, etc. secundum quod ponitur *in arg. cont.* Item á Rom. 4. " reputata est fides Abrahæ ad justitiam. In circumcisione, an in præputio? Non in circumcisione: sed in præputio. Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei. » Per hæc enim declaratur contra Judæos etiam tempore Apostoli gloriantes (ut supra) quos ipse vult reprimere, quod circumcisio non fuit data in causam, sed in signum justitiæ, hoc est, quod illa non erat causa, sed signaculum justificationis, quæ per fidem Christi venturi in circumcisis causabatur. Vide Compend. Albert. Mag. lib. 4. cap. 12. Schol. Item á Concilio, etc. ut supra Exam. 1. Et Coroll. 2. Vide veritates aureas super totam legem veterem Gen. 17. concl. 4. Nota quoque, quod dicta in præsenti articulo possunt aliqualiter juvari quæst. 100. art. 12. Et illa vicissim hunc articulum. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Cerinthi*, et *Ebionis* ut refert Prateolus. tit. *Indiani*, *Paulus Samosatenus*, dicentium, tamquam in radice, quod cæremonialia veteris legis non cessaverunt post mortem Christi. Formaliter quippe hæresim hanc dicebant, scilicet, quod parvuli adhuc in nova lege debent circumcidi: inquit vero Apostolus Galat. 5. " Testificor omni homini circumcidenti se quoniam debitor est universæ legis faciendæ. » Per quod declarat, quod circumcisio legalis est tamquam professio ad observandam totam legem veterem. Per illam ergo hæresim de circumcisione implicite necessario cointelligebatur, quod nulla cæremonialia legis veteris cessaverant. Hæresim hanc, scilicet de non cessatione legalium subintelligunt et omnes, ut patet, qui more Judaico legem illam, vel cum Evangelio, vel sine Evangelio servari nunc debere contendunt: de quibus in art. 4. append. agetur. Nunc autem, ne extra limites articuli pugnemus, adducti sunt hi omnes solum pro tanto: pro quanto cæremonialia non cessasse, Christo jam Crucifixo, dicunt. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam hæresim merito damnari á Coloss. 2. et Hebræorum 8. ut est *in arg. cont.* Item Galat. 4. " Nunc autem cum cognoveritis Deum, immo cogniti sitis á Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma, et egena elementa? Dies observatis, et menses, et tempora et annos. Timeo, ne sine causa laboraverim in vobis. » Ecce enim hujus literæ expositio, et scopus: per quod patebit eorum damnatio. Galatæ (inquit Beatus Hieronymus in ipsius epistolæ ragumento) " sunt Græci. Hi verbum veritatis primum ab Apostolo acceperunt: sed post discessum ejus tentati sunt á falsis Apostolis, ut in legem, et circumcisionem verterentur. Hos San. Apostolus revocat ad fidem veritatis, scribens eis. » Ergo *Cerinthus*, *Ebion*, et alii similes sunt falsorum apostolorum vestimentis veraciter induti: dum contra fidem hanc veritatis de cessatione legalium á Beato Apostolo tam diligenter, et acriter defensatam veniunt á diametro, dicentes; ut supra circa hæresim illorum declaratum est. Item damnari á tota doctrina, scriptura, et prædicatione ejusdem Apostoli. Ut enim ait Beatus Hieronymus in præfatione omnium epistolarum ejus: " Sanctus Paulus apud Hebræorum ecclesias, quasi destructor legis, falsa suspicione habebatur. » Et quare? quia prædicabat ubique cessationem legalium. Ut patet abunde ex argumentis Beati Hieronymi in ejusdem epistolas: inquit; " Romani á falsis epistolis in legem, et prophetas erant inducti. Hos revocat Sanctus Apostolus ad veram, et catholicam fidem scribens eis. Item: Corinthii subversi á falsis apostolis in sectam legis Judaicæ inducti sunt. Hos revocat Sanctus Apostolus ad veram fidem, et evangelicam sapientiam, scribens eis. Item: Philippenses, accepto verbo veritatis, perstiterunt in fide: nec receperunt falsos apostolos. Hos collaudat Sanctus Apostolus, scribens eis. Item: Colossenses præventi erant á Pseudoapostolis. Hos Apostolus per epistolam corrigit. Item: Thessalonicenses, accepto verbo veritatis, perstiterunt in fide: nec receperunt ea, quæ á falsis Apostolis dicebantur. Hos collau-

dat Apostolus, scribens eis. Item: Titum instruit de hæreticis vitandis, qui traditionibus Juaicis credunt, scribens ei. » Laudandi ergo secundum Apostolum de vera fide evanglica in hoc sunt illi, qui cessationem legalium firmiter credunt: et reprobandi sunt, tamquam falsarii veritatis, et hæretici ii, qui legalia non cessasse, sed adhuc vivere, dogmatizant. Item á Papa Eugenio 4. in Conc. Floren. " Sacrosancta Romana Ecclesia Salvatoris nostri voce fundata, firmiter credit, profitetur, et docet: legalia veteris testamenti, seu Mosaicæ legis, quæ dividuntur in cæremonias, sacra sacrificia, sacramenta, quia significandi alicujus futuri gratia fuerant instituta, licet divino cultui illa ætate congrueret significatio per illa, Domino nostro Jesu Chrsisto adveniente, cessasse: et novi testamenti sacramenta cæpisse. » Haec ille in constitutione super unione *Jacobinorum*. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis et applicatis doctrina praesens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem tum directam (hae cest in corpore) et indirectam (haec est solutio arg.) interimas haereses *Nazareorum* (de quibus Aug. in lib. de haeres.) dicentium legem veterem simul cum nova, juxta omnia illius praecepta, esse servanda. Et *Symmachi* dicentis; Legem ritu judaico servandam esse. Et *Alexandri* aerarii dicentis: legem veterem, et circumcisionem in observantiam esse reducendas. Putarunt enim hi, et omnes similes, quod non sit peccatum mortale nunc servare legalia, et ideo contra hos articulus praesens, tamquam falcem ponens ad radicem, pugnat: et pugnando expugnat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has omnes merito damnari á Galat. 5. ut cum applicatione est *in arg. cont.* Item á dictis 2. 2. art. num. 499. 501. Item á veritatibus aureis super totam legem veterem, Lev. 26. conc. 4. et Deut. 12. concl. ult. Item á Coloss. 2. " Ne tetigeritis, nec gustaveritis, neque contractaveritis. » Ecce legalis observantia. Sed audi, quod seqnitur: " Quae sunt omnia in interitum ipso usu. » Hoc est. Licet ad testimonium afferendum sint utilia, immo et quandoque necessaria: tamen in ipso usu, idest in sui observatione, sunt in interitum, idest peccatum mortale constituunt, idest eorum observatio nunc est mortale peccatum. Item ab Eugen. IV. in Conc. Floren. " Sacrosancta Eccl. firmiter credit, profitetur, et docet, quemcumque post passionem Christi in legalibus spem ponentem, et illis, vel ad salutem necessariis se subdentem, quasi Christi fides sine illis salvare non posset, peccasse mortaliter. Non tamen negat, á Christi passione usque ad promulgatum Evangelium, illa potuisse servari: dum tamen minime ad salutem necessaria crederentur. Sed post promulgatum Evangelium, sine interitu salutis aeternae asserit non posse servari. Omnes ergo post illud tempus, circumcisionis, et sabbati, reliquorumque legalium observatores, alienos á fide Christi denunciat, et salutis aeternae minime posse esse particeps: nisi aliquando ab his erroribus resipiscant. Omnibus igitur, qui Christiano nomine gloriantur, praecipit: omnino quocumque tempore, vel ante, vel post baptismum, á circumcisione cessandum: quoniam sive quis in ea spem ponat, sive non; sine interitu salutis aeternae observari omnino non potest. » Hæc ille in constitutione super unione Jacobinorum. Item ab Isa. 66. ut in Compend. Alb. Magn. lib. 4. c. 12. scholast. Vide, et ibi lib. 5. ca. 59. scholast. Item damnari á dictis in ar. 3. append. in quorum favorem dicta hic vicissim quoque applicari possunt. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

QUÆSTIO CENTESIMA QUARTA,

DE PRÆCEPTIS JUDICIALIBUS, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de præceptis judicialibus.

Et primo considerandum est de ipsis in communi. Secundo de ratonibus eorum.

Circa primum quæruntur quatuor.

Primo, quæ sint judicialia præcepta.

Secundo, utrum sint figuralia.

Tertio, de duratione eorum.
Quarto, de distinctione eorum.

ARTICULUS I.

Utrum ratio præceptorum judicialium consistat in hoc quod sunt ordinantia ad proximum.

Pro negativa.=Videtur quod ratio præceptorum judicialium non consistat in hoc, quod sint ordinantia ad proximum.

1. Præter ea quæ pertinent ad ordinem judiciorum, sunt multa alia, quibus homo ordinatur ad proximum, ut sunt contractus voluntarii emptionis etc. Ergo praecepta judicilia non dicuntur, quibus homo ad proximum ordinatur.

Consequentia probatur: quia judicialia præcepta á judicio dicuntur.

2. Multa præcepta moralia sunt, quibus homo ordinatur ad proximum, ut sunt præcepta secundæ tabulæ. Ergo præcepta judicialia non dicuntur ex hoc quod ad proximum ordinant.

Conseq. prob., quia præcepta judicialia á moralibus distinguuntur, ut dictum est q. 99. art. 4.

3. Inter præcepta cæremonialia sunt quædam, quæ pertinent ad seipsum, ut sunt observantiæ ciborum, et vestimentorum. Ergo præcepta judicialia non dicuntur ex hoc quod ordinent hominem ad proximum, sed inter ea debent esse aliqua, quæ ordinent hominem ad seipsum.

Conseq. prob., quia sicut se habent praecepta caeremonialia ad Deum, ita se habent praecepta judicialia ad proximum, ut dictum est q. 99. art. 4.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ezech. 18. inter caetera bona opera viri justi dicitur, «si judicium verum fe»cerit inter virum, et virum.» Sed judicialia praecepta á judicio dicuntur. Ergo praecepta judicialia videntur dici illa, quæ pertinent ad ordinationem hominum.

ARTIC. I.

Determinatio.

Conclusio. Ratio judicialium praeceptorum, consistit in duobus, scilicet ut pertineant ad ordinationem hominum adinvicem, et ut non habeant vim obligandi ex sola ratione, sed ex institutione.

Manifestatur ex differentia, quae est inter praecepta moralia et judicialia. Sciendum igitur quod ut superius q. 95. art. 2. et 99. art. 4. dictum est, praeceptorum cujuscumque legis, quaedam habent vim obligandi ex ipso dictamine rationis, quia naturalis ratio dictat hoc esse debitum fieri, vel vitari, et hujusmodi praecepta dicuntur moralia. Alia vero praecepta sunt, quae non habent vim obligandi ex ipso dictamine rationis, quia scilicet secundum se considerata non habent absolute rationem debiti, vel indebiti; sed habent vim obligandi ex aliqua institutione divina, vel humana, et hujusmodi sunt determinationes moralium praeceptorum. Horum autem determinationes sunt in duplici differentia. Aut enim determinantur praecepta moralia ex divina institutione in his, per quæ ordinatur homo ad Deum, et hæc dicuntur præcepta ceremonialia; aut determinantur præcepta moralia in his, per quæ ordinantur homines ad invicem, et hæc dicuntur præcepta judicialia.

In forma igitur sic probatur conclusio. Ratio præceptorum, quæ non habent vim obligandi ex ipso solo dictamine rationis, sed sunt determinativa moralium præceptorum, in his, quæ pertinent ad ordinationem hominum ad invicem, consistit in his duobus, scilicet quod sunt ordinativa hominum ad invicem, et etiam ut non habeant vim obligandi ex solo rationis dictamine. Sed præcepta judicialia sunt determinativa moralium præceptorum, in his quæ pertinent ad ordinationem hominum ad invicem, et non habent vim obligandi ex solo rationis dictamine. Ergo ratio judicialium præceptorum in his duobus consistit.

Maior patet. Quia præcepta, quæ habent vim obligandi ex solo rationis dictamine, sunt moralia, et quæ habent vim obligandi ex divina institutione in his, quæ pertinent ad Deum, sunt cæremonialia.

Minor etiam patet ex differentia inter cæremonialia, et judicialia; præcepta enim cæremonialia sunt determinativa moralium præceptorum in his, per quæ ordinatur homo in Deum. Judicialia vero in his, per quæ ordinatur homo ad hominem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod nomine judicii duo possumus intelligere; primo, ordinationem tantummodo eorum quæ veniunt in litigium; secundo ordinationem non solum eorum, quæ veniunt in litigium, sed etiam omnium contractuum, qui voluntarie fiunt inter homines, et omnium pertinentium ad populi communitatem, et regimen. In proposito, nomine judicialium præceptorum, non solum intelligimus illa quæ pertinent ad lites judiciorum, sed etiam omnia quæcumque pertinent ad ordinationem principis, tamquam supremi judicis.

Ad formam igitur argumenti negatur antecedens. Omnia enim, quæ pertinent ad ordinationem hominum adinvicem, ad judicialia præcepta pertinent, secundum quod nomine præceptorum judicialium intelliguntur omnia, quæ subsunt principum ordinationi, quæ sunt omnia pertinentia ad populi communitatem, et regimen.

Ad 2. Dicitur, quod ut in corpore dictum est, præcepta per quæ homo ad homines ordinatur sunt in duplici differentia. Quædam sunt, quæ habent vim obligandi ex solo rationis dictamine, qualia sunt præcepta secundæ tabulæ, et hæc non sunt judicialia, sed moralia. Quædam vero sunt, quæ habent vim obligandi ex aliqua divina, vel humana institutione, et hæc sunt præcepta judicialia. Dicitur ergo ad antecedens, quod præcepta aliqua moralia ordinant quidem hominem ad proximum, sed habent vim obligandi ex dictamine rationis, et ideo distinguuntur á judicialibus, ut dictum est.

Ad 3. Negatur consequentia. Non enim ex hoc quod inter præcepta cæremonialia sunt aliqua ordinantia hominem ad seipsum, sequitur quod idem sit de judicialibus: et ratio est, quia præcepta cæremonialia sunt ea quibus homo ad Deum ordinatur, et habent vim obligandi, non ex sola ratione fide informata, ut sunt præcepta moralia, quibus homo ad Deum ordinatur, ut est præceptum de colendo Deum; sed ex divina institutione, ut sunt præcepta de offerendis sacrificiis. Et quia homines ordinantur in Deum sicuti in finem, ideo ad Deum non solum pertinent sacrificia oblata, sed etiam idoneitas ministrorum offerentium et Deum colentium, et propter hoc inter cæremonialia, non solum computantur sacrificia quæ Deo offeruntur, sed etiam idoneitas offerentium, ad quam pertinebant abstinentiæ ciborum. Inter præcepta autem judicialia non sunt aliqua, quæ ordinent hominem ad seipsum, quia homo non ordinatur ad alium sicut in finem, ideo non oportet ut disponatur in seipso, sed omnia quae disponunt hominem in seipso præter ea quæ pertinent ad cæremonialia, sunt moralia: quia ratio, quæ est principium moralium, se habet in homine respectu eorum, quæ ad ipsum pertinent, sicut princeps, vel judex in civitate.

Ad quæsitum responsio.

Sed posset quis quærere, ¿quare in lege sunt plura præcepta cæremonialia, quam judicialia?

Respondetur quod præcepta cæræmonialia sunt determinativa præceptorum decalogi ordinantium hominem in Deum, scilicet præceptorum primæ tabulæ, et præcepta judicialia sunt determinativa præceptorum decalogi quae ordinant hominem ad hominem, idest praeceptorum secundae tabulae. Praecepta autem de-

calogi ordinantia hominem in Deum, sunt pauciora, quam quae ordinant hominem ad alium hominem, et hoc, quia ordo hominis in Deum minus subest rationi, quam ordo hominis ad proximum: propter hoc enim ratio potuit advenire plura praecepta decalogi ordinantia ad proximum, quam ordinantia ad Deum. Quia igitur praecepta decalogi ordinantia ad Deum pauciora sunt, ideo fuerunt necessaria multa praecepta caeremonialia ad explicanda, et determinanda praecepta, quibus homo in Deum ordinatur. Quia vero in decalogo sunt plura praecepta ordinantia hominem ad proximum pauciora præcepta fuerunt necessaria ad eorum determinationem. Necessaria igitur fuerunt multa caeremonialia, quia pauca erant praecepta in decalogo, quae ordinarent hominem in Deum; et paucioria judicialia, quia in decalogo ponuntur multa ordinantia hominem ad proximum.

ARTICULUS II.

Utrùm præcepta judicialia aliquid figurent.

Pro negativa.=Videtur quod praecepta judicialia non figurent aliquid.

1. Si praecepta judicialia aliquid figurarent, sequeretur quod nulla esset differentia inter moralia, et judicialia.

Consequentia probatur: quia hoc videtur esse proprium caeremonialium praeceptorum, ut sint in figuram alicujus rei instituta.

2. Judicialia praecepta aliorum populorum non figurant aliquid, sed solum ordinant quid fieri debeat. Ergo videtur quod neque praecepta veteris legis aliquid figurent.

Consequentia probatur: quia sicut populo judaeorum data sunt aliqua judicialia praecepta, ita etiam aliis populis gentilium.

3. Ea quae sunt figuralia excedunt rationem nostram. Sed praecepta judicialia non excedunt rationem nostram. Ergo praecepta judicialia non sunt figuralia.

Maior probatur: quia ideo ea quae ad cultum divinum pertinent, figuralia sunt, et quibusdam figuris tradi oportuit quia ea, quae Dei sunt, excedunt rationem nostram.

Maior probatur, quia ea quae sunt proximorum, ad quae ordinanda, ordinantur praecepta judicialia, non excedunt rationem nostram.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Exod. 21. Judicialia praecepta allegorice, et moraliter exponuntur.

Determinatio.

Distinctio. Aliquod praeceptum esse figurale contingit dupliciter; uno modo, primo et per se, quia scilicet principaliter est institutum ad aliquid figurandum alio modo ex consequenti.

1.ª Conclusio. Praecepta judicialia non sunt figuralia primo, et per se.

Probatur. Quia hoc modo praecepta caeremonialia sunt figuralia, quia ad hoc sunt instituta, ut aliquid figurent pertinens ad cultum Dei, et ad mysterium Christi, et in forma probatur conclusio primo argumento pro negativa inducto.

2.ª Conclusio. Praecepta judicialia sunt figurativa ex consequenti.

Manifestatur. Quia praecepta judicialia non sunt primo et per se instituta ad aliquod figurandum, sed ad ordinandum statum illius populi secundum justitiam, et aequitatem; sed tamen in quantum totus status illius populi, qui per hujusmodi praecepta disponebatur, figuralis erat, secundum illud 1. Corin. 10. *Omnia in figura contigebant illis*, ipsa judicialia praecepta figuralia ex consequenti dici poterant.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod figurale aliquid primo, et per se est proprium cœremonialium, tamen ex consequenti aliquid figurare; potest etiam præceptis judicialibus convenire, salva distinctione á moralibus.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod non est eadem ratio de populo judæorum, et de aliis populis. Populus enim judæorum ad hoc electus erat á Deo, quod ex eo Christus nasceretur, et ideo oportuit, totum illius populi statum esse propheticum, et figuralem, ut Aug. dicit lib. 22. cap. 24. contra Faustum, et propter hoc etiam judicialia illi populo tradita, sicut etiam bella, et gesta illius populi, exponuntur mystice: non autem bella, vel gesta Assyriorum, vel Romanorum, quamvis longe clariora secundum homines fuerint.

Ad 3. Dicitur ad minorem, et ad ejus prob., quod ordo ad proximum in populo illo, secundum se consideratus pervius erat rationi: sed secundum, quod referebatur ad cultum Dei, superabat rationem, et ex hac parte erat figuralis.

ARTICULUS III.

Utrum præcepta judicialia veteris legis perpetuam obligationem habeant.

Pro affirmativa.=Videtur quod præcepta judicialia veteris legis perpetuam obligationem habeant.

1. Præcepta pertinentia ad virtutem justitiæ habent perpetuam obligationem. Sed præcepta judicialia pertinent ad virtutem justitiæ. Ergo præcepta judicialia habent perpetuam obligationem.

Maior probatur. Quia justitia est *perpetua, et immortalis*, ut dicitur Sap. cap. 1.

Minor probatur. Quia judicium dicitur justitiæ executio.

2. Præcepta judicialia humanarum legum habent perpetuam obligationem. Ergo multo magis præcepta judicialia legis divinæ.

Consequentia probatur. Quia institutio divina est stabilior, quam institutio humana.

3. Præcepta quæ semper sunt utilia et efficacia, ad id ad quod ordinantur, habent perpetuam obligationem. Sed præcepta judicialia veteris legis semper sunt utilia et efficacia ad id ad quod ordinantur, scilicet ad justitiam et ad æquitatem inter homines constituendam. Ergo præcepta judicialia antiquæ legis non reprobantur, sed adhuc efficaciam habent.

Maior probatur, quia dicitur Heb. 7. quod *reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ipsius, et inutilitatem*: quod quidem verum est de mandato cæremoniali, quod *non poterat perfectum facere juxta conscientiam servientem, solummodo, in cibis, et in potibus*, ut dicitur Heb. 9.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Sacerdotium veteris legis est translatum ab Aaron ad Christum. Ergo etiam tota lex translata est.

Consequentia probatur, quia *translato sacerdotio necesse est ut legis translatio fiat*, ut Apost. dicit Heb. 7.

Determinatio.

Conclusio. Præcepta judicialia non habuerunt perpetuam obligationem, sed sunt evacuata per adventum Christi, aliter tamen quam cæremonialia.

Hæc conclusio, quoad priorem partem, scilicet quod præcepta judicialia non habuerint perpetuam obligationem, sed sint evacuata, relinquitur probata ex argumento pro negativa inducto.

Quo vero ad secundam partem scilicet quod judicialia fuerint evacuata aliter quam præcepta cæremonialia, prius declaratur, deinde probatur.

Declaratur inquam. Nam cæremonialia á Deo per adventum Christi sunt evacuata, ut non solum sint mortua, sed etiam mortifera observantibus post Chris-

tum, maxime post Evangelium divulgatum. Præcepta autem judicialia sunt quidem mortua, quia non habent vim obligandi, non tamen sunt mortifera. Quia siquis princeps ordinare t in regno suo illa judicialia observari, non peccaret: nisi forte hoc modo observarentur, vel observari mandarentur, tamquam habentia vim obligativam ex institutione veteris legis: talis enim intentio observandi esset mortifera.

Differentia igitur inter evacuationem præceptorum moralium et judicialium veteris legis factam per adventum Christi, consistit in tribus;

Primo, præcepta cæremonialia post publicationem Evangelii non solum non habent vim aliquam obligandi, sed peccarent mortaliter observantes, quocumque modo servarentur.

Secundo præcepta judicialia post publicationem Evangelii non habent vim obligandi, et peccarent mortaliter ob-observantes, si ea observarent, quasi habentia vim ex institutione antiquæ legis.

Tertio præcepta judicialia secundum se, in quantum ordinantur ad aliquid faciendum, possunt etiam in lege nova sine peccato observari.

Quæ sigillatim probantur, et primo sic. Præcepta, quæ primo, et per se, et principaliter fuerunt instituta ad figurandum Christi mysteria, ut futura nullo modo sunt observanda in lege nova. Sed præcepta cæremonialia fuerunt primo, per se et principaliter instituta ad figurandum Christi mysteria, ut futura. Ergo præcepta cæremonialia antiquæ legis nulla modo sunt servanda in lege nova.

Maior prob., quia observatio horum præceptorum præjudicat veritati fidei, secundum quam confitemur illa mysteria jam esse completa.

Secundum habet duas partes. Prior est quod præcepta judicialia non habeant vim obligandi in lege nova, et hæc ostenditur. Qui præcepta judicialia sunt instituta ad disponendum statum illius populi, qui ordinabatur ad Christum, et ideo mutato statu illius populi, Christo jam veniente, judicialia præcepta obligationem amiserunt. Lex enim fuit pedagogus ducens ad Christum, ut dicitur Gal. 3.

Altera pars est quod observantes præcepta judicialia antiquæ legis, tamquam habentia vim obligandi ex antiqua legis institutione peccarent mortaliter.

Et hæc probatur, quia talis observatio præjudicaret veritati fidei nostræ. Quia per hoc haberetur quod status prioris populi adhuc duraret, et quod Christus nondum venisset.

Tertium prob., quia cum præcepta judicialia non sint primo instituta, ad figurandum mysteria Christi, sed ad aliquid fiendum, ipsa eorum observatio absolute non præjudicat fidei veritati, et ideo absque peccato servari possent dummodo non servarentur quasi habentia aliquam vim ex institutione antiquæ legis: et propterea si aliquis princeps ordinaret ea servanda pro bono regimine suorum subditorum, non peccaret.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod justitia quidem perpetuo est observanda, sed determinatio eorum quæ sunt justa secundum institutionem humanam, vel divinam, oportet quod varietur secundum diversum hominum statum.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod præcepta judicialia ab hominibus instituta habent perpetuam obligationem, manente illo statu regiminis: sed si civitas, vel gens ad aliud regimen deveniat, oportet leges mutari; non enim eædem leges conveniunt in democratia, quæ est potestas populi, et in oligarchia, quæ est potestas divitum, ut patet per Philos in sua politica l. 3. c. 5. Et ideo mutato etiam statu illius populi oportuit præcepta judicialia mutari.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod illa præcepta judicialia disponebant populum ad justitiam et æquitatem, secundum quod conveniebat illi statui: sed post Christum, statum illius populi oportuit mutari, ut jam in Christo non esset datiscretio gentilis et judæi, sicuti antea erat et propter hoc, oportuit etiam præcepta judicialia mutari.

ARTICULUS IV.

Utrum præcepta judicialia habeant aliquam certam divisionem.

Pro negativa.== Videtur quod præcepta judicialia non possint habere aliquam certam divisionem.

1. Præcepta, quæ ordinant homines ad invicem, non habent aliquam divisionem certam. Sed præcepta judicialia ordinant homines ad invicem. Ergo præcepta judicialia non habent aliquam certam divisionem.

Maior prob., quia ea quæ inter homines ordinari oportet, in usum eorum venientia, cum sint infinita, non cadunt sub aliqua certa divisione.

2. Præcepta determinativa moralium præceptorum non habent aliquam certam divisionem. Sed præcepta judicialia sunt determinationes quædam moralium præceptorum. Ergo præcepta judicialia non habent aliquam certam distinctionem

Maior prob., quia moralia præcepta non videntur habere aliquam certam divisionem, nisi secundum quod reducuntur ad præcepta decalogi.

3. Præcepta legis, quæ habent aliquam certam distinctionem, eorum distinctio in lege innuitur. Sed judicialium præceptorum nulla divisio in lege innuitur. Ergo judicialia præcepta non habent aliquam certam divisionem.

Maior probatur. Nam præcepta cæremonialia, quia habent certam divisionem, eorum divisio innuitur in lege, dum quædam vocantur sacrificia, et quædam observantiæ.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ubi est ordo, oportet ut sit distinctio. Sed ad præcepta judicialia maxime pertinet ratio ordinis. Ergo praecepta judicialia maxime debent habere certam distinctionem, et divisionem.

Minor prob., quia per praecepta judicialia populus ille ordinabatur.

Determinatio.

1.ª Conclusio. Praecepta judicialia antiquae legis habent aliquam certam divisionem.

Prob. In qualibet arte est certe distinctio regularum artis. Sed lex est quaedam ars humanae vitae instituendae, vel ordinandae cujus regulae sunt ipsa praecepta. Ergo praecepta judicialia legis habent quamdam certam divisionem.

Et confirmatur, quia aliter ipsa confusio utilitatem legis auferret.

2.ª Conclusio. Praecepta judicialia antiquae legis dividuntur convenienter in quatuor partes, quarum prima pertinet ad principes, secunda ad concives, tertia ad domesticos, quarta ad extraneos.

Prob., quot sunt ordines, qui in uno aliquo populo inveniri possunt, tot sunt partes judicialium praeceptorum legis, per quae populus ordinatur. Sed quatuor sunt ordines, qui in uno aliquo populo inveniri possunt. Ergo quatuor sunt etiam ordines sive partes judicialium praeceptorum.

Maior prob., quia praecepta veteris legis, cum essent, per quae homines ad invicem ordinabantur, habent distinctionem secundum distinctionem ordinationis humanae.

Minor simul cum conclusione, manifestatur. Pro quo est sciendum quod quadruplex ordo in aliquo pupulo inveniri potest. Unus quidem principum populi ad subditos. Alius autem subditorum ad invicem. Tertius autem eorum, qui sunt de populo ad extraneos. Quartus vero ad domesticos, sicut patris ad filium, uxoris ad virum, et domini ad servum. Et

secundum hos quatuor ordines distingui possunt praecepta judicialia veteris legis.

Dantur enim quaedam praecepta de institutione principum, et officio eorum, et de reverentia eis exhibenda. Et haec est una pars judicialium praeceptorum.

Dantur secundo quædam præcepta pertinentia ad concives ad invicem, puta circa emptiones, et venditiones, et judicia, et pœnas. Et hæc est secunda pars judicialium præceptorum.

Dantur etiam quædam præcepta pertinentia ad extraneos, puta de bellis contra hostes, et de susceptione peregrinorum et advenarum. Et hæc est tertia pars judicialium præceptorum.

Dantur tandem in lege uædam præcepta pertinentia ad domesticam conversationem, sicut de servis, uxoribus et filiis. Et hæc est quarta pars judicialium, præceptorum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod ea quæ pertinent ad ordinationem hominum ad invicem, licet sint numero infinita, tamen reduci possunt ad aliqua certa, secundum differentiam ordinationis humanæ, ut in corpore dictum est.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur quod non est eadem ratio de præceptis moralibus, et judicialibus. Præcepta enim moralia habent obligationem ex ratione naturali; et quia inter hæc, præcepta decalogi primatum tenent, ut dictum est quæst. 100. art. 3. Ideo cætera moralia ad præcepta decalogi reducuntur, et secundum ea distinctionem habent, ut ibi dictum est. Præcepta vero judicialia, licet determinationes sint quædam præceptorum moralium, tamen habent obligationem non ex solo dictamine rationis, sed ex institutione divina, et ideo distinctionis eorum est alia ratio, quæ in corpore est assignata.

Ad 3. Negatur minor. Nam ex ipsis rebus, quæ per præcepta judicialia ordinantur in lege, innuit lex distinctionem judicialium præceptorum.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 104.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod judicialia præcepta ordinationem hominum ad invicem important. Ut Ezech. 18. secundum quod cum expositione est *in arg. cont.* Item á Lev. 24. *Æquum judicium sit inter vos.* Præcepta vero judicialia vocantur judicia: Esdr. 2. « Dedisti eis judicia recta, legem veritatis, cæremonias, et præcepta bona. » Hoc est. In lege veritatis data eis continebantur judicialia, cæremonialia, et præcepta moralia. Per hoc ergo, quod scriptura judicialia vocat judicia recta, et judicium æquum, idest rectum dicit esse inter homines ad invicem, ut ex contextu Lev. 24. magis patet, ipsa prædictum in principio manifestavit intentum. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis et Doctoribus insinuatum, quod præcepta judicialia veteris legis aliquid figurabant. A SS. Doctoribus quidem: ut patet legenti glossam ordinariam super Exod. 21. ubi Greg. et Aug. et Isidorum, etc. sensibus mysticis judicialia exponentes comperiet. Vide etiam de hoc Aug. to. 8. lib. quæst. septem super Exod. 21. 22. in multis licet non in omnibus, mysticos circa ipsa judicialia tangere. A scripturis vero per hoc, quod mandatum de justitia quadam, seu æquitate servanda, etiam circa bruta positum Deuter. 25. Apostolus mystico intellectu exposuit. Quo sane facto, tamquam á simili, demonstravit communiter intentum, scilicet, quod judicialia etiam aliquid tempore gratiæ, idest novæ legis, adimplendum figurabant. Ipse siquidem allegando illud Deut. 25. " Non alligabis os bovi trituranti, » subinfert mysticam interpretationem, 1. Corinth. 9. " Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit?

Nam propter nos scripta sunt. Quoniam debet in spe, qui arat, arare: et qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus: magnum est, si nos carnalia vestra metamus? » Ac si aperte dixerit: Principalis in illa legis auctoritate sensus non est de bobus brutis, sed de bobus rationalibus, idest de prædicatoribus, loqui. Quemadmodum et in omnibus figuralibus dictis sensus de figura non est principalis, sed secundarius, quamvis sit primo dictus, et factus in rerum natura, idest in executione: sensus autem de figurato non est secundarius, sed principalis (ut patet in 1. q. 1. a. 10. El.) propterea ad significandum et quod ibi sunt duo sensus et quod sensus de figura ibi non est principaliter intentus: utitur tali modo loquendi: *numquid de bobus cura est Deo*? Quasi apertius dicat: Numquid hoc mandatum Dei intelligitur principaliter de bobus? Quem esse suum planum sensum Apostolus comprobat melius subinferens. *An propter nos utique hoc dicit*? Hoc est. Nos, idest, sensus de nobis est illius literæ sensus principalis. Id quod et clarius adhuc monstrat, annectens, *Nam propter nos scripta sunt.* Si (inquit) scripta sunt propter nos, ut finem suum, utique dicenda sunt esse scripta de bobus illis, tamquam de eo, quod est ad finem. Non ergo de bobus ibi cura est Deo, sed de nobis, idest illa cura diligenter habenda circa boves non intelligitur á Deo principaliter esse præcepta de bobus, et per hoc nec principaliter de bobus esse servanda, sed et præcepta á Deo, et servanda ab hominibus, intelligitur principaliter de nobis. Ecce verus, planus et contextualis sensus Apostoli: et consequenter, quod secundum eum aperit, judicialia non solum figurare aliquid, sed etiam habere illud aliquid pro sensu suo principali, in quantum tamen judicialia ipsa, ut figuralia sunt, considerantur. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis et Papa insinuatum, quod judicialia perpetuam obligationem non habebant, sed sunt evacuata per Christi adventum, aliter tamen, quam cæremonialia. A scripturis quidem per hoc, quod dicitur Hebr. 7. *translato*, etc. ut cum applicatione est *in arg. cont.* A B. autem *Leone* Papa per hoc, quod in sermone quodam dicit: " Apostolica quidem institutio, quæ Dominum JESUM Christum venisse in hunc mundum noverat, ut legem, non solveret, sed adimpleret; ita veteris testamenti decreta distinxit: ut quædam ex eis, sicut erant condita, Evangelicæ eruditioni profutura, decerperet: et, quæ dudum fuerant consuetudinis Judaicæ, fierent observantiæ Christianæ. Quamvis enim varietates hostiarum, differentiæ baptismatum, et otia sabbatorum, cum ipsa carnis circumcisione cessaverint: manent tamen illæ partes legalium mandatorum; quibus quædam præcipiuntur, ut fiant, quædam interdicuntur, ut non fiant. Quod igitur ex veteris prædicatione doctrinæ ad purificationem animarum, corporumque nostrorum jejunium septimi mensis assumimus, non legalibus nos oneribus subjicimus: sed utilitatem continentiæ, quæ Christi Evangelio servit, amplectimur. » Hæc illæ, tamquam ab hoc simili de judicialibus intentum in principio appendicis dictum universaliter insinuans. Auctoritatem hanc minutatim expende, quoniam ad singulas conclusionis partes valet. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum: quod judicialia habent certam distinctionem. Et per hoc, quod de facto invenimus horum distinctionem in lege veteri. Nam in Deuter. quod secundum B. Hierony. est *secunda lex*, idest repetitio legis, judicialia de superioribus respectu inferiorum distincte traduntur ab aliis, et sic de cæteris. Puta de superioribus illis, c. 16. 17. 18. de subditis, seu inferioribus ad invicem, c. 19. 20. de prædictis quoad extraneos, idest hostes, c. 21. 22. etc. et quoad domesticam conversationem, 34. etc. Licet vero distincta quatuor istorum traditio aliqua de alterutris quandoque intermisceat juxta varias opportunitates: tamen hoc non obstat proposito. Sufficit enim hoc, quod ex scriptura innuatur reductio omnium judicialium ad unum caput ipsorum quatuor. Item idipsum lector prudens eliciet esse insinuatum ex multis capitulis, juxta illorum quatuor divisionem, colligatis per ordinem in q. 105. ar. 1. 2. 3. 4. *Secundo* vides: etc.

QUÆSTIO CENTESIMA QUINTA,

DE RATIONE JUDICIALUM PRÆCEPTORUM IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de ratione judicialium praeceptorum.

Et circa hoc quæruntur quatuor.

Primo, de ratione praeceptorum judicialium, quæ pertinent ad principes.

Secundo de his, quæ pertinent ad convictum hominum adinvicem.

Tertio, de his quae pertinent ad extraneos.

Quarto, de his, quae pertinent ad domesticam conversationem.

ARTICULUS I.

Utrum convenienter lex vetus de principibus ordinaverit.

Pro negativa.=Videtur quod inconvenienter lex vetus de principibus ordinaverit.

1. In lege non invenitur quomodo debeat institui supremus princeps, sed solum invenitur in ea de principibus inferioribus. Ergo lex vetus insufficienter principes populi ordinavit.

Conseq. prob., quia ordinatio populi præcipue dependet ex maximo principatu.

Antecedens, quoad priorem partem manifestum est, quoad secundam vero prob. quia de inferioribus principibus dicitur Exodi 81. *Provide de omni plebe viros sapientes*, etc. et Num. 11. *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israël.* Et Deut. 1. *Date ex vobis viros sapientes, et gnaros*, etc.

2. Optima ordinatio civitatis, vel populi cujuscumque est, ut gubernetur per regem. Ergo lex debuit regem populo instituere, et non permittere hoc eorum arbitrio, sicut permittitur Deut. 17. *Cum dixeris constituam super me regem, constitues*, etc.

Antec. prob., quia regem repræsentat maxime divinum regimen quo unus Deus mundum á principio gubernat.

Conseq. prob., quia optimi est optima adducere, ut Plato dicit.

3. Divisio regni est destructionis causa. Ergo debuit prohiberi in lege divisio regni in duos reges, nec debuit hoc authoritate divina introduci, sicut legitur introductum authoritate Domini per Ahiam Silonitem Prophetam 3. Regum cap. 11.

Antec. prob. Tum authoritate Domini Matth. 12. dicentis: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur.* Tum experimento populi judæorum in quo divisio regni fuit destructionis causa.

Conseq. prob. Quia lex præcipue debet introducere ea quæ pertinent ad communem salutem populi.

4. Sacerdotibus, et levitis, qui sunt in lege, deputantur aliqua, ex quibus vivere debeant, sicut decimae, primitiae, et multa alia hujusmodi. Ergo et principibus populi debuerunt aliqua ordinari, unde sustentarentur, et praecipue cum eis sit inhibita munerum acceptio, ut patet Exod. 23. *Non accipietis munera, quæ excæcant etiam prudentes, et subvertunt verba justorum.*

Conseq. prob. Quia sicut sacerdotes instituuntur ad utilitatem populi in his quae ad Deum pertinent, ut patet Hebr. 5. ita principes instituuntur ad utilitatem populi in rebus humanis.

5. Dominus instituendo regem, instituit jus tyrannicum. Ergo inconvenienter fuit provisum per legem circa principum ordinationem.

Antecedens prob. Quia 1. Reg. 8. dicitur. *Hoc erit jus regis qui imperaturus est in vobis, filios vestros tollet*, etc.

Conseq. prob. Quia sicut regnum est optimum regimen, ita tyrannis est pessima corruptio regiminis.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Populus Israel de plenitudine ordinationis commendatur. Ergo per legem populus ille fuit circa principes bene institutus.

Antec. prob. Nam Num. 24. dicitur: *Quam pulchra sunt tabernacula tua Jacob, et tentoria tua Israël!*

Conseq. prob., quia pulchritudo ordinationis populi dependet ex principibus bene institutis.

Determinatio.

Conclusio. Ordinatio principum, quam lex instituit, fuit optima.

Prob. Ordinatio principum in aliqua civitate, vel regno, in qua unus præficitur secundum virtutem, qui omnibus præsit, et sub ipso sunt aliqui principantes secundum virtutem, qui ex omnibus de plebe eligi possint, et ad omnes de plebe conveniat eorum electio, est optima. Sed ordinatio quam lex vetus in populo Hebræorum instituit, fuit, ut unus præficeretur secundum virtutem, et sub ipso aliqui principarentur secundum virtutem, qui eligerentur de populo, et quorum electio ad omnes pertineret. Ergo ordinatio, quam lex vetus de principibus instituit, est optima.

Maior manifestatur primo, deinde probatur: sciendum enim quod circa bonam ordinationem principum in aliqua civitate, vel gente, duo sunt attendenda. Quorum unum est, ut omnes aliquam partem habeant in principatu. Aliud est, ut talis ordinatio sit secundum optimam speciem regiminis. Sunt enim diversæ species regiminis, vel principatus, ut dicitur 3. Polit. cap. 4. inter quas præcipue est regnum, in quo unus principatur secundum virtutem, et aristocratia, idest potestas optimorum, in qua aliqui pauci principantur secundum virtutem. Optima igitur principum ordinatio est, ut unus præsit omnibus, et sub ipso alii præsint secundum virtutem cæteris de populo, et quod electio horum pertineat ad populum, et principantes de populo eligantur: est enim hæc politia bene commixta ex regno, in quantum unus omnibus præficitur, et ex aristocratia, in quantum sub rege alii principantur secundum virtutem, et ex democratia, idest potestate populi, in quantum ex popularibus possunt eligi principes, et ad populum pertinet eorum electio.

Prob. maior. Quia per hoc conservatur pax populi, et omnes talem ordinationem amant, et custodiunt, ut dicitur 2. Polit.

Minor probatur, quia Moyses, et ejus successores gubernabant populum, quasi singulariter omnibus principantes, quod est quædam species regni. Eligebantur autem septuaginta duo seniores secundum virtutem; dicitur enim Deut. 1. *Tuli de vestris tribubus viros sapientes et nobiles, et constitui eos principes*, et hoc erat *aristocraticum*. Isti autem de omni populo eligebantur, dicitur enim Exod, 48. *Provide de omni plebe viros sapientes* etc. et populus eos eligebat, unde dicitur Deut. 1. *Date ex vobis viros sapientes*, etc. quod pertinet ad democraticum. Unde ordinatio circa principes in lege fuit optima.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Et ratio est quia populus ille sub speciali Dei cura regebatur, unde dicitur Deut. 7. *Te elegit Dominus Deus tuus ut sis ei populus peculiaris*, et ideo institutionem summi principis dominus sibi reservavit, et hoc est, quod Moyses petivit Num. 27. *Provideat Dominus Deus spiritum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc*; et sic ex Dei ordinatione institutus est Josue in principatu post Moysen: et de singulis judicibus, qui post Josue fuerunt, legitur quod *Deus suscitavit populo salvatorem*, et quod *Spiritus Domini fuit in eis*, ut patet Judi. 2. et ideo etiam electionem regis non commisit Dominus populo, sed sibi reservabit, ut patet Deut. 17.

Ad prob. igitur consequentiæ dicitur quod ordinatio populi dependet quidem á maximo principatu, de quo Deus ipse Judaico populo providebat.

Ad 2. Dicitur dupliciter, Primo ad

antecedens quod regnum est quidem optimum regimen populi, sed propter magnam potestatem quæ regi conceditur, de facili degenerat in tyrannidem, nisi sit perfecta virtus ejus, cui talis potestas conceditur. Quia *non nisi virtuosi, bene ferre bonas fortunas*, ut Phil. dicit 10. Ethic. Et quia perfecta virtus in paucis invenitur, et præcipue in Judæis, qui crudeles erant, et ad avaritiam proni, per quæ vitia, maximi homines in tyrannidem decidunt, ideo á principio Dominus eis regem non instituit cum plena potestate: sed judicem et gubernatorem in eorum custodiam. Sed postea regem ad petitionem populi quasi indignatus concessit, ut patet per hoc quod dicit ad Samuelem 1. Reg. cap. 8. *Non te abjecerunt sed me, ne regnem super eos.*

Dicitur secundo, concedendo consequentiam, et inde totum argumentum. In lege enim veteri Dominus instituit á principio circa regem instituendum. Circa quem quinque determinavit, duo circa electionem, et tria circa ipsum regem electum. Circa modum eligendi duo determinavit, primum quod in ejus electione expectarent judicium domini; secundum, ut non facerent regem alterius gentis, quia tales reges solent parum affici ad gentem cui præficiuntur, et per consequens parum curare de eis. Circa reges jam electos, primo ordinavit qualiter deberent se habere ad seipsos, ut scilicet non multiplicarent currus et equos, neque uxores, neque immensas divitias, quia ex horum cupiditate principes in tyrannidem declinant, et justitiam derelinquunt. Instituit secundo qualiter deberent se habere ad Deum, ut scilicet semper legerent, et cogitarent de lege Dei, et semper essent in Dei timore, et obedientia. Instituit tertio qualiter se habere deberent ad subditos suos, ut scilicet non superbe eos contemnerent, aut opprimerent, neque etiam á justitia declinarent, quæ omnia patent Deut. 17.

Ad 3. Dicitur ad consequens quod divisio regni, et multitudo regum magis est populo illi data in pœnam pro multis dissensionibus eorum, quas maxime contra regem David justum moverant, quam ad eorum profectum. Unde dicitur Osee 13. *Dabo tibi regem in furore meo.* Et Osee 8. *Ipsi regnaverunt, et non ex me, principes extiterunt, et non cognovi.*

Ad 4. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de sacerdotibus, et regibus: sacerdotes enim per successionem originis sacris deputabantur, et hoc ideo, ut in majori reverentia haberentur, si non quilibet ex populo posset sacerdos fieri, quorum honor cebebat in reverentiam divini cultus, et ideo oportuit, ut eis spiritualia quædam deputarentur, tam in decimis, quam in primitiis, quam etiam in oblationibus, et sacrificiis ex quibus viverent. Sed principes, sicut dictum est, assumebantur ex toto populo, et ideo habebant certas possessiones proprias, ex quibus vivere poterant, et præcipue cum Dominus prohiberet etiam in lege, ne superabundarent divitiis, aut magnifico apparatu. Tum quia non erat facile, quin ex his in superbiam, et tyrannidem erigerentur. Tum etiam quia si principes non erant multum divites, et erat laboriosus principatus, et sollicitudine plenus, non multum affectabatur á popularibus, et sic tollebatur seditionis materia.

Ad 5. Dicitur ad antecedens, quod illud jus non debebatur regi ex institutione divina, sed magis prænunciatur usurpatio regum, qui sibi jus iniquum constituunt in tyrannidem degenerantes, et subditos deprædantes. Et hoc patet, per hoc quod in fide subdit. *Vosque eritis ei servi* quod pertinet ad tyrannidem, quia tyranni suis subditis principantur ut servis. Unde hoc dicebat Samuel, ad terrendum eos, ne regem peterent; sequitur enim: *Noluit autem audire populus vocem Samulis.*

Dicitur secundo, negando antecedens: ad prob. dicitur posse contingere, quod bonus rex absque tyrannide filios tollat, et constituat tribunos, et centuriores, et multa accipiat á subditis suis, propter commune bonum procurandum.

ARTICULUS II.

Utrum convenienter tradita fuerint præcepta judicialia quantum ad popularium convictum.

Po negativa.==Videtur quod inconvenienter tradita fuerint præcepta judicialia quantum ad popularium convictum.

1. Lex inducens ut unus accipiat ea quæ sunt alterius, non convenienter tradit præcepta pertinentia ad popularium convictum. Sed lex vetus inducit ut unus accipiat ea quæ sunt alterius. Ergo lex vetus non convenienter tradit præcepta pertinentia ad popularium convictum.

Maior prob., quia non possunt homines pacifice vivere ad invicem, si unus accipiat ea quæ sunt alterius.

Minor prob., quia Deut. 23 dicitur *ingressus vineam proximi tui, comede uvas quantum tibi placuerit.*

2. Lex permittens ut possessiones ad mulieres perveniant, non convenienter providet saluti populi. Sed lex vetus introduxit ut posessiones ad mulieres pervenirent. Ergo lex vetus non convenienter providit saluti populi.

Maior prob., quia ex hoc maxime multæ civitates, et regna destruuntur, quod possessiones ad mulieres perveniant, ut dicitur 2. Politic. c. 7.

Minor prob., quia Num. 27. *Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam ejus transibit hereditas.*

3. Lex auferens virtutem venditionis, non convenienter providet conservationi societatis hominum. Sed lex vetus abstulit virtutem venditionis. Ergo lex vetus non convenienter providit conservationi societatis hominum.

Maior prob., quia societas hominum maxime conservatur per hoc quod homines emendo, et vendendo, sibi invicem res suas commutant, quibus indigent, ut dicitur 1. Polit. c. 7.

Minor probatur, quia lex mandavit quod prossessio vendita reverteretur ad venditorem in quinquagesimo anno Jubilæi, ut patet Levit. 25.

4. Lex auferens ab hominibus promptitudinem ad mutuum concedendum inconvenienter providet necessitati, et utilitati populi. Sed lex vetus abstulit promptitudinem ad mutuandum. Ergo lex vetus non convenienter providet necessati populi.

Maior prob., quia necessitatibus populi maxime expedit, ut homines sint prompti ad mutuum concedendum.

Minor prob. Lex ordinans, ut creditores accepta mutuo non reddant, tollit promptitudinem ad mutuandum. Sed lex vetus ordinat, ut accepta mutuo non reddantur. Ergo lex vetus aufert promptitudinem ad mutuandum.

Maior hujus prob., quia Eccles. 29. dicitur, «multi non causa nequitiæ non «sunt fœnerati, sed fraudari gratis timue«runt.»

Minor hujus prob. Primo, quia lex mandavit Deut. 15 .«Cui debetur aliquid «ab amico, vel proximo ac fratre suo «repetere non poterit, quia annus remis«sionis est Domini.»

Secundo, quia aufertur ei securitas, quæ habetur per pignus. Dicit enim Deut. 24. «Cum repetes á proximo tuo «rem aliquam, quam debet tibi, non in«gredieris domum ejus, ut pignus au«feras.» Et iterum. «Non pernoctabit «apud te pignus, sed statim reddes ei.

5. Lex, quæ parvam cautelam adhibet, ne deposita defraudentur, inconvenieter providet popularium convictui. Sed lex vetus parvam cautelam adhibet, ne deposita defraudentur. Ergo lex vetus inconvenienter providet convictui popularium.

Maior prob., quia cum ex defraudatione depositi maximum periculum im-

mineat, maxima est circa depositorum conservationem cautela adhibenda. Unde 2. Mac. 3. dicitur quod «sacerdotes «invocabant eum de cœlo, qui de depo- «sitis legem posuit, ut his qui deposue- »rant ea, salva custodirent.»

Minor prob., quia Exod. 22. dicitur, quod «in amissione depositi statur jura- «mento ejus apud quem fuit depositum.»

6. Non est necessarium ut conductor domus, vel alicujus hujusmodi alterius rei statim exhibeat locanti pretium. Ergo minis durum fuit, quod præcipitur Levit. 19. «Non morabitur opus mercenarii «tui apud te usque mane.»

Conseq. prob., quia sicut mercenarius locat operas suas, ita etiam aliqui locant domum, vel aliquid hujusmodi.

7. Accessus ad judicem debet esse facilis. Ergo inconvenienter statuit lex Deut. 17. «ut irent ad unum locum ex- «petituri judicium de suis dubiis.»

Anteced. prob., quia judiciorum necessitas frecuenter imminet.

8. Possibile est non solum duos, sed etiam tres, vel plures concordare ad mentiendum. Ergo inconvenienter dicitur Deut. 19. «in ore duorum, vel trium «testium stabit omne verbum.»

9. Lex quæ æqualibus delictis statuit inæquales pœnas, et pro parvis delictis graves pœnas infligit, non convenienter tradit judicialia præcepta ad popularium convictum necessaria. Sed lex vetus pro æqualibus delictis inæquales statuit pœnas, et pro parvis delictis graves pœnas infert. Ergo lex vetus non convenienter tradit judicialia præcepta ad popularium convictum necessaria.

Maior prob., quia pœna debet taxari secundum quantitatem culpæ. Unde dicitur Deut. 25. «Pro mensura delicti «erit et plagarum modus.»

Minor prob., quoad primam partem, quia Exod. 22. dicitur quod «resistuet «fur quinque boves pro uno bove, et «quatuor oves pro una ove.» Quoad aliam partem prob. quia Num. 15. Lapidatus est, qui colligebat ligna in sabbato. Filius etiam protervus propter parva delicta, quia scilicet *comessationibus vacabat et conviviis*, mandatur lapidari Deut. 21.

10. Lex vetus non inflixit pro aliquo delicto pœnas exilii et servitutis. Ergo lex vetus insufficienter ordinavit de legalibus pœnis.

Conseq. prob., quia Tullius, referente Augustin. 21. de civit. Dei cap. 11. *octo genera penarum in legibus esse scribit, quæ sunt damna, vincula, verbera, talio, ignominia, exilium, mors, et servitus.* Harum pœnarum sex solummodo infert lex vetus. Damnum quidem, cum condemnabatur fur ad quintum, vel ad quadruplum, sicuti Exo. 12. dicitur quod fur restituet quinque boves pro uno bove. Vincula vero sicuti Num. 15. mandatur de quodam, quod in carcerem includatur. Verbera vero, sicuti Deut. 25. *Si eum, qui peccavit, dignum viderint plagis, prosternent, et coram se facient verberari.* Ignominiam etiam inferebat illi, qui nolebat accipere uxorem fratris sui defuncti, quia tollebat calciamentum, et expuebat in faciem illius. Mortem etiam inferebat, ut patet Lev. 20. *qui maledixerit Patri suo, vel matri, morte moriatur. Pœnam* etiam *talionis* lex induxit, dicens, Exo. 21. *Oculum pro oculo, dentem pro dente;* de aliis autem duobus scilicet *exilio* et *servitute* nullam facit mentionem, igitur est insufficiens circa inflictionem pœnarum.

11. Lex quæ infert pœnas brutis animalibus, non convenienter tradit judicialia præcepta ad convictum hominum necessaria. Sed lex vetus infert pœnas brutis animalibus. Ergo lex vetus inconvenienter tradit præcepta judicialia necessaria ad convictum hominum.

Maior prob., quia pœna non infertur nisi pro culpa. Sed bruta non possunt habere culpam. Ergo inconvenienter eis infligitur pœna aliqua.

Minor prob., quia Exod. 21. præci-

pitur, *ut bos, qui occiderit virum, aut mulierem, lapidibus obruatur.* Et Levit. 20. dicitur quod *mulier, quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficiatur cum eo.*

12. Lex ordinans, ut pro morte hominis bruta interficiantur, non convenienter tradit judicialia præcepta ad convictum necessaria. Sed lex vetus mandat ut pro morte hominis bruta interficiantur. Ergo lex vetus inconvenienter tradit judicialia præcepta.

Maior prob. dupliciter. Primo, quia homicidium morte hominis, qui ipsum commisit, debet puniri, ut mandatur Exod. 21.

Secundo: quia mors bruti animalis multo minus reputatur, quam occisio hominis.

Minor prob., quia Deut. 21. dicitur, quod «quando inventum fuerit cadaver »occisi hominis, et ignorabitur cædis reus, »seniores propinquioris civitatis tollent »vitulam de armento, quæ non traxit ju»gum, nec terram scidit vomere, et du»cent eam ad vallem asperam, atque sac«sosam, quæ numquam arata est, nec se»menta recepit, et cædent in ea cervices »vitulæ.»

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Pro singulare beneficio exhibito á Deo Israëlitico populo commemoratur in Ps. 147. *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.*

Determinatio.

Conclussio. Lex vetus sufficienter per judicialia præcepta ordinavit convictum populi judæorum.

Probatur. Lex, quæ sufficienter ordinat communicationem hominum ad invicem, quæ fit authoritate principum, et quæ fit propria voluntate privatarum personarum, sufficienter ordinat populi convictum. Sed lex vetus sufficienter ordinavit per judicialia præcepta communicationem judaici populi, quæ erat authoritate principium, et quæ erat propria voluntate privatarum personarum. Ergo lex vetus convenienter per judicialia præcepta ordinavit convictum judaici populi.

Maior prob. præmittendo quod populus est cætus multitudinis juris consensu, utilitatis communione sociatus. Unde ad rationem populi pertinet ut communicatio hominum ad invicem justis præceptis legis ordinetur.

Communicatio autem hominum ad invicem est duplex. Una fit authoritate principum; alia autem fit propria voluntate privatarum personarum. Et quia voluntate uniuscujusque disponi potest id, quod ejus subditur potestati, ideo authoritate principum, quibus subjecti sunt homines oportet quod judicia inter homines exerceantur, et pœnæ malefactoribus inferantur. Potestati vero privatarum personarum subduntur res possesæ, et ideo propria authoritate in his possunt sibi invicem communicare, puta vendendo, emendo, donando. Lex igitur, quæ bene disponit de utraque communicatione, scilicet de ea quæ fit authoritate principum, et de ea quæ fit propria voluntate privatarum personarum sufficienter ordinat populi convictum.

Minor habet duas partes. Prior est quod lex convenienter ordinaverit circa communitatem principum authoritate institutam. Altera est quod convenienter ordinaverit circa communicationem hominum, quæ fit propria voluntate privatarum personarum. Et quoad utramque prob., et quoad primam:

Lex quæ instituit judices, justum judicii ordinem, et auffert occasiones injusti judicii, instituit numerum testium, et certas pœnas pro diversis delictis, sufficienter ordinat communicationem hominum, quæ est ex principum authoritate. Sed lex vetus statuit judices. Unde dicitur Deut. 16. *Judices, et magistros constitues in omnibus eis portis, ut judicent populum justo judicio.*

Instituit justum judicii ordinem. Unde dicitur Deut. 1. *Quod justum est judicate, sive civis ille sit, sive peregrinus, nulla erit personarum distantia.* Sustulit etiam occasionem injusti judicii, acceptionem munerum judicibus prohibendo, ut patet Exo. 23. et Deut. 16.

Instituit etiam numerum testium duorum, vel trium, ut patet Deut. 17. et 19.

Instituit etiam certas pœnas pro diversis delictis, ut patebit in solutione ad 10. argumentum. Ergo lex vetus sufficienter ordinavit circa communicationem, quæ authoritate principum instituitur.

Quoad secundam partem probatur eadem minor.

Lex, quæ instituit ut possessiones singulorum de populo sint distinctæ, et usus partim sit communis, et partim per voluntatem possessorum communicetur, convenienter disponit circa voluntariam communicationem populi. Sed lex vetus constituit ut possessiones essent divisæ, ut earum usus partim esset communis, et partim per voluntatem possidentium communicaretur. Ergo lex vetus convenienter ordinavit circa communicationem voluntariam.

Maior hujus prob. Nam Phil. 2. Pol. cap. 3. dicit, illa tria optima esse circa res possessas, ad bene disponendum circa communicationem voluntariam.

Minor prob. quoad singulas partes. Et quoad primam, scilicet quod lex instituerit ut possessiones essent distinctæ, quia dicitur Num. 34. *Ego dedi vobis terram in possessionem, quam forte dividetis vobis.* Et quia per irregularitatem et confusionem possessionum plures civitates destruuntur, ut Phil. dicit 2. Polit. cap. 7. ideo circa possessiones regulandas, triplex remedium lex adhibuit. Unum quidem, ut secundum numerum hominum æqualiter dividerentur. Unde dicitur Num. 34. *Pluribus dabitis latiorem, et paucioribus angustiorem.* Aliud remedium est, ut possessiones non in perpetuum alienentur, sed certo tempore ad suos possessores revertantur, ut non confundantur sortes possessionum, ut dicetur.

Tertium remedium est, ad hujusmodi confusionem tollendam, ut proximi succedant morientibus. Primo quidem gradu filius. Secundo filia. Tertio fratres. Quarto patrui. Quinto quicumque propinqui. Et ad distinctionem sortium servandam ulterius lex instituit, ut mulieres, quæ sunt hæredes, nuberent hominibus suæ tribus, Num 36.

Quoad secundam partem prob. eadem minor, scilicet quod usus rerum possessarum esset quoad aliqua communis ex legis instituto. Instituit enim lex, ut res possesæ essent communes, primo quantum ad custodiam, idest ut tenerentur communiter res custodire. Unde dicitur Deut. 20. «Non videbis bovem, et ovem »fratris tui errantem, et præteribis, sed »reduces fratri tuo.» Secundo quantum ad fructum. Concedebatur enim communiter quantum ad omnes, ut ingressus vineam amici, licite comedere posset, dum tamen extra non deferret. Specialiter vero quantum ad pauperes ordinabat, ut eis relinquerentur manipuli obliti, et fructus, et racemi remanentes, ut habetur Lev. 19. et Deuter. 24. Et etiam communicabantur ea, quæ nascebantur in 7. anno, ut habetur Exo. 23. et Lev. 25.

Tertia pars minoris ejusdem, scilicet quod lex instituit, ut res possessæ essent ex voluntate possidentium partim communes, prob. Nam lex statuit duplicem communicationem faciendam per eos, qui sunt rerum domini. Unam quidem pure gratuitam, unde dicitur Deut. 14. «Anno tertio separabis aliam decimam, venientque levites, et peregrinus, »et pupillus, et vidua, et comedent, et saturabuntur.»

Aliam vero cum recompensatione utilitatis, sicut per venditionem, emptionem, locationem, conductionem, per mutuum, et per depositum, de quibus om-

nibus in lege certæ ordinationes inveniuntur.

Ex quibus omnibus patet principalis minor, scilicet quod lex convenienter, et sufficienter ordinaverit, et disposuerit circa communicationem, que est ex arbitrio privatarum personarum, et per consequens quod convenientissima præcepta judicialia ad convictum necessaria, sunt lege tradita.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod aliquem accipere id, quod est alterius, contingit dupliciter: uno modo, ut accipiat in magna quantitate, et cum gravi damno proximi sui: alio modo, in parva quantitate, et absque gravi damno. Si maior intelligatur de acceptione in magna quantitate, conceditur: lex enim inducens ad accipiendam rem alienam in magna quantitate, et cum gravi damno, non esset conveniens, nec justa, et esset occasio discordiæ. Sed tunc negatur minor; lex enim tantummodo concedebat, ut accipere possent in parva quantitate, qualis est uva, quæ potest in vinea comedi. Si autem maior intelligatur de acceptione alieni in parva quantitate, est falsa. Ad prob. dicitur, quod per acceptionem rei alienæ in parva quantitate, non solum non turbatur pax, et concordia, imo confirmatur amicitia: per hoc enim assuefiunt homines ad aliquid facile communicandum. Unde convenienter lex instituit ut ingressus quis vineam, posset comedere uvam, ut homines assuescerent ad facilem suorum bonorum communicationem, prohibuit autem ne foris asportaret, ad prohibendum grave damnum, et discordiæ occasionem.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod lex permittens ut possesiones ad mulieres perveniant, quando sunt masculi succedentes, ad quos pervenire possint, et debeant, non providet convenienter populi convictui, ut concludit probatio. Tamen lex permittens mulieribus, ut succedere possint in hereditate possesionum, quando non sunt masculi, qui possint succedere, convenienter disponit: hoc enim necessarium est ut successio mulieribus concedatur in consolationem patris, cui grave fuisset, si hæreditas omnino ad alienos transiret. Tunc ad minorem dicitur, quod lex non statuit, quod mulieres succederent in bonis paternis, nisi ex defectu filiorum masculorum. Adhibuit tamen lex circa hoc cautelam debitam, præcipiens ut mulieres succedentes in hæreditate paterna, nuberent hominibus suæ tribus, ad hoc ut sortes tribuum non confunderentur ut habetur Num. ult.

Ad 3. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod sicut Philop. dicit 2. Pol. cap. 5. *Regulatio possesionum multum confert ad conservationem civitatis, vel gentis.* Unde, sicut ipse dicit, apud quasdam gentilium civitates statutum fuit ut nullus possesionem vendere posset, nisi pro manifesto detrimento. Si enim passim possessiones vendantur, potest contingere quod omnes possesiones ad paucos deveniant; et ita necesse erit civitatem, vel regionem habitatoribus evacuari. Lex igitur vetus duo ordinavit circa possesionum venditionem.

Primum fuit, ut possesiones vendi possent usque ad certum tempus, ut per hoc necessitatibus hominum subveniretur.

Secundum fuit, ut post certum tempus possessio vendita ad vendentem rediret, et hoc ordinavit, tum ad removendum dictum periculum, ne scilicet possessiones ad unum devenire possent aut ad paucos: tum etiam ne sortes tribuum confunderentur; sed semper remaneret in eis eadem determinata distinctio; per hoc autem non tollitur firmitas venditionum, sed providetur necessitati vendentium, et removetur periculum, et tribuum confusio.

Sciendum tamen quod domus urbanæ id est quæ erant in urbe, et alia mobilia, perpetuo vendi poterant, non autem do-

mus, quæ extra civitatem erant. Et ratio horum est quia domus urbanæ non erant forte distinctæ: ideo lex concessit quod in perpetuum vendi possent, sicut et alia mobilia bona. Non enim erat statutus numerus domorum civitatis, sicut erat certa mensura possessionis, ad quam non addebatur. Poterat autem aliquid addi ad numerum domorum civitatis. Domus autem, quæ non erant in urbe, sed in villa muros non habentes, in perpetuum vendi non poterant, quia hujusmodi domus non construuntur nisi ad cultum, et ad custodiam possessionum, et ideo lex congrue statuit jus circa utrumque.

Ad 4. Negatur minor. Lex enim non solum non abstulit promptitudinem ad mutuandum, imo facilitatem instituit. Intentio enim legis erat assuefacere homines suis præceptis ad hoc, ut sibi invicem de facili in necessitatibus subvenirent, quia hoc maxîme est amicitiæ fomentum. Et hanc quidem facilitatem subveniendi non solum statuit in his, quæ gratis donantur, sed etiam in his, quæ mutuo conceduntur, quia hujusmodi subventio frequentior est, et pluribus necessaria. Circa hanc autem facilitatem ad facile mutuandum, lex quatuor instituit.

Primo, ut faciles se præberent ad mutuum exhibendum, nec ab hoc retraherentur anno remissionis appropinquante, Deut. 15.

Secundo ne eum, cui mutuum concederent, gravarent vel usuris, vel etiam aliqua pignora omnino vitæ necessaria accipiendo: et si accepta fuerint, statim restituerentur. Dicitur enim Deut. 23. «Non fœneraveris fratri tuo ad usuram.» et 24. «Non accipies loco pignoris infe»riorem et superiorem molam, quia ani»mam suam apposuit tibi,» et Exod. 21. dicitur: «si pignus á proximo tuo acce»peris vestimentum, ante solis occasum »reddes ei.»

Tertio, ut non importune exigerent, unde dicitur Exo. 22. Si pecuniam mu«tuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum, quasi exactor,» et propter hoc etiam mandatur Deut. 24. «Cum repetetes á proximo «tuo rem aliquam, quam dent tibi, non «ingredieris in domum ejus, ut pignus «auferas; sed stabis foris, et ille tibi pro«feret quod habuerit;» tum quia domus est tutissimum uniuscuiusque receptaculum, unde molestum homini est, ut in domo sua invadatur. Tum etiam quia non concedit creditori, ut accipiat pignus quod voluerit, sed magis debitori ut det, quod minus indiguerit.

Quarto instituit quod in septimo anno debita penitus remitterentur. Probabile enim erat, ut illi qui commode reddere posssent ante septimum annum redderent, et gratis mutuantem non defraudarent. Si autem omnino impotentes essent, eadem ratione eis erat debitum remittendum, ea dilectione qua etiam erat eis de novo dando propter indigentiam.

Circa animalia vero mutuata hæc lex statuit, ut propter negligentiam ejus, cui mutuata sunt, si in ipsius absentia moriantur, vel debilitentur, reddere ea compellatur. Si vero eo præsente, et diligenter custodiente, mortua fuerint, vel debilitata, non cogebatur restituere, et maxime si erant mercede conducta quia ita etiam potuissent mori, et debilitari apud mutuantem: et ita si conservationem animalis consequeretur, jam aliquod lucrum reportaret ex mutuo, et non esset gratuitum mutuum. Et maxime hoc observandum erat, quando animalia erant mercede conducta: quia tunc habebat certum pretium pro usu animalium unde nihil accrescere debebat per restitutionem animalium, nisi propter negligentiam custodientis. Si autem non essent mercede conducta, habere potuisset aliquam æquitatem, ut salutem tantum restitueret, quantum usus animalis mortui, vel debilitati conduci potuisset.

Ad prob. igitur minoris, negatur mi-

nor. Et ad prob. dicitur, quod lex ordinabat, ut septimo anno remitterentur debita, quia tunc debitores impotentes ad reddendum præsumebantur, ut dictum est, et ideo erat eis ex charitate debitum totaliter dimittendum.

Ad 5. Negatur minor, ad probationem dicitur, quod in amissione depositi non semper stabatur juramento, sed in aliquo casu: pro quo est sciendum quod hæc differentia est inter mutuum et depositum, quia mutuum traditur in utilitatem ejus, cui traditur; sed depositum traditur in utilitatem deponentis, et ideo magis arctabatur aliquis in aliquibus casibus ad restituendum mutuum, quam ad restituendum depositum. Depositum enim perdi poterat dupliciter. Uno modo ex causa inevitabili, vel naturali; puta si esset mortuum, vel debilitatum animal depositum, vel extrinseca, puta si esset captum ab hostibus, vel si esset comestum á bestia: in quo tamen casu tenebatur defferre ad Dominum animalis id quod de animali occiso supererat; in aliis autem supradictis casibus nihil reddere tenebatur, sed solum ad expurgandam suspicionem fraudis tenebatur juramentum præstare. Alio modo poterat perdi ex causa evitabili, puta per furtum, et tunc propter negligentiam custodis reddere tenebatur. Sed sicut dictum est, ille qui mutuo accipiebat animal, tenebatur reddere, etiam si debilitatum, aut mortuum fuisset in ejus absentia: de minori enim negligentia tenebatur, quam depositarius, qui non tenebatur nisi de furto.

Ad 6. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod non est eadem ratio de operibus mercenarii, et de aliis rebus quæ locantur. Mercenarii enim, qui locant operas suas, pauperes sunt, de laboribus suis victum quærentes quotidianum, ideo lex provide ordinavit ut statim eis merces solveretur, ne victus eis deficeret. Sed illi qui locant alias res, divites esse consueverunt, nec ita indigent locationis pretio ad suum victum quotidianum, et ideo non est eadem ratio in utroque.

Ad 7. Dicitur ad antecedens, et ad probationem, quod judices ad hoc inter homines constituuntur, ut determinent, quod ambiguum inter homines circa justitiam esse potest. Dupliciter autem aliquid potest esse ambiguum. Uno modo apud simplices et ad hoc dubium tollendum, mandatur Deut. 16. «ut judices et «magistri constituerentur per singulas «tribus, ut judicarent populum justo ju«dicio.» Alio modo contingit aliquid esse dubium, etiam apud peritos ideo ad hoc dubium tollendum, constituit lex «ut omnes recurrerent ad locum princi«palem á Deo electum,» in quo et summus sacerdos esset, qui determinaret dubia circa cæremonias divini cultus: et summus judex populi, qui determinaret quæ pertinent ad judicia hominum, sicut etiam nunc per appellationem, vel per consultationem causæ ab inferioribus judicibus ad superiores deferuntur. Unde dicitur Deut. 17. «Si difficile et «ambiguum apud te judicium prospe«xeris, et judicium intra portas tuas vi«deris variari ascende ad locum, quem «elegerit Dominus, veniesque ad sacerdo«tes Levitici generis et ad judicem, qui «fuerit in illo tempore.» Hujusmodi autem ambigua judicia non frequenter emergebant, unde ex hoc populus non gravabatur.

Ad 8. Dicitur ad antecedens, quod in negotiis humanis non potest haberi demonstrativa probatio, et infallibilis, sed sufficit aliqua conjecturalis probabilitas, secundum quam rhetor persuadet: et ideo licet sit possibile duos aut tres testes in mendacium convenire, non tamen est facile, nec probabile, quod conveniant: et ideo accipitur eorum testimonium tamquam verum, et præcipue si in suo testimonio non vacillent, vel alias suspecti non fuerint. Et ad hoc etiam, quod non de facili á veritate vestes de-

clinarent, instituit lex, ut testes diligentissime examinarentur, et graviter punirentur, qui invenirentur mendaces, ut habetur Deut. 19. Fuit tamen aliqua ratio hujusmodi numeri determinandi, ad significandum infallibilem veritatem personarum divinarum, quæ quandoque numerantur duæ, quia Spiritus Sanctus est nexus duorum: quandoque exprimuntur tres, ut Aug. dicit super illud Joan. 8. «In lege vestra scriptum est, quia duo-«rum hominum testimonium verum est.»

Ad 9. Negatur maior. Nam gravis pœna imponitur pro aliquo delicto non solum propter gravitatem delicti sed etiam propter alias causas. Pro quo est sciendum quod gravis pæna potest imponi pro aliquo delicto propter quatuor. Primo, propter gravitatem, sive quantitatem culpæ secundum suam speciem. Quia enim homicidium secundum suam speciem est gravius furto cæteris paribus, ideo maior pœna debetur homicidio quam furto. Secundo propter consuetudinem. Peccatum enim quod est propter consuetudinem firmatum, non facile homines relinquunt, nisi per graves pœnas, et ideo qui ex consuetudine committit aliquod peccatum, puta furtum, acrius puniri debet quam qui idem peccatum non commiserunt ex consuetudine, cæteris paribus. Tertio, propter multam concupiscentiam, vel delectationem in peccato, hæc enim peccata gravibus pœnis puniri debent, quia non facile homines ab his abstrahuntur, nisi propter graves pœnas. Quarto, propter facilitatem committendi peccatum, et jacendi in ipso: hujusmodi enim peccata quando manifestantur, sunt magis punienda ad aliorum terrorem. Sicut peccatum incendendi segetes, graviter punitur, quia facile committi potest; unde ad hoc ut homines ab his peccatis abstineant, gravius puniuntur. Potest igitur juste aliqua lex magis punire unum peccatum, quod secundum suam naturam est levius quam aliud, propter aliquam supradictarum causarum. Immo lex juste potest punire gravius unum peccatum quam aliud, etiam si sit ejusdem speciei, puta furtum commissum ab uno magis quam furtum commissum ab alio.

Pro quo est etiam sciendum, quod circa idem factum invenitur triplex gravitatis gradus. Primus gradus est quando aliquis involuntarie peccat. Si enim aliquis peccati actus sit omnino involuntarius, totaliter peccans excusatur á pœna. Unde dicitur Deut. 22. quod «puel-«la quæ opprimitur in agro, non est rea «mortis quia clamavit, et nullus adfuit, «qui liberaret eam.» Si autem aliquo modo fuerit voluntarius, sed tamen ex infirmitate commissus, puta cum quis peccat ex passione, minuitur peccatum, et pœna secundum veritatem judicii diminui debet, nisi forte propter communem utilitatem pœna aggravetur ad abstrahendum homines ab hujusmodi peccatis. Sicut cum quis pacato animo comburit segetes inimici sui, magis puniri debet, quam qui in magna ira easdem segetes comburit: tamen ad terrendum homines ab hoc facinore potest esse, ut puniatur qui in ira commisit, sicut qui pacato animo facinus perpetravit.

Secundus gradus est quando quis per ignorantiam peccavit, et tunc aliquo modo reus reputabatur propter negligentiam addiscendi, sed tamen non puniebatur per judices, sed expiabatur peccatum suum per sacrificia. Unde Levit. 4. dicitur. *Anima quæ peccaverit per ignorantiam*, etc. Sed hoc est intelligendum de ignorantia facti, non de ignorantia juris, scilicet divini præcepti, quod omnes scire tenebantur. Unde si quis accepisset alienum, ignorans esse alienum, excusabatur á peccato furti, non autem si quis alienum rapuisset, ignorans legem contrarium præcipere. Hæc enim ignorantia non excusat á peccato furti, nec ab ejus pœna immunem efficit.

Tertius gradus est quando aliquis ex superbia peccabat, idest certa electione

vel ex certa malitia, et tunc puniebatur secundum quantitatitatem delicti.

Quartus gradus erat, quando quis peccabat per proterviam, et pertinaciam, et tunc quasi rebellis, et destructor ordinationis legis omnino occidendus erat. Unde patet quod etiam in eadem specie peccati gravius puniebatur unus quam alius propter diversitatem gradus peccandi quæ in eadem specie peccati invenitur; unde maior est falsa non solum in diversis peccatorum speciebus, quia propter causas prædictas minus peccatum secundum sui naturam gravius punitur, quam peccatum gravius secundum se: sed etiam est falsa in eadem specie peccati; idem enim factum magis punitur in uno quam in altero, secundum diversitatem prædictorum graduum.

Ad prob. dicitur, quod mensura delicti non solum consideranda est secundum maiorem, vel minorem gravitatem, sed ex aliis causis, vel gradibus, ut dictum est. Unde plaga debet correspondere gravitati culpæ, cæteris paribus.

Et secundum hoc dicendum est ad minorem, quoad primam ejus partem, et ad ejus probationem, quod in pœna furti considerabatur secundum legem, id quod frequenter accidere poterat, et ideo pro furto rerum, quæ de facili custodiri possunt á furibus, non reddebatur nisi duplum. Oves autem non de facili possunt á furibus custodiri, quia pascuntur in agris, et ideo frequentius ovium furtum contingebat. Unde lex maiorem pœnam apposuit ut scilicet quatuor oves pro una ove redderentur. Adhuc autem boves difficilius custodiuntur, quia habentur in agris, et non ita pascuntur gregatim sicut oves, et ideo pro furto boum maiorem adhuc pœnam apposuit, ut scilicet quinque boves pro uno bove redderentur, nisi forte bos, qui fuerat sublatus, inveniretur vivus apud furem; tunc enim tenebatur solum reddere duplum, sicut in cæteris furtis: poterat enim tunc præsumptio haberi, quod cogitaret restituere. Lex igitur diversis furtis imponebat inæquales pœnas, quia furta aliquarum rerum, puta ovium, et boum facilius poterant committi, cum hujusmodi animalia non possent facile á furibus defendi, et custodiri, et ideo ad terrendum homines á talium furto, graviores imposuit pœnas.

Vel dicitur ad eamdem priorem partem minoris, ut Glosa ordin. dicit in princ. c. 22. Exo. Quod ideo lex instituit ut qui furabatur bovem, restitueret quinque; quia bos habet quinque utilitates.

Prima, immolatur.

Secunda: arat.

Tertia: pascit carnibus.

Quarta: lac dat.

Quinta: corium diversis usibus ministrat.

Ovis habet quatuor utilitates.

Prima: immolatur.

Secunda: pascit carnibus.

Tertia: dat lac.

Quarta: dat lanam. Et ideo pro una ove quatuor reddebantur.

Alia pars minoris, scilicet quod lex pro parvis delictis magnas infert pœnas, negatur. Ad prob. dicitur, quod filius contumax, non quia comedebat, et bibebat, occidebatur, sed propter contumaciam, et rebellionem quæ semper morte puniebatur, ut dictum est.

Ille vero, qui colligebat ligna in sabbato, lapidatus fuit tamquam legis violator, quæ sabbatum observare præcipiebat in commemorationem fidei novitatis mundi, ut dictum est. q. 100. art. 5. Unde occisus fuit tamquam infidelis, quæ non sunt levia, sed gravia peccata.

Potest aliter explicari hæc responsio, distinguendo quod peccatum potest esse gravius, vel æqualiter grave altero dupliciter. Uno modo ex sua specie, secundum quem modum furtum levius peccatum est quam adulterium, et furtum est furto æquale. Alio modo ex aliqua alia extrinseca causa, vel circumstantia, puta consuetudine concupiscentia, vel facilitate, et hoc modo non so-

lum peccata diversarum specierum possunt esse inæqualia in gravitate, sed etiam peccata ejusdem speciei ut dictum est.

Tunc ad maiorem dicitur, quod lex quæ pro æqualibus delictis, et secundum speciem, et secundum circumstantias infligit inæquales pœnas, non est conveniens; secus autem est, si lex pro æqualibus delictis secundum speciem, inæqualibus autem ex aliqua alia causa, seu circumstantia, inæquales statuat pœnas. Tunc enim inæquales pœnas inæqualibus peccatis infligit. Ad minorem autem dicitur, negando ipsam. Ad probationem dicitur, quod licet peccata furti boum, et aliarum rerum sint secundum speciem æqualia, tamen secundum alias causas unum gravius est altero, tum quia facile horum furtum poterat committi, tum quia sunt maioris utilitatis, ut dictum est.

Ad 10. Negatur antecedens. Lex enim inflixit pœnam mortis in gravioribus criminibus, scilicet in his quæ contra Deum peccantur, in homicidio, et in furto hominum, et in irreverentia ad parentes, in adulterio et incestu.

In furto aliarum rerum imposuit pœnam damni, ut redderetur duplum, vel quadruplum.

In percussionibus et mutilationibus adhibuit pœnam talionis, sicut et in peccato falsi testimonii.

In aliis minoribus culpis induxit pœnam flagellationis, vel ignominiæ.

Pœnam autem servitutis induxit in duobus casibus. In uno quidem, quando septimo anno remissionis ille, qui erat servus, nolebat beneficio legis uti, ut liber exiret. Unde pro pœna ei infligebatur, ut in perpetuum servus remaneret. Secundo infligebatur furi, quando non habebat quod posset restituere, sicut habetur Exo. 22.

Pœna autem exilii universaliter lex non statuit, quia in solo illo populo Deus colebatur, omnibus aliis populis per idololatriam corruptis. Unde si quis universaliter á populo illo exclusus esset, daretur ei occasio idololatriæ, et ideo 1. Reg. 26. dicitur quod David dixit ad Saul, «Maledicti sunt. qui ejecerunt me hodie, ut non habitem in hereditate Do«mini, dicentes vade, servi Diis alienis.» Erat tamen aliquod particulare exilium: dicitur enim Deut. 19. Quod «qui per«cusserit proximum suum nesciens, et «qui nullum contra ipsum habuisse odium «comprobatur, ad unam urbium refugii «confugiebat, et ibi manebat usque ad «mortem summi sacerdotis,» tunc enim ei licebat ad domum suam redire.

Ad 11. Dicitur ad minorem, quod animalia bruta mandabantur occidi non propter aliquam ipsorum culpam, sed in pœnam dominorum, qui talia animalia non custodierant ab hujusmodi excessibus. Et ideo magis puniebatur Dominus, si bos cornupeta fuerat ab heri et nudiustertius, in quo casu poterat occurri periculo, quam si subito cornupeta efficeretur.

Vel secundo dicitur, quod occidebantur animalia in detestationem peccati, et ne ex eorum aspectu hominibus horror aliquis incuteretur.

Ad 12. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod illud præceptum de quo in argumento, habet duplicem rationem, scilicet literalem et mysticam. Ratio literalis fuit ut Rabbi Moyses dicit, quia frequenter interfector est de civitate propinquiori. Unde occisio vitulæ fiebat ad explorandum homicidium occultum, quod quidem fiebat per tria. Quorum unum est quod seniores civitatis jurabant, nihil se prætermisisse in custodia viarum. Aliud est quia ille cujus erat vitula, damnificabatur in occisione animalis, et si prius manifestaretur homicidium, animal non occideretur. Tertium est quia locus, in quo occidebatur vitula, remanebat incultus, et ideo ad evitandum utrumque damnum, homines civitatis de facili manifestarent homici-

dium, si scirent: et raro poterat esse, quando aliqua verba, vel indicia super hoc facta essent; vel hoc fiebat ad terrorem, in detestationem homicidii. Per occisionem enim vitulæ quæ est animal utile, et fortitudine plenum, præcipue antequam laboret sub jugo, signabatur quod quicumque homicidium fecisset, quamvis esset utilis et fortis, occidendus erat, et morte crudeli quod cervicis concisio significabat, et quod tamquam vilis, et abjectus á consortio hominum excludendus erat: quod significabatur per hoc quod vitula occisa in loco aspero, et inculto, relinquebatur in putredinem convertenda. Ratio mystica autem erat hæc quod per vitulam de armento significatur caro Christi, quæ non traxit jugum, quia non fecit peccatum, nec terram scidit vomere, idest seditionis maculam non admisit. Per hoc enim quod in vale inculta occidebatur, significabatur despecta mors Christi, per quam purgantur omnia peccata, et diabolus esse homicidii auctor ostenditur.

ARTICULUS III.

Utrum judicialia præcepta sint convenienter tradita, quantum ad extraneos.

Pro negativa.=Videtur quod judicialia præcepta non sint convenienter tradita, quantum ad extraneos.

1. Deus non est acceptor personarum, sed in omni gente, qui eum timet et operatur justitiam, acceptus est illi; ut dicitur Act. 10. Ergo inconvenienter aliqui ex extraneis excluduntur ab Ecclesia, ut sunt ammonitæ et moabitæ de quibus dicitur Deut. 23. quod etiam post decimam generationem non intrabunt in Ecclesiam Domini in æternum, et quidam ad ipsam admittuntur, ut sunt Ægiptii, et Idumæi, de quibus ibidem præcipitur. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est, nec Ægyptium, quia advena fuisti in terra ejus.*

Conseq. prob., quia qui sunt Deo accepti, non sunt ab Ecclesia Dei excludendi.

2. Ea quæ non sunt in potestate nostra, non merentur aliquam pœnam. Sed quod homo sit eunuchus, vel ex scorto natus non est in ejus potestate. Ergo inconvenienter eis denegatur ingressus Ecclesiæ Domini.

Deut. 23. Dum dicitur quod *eunuchus, et ex scorto natus non ingrediatur Ecclesiam Domini.*

3. Lex mandans, ut advenæ non affligantur, inconvenienter permittit, ut ab advenis, et extraneis possit quis ad usuram mutuare. Sed lex vetus mandavit, ut advenæ non affligerentur. Ergo inconvenienter lex permisit Deut. 23. ut Hebræi possent dare extraneis pecuniam ad uxuram.

Minor prob., quia Exod. 22. dicitur: *Advenam non contristabis neque affliges eum, advenæ enim et ipsi fuistis in terra Ægypti*, et 23. *Peregrino molestus non eris: scitis enim advenarum animas, quia et ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti.*

Maior prob., quia ad afflictionem alicujus pertinet quod usuris opprimatur.

4. Hominibus debemus magis affectum, et effectum dilectionis impendere, quam arboribus. Ergo inconvenienter mandavit Dominus Deut. 20. quod *de civitatibus hostium captis, omnes homines interficerent: et tamen arbores fructiferas non succiderent.*

Antec. prob. His quæ sunt nobis magis propinqua, magis debemus affectum, et effectum dilectionis impendere. Sed homines sunt nobis propinquiores quam arbores. Ergo hominibus debemus magis affectum, et effectum dilectionis impendere.

5. Bonum commune, secundum virtutem, est præferendum bono particulari. Sed in bello quod committitur contra hostes, quæritur bonum commune. Ergo inconvenienter mandatur Deut. 20. Quod *imminente prælio aliqui domum remittantur, puta qui ædificavit domum no-*

vam, qui plantavit vineam vel qui despondit uxorem.

6. Ex culpa non debet quis commodum reportare. Sed quod homo sit formidolosus, et corde pavidus culpabile est. Ergo inconvenienter á labore prælii excusabantur formidolosi, et corde pavidi.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Sapientia divina dicit Prover. 8. *Recti sunt omnes sermones mei, non est in eis, pravum quid, neque perversum.*

Determinatio.

Distinctio. Cum extraneis potest esse duplex conversatio. Prima est conversatio pacifica. Altera est conversatio hostilis. Judæi igitur poterant duplicem hanc conversationem cum extraneis habere, scilicet pacificam, et hostilem.

1.ª Conclusio. Lex vetus convenientia præcepta dedit quantum ad conversationem pacificam cum extraneis.

Manifestatur. Tripliciter enim offerebatur judæis occasio, ut cum extraneis pacifice communicarent. Primo quidem, quando extranei per terram eorum transitum faciebant, quasi peregrini.

Alio modo, quando in terram eorum adveniebant ad inhabitandum sicut advenæ: et quantum ad utrumque lex misericordiæ præcepta proposuit: nam Exo. 22. dicitur: *Advenam non contristabis*, et 23. dicitur: *Peregrino molestus non eris.* Tertio vero quando aliqui extranei totaliter in eorum consortium, et ritum admiti volebant. Et in his quidam ordo attendebatur; non enim statim recipiebantur quasi cives, sicut etiam apud quosdam gentilium statutum erat ut non reputarentur cives, nisi qui ex avo, vel atavo cives existerent, ut Phil. dicit in 3. cap. 1. et hoc ideo quia si statim extranei advenientes reciperentur ad tractandum ea quæ sunt populi, possent multa pericula contingere, dum extranei non habentes adhuc amorem firmatum ad bonum publicum, aliqua contra populum attentarent: et ideo lex statuit, ut de quibusdam gentibus habentibus aliquam affinitatem ad judæos, scilicet de ægyptiis, apud quos nati fuerant, et nutriti, et de idumæis filiis Esau fratris Jacob, in tertia generatione reciperentur in consortium populi.

Quidam vero quia hostialiter se ad eos habuerant (sicut Ammonitæ et Moabitæ) numquam in consortium populi admitterentur. Amalecitæ autem, qui magis eis fuerant adversati, et cum eis nullum cognationis habebant consortium, quasi hostes perpetui haberentur. Dicitur enim Exod. 17. *Bellum Dei erit contra Amalech, á generatione in generationem.*

2.ª Conclusio. Lex vetus convenientia præcepta continebat quantum ad hostilem conversationem cum extraneis.

Manifest. Nam primo quidem instituit, ut bellum injuste iniretur. Mandatur enim Deut. 20. quod *quando accederent ad expugnandam civitatem, offerrent ei primo pacem.* Secundo instituit, ut fortiter bellum inceptum exequerentur, habentes de Deo fiduciam, et ad hoc melius observandum instituit, quod imminente prælio sacerdos eos confortaret, promittendo auxilium Dei. Tertio mandavit, ut impedimenta prælii removerentur, remittendo quosdam ad domum, qui possent impedimenta præstare. Quarto instituit, ut victoria moderate uterentur, parcendo mulieribus, et parvulis, et etiam ligna fructifera regionis non incidendo.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod nullius gentis homines excludit lex á cultu Dei, et ab his quæ pertinent ad animæ salutem. Dicitur enim Exo. 12. *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, et facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus, et tunc rite celebrabit, eritque simul sicut indigena terræ.* Sed in temporalibus

quantum ad ea, quæ pertinebant ad communitatem populi, non statim quilibet admittebatur ratione supradicta: sed quidam in tertia generatione, scilicet Ægyptii, et Idumæi. Alii vero perpetuo excludebantur, in detestationem culpæ præteritæ, sicut Moabitæ et Ammonitæ, et Amalecitæ. Sicut enim punitur unus homo propter peccatum quod commisit, ut alii videntes timeant, et peccare desistant, ita etiam propter aliquod peccatum gens, vel civitas potest puniri, ut alii á simili peccato abstineant. Poterat tamen dispensative aliquis in collegium populi admitti, propter aliquem virtutis actum, sicut Judith decimo quarto dicitur: quod *Achior dux filiorum Ammon appositus est ad populum Israel, et omnis successio generis ejus.* Et similiter Ruth Moabitis, quæ *mulier virtutis erat.* Licet possit dici quod illa prohibitio extendebatur ad viros, non ad mulieres quibus non competit simpliciter esse cives.

Ad 2. Dicitur ad maiorem quod propter ea, quæ sunt in potestate nostra, non meremur aliquam pœnam spiritualem, quantum scilicet ad ea quæ ad salutem animæ pertinent. Quoad temporalia vero non inconvenit, ut quis etiam pro eo, quod non est in ejus potestate, privetur aliquo temporali bono. Spurii igitur et Eunuchi quantum ad ea, quæ ad gratiam Dei pertinebant, non separabantur ab aliis, sicut nec advenæ, ut dictum est. Dicitur enim Isa. 56. «Non dicat filius advenæ qui adhæret Domino dicens, »separatione dividet me Dominus á po»pulo suo. Et non dicat Eunuchus, ecce »ego lignum aridum.» Quo vero ad aliquem temporalem honorem excludebantur spurii propter utilitatem originis, ab Ecclesia, idest á collegio populi, usque ad decimam generationem. Et similiter Eunuchi, quibus non poterat competere honor, qui patribus debebatur, et præcipue in populo judæorum, in quo Dei cultus conservabatur per carnis generationem. Cum etiam apud gentiles, qui multos filios genuerant, aliquo insigni honore donarentur, ut dicitur 2. Pol. cap. 7.

Ad 3. dicitur ad maiorem, et ad ejus prob. quod accipere usuras ab alienis, non erat secundum intentionem legis, sed ex quadam permissione, propter pronitatem judæorum ad avaritiam, et etiam ut magis pacifice se haberent ad extraneos, á quibus lucrabantur.

Ad 4. Dicitur ad consequentiam, quod licet hominibus magis affectum dilectionis ostendere debeamus quam arboribus tamen ex aliqua speciali causa et ratione expedit homines interficere, et arbores intactas relinquere, puta cum homines tales sunt, ut occidi propter eorum culpam mereantur. Hebræi igitur, tamquam executores divinæ justitiæ ad puniendas iniquitates Chananeorum, juste homines interficiebant, et arbores ad utilitatem eorum reservabant.

Sed sciendum quod circa civitates hostium, quædam distinctio adhibebatur. Quædam enim erant remotæ non de numero illarum urbium, quæ eis erant repromissæ: et in talibus urbibus expugnatis occidebantur masculi, qui pugnaverunt contra populum Dei: mulieribus autem, et infantibus parcebatur. Sed in civitatibus vicinis, quæ erant eis repromissæ, omnes mandabantur interfici, propter iniquitates eorum priores, ad quas puniendas Dominus populum Israel divinæ justitiæ executorem mittebat. Dicitur enim Deut. 9. «quia illa egerunt »impie, introeunte te, deletæ sunt.» Ligna autem fructifera mandabantur reservari propter utilitatem ipsius populi, cujus ditioni civitas et ejus territorium, erat subjicienda.

Ad 5. Dicitur exponendo præceptum de remissione eorum de quibus fit mentio in præcepto, de quo in argumento. Propter duo enim excludebantur á prælio, edificator novæ domus, plantator vineæ est recenter deponsatus. Primo

quidem quia ea quæ homo de novo habet vel statim paratus est ad habendum magis solet amare, et per consequens eorum amissionem timere, unde probabile erat quod ex tali amore magis mortem timerent, et sic minus fortes essent ad pugnandum. Secundo, quia sicut Phil. dicit in 2. Physic. t. 56. «Infortunium «videtur, quando aliquis appropinquat ad »aliquod bonum habendum, si posteaim»pediatur ab illo,» et ideo ne propinqui remanentes, magis contristarentur de morte talium, qui bonis sibi paratis potiti non fuerunt, et etiam populus considerans hoc horreret, hujusmodi homines á mortis periculo sunt sequestrati per subtractionem á prælio. Unde horum exclusio á prælio erat propter bonum commune prælii procurandum.

Ad 6. Dicitur, quod timidi remittebantur ad domum, non ut ipsi ex hoc consequerentur commodum, sed ne populus ex eorum præsentia incommodum consequeretur, dum per eorum timorem et fugam, etiam alii ad fugiendum et timendum provocarentur. Unde ad maiorem dicitur, quod nullus debet ex culpa commodum reportare per se; per accidens autem non inconvenit scilicet ad evitandum publicum damnum.

ARTICULUS IV.

Utrum convenienter lex vetus præcepta ediderit circa domesticas personas.

Pro negatia. = Videtur quod inconvenienter lex vetus præcepta ediderit circa domesticas personas.

1. Id quod est alicujus, perpetuo debet esse ejus. Sed servus id quod est, Domini est, ut dicitur 1. Polit. c. 3. Ergo servus perpetuo debet esse Domini, ac per hoc inconvenienter lex mandavit Exod. 21. quod *servi septimo anno liberi abscenderent.*

2. Deut 22. præcipitur quod si inveniantur animalia errare restituantur Dominis suis. Ergo inconvenienter lex mandat, Deut. 23. «Non tradas servum Do»mino suo, qui ad te confugerit.»

Conseq. prob., quia sicut animal, puta asinus, aut bos est possessio Domini ita est servus.

3. Secundum leges humanas graviter puniuntur qui nimis aspere affligunt servos, aut ancillas. Ergo inconvenienter statuitur Exod. 21. quod «qui percusse»rit servum suum; vel ancillam virga, si »uno die supervixerit, non subjacebit pœ»næ, quia pecunia illius est.»

Conseq. prob. Quia lex divina debet magis ad misericordiam provocare, quam lex humana.

4. Posse vendere servum, vel ancillam pertinet ad principatum Domini ad servum. Ergo inconvenienter lex permisit, quod aliquis posset vendere filiam suam in famulam, vel ancillam.

Consequentia probatur. Quia alius est principatus Domini ad servum, et patri ad filiam, ut dicitur 1. Pol. cap. 4.

5. Pater habet filii potestatem. Ergo inconvenienter mandatur Deu. 21. Quod »pater ducat filium ad seniores civitatis »puniendum.»

Conseq. prob. Qiua ejus est punire excessus, qui habet potestatem super peccantem.

6. Dominus prohibuit Deut. 7. «ut »cum alienigenis non sociarent conjugia »et conjuncta separarent,» ut patet 1. Esd. 10. Ergo inconvenienter Deu. 21. conceditur eis, «ut ad captivas alienige»narum ducere possent uxores.»

7. Dominus in uxoribus ducendis quosdam consanguinitatis et affinitatis gradus præcepit esse vitandos, ut patet Lev. 18. Ergo inconvenienter mandatur Deu. 25. quod «si aliquis esset mortuus absque »liberis, uxorem ipsius frater ejus acci»peret.»

8. Inter virum et uxorem, sicut est maxima familiaritas, ita debet esset fides firmissima. Ergo inconvenienter permittitur Deut. 2. quod «aliquis posset uxo»rem dimittere scripto libello repudii, et »quod etiam eam ulterius recuperare non «posset.»

Conseq. prob., quia non potest esse illa firmissima fides inter virum et uxorem, nisi matrimonium indissolubile fuerit.

9. Ad investigandam injuriam servi in Dominum, vel filii in patrem, non est institutum in lege aliquod sacrificium. Ergo superflue videtur institui sacrificium Zelotypiæ ad investigandum uxoris adulterium. Num. 5.

Conseq. prob., quia sicut uxor potest frangere fidem marito, ita servus Domino et filius patri.

Ex quibus omnibus videntur inconvenienter esse tradita in lege præcepta judicialia circa personas domesticas.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Psal. 18. Dicitur. *Judicia Domini vera justificata in semetipsa.*

Determinatio.

Distinctio. In domestica conversatione sunt tres combinationes, scilicet Domini ad servum, viri ad uxorem, patris ad filium.

Manifestatur. Nam communio domesticarum personarum ad invicem, ut dicitur 1. Polit. c. 1. est secundum quotidianos actus qui ordinantur ad necessitatem vitæ. Vita autem hominis conservatur dupliciter. Uno modo quantum ad individuum, prout scilicet homo idem numero vivit, et ad talem vitæ conservationem opitulantur homini exteriora bona, ex quibus homo habet victum, et vestitum, et alia hujusmodi necessaria vitæ, in quibus administrandis homo indiget servis. Alio modo conservatur vita hominis secundum speciem, per generationem, ad quam indiget homo uxore, ut ex ea generet filios. Et ita sunt tres combinationes. Una, ad conservationem individui, et aliæ duæ ad conservationem speciei necessariæ.

1.ª Conclusio Lex vetus convenienter tradidit præcepta pertinentia ad Dominum per respectum ad servos.

Manifestatur. Primo quantum ad servos in communi, secundo, quantum ad servos qui erant ex populo. Quantum ad servos in communi manifestatur ex duobus. Primo quantum ad labores. Instituit enim lex, ut modeste tractarentur servi quantum ad labores, ne scilicet immoderatis laboribus affligerentur. Unde Deut. 5. Dominus mandavit, *in die sabbati requiescet servus, et ancilla tua sicut tu.* Secundo quantum ad pœnas servis infligendas. Imposuit enim mutilatoribus servorum, ut dimitterent eos liberos, ut habetur Exod. 21. et simile etiam statuit in ancilla, quam in uxorem aliquis duxerit. Quantum vero ad servos, qui erant ex populo, statuit lex *ut septimo anno liberi egrederentur, cum omnibus quæ apportaverant etiam vestimentis*, ut habetur Exod. 21. Mandatur insuper Deut. 15. ut detur ei viaticum.

2.ª Conclusio. Lex vetus tradidit convenientia præcepta pertinentia ad virum, per respectum ad uxorem.

Manifestatur ex septem. Primo quantum ad uxorem ducendam. Nam lex statuit, *ut* unusquisque *duceret uxorem suæ tribus*, ut habetur Num. ult. Et hoc ideo, *ne tribus confunderentur.*

Secundo, ut frater duceret uxorem fratris sui defuncti absque liberis, ut habetur Deut. 25. et hoc ideo, ut ille qui non potuit habere successores secundum carnis originem, saltem habeat per quamdam adoptionem, et sic non totaliter memoria defuncti deleatur.

Tertio, quia lex prohibuit quasdam personas ne in conjugium ducerentur, scilicet alienigenas propter periculum seductionis et propinquas propter reverentiam naturalem quæ eis debetur. Exod. 14.

Quarto, quia statuit quomodo uxores jam ductæ tractari deberent, ut scilicet non leviter infamarentur, unde mandatur puniri ille, qui falso crimen imponit uxori, ut habetur Deut. 22.

Quinto, ordinavit quod «propter odium

«uxoris, filius non patiatur detrimen-«tum,» ut habetur Deut. 21.

Sexto, «ut propter odium non affli-«gerent uxorem, sed potius scripto li-«bello eam dimitterent, ut patet Deut. 24.

Septimo, ad hoc ut maior dilectio inter conjuges in principio contrahatur, præcipitur quod «cum aliquis uxorem nuper «acceperit, nihil ei publicæ necessitatis «injungatur, ut libere possit lætari cum «uxore sua.» Deuteronom. 24.

3.ª Conclusio. Lex vetus tradidit convenientia præcepta pertinentia ad patrem per respectum ad filium.

Manifestatur. Primo, quia lex instituit, ut patres disciplinam filiis adhiberent, instruendo eos in fide. Unde dicitur Exod. 12, «Cum dixerint vobis fi-«lii vestri, quæ est ista religio? Dicetis eis: Victima "transitus Domini est.,, Secundo, ut instruerent eos in moribus, unde dicitur Deut. 21. "Monita nostra "audire contemnit, comessationibus "vacat et luxuriæ, atque conviviis.,,

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod servus est quidem, quod est Domini, tamen quia filii Israel erant de servitute liberati, et per hoc divinæ servituti addicti, noluit Dominus ut in perpetuum servi essent, unde dicitur, Levit. 25. "Si "paupertate compulsus vendiderit se ti-"bi fratrer tuus, non eum opprimes ser-"vitute famulorum, sed quasi mercena-"rius et colonus erit: mei enim sunt "servi, et ego eduxi eos de terra Ægip-"ti, ut non veneant conditione servo-"rum.,, et ideo quia simpliciter servi non erant, sed secundum quid, finito tempore dimittebantur liberi.

Ad 2. Negatur conseq. Nam mandatum illud de non tradendo servum Domino suo, intelligitur de servo, qui quæritur á domino ad occidendum, vel ad aliquod peccati ministerium, quæ in animalibus locum non habent.

Ad 3. Dicitur ad consequens, quod circa læsiones servis illatas, lex considerasse videtur, utrum sit certa vel incerta: si enim læsio certa esset, lex pœnam adhibuit. Pro mutilatione quidem amissionem servi, qui mandabatur libertati donandus. Pro morte autem homicidii pœnam, cum servus in manu Domini verberantis moreretur. Si vero læsio non esset certa, sed aliquam apparentiam haberet, lex nullam pœnam infligebat in proprio servo: puta cum percussus servus non statim moriebatur, sed post aliquos dies: incertum enim erat, utrum ex percussione mortuus esset; quia si percussisset liberum hominem, ita tamen quod statim non moreretur, sed super baculum suum ambularet; non erat homicidii reus qui percusserat, etiam si postea moreretur: tenebatur tamen ad impensas solvendas, quas percussus in medicos fecerat. Sed hoc in servo proprio locum non habebat, quia quicquid servus habebat, et etiam ipsa persona servi, erat quædam possessio Domini, et ideo pro causa assignatur quare non subjaceat pœnæ pecuniariæ, quia pecunia illius est.

Ad 4. Dicitur ad conseq., quod nullus judæus poterat possidere judæum, quasi simpliciter servum; sed erat servus secundum quid, quasi mercenarius usque ad tempus: et per hunc modum permittebat lex, quod paupertate cogente aliquis filium, vel filiam venderet, et hoc etiam verba ipsius legis ostendunt: dicit enim: "Si quis vendiderit fi-"liam suam in famulam, non egredie-"tur sicut exire ancillæ consueverunt.,, Per hunc etiam modum non solum filium suum sed etiam seipsum aliquis vendere poterat, magis quasi mercenarium, quam quasi servum: secundum illud Levit. 25. "Si paupertate compulsus vendide-"rit se tibi frater tuus, non eum op-"primes servitute famulorum; sed quasi "mercenarius, et colonus erit.,,

Ad 5. Dicitur ad antecedens, quod sicut Phil. dicit in 10. Ethic. c. ult.

Principatus paternus habet solum admonendi potestatem, non autem habet vim coactivam, per quam rebelles et contumaces comprimi possunt, et ideo in hoc casu lex mandabat ut filius contumax á principibus civitatis puniretur.

Ad 6. Dicitur ad antecedens, quod Dominus alienigenas prohibuit in matrimonium duci propter periculum seductionis, ne inducerentur in idololatriam; et specialiter hoc prohibuit de illis gentibus, quæ in vicino habitabant, de quibus erat magis probabile, quod suos ritus retinerent. Si qua vero idololatriæ cultum dimittere vellet, et ad legis cultum se transferre, poterat in matrimonium duci, sicut patet de Ruth, quam duxit Booz in uxorem, unde ipsa dixerat socrui suæ, *populus tuus populus meus*, *Deus tuus Deus meus*, ut habetur Ruth. 1. Et ideo captiva non aliter permittebatur in uxorem duci, nisi prius rasa cæsarie, et circumcissis ungibus, et deposita veste, in qua capta est, et fleret patrem, et matrem, per quæ significatur idololatriæ perpetua abjectio.

Ad 7. Dicitur ad conseq. quod sicut Chris. dicit super Matt. "Quia immiti-"gabile malum erat mors apud Judæos "qui omnia pro præsenti vita faciebant, "statutum fuit ut defuncto filius nascere-"tur ex fratre, quod erat quædam mor-"tis mitigatio.„ Non autem alius quam frater, vel propinquus jubebatur accipere uxorem defuncti: quia non ita crederetur, qui ex tali conjunctione erat nasciturus, esse ejus filius qui obiit: et iterum extraneus non ita haberet necessitatem statuere domum ejus qui obierat, sicut frater, cui etiam ex cognatione hoc facere justum erat. Ex quo patet quod frater in accipiendo uxorem fratris sui, persona fratris sui defuncti fungebatur.

Ad 8. Dicitur ad conseq. quod lex permisit repudium uxoris non quia simpliciter justum esset, sed *propter duritiam Judeorum*, ut Dominus dicit Matth. 19. Sed de hoc oportet plenius tractari, cum de matrimonio agetur.

Ad 9. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod non est similis ratio de filio ad patrem, vel de servo ad Dominum, sicut est de uxore ad virum. Uxores enim fidem matrimonii frangunt per adulteriam, et de facili propter delectationem et latenter, quia *oculus adulteri observat caliginem*, ut dicitur Job. 24. Infidelitas vero servi, vel filii non procedit ex tali concupiscentia, sed ex malitia, quæ non ita potest latere.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI

EX PRÆCED. 105.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod lex vetus convenienter de principibus ordinavit; ut per hoc quod dicitur Num. 24. secundum quod in discursu est *in arg. cont.* Pro cujus *minoris* meliori captu nota, quod pulchritudo quodam speciali modo sibi comitem habet pacem. In cujus signum per Isaiam simul associantur dicentem c. 32. *sedebit populus in pulchritudine pacis.* Apost. vero pacificum statum innuit dependere á bonis principibus, seu á bono regimine principum, dicens, 1. Tim. 2. "Obsecro igitur primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate constituti sunt: ut quietam, et tranquillam vitam agamus.„ Ecce quod specialiter nominat superiores, tamquam ab eis quieta, et tranquilla vita inferiorum, et consequenter pulchritudo totius populi pendeat. Ex Num. ergo, Isaia, et Apost. simul junctis patet schol. acutis esse relictum: quod in veteri lege præceptorum judicialium ordinatio facta de principibus fuit

conveniens. Item insinuatur idem, ut per te facile poteris applicare ex dictis de convenientia scripturarum, q. 68. a. 4. appe. et 2. 2. qu. 122. a. 2. app. et q. 140. a. 1. app. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod judicialia convenienter in lege sunt data, quantum ad convictum hominum. Ut per hoc, quod dicitur Psal. 147. *Non fecit*, etc. ut est *in arg. cont.* Item per dictum Deut. 4. " Ut audientes universi præcepta hæc dicant. En populus sapiens, et intelligens magna. Quæ est enim alia gens sic inclyta, quæ habeat cæremonias, justaque judicia, » etc. Item insinuatur idem (ut facile per te poteris applicare) ex dictis q. 68. a. 4. append. etc. ut articulo præcedenti app. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum; quod convenienter judicialia præcepta providerint Judæis, quantum ad extraneos. Ut per hoc, quod dicitur Prov. 8. secundum quod est *in arg. cont.* Pro cujus captu et scias, quod ab illa convenientia universali, de quo Prov. liber ibi loquitur, ad particularem convenientiam hoc in articulo tractatam efficaciter descenditur, ut patet exercitatis in logicalibus, et videas 2. 2. quæst. 122. art. 2. append. Cæterum pro abundantiori suffragio declarationis hujus textus: potes quoque videre supra quæst. 68. a. 4. append. et 2. 2. qu. 140. ar. 1. app. et q. 179. a. 2. app. *Secundo* vides; etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod legis præcepta judicialia circa personas domesticas fuerunt convenientia. Ut per hoc, quod dicitur Psal. 18. *Judicia*, etc. ut *in arg. cont.* Pro quo nota ly *justificata in semetipsa*, idest, in suo proprio, idest, in vero sensu intellecta. Nam sic proculdubio justificata sunt, licet, si in sensu falso intelligantur, non appareant justificata, ut patet in arg. illis novem. Item á dictis q. 68. art. 4. app. et 2. 2. q. 122. a. 2. app. et q. 140. app. si tamen per te, quod facile est, recte huc applicentur, tamquam ab universali doctrina scripturarum ad particularem. *Secundo* vides: etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SEXTA,

DE LEGE EVANGELICA, QUÆ DICITUR LEX NOVA, SECUNDUM SE, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de lege Evangelii, quæ dicitur lex nova.

Et *primo* de ipsa secundum se.

Secundo de ipsa per comparationem ad legem veterem.

Tertio de his, quæ in lege nova continentur.

Circa primum quæruntur quatuor.

Primo. Qualis sit: utrum scilicet sit scripta, vel indita.

Secundo. De virtute ejus: utrum justificet.

Tertio De principio ejus: utrum debuerit dari á principio mundi.

Quarto. De termino ejus: utrum scilicet sit duratura usque ad finem, an debeat ei alia lex sucerdere.

ARTICULUS I.

Utrum lex nova sit lex scripta.

Pro affirmativa.=Videtur quod lex nova sit lex scripta.

1. Evangelium est scriptum. Lex nova est ipsum Evangelium. Ergo lex nova est scripta.

Maior quia Joan. 20. dicitur «Hæc autem scripta sunt, ut credatis.»

2. Si lex Evangelica non esset scripta, sed indita, non differret á lege naturæ, quod tamen est falsum.

Conseq. prob., quia lex indita est lex naturæ secundum illud Rom. 2. «Naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, qui habent opus scriptum in frontibus suis.

3. Lex quæ est propria his qui sunt in statu novi testamenti, non est indita, sed scripta. Sed lex evangelica propria est his, qui sunt in statu novi testamenti. Ergo lex evangelica non est indita, sed scripta.

Maior prob., quia lex indita communis est eis, qui sunt in novo, et in veteri testamento. Dicitur enim Sap. 7. quod divina sapientia per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei, et prophetas constituit.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Lex novi testamenti non est scripta, sed indita cordi. Sed lex evangelica est lex novi testamenti. Ergo lex evangelica non est scripta, sed indita cordi.

Maior prob., quia Apost. ad Hæb. 8. dicit. Inducens authoritatem, quæ habetur Ierem. 31. «Ecce dies venient dicit Dominus, et consummabo super domum Israel, et super domum Juda testamentum novum.» Et exponens, quod sit testamentum dicit, «Quia hoc est testamentum quod disponam domui Israel, dabo leges meas in mentes eorum, et in corde eorum superscribam eas.» Ergo lex novi testamenti est indita cordi, et non scripta.

Determinatio.

Distinctio. Legem novam esse scriptam dupliciter potest intelligi. Uno modo, quoad id quod potissimum est in ipsa lege, et in quo tota virtus ejus consistit. Alio modo, quoad ea quæ secundario ad legem pertinent, et hæc sunt dispositiva ad receptionem, vel ad usum ipsius legis. Illud quod est potissimum in nova lege, et in quo tota ejus virtus consistit, est gratia Spiritus Sancti, quæ datur per fidem Christi fidelibus. Ea vero quæ secundario pertinent ad legem, sunt credenda et agenda.

1.ª Conclusio. Lex nova, quoad id quod principaliter ad eam pertinet, non est scripta, sed indita.

Prob. Gratia Spiritus Sancti non est scripta, sed indita cordi. Sed lex nova, quoad id quod principaliter pertinet ad ipsam, est gratia Spiritus Sancti. Ergo lex nova, quoad id quod est potissimum in ipsa non est scripta, sed indita cordi.

Minor prob., quod est potissimum in lege est ipsa lex. Sed gratia Spiritus Sancti est potissimum in lege nova. Ergo gratia est ipsa lex nova.

Maior hujus prob., quia unaquæque res illud videtur esse, quod in ea est potissimum, ut dicitur Phil. 9. Ethic. cap. 4.

Minor hujus prob., quia illud in quo tota virtus novæ legis consistit, est gratia Spiritus Sancti, unde gratia Spiritus Sancti est potissimum in lege.

Primo confirmatur conclusio. Authoritatibus Apost. qui Rom. 3. dicit. «Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? factorum? non, sed per legem fidei:» Ipsam enim fidei gratiam Apost. appellat legem. Et expressius Rom. 8. dicitur. «Lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me á lege peccati et mortis.»

Secundo confirmatur conclusio authoritatibus August. dicentis in libro de Spiritu, et litera cap. 17. et 26. Quod sicut «lex factorum, idest vetus, scripta fuit in tabulis lapideis, ita lex fidei scripta est in cordibus fidelium. «Et alibi dicit in eodem lib. quæ sunt leges Dei ab ipso Deo scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritus Sancti?»

2.ª Conclusio. Lex nova, quoad ea quæ secundario ad ipsam pertinent, scilicet credenda et agenda, est scripta.

Manifest. Ea de quibus oportebat instrui Christi fideles, debent esse scripta. Sed de his quæ secundario ad legem novam pertinent, necessarium fuit instrui fideles. Ergo ea quæ secundario pertinent ad legem novam, sunt scripta.

Minor prob., quia ad hoc ut quis gratiam Spiritus sancti recipere possit et ea bene uti, debet instrui de credendis, et de agendis quæ sunt secundario ad legem novam pertinentia.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod probat secundam conclusionem, scilicet quod lex nova sit scripta, quoad ea quæ secundario ad ipsam pertinent. Et ad formam dicitur ad minorem quod lex nova, quoad ea quæ secundario ad ipsam pertinent est ipsum Evangelium, non autem quoad id quod est ipsa lex, scilicet gratia Spiritus sancti. In scriptura enim Evangelii non continentur nisi ea quæ pertinent ad gratiam Spiritus Sancti, vel sicut dispositiva ad gratiam, vel dispositiva ad usum hujus gratiæ. Dispositiva ad gratiam Spiritus Sancti sunt in duplici differentia. Quædam disponunt intellectum, quædam disponunt affectum. Quæ disponunt intellectum, sunt crædenda per fidem, et hæc sunt duplicia. Quædam pertinentia ad divinitatem: et quædam ad humanitatem Christi, et hæc continentur abunde in Evangelio. Quæ vero disponunt affectum, sunt ea quæ pertinent ad contemptum mundi, per quod homo fit capax gratiæ Spiritus Sancti. Mundus enim idest mundi amatores, non est capax Spiritus Sancti gratiæ, ut dicitur Jo. 14. Et hæc etiam in Evangelio continentur, ut patet.

Dispositiva vero ad usum gratiæ Spiritus sancti sunt opera virtutum, ad quæ multipliciter scriptura novi testamenti homines exhortatur. In Evangelio igitur non est scripta gratia Spiritus Sancti, sed solum ea quæ ad ipsam disponunt, vel ad ejus usum.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod dupliciter aliquid dicitur esse inditum homini. Uno modo ut pertinens ad naturam humanam, et sic lex naturalis est lex indita homini. Alio modo est aliquid inditum homini quasi superadditum naturæ per gratiæ donum, et hoc modo lex nova est indita homini, non solum indicans quid sit faciendum ut lex naturalis, sed etiam adjuvans ad implendum.

Ad 3. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod nullus umquam habuit gratiam Spiritus Sancti, nisi per fidem Christi explicitam, vel implicitam. Per fidem autem Christi pertinet homo ad novum testamentum, unde quibuscumque fuit lex gratiæ indita, secundum hoc ad novum testamentum pertinebant.

ARTICULUS II.

Utrum lex nova justificet.

Pro negativa.=Videtur quod lex nova non justificet.

1. Lex quæ justificat, operatur hoc, ut homo Deo obediat. Sed lex Evangelica non semper hoc facit ut homo Deo obediat. Ergo lex Evangelica non justificat.

Maior probatur: quia nullus justificatur, nisi legi Dei obediat, secundum illud ad Hebræos 5. *Factus est*, scilicet Christus, *omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.*

Minor prob., quia Rom. 10. dicitur: *Non omnes obediunt Evangelio.*

2. Lex quæ addit prævaricationem, non justificat. Sed lex nova addit prævaricationem. Ergo lex nova non justificat.

Maior prob., quia Apost. probat ad Rom. quod lex vetus non justificabat, quia ea adveniente, prævaricatio crevit. Dicitur enim Rom. 4. *Lex iram operatur, ubi enim non est lex, nec prævaricatio.*

Minor probatur, quia maiori pœna dignus est, qui post legem datam adhuc peccat, secundum illud Hebr. 10. *irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei conculcaverit, etc.*

3. Lex vetus non justificabat. Ergo nec lex nova justificat.

Conseq. probatur: quia utraque lex est á Deo, cujus proprium est justificare, ut dicitur Rom. 8. *Deus est qui justificat.*

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Lex quæ est salus omni credenti, justificat. Lex nova est salus omni credenti. Ergo lex nova justificat.

Maior prob., quia non est salus nisi justificatis.

Minor prob., quia Apost. dicit Rom. 1. *Non erubesco Evangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti.*

Determinatio.

Distinctio. Ad legem Evangelii duo pertinent, ut dictum est artic. præced. Unum quidem principaliter, scilicet ipsa gratia Spiritus Sancti interius data. Aliud pertinet ad legem novam secundario, scilicet documenta fidei, et præcepta ordinantia affectum humanum, et humanos actus.

1.ª Conclusio. Lex nova, quantum ad id quod principaliter ad ipsam pertinet, justificat.

Probatur. Quia Augustinus dicit in lib. de Spir. et lit. cap. 17. *Ibi* scilicet in veteri testamento, *lex extrinsecus est posita, qua injusti terrerentur:* hic scilicet in novo testamento *intrinsecus data est, qua justificarentur.*

2.ª Conclusio. Lex nova, quantum ad ea quæ ad ipsam secundario pertinent, non justificat.

Prob. Quia Apost. 2. Cor. 3. dicit, quod *litera occidit, Spiritus autem vivificat.* Et August. exponit in lib. de Spir. et lit. c. 14. et 17. quod per literam intelligitur quælibet scriptura, extra homines existens, etiam moralium præceptorum, qualia continentur in Evangelio. Unde etiam litera Evangelii occideret, nisi esset interius gratia fidei sanans.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod probat secundam conclusionem, scilicet quod lex nova, quoad id quod secundario ad ipsam pertinet, non justificat. Ad formam negatur minor. Ad prob. dicitur, quod habens Spiritus Sancti gratiam, semper obedit Deo. Non tamen hoc facit lex, quoad ea quæ secundario ad ipsam pertinent, propter quod dicitur, non omnes Evangelio obedire.

Ad 2. Negatur minor. Lex enim nova non addit prævaricationem, nec iram Dei operatur, sed quantum est de se sufficiens auxilium dat ad non peccandum. Ad prob. dicitur, quod gratia novi testamenti, etsi adjuvet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, ut homo peccare non possit, hoc enim pertinet ad statum gloriæ, et ideo si quis post acceptam gratiam novi testamenti peccaverit, maiori pœna est dignus, tamquam maioribus beneficiis ingratus, et auxilio sibi dato non utens.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur: quod legem novam, et veterem unus Deus dedit, sed aliter et aliter: nam legem veterem dedit scriptam in tabulis lapidæis, legem autem novam dedit scriptam in tabulis cordis carnalibus, ut Ap. dicit 2. ad Cor. 3. Proinde sicut Aug. dicit in libro de Spir. et lib. 18. «Literam istam extra hominem scriptam, et "ministrationem mortis, et ministratio-"nem damnationis Apostolus appellat: "hanc autem, scilicet novi testamenti le-"gem ministrationem Spiritus, et mi-"nistrationem justitiæ dicit, quia per "donum Spiritus operamur justitiam, et »prævaricationis damnatione liberamur.»

ARTICULUS III.

Utrum lex nova debuerit dari á principio mundi.

Pro affirmativa.=Videtur quod nova lex debuerit dari á principio mundi.

1. *Omnes homines peccaverunt et egent gratia Dei*, ut dicitur Rom. 3. Ergo lex Evangelii á principio mundi dari debuit.

Consequentia probatur. Quia *non est acceptio personarum ad Deum*, ut dicitur ad Romanos 2. Unde omnibus hominibus dari debuit lex nova ad peccati remedium.

2. *Deus qui vult omnes homines salvos fieri*, ut dicitur 1. Tim. 2. Mandavit Evangelium prædicari in omnibus locis,

ut patet Matth. ult. et Marc. ult. Ergo lex Evangelii debuit etiam adesse omnibus temporibus, ita quod á principio mundi daretur.

Consequentia probatur. Quia sicut in diversis locis sunt diversi homines, ita etiam in diversis temporibus. Unde sicut lex nova data est omnium locorum hominibus debuit etiam dari hominibus, qui in diversis temporibus extiterunt.

3. Deus ab initio mundi providit homini ea, quæ sunt necessaria ad salutem corporalem; tradens ejus potestati omnia, quæ erant propter hominem creata, ut patet Gen. 1. Ergo etiam lex nova, quæ maxime est necessaria ad salutem spiritualem, debuit hominibus á principio mundi dari.

Conseq. prob. Quia magis est necessaria homini salus spiritualis quæ est æterna, quam salus corporalis quæ est temporalis.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Lex quæ est maxime spiritualis, non debuit dari in principio mundi. Sed lex nova est maxime spiritualis. Ergo lex nova non debuit dari in principio mundi.

Maior prob., quia Apost. dicit 1. Cor. 15. *Non prius quod spirituale est, sed quod animale.*

Determinatio.

Conclusio. Lex nova non debuit dari á principio mundi.

Probatur triplici ratione, quarum, prima est. Gratia Spiritus Sancti non debuit abundanter dari, antequam impedimentum peccati ab humano genere tolleretur, consummata redemptione per Christum, quod non fuit á principio mundi. Sed lex nova principaliter est gratia Spiritus Sancti, ut dictum est. Ergo lex nova non debuit dari in principio mundi, sed solum post Christi passionem, per quam impedimentum peccati ablatum est.

Maior prob., quia Joan. 7. dicit. «Nondum »dum Spiritus Sanctus erat datus, quia »Jesus nondum erat glorificatus.»

Et hanc rationem manifeste assignat Apost Rom. 8. Ubi postquam præmiserat de lege Spiritus vitæ, subjungit, «Deus filium suum mittens in similitudi»nem carnis peccati, de peccato damna»vit peccatum in carne, ut justificatio le«gis impleretur in nobis.»

Secunda ratio potest assignari ex perfectione novæ legis, et est. Lex perfecta non debuit dari in principio mundi. Sed lex nova est lex perfecta. Ergo lex nova non debuit dari in principio mundi.

Maior prob., quia non adducitur aliquid ad perfectum statim in principio, sed quodam ordine temporalis successionis, sicut aliquis prius fit puer et postmodum vir. Et hanc rationem assignat Apost. ad Gal. 3. dicens. *Lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo.*

Tertia ratio. Lex gratiæ non debuit dari in principio mundi. Sed lex nova est lex gratiæ. Ergo lex nova non debuit dari in principio mundi.

Maior prob., quia oportuit quod homo relinqueretur sibi in statu veteris legis, ut in peccatum cadendo suam infirmitatem cognoscens, recognosceret se gratia indigere. Et hanc rationem assignat Apost. Rom. 5. dicens. *Lex subintravit, ut abundaret delictum; ubi autem abundavit delictum, superabundavit et gratia.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod humanum genus propter peccatum primi parentis meruit privari auxilio gratiæ, et ideo *quibuscumque non datur, hoc est ex justitia: quibuscumque autem datur, hoc est ex gratia,* ut Aug. dicit in lib. de perfectione justitiæ. Unde non est acceptio personarum apud Deum ex hoc, quod non omnibus á principio mundi legem gratiæ proposuit, quæ erat debito ordine proponenda, ut dictum est.

Ad 2. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod non est eadem ratio de diversitate locorum et temporum. Diversitas enim locorum non variat diversum statum humani generis, qui variatur per temporis successionem, et ideo omnibus locis proponitur lex nova, non autem omnibus temporibus, licet omni tempore fuerint aliqui ad novum testamentum pertinentes, ut supra dictum est.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod non est similis ratio de necessariis ad salutem corporalem et spiritualem. Ea enim quæ pertinent ad salutem corporalem, deserviunt homini quantum ad naturam, quæ non tollitur per peccatum. Sed ea quæ pertinent ad spiritualem salutem, ordinantur ad gratiam, quæ amittitur per peccatum.

ARTICULUS IV.

Utrum lex nova sit duratura usque ad finem mundi.

Pro negativa. — Videtur quod lex nova non sit duratura usque ad finem mundi.

1. Lex quæ est ex parte, non est duratura usque ad finem mundi. Sed lex nova est ex parte. Ergo lex nova non est duratura usque ad finem mundi.

Maior prob., quia Apostolus dicit 1. Corioth. 13. *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.*

Minor prob., quia ut Apostolus ibidem dicit, *ex parte cognoscimus; et ex parte prophetamus.*

2. In statu qui duraturus est usque ad finem mundi, Ecclesia debet cognoscere omnem veritatem. Sed in statu novi testamenti Ecclesia non cognoscit omnem veritatem, ut puta omnes futuros eventus. Ergo status novæ legis non durabit usque ad finem mundi.

Maior prob., quia Dominus Jo. 16. promisit discipulis suis in adventu Spiritus Sancti paracliti cognitionem omnis veritatis.

3. Fuit quidam status conveniens personæ Patris, scilicet status veteris legis in quo homines generationi intendebant, similiter etiam est alius status conveniens personæ Filii, scilicet status novæ legis, in quo clerici intendentes sapientiæ, quæ appropriatur Filio principantur. Ergo erit status tertius Spiritus Sancti, in quo spirituales viri principabuntur.

Conseq. prob., quia sicut Pater est alius á Filio, et Filius alius á Patre, ita Spiritus Sanctus est alius á Patre et Filio. Unde sicut fuit status correspondens personæ patris, et status correspondens personæ Filii: ita debet esse status correspondens personæ Spiritus Sancti.

4. Dominus dicit Mat. 24. *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe et tunc veniet consummatio.* Sed Evangelium Christi jamdiu est prædicatum in universo orbe, nec tamen adhuc venit consummatio. Ergo Evangelium Christi non est Evangelium regni, sed futurum est aliud Evangelium Spiritus Sancti, quasi alia lex.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dominus dicit Matth. 24. *Dico vobis quia non præteribit generatio hæc donec omnia fiant.* Quod Chrysost. exponit de generatione fidelium Christi. Ergo status fidelium Christi manebit usque ad consummationem sæculi.

Determinatio.

Distinctio. Status mundi potest variari dupliciter. Uno modo, secundum diversitatem legis: alio modo secundum quod homines diversimode se habent ad eamdem legem, vel perfectius, vel minus perfecte.

1.ª Conclussio. Statui novæ legis, nullus status succedet in hac vita, sed durabit usque ad mundi finem.

Probatur. Statui, quo nullus alius in hac vita potest esse perfectior, nullus alius status in hac vita succedere potest. Sed statu novæ legis nullus alius in hac vita potest esse perfectior. Ergo statui novæ legis nullus alius status in hac

vita succedet, sed ipse usque ad finem mundi est duraturus.

Maior prob., quia ideo statui legis veteris, successit status novæ legis, quia status ille erat imperfectus, ut ex dictis patere potest, et ideo illi successit status novæ legis, ut imperfecto perfectus.

Minor prob. Statu, quo nullus alius potest esse propinquior ultimo fini, nullus perfectior, sed statu novæ legis nullus alius potest esse alius potest esse propinquior ultimo fini. Ergo statu novæ legis nullus alius potest esse perfectior.

Maior hujus prob., quia tanto est unumquodque perfectius, quantum est ultimo fini propinquius.

Minor hujus prob., quia lex nova introduxit in finem ultimum. Secundum illud Hebr. 10. *Habentes itaque fratres, fiduciam in introitu sanctorum in Sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam accedamus ad eum.*

2.ª Conclusio. Status novæ legis, secundum quod homines magis vel minus perfecte se habent ad observantiam legis, potest mutari.

Manifestatur. Quia sicut status veteris legis frequenter fuit mutatus secundum hunc modum, cum quandoque leges optime custodirentur, quandoque autem omnino prætermitterentur, sic etiam status novæ legis diversificatur secundum diversa loca, tempora et personas, in quantum gratia Spiritus Sancti perfectius, vel minus perfecte ab aliquibus habetur.

3.ª Conclusio. Non est expectandum quod sit aliquis alius status futurus in quo perfectius gratia Spiritus Sancti habeatur, quam hactenus habita fuerit maxime ab Apostolis.

Manifestatur, quia Apostoli *primitias Spiritus acceperunt*, idest *et tempore prius, et cæteris abundantius*, ut Glossa dicit ad Rom. 8.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod secundum Dionysium cap. 5. Ecclesiasticæ Hierarchiæ triplex est hominum status. Primus fuit veteris legis; secundus, novæ legis; tertius est status futuræ vitæ, scilicet patriæ. Qui tres status sic se habent, quod primus est figuralis secundi, et secundus tertii, ac per hoc primus est imperfectus respectu secundi, et secundus respectu tertii; et sicut adveniente statu Evangelii, evacuatus fuit status antiquæ legis, sic adveniente statu patriæ, evacuabitur status legis Evangelicæ, secundum illud 1. ad Corinth. 13. «Videmus «nunc per speculum in ænigmate, tunc «autem facie ad faciem.

Ad formam argumenti dicitur ad maiorem, quod lex quæ est ex parte, idest imperfecta ita ut in hac vita possit esse altera lex perfectior, evacuatur: si autem non possit alia esse ea perfectior in hac vita, sed solum in futura, evacuabitur, non in hac vita, sed solum in futura.

Tunc ad minorem dicitur, quod si sermo sit de imperfectione legis in hac vita, negatur quod lex nova sit ex parte, scilicet imperfecta; imo est perfectissima, ita ut nulla alia perfectior esse possit, ut probatum est in corpore: secundum enim hunc modum vetus lex fuit ex parte, et ideo fuit evacuata. Si vero sermo sit de imperfectione per respectum ad statum futuræ vitæ, conceditur totum; sed per hoc solum concluditur, quod lex nova sit evacuanda, non in præsenti, sed solum in futura vita.

Quorumdam falsa responsio ad 2.

Ad 2. Dicitur, quod sicut Augustinus dicit libro 19. contra Faustum cap. 31. Montanus et Priscilla posuerunt, quod promissio Domini de Spiritu Sancto dando non fuit completa in Apostolis, sed in eis; et similiter Manichæi posuerunt, quod fuit completa in Manichæo, quem dicebant esse Spiritum Paraclitum, et ideo utrique non recipiebant acta Apostolorum, in quibus manifeste ostenditur, quod illa promissio fuit in Apostolis completa, sicut Dominus iterato eis pro-

misit Act. 1. «Baptizabimini in Spiritu «Sancto, non post multos hos dies:» quod impletum legitur Act. 2.

Reprobatio.

Sed istæ varietates excluduntur per hoc quod dicitur Joan. 7. «Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat «glorificatus.» Ex quo datur intelligi quod statim Christo glorificato, in resurrectione et ascensione fuit Spiritus Sanctus datus.

Et per hoc etiam excluditur quorumcumque vanitas, qui dicerent esse spectandum aliud tempus, scilicet Spiritus Sancti.

Vera responsio.

Dicitur ergo ad minorem argumenti, quod Spiritus Sanctus docuit Apostolos omnem veritatem de his quæ pertinent ad necessitatem salutis, scilicet de credendis et de agendis: non tamen docuit de omnibus futuris eventibus: hoc enim ad eos non pertinebat, secundum illud Act. 1. *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ pater posuit in sua potestate.*

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod lex vetus non solum fuit patris, sed etiam filii, quia Christus in veteri lege figurabatur. Unde Dominus dicit Joan. 5. «Si crederetis Moysi, crederetis forsitan «et mihi; de me enim ille scripsit.» Similiter etiam lex nova non solum est Christi, sed etiam Spiritus Sancti, secundum illud ad Rom. 8. *Lex Spiritus vitæ in Christo Jesu*, etc. Unde non est expectanda alia lex quæ sit Spiritus Sancti.

Ad 4. Dicitur ad maiorem, quod cum Christus statim in principio Evangelicæ prædicationis dixerit, *appropinquavit regnum cœlorum*; stultissimum est dicere, quod Evangelium Christi non sit Evangelium regni. Sed prædicatio Evangelii Christi potest intelligi dupliciter. Uno modo, quantum ad divulgationem notitiæ Christi, et sic prædicatum fuit Evangelium in universo orbe etiam tempore Apostolorum, ut Chrysostomus dicit. Et secundum hoc quod additur: *Et tunc erit consummatio*, intelligitur hoc de destructione Jerusalem de qua tunc ad literam loquebatur. Alio modo potest intelligi prædicatio Evangelii in universo orbe, cum pleno effectu, ita scilicet quod in qualibet gente fundetur Ecclesia, et ita, sicut dicit Augustinus in Epist. ad Eusich. Epist. 78. «nondum est prædicatum Evangelium in «universo orbe,» sed hoc facto veniet consummatio mundi.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 106. QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis insinuatum, quod lex nova non est lex scripta, sed indita. Ut per dictum illud Hebr. 8. secundum quod cum discursu est *in arg. cont.* Item per ly « lex per Moysen data est, gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est, » Jo. 1. Patet enim, quod lex per Moysen data fuit lex scripta Exod. 24. 34. Et figuralis 1. Cor. 10. et super q 102. a. 2. patet etiam, ut singula singulis correspondeant, quod ibi per gratiam, et veritatem intelligitur lex Christi, idest lex nova. Ex eo igitur, quod contra legem scriptam dividitur lex Christi, ostenditur, quod lex nova non est lex scripta sicut ex eo, quod contra legem figuralem distinguitur, monstratur, quod ipsa lex nova non est lex figuralis. Ideo ad hujusmodi significanda usus est B. Joannes circumlocutione quadam, eam appellando gratiam, et veritatem, ut ad legem veterem ratione, qua scripta est, redderetur gratia, et ratione, qua umbratica est, Heb. 10. responderet veritas. Ac si, omnibus his collectis, dixisset: lex

nova non est lex scripta, neque umbratica, sed est lex gratiæ, et veritatis. Gratiæ, in quantum Spiritus Sancti per Christum dati quinquagesimo die post egressum de Ægypto, Exo. 20. super q. 102. a. 4. ad 10. et q. 103. a. 3. ad 4. Veritatis autem, non ut contra falsitatem dividitur, quasi quod lex vetus sibi condistincta fuerit aliqualiter falsa, sed ut dividiur contra veritatem adumbratam, quæ passim erat in lege veteri. Lex ergo nova, secundum Evangelistam, est principaliter lex indita, idest gratia Spiritus Sacti infusa cordibus fidelium, et secundario est lex in Evangelio scripta, quæ idem est, quod lex veritatis. Nam scriptura Evangelii veritatem non figuralem, sed figuratam, non umbraticam, sed apertam continet. Apertam, scilicet respectu veteris, non totaliter absolute, sed pro quanto compatitur status præsentis vitæ, qui est status fidei, non autem facialis visionis, qualis est in patria. Fuit ergo lex nova, antequam scriberetur in Evangelio, ut ex dictis patet. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis insinuatum, quod lex nova justificat, et non justificat. Quod justificet, ut per dictum illud Rom. 1. secundum quod cum discursu ponitur *in arg. cont.* Item per illud Jo. 4. « Multo plures crediderunt propter sermonem ejus. » Et c. 1. « Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. » Et c. 6. « Verba vitæ æternæ habes. » Ad captum horum, atque similium, juvat videre dicta in responsionibus ad argumenta, et art. 1. cor. fin. et ad primum. Quod vero non justificet, insinuatur per illud Jo. 6. « Multi audientes ex discipulis dixerunt, durus est hic sermo. » Et infra: « Abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant. » Et Matth. 2. « Audientes Pharisæi, quod silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum, » etc. Pro horum, atque similium captu bono, vide art. 3. ad 1. et 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1. cum Eluc. et 1. q. 22. art. 2. ad 2. cum Eluc. et q. 23. art. 3. et art. 5. ad 3. cum Eluc. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod lex nova non debuit dari á principio mundi. Ut per dictum 1. Corinth. 15. secundum quod est *in arg. cont.* Item per dict. Psalm. 9. *Senectus mea in misericordia uberi.* Lex enim nova est, in qua (ut patet ex dictis) manifestatur Dei misericordia copiosa, et consequenter in senectute, non á principio, mundo dandam fuisse legem novam illis verbis scriptura testatur. Item per illud Hierem. 31. « Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel, et domui Juda fœdus novum. Non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris, etc. post dies illos dicit Dominus, dabo legem meam, in visceribus eorum, » etc. Post tempus ergo veteris legis, et consequenter non á principio mundi danda erat lex nova, secundum verba hæc. Nam per legem in visceribus superscribendam, idest, per donum gratiæ superaddendam legi naturali scriptæ in cordibus nostris, intelligitur lex nova ab Apostolo Hebr. 8. exponente istam auctoritatem. Item per illud Amos 9. « In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit, et reædificabo aperturas murorum ejus, et ea, quæ corruerunt, instaurabo, et reædificabo eum, sicut in diebus antiquis. » Ex his igitur monstrat scriptura, quod lex nova erat danda post dies antiquos. Ideo merito allegans B. Jacobus hanc auctoritatem: utitur ly *post hæc*, idest post tempora hæc, scilicet veteris testamenti. Dicit enim Act. 15. « Post hæc revertar, et reædificabo tabernaculum David, quod decidit, et diruta ejus reædificabo, et erigam illud: ut requirant cæteri hominum Dominum, et omnes gentes, super quas invocatum est nomen meum: dicit Dominus faciens hæc. » Ibi enim agitur de lege nova, succedente ad cessationem legalium veterum: ut ex contextu illo Act. 15. manifeste habetur, et propter hoc ista auctoritas, tamquam in sensu literali locuta de lege nova, adducitur ibi á Jacobo Apostolo. Pro hujus captu, scilicet de allegatione scripturarum antiquarum ab Evangelistis, et Apostolis, in sensu proprio earum literali, vide Eluc. 1. par. q. 1. ar. 10. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationes tum directas (hæ ponuntur in corp.) tum indirectas (hæ sunt solutiones argumentorum) interimas hæreses *Flagellantium,*

dicentium, quod Evangelium desiit post adventum suæ ipsorum sectæ. Item cujusdam *Joannis de Parma* (ut refert Directorium Inquisit. 2. part. quæst 9.) dicentis: quod Evangelium Christi non est Evangelium regni. Et dicentis, quod post Evangelium Christi aliud Evangelium succedet. Et dicentis, quod Evangelio Spiritus Sancti adveniente, sive clarescente opere Joachim (quod ibidem dicitur Evangelium æternum, sive Spiritus Sancti) evacuabitur Evangelium Christi. Item *Almarici* (ut refert Directorium Inquisit. 2. part. quæst. 7.) dicentis: quod lex nova viguit usque ad tempus suiipsius, scilicet *Almarici*, et ex tunc habuerunt finem, ac fuerunt evacuata baptismus, pœnitentia, et omnia alia novæ legis sacramenta. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari á *Matth.* 24. ut cum expositione B. Chrysostomi ponitur *in arg. cont.* Item á Matth. ultim. « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi » Ibi enim (ut patet per contextum) loquitur de suo esse nobiscum per sacramentum baptismi, et per fidem Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Cum itaque baptismus sit sacramentum novæ legis, et fides summæ Trinitatis prædicetur in nova lege, commonstratur per verba illa, quod lex nova omnibus diebus, non quidem diminutis, sed simpliciter dictis, idest, integris 24. horarum singillatim, usque ad consummationem sæculi, durabit, nec umquam evacuabitur. Cum etiam alia sacramenta in eo, quod sacramenta, assimilentur baptismo, et fides de summa Trinitate sit habitus complectens quæcumque alia credibilia catholica, 2. 2. qu. 4. art. 1. 6. et quæst. 5 art. 3. patet á simili, quod per illa eadem verba Dominus significavit, et sacramenta omnia novæ legis, et fidem catholicam duratura esse tamdiu similiter, ut supra. Et seipsum futurum nobiscum per hæc universa toto illo tempore. Vide pulcherrima, præsentique negotio maxime opportuna in Compend. Alber Mag. lib. 7. ca. 7. schol. Item damnari à dictis in veritatibus aureis super totam legem veterem, Deuteronom. 10. concl. 1. Item ab *Alexandro IV.* damnatur illa *Joannis de Parma* (ut refert Direct. ibid.) Item *Almaricus* á concilio maximo *Lateranensi* sub *Innoc. III.* in de Summa Trinitate et fid. Cath. capit. *Damnamus.* In fine enim damnans omnem doctrinam ipsius Almarici dicit: « Reprobamus etiam, et condemnamus perversissimum dogma impii Almarici: cujus mentem sic pater mendacii excæcavit, ut ejus doctrina non tam hæretica, quam insana sit censenda. » Item á Baruch. 2. « Statuam illis testamentum alterum sempiternum. Ubi nota ly alterum. » Item ab Apoc. 14. « Vidi alterum Angelum volantem per medium cœli habentem Evangelium æternum. » Item ab Heb. 13. « Qui eduxit de mortuis pastorem magnum omnium in sanguine testamenti æterni. » Item á Luc. 21. « Cœlum, et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. » Quia (inquit ibi Theophylactus) « turbationes, et bella, et alterationes dixit esse futuras tam elementorum, quam rerum, ne quis suspicetur, quod forte aliquando destruendus sit Christianismus, dixit. Non enim præteribit hæc generatio Christianorum. Cœlum quidem, et terra immutabuntur: sermones autem mei, et Evangelium meum non peribunt, sed manebunt. Tametsi commoveantur omnia: fides tamen in me non deficiet. Apparet autem hoc loco, quod Ecclesiam omni creaturæ præferat. Ecclesia enim ejus, et verbum, ac Evangelium nequaquam peribunt. » Hæc ille. Ergo Luc. 21. aperte, et abunde damnat prædictas hæreses. Item á Matth. 4. 10. Marc. 1. Luc. 10. « Appropinquavit regnum cœlorum. In vos regnum Dei. » Applica, ut in resp. ad 4. prin. Item ab Act. 8. « Evangelizanti de regno Dei. » Item á Matth. 4. « prædicans Evangelium regni. » et cap. 24. « prædicabitur hoc Evangelium regni. » Item. á Mar. 1. « prædicans Evangelium regni Dei. » *Tertio* vides; etc.

QUÆSTIO CENTESIMA SEPTIMA,

DE COMPARATIONE LEGIS NOVÆ AD VETEREM IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de comparatione legis novæ ad legem veterem.

Et circa hoc quæruntur quatuor.

Primo, utrum lex nova sit alia lex á lege veteri.

Secundo, utrum lex nova impleat veterem.

Tertio, utrum lex nova contineatur in veteri.

Quarto, quæ sit gravior utrum lex nova vel vetus.

ARTICULUS I.

Utrum lex nova sit alia á lege veteri.

Po negativa.=Videtur quod lex nova non sit alia á lege veteri.

1. Lex quæ datur fidem Dei habentibus, non est alia á lege veteri. Sed lex nova datur fidem Dei habentibus. Ergo lex nova non est alia á lege veteri.

Maior prob., quia eadem est fides antiquorum, quibus data est lex vetus, et modernorum quibus data est lex nova, ut dicitur in Glossa Matth. 21.

Minor prob., quia *sine fide impossibile est placere Deo*, ut dic. Apost. ad Heb. 11.

2. Si lex nova esset alia á lege veteri, aut esset per hoc quod lex vetus est lex timoris, et lex nova est lex amoris: quam differentiam assignat Augustinus cap. 17. contra Adamantium Manichæi discipulum, dicens: *brevis differentia legis et Evangelii, est timor et amor.* Vel per hoc quod vetus testamentum habuit promissa temporalia, et novum testamentum habet promissa spiritualia et æterna: quam etiam differentiam assignat idem Augustinus contra Faustum libro 4. cap. 2. Sed per neutrum harum differentiarum potest lex nova esse alia á lege veteri. Ergo lex nova non est alia á lege veteri.

Minor prob. quoad utramque partem, et quoad primam quidem, scilicet quod lex vetus et nova non possint diversificari per hoc quod lex vetus est timoris, et lex nova est amoris. Quia etiam in veteri lege proponuntur præcepta charitatis; Levitici enim 19. dicitur, *diliges proximum tuum*: et Deuter 6. *Diliges Dominum Deum tuum*: unde lex vetus non solum est lex timoris, sed etiam amoris.

Quoad secundam vero partem probatur eadem minor, scilicet quod lex vetus, et nova non distinguantur per hoc quod *vetus habet promissa temporalia, et nova, spiritualia et æterna.* Quia etiam in novo testamento promittuntur aliqua temporalia, secundum illud Marci 10. «Accipiet centies tantum in tempore «hoc, domos, et fratres,» etc. et in veteri testamento sperabantur promissa spiritualia et æterna, secundum illud ad Hebræos 11. «Nunc autem meliorem «patriam appetunt, idest cælestem:» quod dicitur de antiquis patribus: et sic nullo modo lex nova á veteri differre videtur.

3. Si lex nova esset alia á lege veteri hoc esset per distinctionem quam Apostolus assignat inter utramque legem, ad Rom. 3. ubi appellat legem veterem, *legem factorum*, novam vero appellat *legem fidei.* Sed per hanc differentiam non possunt lex vetus et nova distingui. Ergo lex nova non est alia á lege veteri.

Minor prob., quia lex vetus fuit etiam lex fidei, secundum illud ad Hebræos 11. *Omnes testimonio fidei probati sunt*: quod Apostolus dicit de patribus veteris testamenti. Similiter etiam lex nova est lex non solum fidei, sed et factorum; dicitur enim Matth. 5. *Benefacite his qui oderunt vos*, et Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.*

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Sacerdotium novi testamenti est aliud á sacerdotio veteris testamenti, ut Apostolus probat ad Hebr. 7. Ergo lex nova est alia á veteri.

Conseq. prob., quia «translato sacerdotio necesse est, ut legis translatio «fiat,» ut dicitur ad Hebræos 7.

Determinatio.

Distinctio. Legem novam esse aliam á lege veteri, potest intelligi dupliciter. Uno modo ut sit alia ab ipsa secundum speciem: alio modo, sicut perfectum est aliud ab imperfecto.

Manifestatur hæc distinctio. Pro quo est sciendum, quod omnis lex ordinat conversationem humanam in ordine ad aliquem finem, ut dictum est quæstione 90. articulo 2. Ea autem quæ ordinantur ad finem, secundum rationem finis, dupliciter diversificari possunt. Uno modo, quia ordinantur ad diversos fines, et hæc est diversitas secundum speciem eorum quæ ordinantur ad finem, et maxime quando fines ad quos ordinantur, sunt fines proximi.

Alio modo, secundum propinquitatem ad finem, vel distantiam ab ipso, hi duo distinctionis modi apparent in motibus: motus enim illi qui ordinantur ad diversos terminos, specifice distinguuntur: motus vero cujus una pars est magis propinqua termino quam alia, est unus specie; sed partes distinguuntur sicut perfectior vel imperfectior.

Sic etiam duæ leges possunt distingui dupliciter. Uno modo, quasi omnino diversæ, utpote ordinatæ ad diversos fines: sicut lex civitatis quæ est ordinata ad hoc ut populus dominetur, est differens specie á lege secundum quam optimates dominantur.

Alio modo, duæ leges distingui possunt, secundum quod una propinquius ordinat ad finem, et alia remotius: puta in una et eadem civitate dicitur alia lex quæ imponitur viris perfectis, qui statim possunt exequi ea quæ pertinent ad bonum commune; et alia lex datur de disciplina puerorum, qui sunt instruendi qualiter postea opera virorum exequantur. Legem igitur novam á veteri distingui, potest his duobus modis intelligi, an scilicet distinguantur specie, vel sicut perfectum ab imperfecto.

1.ª Conclusio. Lex nova non est alia á lege veteri secundum primum modum, idest secundum speciem.

Prob. Leges quæ ordinant ad eumdem finem, non sunt differentes secundum speciem. Sed lex nova et vetus ordinant ad eumdem finem. Ergo lex nova et vetus non sunt differentes secundum speciem.

Maior patet ex supraposita distinctione et ejus manifestatione, quia scilicet quæ ordinantur ad finem, distinctionem specificam habent ex diversitate finis, sicut motus ex diversitate terminorum.

Minor prob., quia utriusque legis finis est ut homines Deo subdantur, qui Deus est unus novi et veteris testamenti, secundum illud ad Romanos 3. «Unus «Deus est qui justificat circumcisionem «ex fide et præputium per fidem.

2.ª Conclusio. Lex nova est alia á veteri, sicut perfectum ab imperfecto.

Prob., quia lex vetus est quasi pædagogus puerorum, ut Apostolus dicit ad Galatas 3. Lex autem nova est perfectionis, quia est charitatis, de qua Apostolus dicit ad Col. 3. quod est vinculum perfectionis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod licet fides antiquorum et modernorum sit eadem secundum speciem, cum objectum fidei sit finis ultimus, sicut et cæterarum theologicarum virtutum: tamen fides habet alium et alium statum in veteri et novo testamento: nam quod illi credebant futurum, nos credimus factum.

Argumentum igitur concludit, quod lex nova non sit alia á veteri secundum speciem; cum hoc tamen stat ut distinguatur ab ea, ut perfectum ab imperfecto.

Ad 2. Negatur minor quoad utramque partem: omnes enim differentiæ no-

væ et veteris legis accipiuntur secundum perfectum et imperfectum. Unde dicere quod lex vetus est timoris, et nova lex amoris, et quod vetus habet promissa temporalia, et nova spiritualia, et quod lex vetus cohibet manum, et lex nova cohibet animum; nihil aliud est dicere nisi quod lex vetus erat imperfecta, nova vero est lex perfecta.

Ad quorum evidentiam est sciendum quod præcepta cujuslibet legis dantur de actibus virtutum; ad agenda autem virtutum opera aliter inclinantur imperfecti qui nondum habent habitum virtutis, et aliter illi qui sunt per habitum virtutis perfecti: illi enim qui nondum habent habitum virtutis, inclinantur ad agendum opera virtutis ex aliqua causa extrinseca, puta ex comminatione pœnarum, vel ex promissione aliquarum remunerationum, puta honoris, vel divitiarum, vel hujusmodi. Et ideo lex vetus quæ dabatur imperfectis, idest nondum consecutis gratiam spiritualem, dicebatur lex timoris, in quantum inducebat ad observantiam præceptorum per comminationem quamdam pœnarum, et dicitur habere temporalia promissa. Illi autem qui habent virtutem, inclinantur ad agenda opera virtutis propter amorem virtutis, et non propter aliquam pœnam aut remunerationem extrinsecam: et ideo lex nova cujus principalitas consistit in ipsa spirituali gratia indita cordibus, dicitur lex amoris, et dicitur habere promisssa spiritualia et æterna, quæ sunt objecta virtutis, præcipue charitatis, et ita per se in ea inclinantur, non quasi in extranea, sed quasi in propria; et propter hoc etiam lex vetus dicitur cohibere manum, non animum, quia qui timore pœnæ ab aliquo peccato abstinet, non simpliciter ejus voluntas á peccato recedit, sicut recedit voluntas ejus qui amore justitiæ abstinet á peccato, et propter hoc lex nova, quæ est lex amoris, dicitur animum cohibere.

Ex quibus manifeste patet quod illæ differentiæ ad Augustino assignatæ inter veterem et novam legem, accipiantur secundum perfectum et imperfectum: et propter hoc merito fuit negata minor argumenti, quoad utramque partem.

Ad probationem prioris partis dicitur quod etsi lex vetus præcepta charitatis daret, non tamen per eam dabatur Spiritus Sanctus, per quem *diffunditur charitas in cordibus nostris*, ut dicitur ad Rom. 5.

Ad probationem vero secundæ partis dicitur quod lex nova non promittit temporalia primaria intentione, sed solum quia cum etiam in novo testamento sint aliqui carnales nondum pertingentes ad perfectionem novæ legis, hos oportuit induci ad virtutis opera per timorem pœnarum et per aliqua temporalia promissa.

Et é contra, quia in veteri testamento erant aliqui habentes charitatem et gratiam Spiritus Sancti, qui principaliter expectabant promissiones spirituales et æternas; secundum hoc non ad legem veterem, sed potius ad novam pertinebant, de quibus loquitur Apostolus loco citato in argumento.

Ad 3. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod lex nova dicitur lex fidei, in quantum ejus principalitas consistit in ipsa gratia quæ interius datur credentibus unde dicitur gratia fidei.

Habet autem secundario aliqua facta, et moralia et sacramentalia; sed in his non consistit principalitas legis novæ, sicut principalitas veteris legis in eis consistebat.

Illi autem qui in veteri testamento Deo fuerunt accepti per fidem, secundum hoc ad novum testamentum pertinebant: non enim justificabantur nisi per fidem Christi, qui est auctor novi testamenti. Unde et de Moyse dicit Apostolus ad Hebræos 11. quod «maiores divitias æstimabat thesauro Ægyptiorum improperium Christi.

ARTICULUS II.

Utrum lex nova legem veterem impleat.

Po negativa.==Videtur quod lex nova legem veterem non impleat.

1. Lex quæ evacuat legem veterem, eam non implet. Sed lex nova evacuat veterem. Ergo lex nova non implet veterem.

Maior prob., quia impletio evacuationi contrariatur.

Minor prob., quia lex nova excludit observantiam veteris legis, secundum illud ad Gal. 5. *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.*

2. Lex quæ proponit præcepta contraria præceptis veteris legis, non implet veterem legem. Sed lex nova proponit præcepta contraria præceptis veteris legis. Ergo lex nova non implet veterem legem.

Maior prob., quia contrarium non est impletivum sui contrarii.

Minor prob. Nam Deut. 24. dicitur: «Quicumque dimiserit uxorem suam, «det ei libellum repudii.» Et Dominus Matth. 5. dicit: «Ego autem dico vobis, «quicumque dimiserit uxorem suam, fa«cit eam mœchari.»

Item Levit. 19. dicitur, «non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua.» Et Dominus Matth. 5. dicit: «Ego autem dico vobis, non jurare omnino.»

Item Exod. 21. dicitur «oculum pro oculo, et dentem pro dente.» Dominus autem Matth. 5. dicit: «Ego autem dico vobis, si quis percusserit te in dexteram maxillam, præbe ei et alteram.»

Item Levitici 19. dicitur, diliges amicum tuum: et Matth. 5. dicitur: Ego autem dico vobis, diligete inimicos vestros.

Item in veteri lege dantur multa præcepta de discretione ciborum: et Matth. 15. dicitur, *non quod intrat per os, coinquinat hominem*. Ex quibus apparet quod lex nova proponit præcepta contraria præceptis veteris legis.

3. Quicumque agit contra legem, non implet legem. Sed Christus novæ legis auctor, in aliquibus fecit contra legem. Ergo Christus non implevit veterem legem.

Minor prob., quia Christus Matth. 8. tetigit leprosum: quod erat contra legem. Similiter videtur sabbatum pluries violasse: unde de eo dicebant judæi Joan. 9. «Non est hic homo á Deo, qui sabba«tum non custodit.» Ergo Christus novæ legis auctor non implevit veterem legem, sed contra ipsam fecit.

4. Dominus Matth. 5. ubi quantum ad aliqua legem implevit, nullam mentionem videtur facere de judicialibus et cæremonialibus præceptis. Ergo videtur quod lex nova non sit totaliter veteris impletiva.

Conseq. prob., quia in veteri lege continebantur præcepta moralia, cæremonialia et judicialia, ut dictum est qu. 99. art. 4.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Dominus Matth. 5. *Non veni solvere legem, sed adimplere*. Et postea subdit: *Jota unum aut unus apex non præteribit á lege donec omnia fiant.*

Determinatio.

Conclusio. Lex nova adimplet legem veterem, in quantum supplet illud quod veteri legi deerat.

Prob. Omne perfectum adimplet id quod deest imperfecto. Sed lex nova est lex perfecta, lex vero vetus est imperfecta. Ergo lex nova implet veterem, in quantum supplet id quod veteri legi deerat.

Quomodo lex nova veterem impleverit.

Distinctio. In veteri lege duo possunt considerari, scilicet finis legis, et præcepta contenta in lege. Finis veteris legis erat justificatio hominum, sicut etiam finis cujuslibet legis est ut homines efficiantur justi et virtuosi, ut dictum est quæstione 92. articulo 1. Præcepta vero legis veteris erant moralia, cæremonialia et judicialia, ut superius dictum est.

1.ª Conclusio. Lex nova implet veterem quantum ad ejus finem.

Manifestatur. Nam lex vetus non poterat efficere hominum justificationem, quæ erat ejus finis; sed figurabat quibusdam cæremonialibus factis, et promittebat verbis; et quantum ad hoc, lex nova implet veterem, justificando per virtutem passionis Christi, et hoc est quod Apostolus dicit ad Rom. 8. quod «impossibile erat legi, Deus filium suum «mittens in similitudinem carnis peccati, «damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis:» et quantum ad hoc, lex nova exhibet quod vetus promittebat, secundum illud 2. ad Cor. 1. «Quotquot promissiones Dei sunt «in illo, idest in Christo.»

Et iterum quantum ad hoc complet etiam quod lex vetus figurabat; unde ad Colossenses 2. dicitur de cæremonialibus, quod erant umbra futurorum; corpus autem Christi, idest veritas, pertinet ad Christum. Unde lex nova dicitur lex veritatis, lex autem vetus dicitur lex umbræ vel figuræ.

Ex quibus patet quod lex nova implet veterem respectu finis, quoad tria.

Primo, efficiendo quod lex vetus efficere non potest.

Secundo, exhibendo quod lex promittebat.

Tertio, implendo ea quæ lex figurabat.

2.ª Conclusio. Lex nova implet veterem, quantum ad præcepta.

Manifestatur, quia Christus auctor novæ legis, adimplevit legis antiquæ præcepta dupliciter, scilicet opere et doctrina. Opere quidem, quia circumcidi voluit, et observare alia legalia quæ tempore illo erant servanda, secundum illud ad Galatas 4. *Factum sub lege.*

Sua autem doctrina adimplevit præcepta legis tripliciter. Primo, verum legis intellectum exprimendo, sicut in præceptis homicidii et adulterii, in quorum prohibitione Scribæ et Pharisæi non intelligebant prohibitum nisi actum exteriorem occidendi et adulterandi: unde Dominus legem adimplevit, ostendendo etiam interiores actus peccatorum cadere sub præcepto prohibitivo, ut patet Matth. 5. ubi dicitur; »audistis quia dictum est antiquis, non mœchaberis: ego autem dico vobis, omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Et ibidem dicitur, audistis quia dictum est antiquis non occides, etc. ego autem dico vobis quod omnis qui irascitur fratri suo, etc.»

Secundo, adimplevit Dominus præcepta legis, ordinando quomodo tutius observaretur quod lex vetus statuerat. Sicut lex vetus statuerat quod homo non perjuraret, et hoc tutius observatur, si homo omnino á juramento abstineat nisi in causa necessitatis. Unde Matth. 5. dicitur, «audistis quia dictum est antiquis, non perjurabis, ego autem dico vobis non jurare omnino,» etc.

Tertio, adimplevit Dominus præcepta legis, superaddendo quædam perfectionis consilia, ut patet Matt. 19. ubi dicenti se observasse præcepta veteris legis, dicit, *unum tibi deest: si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes*, etc.

ad argumenta.

Ad 1. Dicitur quod in lege veteri erant tria genera præceptorum, scilicet moralium, cæremonialium et judicialium. Tunc dicitur ad argumentum, quod si sermo sit in maiori de lege veteri quoad cæremonialia, scilicet quod lex evacuans legem veterem quoad cæremonialia, non implet ipsam, est falsa, immo lex evacuans veterem quoad cæremonialia eam implet: et ratio est quia cæremonialia erant in figuram futuri. Unde ex hoc ipso quod cæremonialia præcepta sunt impleta, perfectis his quæ figurabantur, non sunt ulterius observanda; quia si observarentur, adhuc significaretur aliquid ut futurum, et non impletum. Sicut etiam promissio futuri doni locum jam non ha-

bet, promissione jam impleta per doni exhibitionem: et sic cæremonialia, dum tolluntur, implentur. Si vero in maiori sermo sit de aliis legis præceptis, scilicet moralibus et judicialibus, est vera ipsa maior: lex enim evacuans hujusmodi præcepta, non implet ea. Sed tunc negatur minor: lex enim nova non evacuat observantiam veteris legis, nisi quantum ad cæremonialia, ut dictum est supra quæst. 103. art. 3. et 4.

Ad 2. Neg. minor. Ad prob. dicitur quod sicut Augustinus dicit contra Faustum libro 19. capite 16. «Præcepta il«la Domini non sunt contraria præceptis «veteris legis: quod enim Dominus præ«cepit de uxore non dimittenda, non «est contrarium ei quod lex præcepit: ne«que enim ait lex; qui voluerit, di«mittat uxorem: cui esset contrarium «non dimittere: sed utique nolebat di«mitti uxorem á viro qui hanc interpo«suit moram, ut in dissidium animus «præceps libelli conscriptione refractus «absisteret.» Unde Dominus ad hoc confirmandum, ut non facile uxor dimittatur, solam causam fornicationis, excepit. Et idem etiam dicendum est in prohibitione juramenti, sicut dictum est; et idem etiam patet in prohibitione talionis: taxavit enim modum vindictæ lex, ut non procederetur ad immoderatam vindictam á qua Dominus perfectius removit eum quem monuit omnino á vindicta abstinere. Circa odium vero inimicorum removit falsum Pharisæorum intellectum, nos monens ut persona odio non haberetur, sed culpa: circa discretionem vero ciborum, quæ cæremonialis erat, Dominus non mandavit ut tunc non observarentur; sed ostendit, quod nulli cibi secundum suam naturam erant immundi, sed solum secundum figuram, ut supra dictum est quæstione 102. articulo 6. ad 1.

Ad 3. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod tactus leprosi erat prohibitus in veteri lege, quia ex hoc incurrebat homo quamdam irregularitatis immunditiam, sicut et ex tactu mortui, ut supra dictum est qu. 102. art. 3. Sed Dominus qui erat mundator leprosi, immunditiam incurrere non poterat. Per ea autem quæ fecit in sabbato, sabbatum non solvit secundum rei veritatem, sicut ipse Matth. in Evangelio ostendit: tum quia operabatur miracula virtute divina, quæ semper operatur in rebus: tum quia salutis humanæ opera faciebat cum Pharisæi etiam saluti animalium in die sabbati providerent: tum etiam quia ratione necessitatis discipulos excusavit, in sabbato spicas colligentes. Sed videbatur solvere secundum superstitiosum intellectum Pharisæorum, qui credebant etiam á salubribus operibus esse in die sabbati abstinendum: quod erat contra intentionem legis.

Ad 4. Dicitur ad antecedens, quod cæremonialia præcepta legis non commemorantur Matth. 5. quia eorum observantia totaliter excluditur per impletionem, ut dictum est ad primum argumentum. De judicialibus vero præceptis commemoravit præceptum talionis, ut quod de hoc diceretur, de omnibus aliis esset intelligendum: in quo quidem præcepto docuit legis intentionem non esse ad hoc, quod pœna talionis quæreretur propter livorem vindictæ, quem ipse excludit monens quod homo debet esse paratus etiam maiores injurias sufferre, sed solum propter amorem justitiæ: quod adhuc in nova lege remanet.

ARTICULUS III.

Utrum lex nova in lege veteri contineatur.

Pro affirmatia.=Videtur quod lex nova non contineatur in lege veteri.

1. Multa credenda traduntur in nova lege, quæ in veteri non continentur. Ergo lex nova non continetur in veteri.

Conseq. prob., quia lex nova præcipue in fide consistit; unde dicitur lex fidei, ut dicitur ad Rom. 4.

2. Lex cujus mandata sunt maiora, non continentur in lege cujus mandata sunt minora. Sed legis novæ mandata sunt maiora quam mandata legis veteris. Ergo lex nova non continetur in veteri.

Maior probatur, quia majus non potest contineri in minori.

Minor probatur, quia quædam Glosa super illud Matth. 5. «Qui solverit «unum de mandatis istis minimis» dicit quod «mandata legis sunt minora, in «Evangelio sunt maiora.»

3. Si lex nova contineretur in veteri, sequeretur quod habita veteri lege, habeatur nova: quod est falsum. Ergo lex nova non continetur in veteri.

Conseq. prob., quia quod continetur in altero, simul habetur, habito illo.

Falsitas consequentis ostenditur, quia superfluum fuisset, habita lege veteri, iterum dari novam.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ezech 1. dicitur: *Rota in medio Rotæ* idest *novum testamentum in veteri*, ut Gregorius exponit homilia 6. in Ezech.

Determinatio.

Distinctio. Aliquid potest contineri in alio dupliciter. Uno modo in actu, sicut locatum in loco: alio modo virtute, sicut effectus in causa, vel complementum in completo: sicut genus continet species potestate, et sicut tota arbor continetur in semine.

Conclusio. Lex nova continetur in lege veteri virtute, sicut complementum in completo, et sicut arbor in semine.

Manifestatur, quia lex nova comparatur ad legem veterem, sicut perfectum ad imperfectum. Unde Chysostomus exponens illud quod habetur Marc. 4. «4. ultro terra fructificat primum her«bam, deinde spicam, deinde plenum «frumentum in spica;» sic dicit: Primo, «herbam fructificat in lege naturæ, pos«tmodum spicas in lege Moysi, postea «plenum frumentum in Evangelio.» Sic igitur lex nova est in veteri sicut fructus in spica.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod omnia quæ credenda traduntur in novo testamento eplxicite et aperte, traduntur credenda in veteri testamento, sed implicite et sub figura, et secundum hoc etiam quantum ad credenda, lex nova continetur in lege veteri.

Ad 2. Dicitur dupliciter. Primo negando maiorem, ad probationem dicitur quod nihil prohibet maius in minori virtute contineri, sicut arbor continetur in semine.

Secundo. Dicitur ad minorem et ad ejus probationem, quod præcepta novæ legis dicuntur esse maiora quantum ad explicitam manifestationem, sed quantum ad ipsam substantiam præceptorum novi testamenti, omnia continentur in veteri testamento. Unde Augustinus dicit contra Faustum libro 19. cap. 28. quod «pene omnia quæ monuit vel præ«cepit Dominus, ubi adjungebat, ego «autem dico vobis, inveniuntur etiam «in illis veteribus libris: sed quia non «intelligebant homicidium, nisi peremp«tionem corporis humani, aperuit Do«minus omnem iniquum motum ad no«cendum fratri, in homicidii genere de«putari:» et quantum ad hujusmodi manifestationes, præcepta novæ legis dicuntur maiora præceptis veteris legis.

Ad 3. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod lex nova virtute continetur in veteri: et ideo sequitur quod habita lege veteri, habeatur nova virtute et implicite solum: et quia quod implicite datum est, oportet explicari, ideo post datam legem veterem, oportuit etiam novam legem dari.

ARTICULUS IV.

Utrum lex nova sit gravior quam vetus.

Pro affirmativa=Videtur quod lex nova sit gravior quam vetus.

1. Lex cujus mandata sunt difficiliora ad observandum, quam mandata veteris

legis, est gravior quam lex vetus. Sed mandata novæ legis difficiliora sunt quam mandata veteris legis. Ergo lex nova est gravior, quam lex vetus fuerit.

Minor prob., quia super illud Mat. 5. *Qui solverit unum de mandatis his minimis*, dicit Chrysostomus hom. 10. in Matth. *Mandata Moysi in actu facilia sunt ut* non occides, non adulterabis. *Mandata Christi, scilicet* non irascaris, non concupiscas, *in actu difficilia sunt.*

2. Lex cujus observantiam consequitur multiplex adversitas, gravior est quam illa cujus observantiam consequitur temporalis prosperitas. Sed observantiam novæ legis consequitur multiplex adversitas, observantiam vero veteris legis consequebatur multiplex prosperitas. Ergo lex nova est gravior quam lex vetus.

Maior prob., quia facilius est terrena prosperitate uti, quam tribulationes perpeti.

Minor quoad primam partem prob. quia Apostol. 2. Cor. 6. dicit: *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, cum multa patientia in tribulationibus, in necessitabus, in angustiis*, etc.

Quoad alteram partem habetur Deut. 28. in principio.

3. Lex quæ se habet ex additione ad legem veterem, est gravior quam sit lex vetus. Sed lex nova se habet ex additione ad legem veterem. Ergo lex nova est gravior, quam sit lex vetus.

Maior prob., quia quod se habet ex additione ad alterum, videtur esse difficilius.

Minor prob. Nam lex vetus prohibuit perjurium, lex vero nova prohibuit etiam juramentum. Lex vetus prohibuit dissidium uxoris sine libello repudii, lex nova omnino dissidium prohibuit, ut patet Matth. 5.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Matth. 11. dicitur: *Venite ad me omnes, qui laborati et honorati estis.* Quod exponens Hilarius can. 11. in Mat. dicit, *legis difficultatibus laborantes, et peccatis sæculi oneratos ad se advocat*, et postmodum de jugo Evangelii subdit. *Jugum enim meum suave est et onus meum leve.* Ergo lex nova est levior, quam vetus.

Determinatio.

Distinctio. Circa opera virtutis, de quibus præcepta legis dantur, duplex difficultas attendi potest. Una quidem ex parte exteriorum operum, quæ ex seipsis quamdam difficultatem habent et gravitatem. Alia est difficultas circa opera virtutum in interioribus actibus, puta ut quis aliquod opus exerceat prompte, et delectabiliter: et circa hoc difficile est virtus; hoc enim non habenti virtutem est valde difficile, per virtutem autem redditur facile.

1.ª Conclusio. Lex vetus respectu actuum exteriorum est multo gravior quam lex nova.

Probatur. Lex quæ obligat ad plures actus exteriores, est gravior respectu actuum exteriorum. Sed lex vetus obligat ad plures actus exteriores, quam obliget lex nova. Ergo lex vetus est multo gravior respectu actuum exteriorum, quam sit lex nova.

Minor prob., quia lex vetus habebat multiplices cæremonias, ut ex dictis patet. Lex vero nova præter præcepta legis naturæ, paucissima superaddidit in doctrina Christi, et Apostolorum, licet postmodum aliqua sint superaddita ex institutione sanctorum Patrum in quibus etiam August. dicit Epist. 119. cap. 19. esse moderationem attendendam, ne conversatio fidelium onerosa reddatur: dicit enim ad inquisitiones Januarii de quibusdam, quod *ipsam religionem nostram, quam in manifestissimis et paucissimis celebrationum Sacramentis Dei voluit misericordia esse liberam, servilibus premunt oneribus, adeo ut tolerabilior sit conditio judæorum, qui legalibus sacramentis non humanis præsumptionibus subjiciuntur.*

2.ª Conclusio. Lex nova respectu in-

teriorum actuum gravior est, quam lex vetus.

Manifestatur. Quia in lege nova prohibentur interiores motus animi, qui expresse in veteri lege non prohibebantur in omnibus, et si in aliquibus prohiberentur in quibus tamen prohibendis pœna non apponebatur, hoc autem est difficillimum, non habenti virtutem, sicut etiam Phil. dicit 5. Ethic. cap. 9. quod *operari ea quæ justus operatur facile est; sed operari eo modo quo justus operatur*, scilicet delectabiliter et prompte, *difficile est non habenti justitiam*. Ea sic etiam dicitur Joann. 5. *Mandata ejus gravia non sunt*, quod exponens August. de nat. et grat. cap. 69. dicit, quod *non sunt gravia amanti; sunt gravia*.

In forma. Lex quæ prohibet interiores motus animi, gravior est quam quæ prohibet solum exteriores motus. Sed lex novat prohibet interiores motus animi, quod lex vetus non facit. Ergo lex nova est quoad hoc gravior, quam fuerit lex vetus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem et ad ejus probationem, quod authoritas illa loquitur expresse de difficultate novæ legis, quantum ad prohibitionem interiorum motuum. Unde argumentum hoc probat secundam conclusionem.

Ad 2. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod adversitates, quas patiuntur observatores novæ legis, non sunt ab ipsa lege impositæ, sed tamen propter amorem, in quo ipsa lex consistit, faciliter tolerantur, quia sicut Aug. dicit in libro de verbis Domini serm. 9. *Omnia sæva et immania, facilia, et prope nulla efficit amor*.

Ad 3. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod illæ additiones ad præcepta veteris legis ad hoc ordinantur, ut facilius impleatur quod vetus lex mandabat, sicut Aug. dicit lib. 1. de serm. dom. in Mon. cap. 30. 33. et ideo per hoc non solum non ostenditur, quod lex nova sit gravior, sed potius quod sit facilior.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 107.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo* : quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis insinuatum, quod lex nova est, et non est alia á veteri. Quod quidem sit, ut Heb. 7. *Translato* etc. secundum quod cum discursu est *in arg. cont.* Item per hoc, quod ad volentes inducere observantiam legis veteris cum nova dixit B. Petrus Act. 15. " Deus elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii, nunc ergo quid tentatis, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? Sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi. » Constat enim, quod, nisi esset alia, et alia vetus lex, et nova, B. Petrus non sic pro zelo veritatis excanduisset. Ex suo itaque bono zelo declaratum aperte esse voluit intentum, et quidem abundanter, scilicet, quod á veteri lege distinguitur lex nova, tum quoad suum principale, tum quoad secundarium. Principale novæ legis designavit per ly *gratiam Domini nostri Jesu Christi* ; secundarium autem per ly *verbum Evangelii*. Ac si scholastice in proposito dixisset. Quid tentatis imponere aliam legem super cervices discipulorum, qui aliam, scilicet novam, receperunt omnino perfectiorem? Quod autem non sit alia á veteri, insinuatur per dictum Galat. 1. " Miror, quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium, quod non est aliud. » Educere enim illos his verbis intendebat ab errore hoc, scilicet, quod lex nova á veteri esset alia, idest aliam fidem, alium Christum, alium Deum prædicaret. Nam, hoc sublato, scilicet, quod lex vetus sit substantialiter aliud Evangelium á novo, non erat, quod pu-

tarent, legem veterem esse literæ sensu servandam cum nova. Immo, hac veritate cognita, scilicet, quod illa vetus non est aliud Evangelium ab ista nova (contra falsam doctrinam falsorum Apostolorum) patens eis relinquebatur via concludendi, quod lex vetus Judaico more non erat á seipsis servanda cum nova. Tunc enim simul cognovissent, et quod servando novam servant veterem perfectiori modo, et quod furoris stolidissimi plenum est hoc, scilicet servanti veterem modo perfectiori dicere, bonum est tibi servare eamdem modo imperfecto, idest more illo judaico antiquo. Radix ergo liberandi Galatas á falsis Apostolis erat persuadere eis hanc veritatem scilicet, quod lex vetus non est aliud Evangelium á novo. Et ad hoc attendit ibi Apostolus. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem directam (hæc multiplex est in corp.) et indirectam (hæc est solutio argumentorum) interimas, et quidem á fortiori, hæresim *Adam Manichæi* dicentis: quod Evangelica doctrina est veteri legi contraria. Si enim lex ipsa nova adimplet legem veterem, ut efficaciter hic probatur, utique per articulum præsentem monstratur, quod multo magis Evangelica eadem lex non est contraria veteri. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc hæresim merito damnari, et quidem á fortiori, Matth. 5. *Non veni*, etc. ut *in arg. cont.* Nota, quod mox præmiserat, ut vere præscius futurorum ly *Nolite putare*, scilicet ut *Adam Manichæus*. Item á dictis per veritates aureas super legem ueterem, Deu. 10. concl. 1. Item ab Apostolo in ad Heb. ubi sæpius sparsim concordantiam novæ legis cum veteri, vel explicite indicat: et etiam veteris adimpletionem á nova per exhibitionem figurati ad figurata, id, quod est, ut diximus, ostendere non solum simpliciter, sed et á fortiori, quod nova non est antiquæ contraria. Item á Matth. 1. 2. 4. et passim ab Evangelistis damnari per hoc; quod adducunt testimoniales scripturas de lege veteri ad illa, quæ tractant. Ut Joan. 19. "Non fregerunt ejus crura: ut adimpleretur scriptura, os non comminuetis ex eo» (quod est in Exo. 2.) Hinc et alia ejusdem *Adæ Manichæi* exploditur hæresis, qua dicit: quod Evangelica doctrina est contraria prophetis. Patet enim ibi: quod millies prophetarum dicta, tamquam illis concordans assumit lex Evangelica. Ex his quoque alia similis ipsius condemnatur hæresis dicens: quod Apostolica doctrina est contraria legi veteri, et prophetis. Nam doctrina Apostolica allegationes sæpissime et ipsa de prophetis, et lege, tamquam eisdem consonans, in testimonium abducit. Vide Elucid. pri. par. qu. ar. 10. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas, et quidem á fortiori, hæresim narratam in art 2. append. Per hoc enim, quod articulus demonstrat, legem novam contineri in veteri, commonstrat multo magis, ut patet, hanc veteri non esse contrariam. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Rom. 1. "In Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis.» Ubi per Prophetas intelligit etiam Moysen, de quo dicitur Deuteron. 24. "Non surrexit Propheta ultra in Israel, sicut Moyses:» et per scripturas sanctas intelligit etiam legem veterem, immo hanc maxime inter alias se intellexisse insinuat in Epistola ad Hæbræos, dum ibi, quasi per totum figuratam fuisse legem novam in veteri manifestat, figuras ipsas figuratis applicando. Ac si per illud Rom. 1. dixisset apertius in proposito isto, Evangelium Dei continebatur in veteri lege data per Prophetam Domini Moysen. Item á Galat. 1. "Transferimini in aliud Evangelium, quod non est aliud.» Hoc est in Evangelium aliud explicite: quod non est aliud implicite. Hoc autem Apostolus dicebat de lege veteri in quam Galatæ á falsis Apostolis seducti transferebantur: ac si lex nova non contenta fuisset in veteri, sed fuisset aliquid ab ea totaliter diversum. Item merito damnari á prædictis *in articulo* 2. *appendice*. Si recte ad hunc locum de continentia unius in altera adaptentur, id, quod facillimum est. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene etc.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis insinuatum, quod lex nova est minus gravis quam vetus. Ut

per dictum illud Matth. 1. secundum quod cum expositione B. Hilarii ponitur *in arg. cont.* Pro cujus captu nota ly *jugum meum* dicere legem novam secundum suum principale consideratam, et ly *onus meum* dicere eamdem legem secundum suum secundarium. Et ideo ad ly *jugum* reddit ly *suave* et ad ly *onus* reddit ly *leve*. Nam gratiæ Spiritus Sancti, quæ est novæ legis principale, quæst. 106 art. 1. proprium est causare quamdam suavitatem in anima, secundum illud Psalm. 108. *Suavis est misericordia tua*, et mandatis per scripturam notificatis, quod est secundarium ejusdem legis, quæst. 106. ibid. convenit esse grave, vel leve ad portandum per eorum observantiam. Ostenditur etiam, quod per ly *jugum meum* intelligit gratiam, quia huic dicto præmittit humilitatem, dicens ly *humilis corde*, quoniam solis *humilibus*, quales per illa verba nos volebat esse, *Deus dat gratiam*, Jac. 4. Notabis quoque, quod dicere ly *onus leve* non est (quamvis in prima superficie videatur) contra conclusionem articuli secundam, quæ dixit, legem novam, quoad hoc, esse antiqua graviorem, quoniam, licet *gravis sit non amanti*, idest non habenti principale legis, idest gratiam, tamen eadem *levis est amanti*. In quo ultimo sensu loquitur ibi Evang. in cujus signum dicit ly *jugum*, antequam dicat ly *onus leve*: conclusio autem ipsa loquebatur in *primo* sensu. Item idipsum, scilicet, quod lex nova non sit gravior veteri, insinuatur per dictum illud Act. 15. "Quid tentatis imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari.» Ad planam enim literam fit ibi sermo de gravitate legum ad invicem comparata (ut patet legenti) et concluditur á concilio illo Apostolorum, quod lex vetus est multo gravior, quam lex nova. *Secundo* vides: etc.

QUÆSTIO CENTESIMA OCTAVA,

DE HIS QUÆ CONTINENTUR IN LEGE NOVA, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de his, quæ continentur in lege nova.

Et circa hoc quæruntur quatuor.

Primo, utrum lex nova debeat aliqua opera exteriora præcipere vel prohibere.

Secundo, utrum sufficieter se habeat in exterioribus actibus præcipiendis, vel prohibendis.

Tertio utrum convenienter instituat homines quantum ad actus interiores.

Quarto, utrum convenienter superaddat consilia præceptis.

ARTICULUS I.

Utrum lex nova aliquos exteriores actus debeat præcipere, vel prohibere.

Pro negativa.=Videtur quod lex nova nullos exteriores actus debeat præcipere, vel prohibere.

1. Lex quæ est Evangelium Regni Dei, nullos actus exteriores debet præcipere, aut prohibere. Sed lex nova est lex Evangelii regni Dei. Ergo lex nova nullos exteriores actus debet præcipere, aut prohibere.

Maior prob., quia regnum Dei non consistit in exterioribus actibus, sed solum in interioribus, secundum illud Luc. 17. «Regnum Dei intra vos est,» et Rom. 14. "Non est regnum Dei esca, et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto.»

Minor prob., quia Matth. 24. dicit. «Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe.»

2. Lex spiritus non debet præcipere, aut prohibere aliquos exteriores actus. Sed lex nova est lex Spiritus, ut dicitur Rom. 8. Ergo lex nova non debet præcipere, aut prohibere aliquos exteriores actus.

Maior prob., quia *ubi est Spiritus, ibi libertas*, ut dicitur 2. Cor. 3. Non est

est autem libertas, ubi homo obligatur ad aliqua opera exteriora facienda, vel vitanda.

3. Lex quæ cohibet animum, et non manum, non præcipit, aut prohibet aliquos exteriores actus. Sed lex nova cohibet animum et non manum. Ergo lex nova non debet præcipere, aut prohibere aliquos exteriores actus.

Maior probatur. Quia omnes exteriores actus pertinere intelliguntur ad manus, sicut interiores pertinent ad animum.

Minor probatur. Quia hæc ponitur differentia inter novam et veterem legem; quia vetus manum, nova vero animum cohibet.

PRO AFFIRMATIVA

Argumentum sed contra.

Lex per quam homines efficiuntur filii lucis, debet præcipere et prohibere aliquos exteriores actus. Sed per legem novam homines efficiuntur filii lucis. Ergo lex nova debet præcipere et prohibere aliquos exteriores actus.

Maior prob. Quia filios lucis decet opera lucis facere, et opera tenebrarum abjicere, secundum illud ad Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate.*

Minor prob. Quia Jo. 12. dicitur: *Credite in lucem, ut filii lucis sitis.*

Determinatio.

1.ª Conclusio. Lex nova debet aliquos exteriores actus præcipere, et oppositos his prohibere.

Prob. Actus pertinentes ad gratiam Spiritus Sancti, convenienter in lege nova præcipiuntur, et oppositi prohibentur. Sed aliqui actus exteriores pertinent ad gratiam Spiritus Sancti. Ergo aliquos actus exteriores lex debet præcipere, et oppositos prohibere.

Maior prob. Quia principalitas legis novæ, ut dictum est q. 106. art. 1. est gratia Spiritus Sancti, quæ manifestatur in fide per dilectionem operante. Unde actus pertinentes ad gratiam Spiritus Sancti debent in lege præcipi, et oppositi prohiberi.

Minor prob. Quia gratiam Spiritus Sancti consequuntur homines per filium Dei hominem factum, cujus humanitatem Deus replevit gratia, et exinde est ad nos derivata, unde dicitur Jo. 1. *Verbum caro factum est*, et postea subditur. *Plenum gratiæ et veritatis*: et infra, *de plenitudine ejus omnes nos accepimus, et gratiam pro gratia.* Unde subditur quod *gratia, et veritas per Jesum Christum facta est*: et ideo convenit *ut per aliqua signa sensibilia exteriora gratia á verbo incarnato profluens in nos deducatur, et ex gratia interiori, per quam caro Spiritui subditur, exteriora quædam opera sensibilia producantur.*

Actus igitur exteriores pertinentes ad gratiam Spiritus Sancti, sunt in duplici differentia. Quidam sunt per quos gratia á Christo in nos procedit, et hujusmodi opera sacramentorum, quæ sunt nova lege sunt instituta, sicut Baptismus, Eucharistia etc. Quidam vero sunt actus, qui ex gratia in nobis existente producuntur, ut sunt confessio fidei, opera charitatis, et hujusmodi.

Sed hæc opera quæ ex instinctu gratiæ producuntur, adhuc sunt in duplici differentia. Quædam habent necessariam convenientiam, vel contrarietatem ad interiorem gratiam: ut sunt confessio fidei, dilectio Dei, et proximi, et hujusmodi. Quædam vero non habent necessariam contrarietatem, vel convenientiam ad fidem per dilectionem operantem: ut sunt manducare hunc, vel illum cibum, ut sic', induere hunc vel illum habitum, et hujusmodi.

Opera igitur exteriora, per quæ homo Christi gratiam participat, præcipiuntur in nova lege, ut patet de Baptismo, de Eucharistia, Pœnitentia. etc.

Opera quæ ex instinctu gratiæ producuntur, si habeant necessariam convenientiam ad gratiam ipsam in nova lege præcipiuntur, ut patet de actu confessio-

nis fidei, de quo dicitur Mat. 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus*, etc.

Opera vero procedentia quidem ex instinctu gratiæ, non habentia tamen aliquam necessariam connexionem cum gratia, non præcipiuntur, sed relicta sunt á legislatore Christo unicuique secundum quod aliquis curam gerere debet de aliquibus, et sic unicuique liberum est circa talia determinare, quid sibi expediat facere, vel vitare et cuicumque præsidenti circa talia ordinare suis subditis, quid sit in talibus faciendum, vel vitandum. Unde etiam quantum ad hoc dicitur lex nova, lex libertatis: nam lex vetus multa determinabat, et pauca relinquebat homini liebrtati determinanda.

Ex quibus patet minor, scilicet quod aliqui actus exteriores pertinent ad gratiam Spiritus Sancti, scilicet per quos gratia in nobis introducitur, et quomodo aliqui procedunt ex gratia jam introducta, quorum quidam habent necessariam connexionem cum gratia, et quidam non, ut dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod regnum Dei in interioribus actibus consistit principaliter, sed ex consequenti etiam ad regnum Dei pertinent omnia illa, sine quibus interiores actus esse non possunt. Sicut si regnum Dei est interior justitia, et pax, et gaudium spirituale, necesse est, quod omnes exteriores actus, qui repugnant justitiæ, aut paci, aut gaudio spirituali, repugnent etiam regno Dei, et ideo sunt in Evangelio regni prohibendi. Illa vero quæ indifferenter se habent respectu horum, puta comedere hos, vel illos cibos, in his non est regnum Dei. Unde Apost. præmittit: *Non est regnum Dei esca, et potus.*

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod secundum Phil. in 1. Meta. cap. 2. *Liber est, qui sui causa est.* Ille ergo libere aliquid agit, qui ex se ipso agit: quod autem homo agit ex habitu suæ naturæ convenienti, ex se ipso agit, quia habitus inclinat in modum naturæ. Si vero habitus esset naturæ repugnans, homo non ageret secundum quod est ipse, sed secundum aliquam corruptionem sibi supervenientem. Quia igitur gratia Spiritus Sancti est sicut interior habitus nobis infusus inclinans nos ad recte operandum, facit nos libere operari ea quæ conveniunt gratiæ, et vitare ea quæ gratiæ repugnant. Sic igitur lex nova dicitur lex libertatis dupliciter. Uno modo, quia non arctat nos ad facienda, vel vitanda aliqua, nisi quæ de se sunt vel necessaria, vel repugnantia saluti, quæ cadunt sub præcepto, vel prohibitione legis. Secundo quia hujusmodi præcepta, vel prohibitones facit nos libere implere in quantum ex interiori instinctu gratiæ ea implemus. Et propter hæc duo lex nova dicitur *lex perfectæ libertatis*, Jacob. 1.

Ad 3. Neg. minor. Lex enim nova, non solum cohibet animum, sed etiam manum ab inordinatis actibus, qui sunt effectus interiorum motuum. Ad prob. dicitur, quod differentia inter legem veterem et novam est, quia illa prohibebat solam manum, et non animum, ut patet ex dictis; lex autem nova prohibet utrumque.

ARTICULUS II.

Utrum lex nova sufficienter exteriores actus ordinaverit.

Pro negativa.=Videtur quod lex nova insufficienter exteriores actus ordinaverit.

1. Lex nova explicavit quædam credenda, quæ non erant in veteri lege explicata, sicut de fide Trinitatis. Ergo etiam debuit superaddere aliqua opera, ad moralia opera, quæ in veteri lege determinantur.

Conseq. prob., quia cum ad legem novam pertineat præcipue fides per dilectionem operans, secundum quod dicitur Gal. 5. ea ratione qua explicavit quædam credenda, debuit superaddere aliqua operanda.

2. In nova lege præter sacramenta, nulla sunt instituta á Deo sacra, puta quæ pertineant vel ad sanctificationem alicujus templi, vel vasorum, vel etiam ad aliquam solemnitatem celebrandam. Ergo lex nova insufficienter exteriora opera ordinavit.

Conseq. prob., quia in veteri lege non solum sunt instituta sacramenta, sed etiam aliqua sacra, ut supra dictum est.

3. In lege nova videntur esse datæ aliquæ observantiæ solis Dei ministris, ut patet Matth. 10. ubi dicitur Apostolis, *Nolite possidere aurum, neque argentum*, et cætera quæ ibi sequuntur, et quæ dicuntur Luc. 9. et 10. Non autem datæ sunt aliquæ observantiæ ad populum fidelem pertinentes. Ergo lex nova insufficienter tradit exteriora opera.

Conseq. prob., quia in veteri lege sicut erant aliquæ observantiæ pertinentes ad Dei ministros, ita etiam erant quædam observantiæ pertinentes ad populum, ut q. 101. art. 4. et 102. art. 3. dictum est.

4. In lege nova non traduntur aliqua judicialia præcepta. Ergo lex nova insufficienter exteriora opera ordinavit.

Conseq. prob., quia in veteri lege præter cæremonialia et moralia, fuerunt quædam præcepta judicialia.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Sapiens ædificator nihil omittit eorum quæ sunt necessaria ad ædificium. Sed Matth. 7. dicit Christus: *Omnis qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.* Ergo in verbis Christi sufficienter sunt omnia posita, quæ pertinent ad salutem humanam.

Determinatio.

Conclusio. Lex nova sufficienter ordinavit actus exteriores.

Prob. Lex nova sufficienter ordinavit actus per quos ad gratiam introducimur, et actus pertinentes ad bonum usum gratiæ. Ergo lex nova sufficienter ordinat actus exteriores.

Antequam probentur antecedens et consequentia, est præmittendum, quod actus exteriores pertinentes ad novam legem sunt in duplici differentia, ut etiam art. præc. dictum est. Quidam sunt per quos ad gratiam introducimur. Quidam vero sunt, qui pertinent ad rectum usum gratiæ jam habitæ. Et hi adhuc sunt in duplici differentia. Quidam pertinent ad rectum usum gratiæ ex necessitate. Quidam vero pertinent ad rectum usum gratiæ non ex necessitate: unde tria ad summum sunt genera actuum pertinentium ad legem novam, scilicet, qui pertinent ad ipsam consecutionem gratiæ; qui pertinent ad rectum gratiæ usum ex necessitate; et qui pertinent ad gratiæ rectum usum non ex necessitate.

Actus per quos ad gratiam introducimur, sive per quos gratiam consequimur, sunt qui pertinent ad susceptionem sacramentorum novæ legis.

Actus pertinentes ad bonum usum gratiæ ex necessitate, sunt opera charitatis, quæ secundum quod sunt de necessitate virtutis, pertinent ad præcepta moralia, quæ etiam in veteri lege tradebantur.

Actus pertinentes ad usum gratiæ non ex necessitate, sunt illi per quos determinantur moralia præcepta, vel in ordine ad divinum cultum, vel in ordine ad proximum. Actus determinantes præcepta moralia in ordine ad divinum cultum pertinebant ad præcepta cæremonialia in lege veteri, et actus determinantes præcepta moralia in ordine ad proximum, pertinebant in veteri lege ad præcepta judicialia.

Et exemplariter singula explanando dicimus, quod actus, per quos ad gratiam introducimur sunt, suscipere sacramentum Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Ordinis, etc.

Actus pertinentes ad rectum gratiæ

usum ex necessitate sunt, diligere Deum super omnia, parentes, et proximum, etc.

Actus pertinentes ad rectum gratiæ usum non ex necessitate in ordine ad Deum in lege veteri erant omnes cæremoniæ á Deo ordinatæ. In lege vero nova sunt omnes cæremoniæ, et observantiæ ad divinum cultum pertinentes, ut sunt quod sacerdos celebraturus indutus sit sacerdotalibus vestibus, quod templum sit consecratum, quod certis diebus á carnibus abstinere debeamus, et his similia.

Actus vero pertinentes ad rectum gratiæ usum non ex necessitate per ordinem ad proximum in lege veteri erant omnes actus pertinentes ad judicialia præcepta. In lege vero nova sunt omnes actus judiciales, puta quod hæretici sunt arcendi á fidelium conversatione, quod pertinaces comburantur, quod fures suspendantur, et his similia.

Quia igitur sacramenta sunt necessaria ad consecutionem gratiæ, Christus instituit ipsa per se ipsum, utpote per quem solum gratiam consequimur.

Baptismum instituit, quando ipse fuit baptizatus Matth. 3. et Luc. 3. Joa. 3. Matth. ult. et Marc. ult. Eucharistiam instituit in ultima cœna Matth. 16. Marc. 14. Luc. 23.

Ordinem ministrorum novæ legis instituit, instituendo Apostolos, et septuaginta duos discipulos. Matth. 10. Marc. 3. Luc. 6. et Luc. 10.

Pœnitentiam instituit Matth. 3.

Matrimonium indivisibile instituit Mat. 5.

Confirmationem promisit per Spiritus Sancti missionem, Luc. ult.

Extremam unctionem institutam á Christo fuisse habetur Marc. 6. ubi legitur Apostolos ex institutione Domini ungendo oleo infirmos sanasse.

Actus autem exteriores necessarii ad rectum gratiæ usum, cum ut dictum est pertineant ad præcepta moralia, quæ traduntur in veteri lege, quæ habent perpetuam observantiam in lege nova hujusmodi præcepta fuerunt melius exposita et approbata, ut patet Matth. 5. fere per totum, et Marc. 9. et Luc. 16. Luc. 19.

De actibus autem, qui non pertinent ad introductionem, nec ad usum gratiæ ex necessitate, sive pertineant ad divinum cultum, sive ad proximum sint ordinati, non sunt data aliqua præcepta in lege nova, sed relinquuntur humano arbitrio: quædam quidem quantum ad subditos, quæ scilicet pertinent sigillatim ad unumquemque, quædam vero ad prælatos spirituales, vel temporales, quæ scilicet pertinent ad communem utilitatem.

Unde lex nova nulla alia exteriora opera determinare debuit præcipiendo, vel prohibendo, nisi sacramenta, et moralia præcepta, quæ de se pertinent ad rationem virtutis, puta non esse occidendum, vel furandum, etc.

Ex his probatur antecedens, et consequentia. Antecedens quidem, scilicet quod lex nova sufficienter ordinaverit exterioros actus, per quos ad gratiam introducimur, et eos qui pertinent ad rectum gratiæ usum, ostenditur. Quia in lege nova instituta fuerunt á Christo sacramenta, per quæ ad gratiam introducimur. Et confirmata fuerunt præcepta moralia, quorum actus pertinent ad rectum gratiæ usum, ut dictum est.

Conseq. vero prob. Quia lex nova in exterioribus illa sola præcipere, vel prohibere debuit, per quæ ad gratiam introducimur, vel quæ pertinent ad rectum gratiæ usum ex necessitate: reliqua autem humano arbitrio determinanda relinquere debuit, ut dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de credendis, et de operationibus. Ea enim quæ sunt fidei, sunt supra rationem humanam, unde ad ea

non possumus pervenire nisi per gratiam, et ideo abundantiori gratia in lege nova superveniente, necessarium fuit plura credenda explicari. Sed ad opera virtutum dirigimur per operationem naturalem, quæ est regula quædam humanæ operationis, ut dictum est q. 19. art. 4. ideo in his non oportuit aliqua præcepta dari, ultra præcepta moralia legis, quæ sunt de dictamine rationis.

Et ex hoc patet, quid dicendum sit ad probationem. Nam etsi ad legem novam pertineat fides per dilectionem operans, tamen fides est supra humanam rationem, non autem operatio, ut dictum est.

Ad 2. Neg. conseq. Non enim est eadem ratio in lege nova de sacramentis et sacris. In sacramentis enim novæ legis datur gratia, quæ non est nisi á Christo: et ideo oportuit quod ab ipso institutionem haberent. Sed in sacris non datur aliqua gratia, puta in consecratione templi, vel altaris, vel aliorum hujusmodi, aut etiam in ipsa celebritate solemnitatum; et ideo quia talia secundum se ipsa non pertinent ad necessitatem interioris gratiæ, dominus fidelibus instituenda reliquit pro eorum arbitrio.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod illa præcepta Dominus dedit Apostolis, non tamquam cæremoniales observantias, sed tamquam moralia instituta: et possunt intelligi dupliciter. Uno modo secundum Aug. lib. 2. c. 30. de consensu Evangelistarum, ut non sint præcepta, sed concessiones: concessit enim eis ut poset pergere ad prædicationis officium sine pera, et baculo, et aliis hujusmodi, tamqnam habentes potestatem necessaria vitæ accipiendi ab illis quibus prædicabant. Unde subdit: *Dignus est enim operarius cibo suo*; non autem peccat, sed supererogat, qui sua portat, ex quibus vivat in prædicationis officio, non accipiens sumptum ab his, quibus Evangelium prædicat, sicut Paulus fecit. Alio modo possunt intelligi secundum aliorum sanctorum expositionem, ut sint quædam statuta temporalia Apostolis data pro illo tempore, quo mittebantur ad prædicandum in Judæam ante Christi passionem. Indigebant enim discipuli, quasi adhuc parvuli sub Christi cura existentes, accipere aliqua specialia instituta á Christo, sicut et subditi á suis prælatis: præcipue, quia erant paulatim exercitandi, ut temporalium solicitudinem abdicarent, per quod reddebantur idonei ad hoc quod Evangelium per universum orbem prædicarent. Nec est mirum si adhuc durante statu veteris legis, et nondum perfectam libertatem spiritus consecutis quosdam determinatos modos vivendi instituit, quæ quidem statuta imminente passione removit tamquam discipulis jam per ea sufficienter exercitatis: unde Luc. 22. dixit, «quando misi vos sine sacculo, et pera, et «calceamentis, numquid defuit aliquid «vobis? at illi dixerunt, nihil. Dixit ergo «eis, sed nunc qui habet sacculum, tol«lat similiter et peram.» Jam enim imminebat tempus perfectæ libertatis, ut totaliter suo dimitterentur arbitrio in his, quæ secundum se non pertinent ad necessitatem virtutis.

Ad 4. Neg. conseq. Judicialia enim præcepta secundum se considerata non sunt de necessitate virtutis quantum ad talem determinationem, sed solum quantum ad communem rationem justitiæ, et ideo judicialia præcepta reliquit Dominus disponenda his, qui curam aliorum erant habituri, vel spiritualem, vel temporalem. Sed circa judicialia præcepta veteris legis quædam explanavit, propter malum intellectum pharisæorum, ut infra dicetur.

ARTICULUS III.

Utrum lex nova hominem circa interiores actus sufficienter ordinaverit.

Pro negativa.=Videtur quod lex nova insufficienter hominem circa interiores actus ordinaverit.

1. Dominus legem novam condens, solum circa tria præcepta decalogi aliquid suplevit, exponendo verum eorum intellectum. Ergo lex nova insufficienter hominem circa interiores actus ordinavit.

Conseq. prob., quia decem sunt præcepta decalogi ordinantia hominem ad Deum, et proximum. Unde insufficienter in lege nova, tria tantum ipsorum exponuntur.

Antec. prob. Nam Matth. 5. ubi Dominus legem novam condidit, circa tria præcepta decalogi aliquid supplevit, scilicet circa prohibitionem homicidii, adulterii, et perjurii.

Homicidii quidem, dum dicitur: «Audistis quia dictum est antiquis, non occides. Ego autem dico vobis, quia omnis «qui irascitur fratri suo,» etc.

Adulterii vero dum dicitur: «audistis «quia dictum est antiquis. Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam,» etc.

Perjurii autem dum dicitur: «audistis «quia dictum est antiquis, Non perjurabis, ego autem dico vobis, non jurare «omnino.»

Sicut igitur ista tria præcepta exponuntur et supplentur, ita etiam alia septem exponi et supleri debuerunt.

2. Dominus in Evangelio nihil ordinavit de judicialibus præceptis, nisi circa repudium uxoris, circa pœnam talionis, et circa persecutionem inimicorum. Ergo insufficienter quantum ad hoc vitam hominis ordinavit.

Conseq. prob., quia multa sunt alia præcepta judicialia veteris legis, ut dictum est q. 104. art. 4.

Antec. manifest. Nam Matth. 5. illa sola tria judicialia præcepta exponuntur, et supplentur. Et quidem de repudio uxoris dicitur: «dictum est autem, qui«cumque dimiserit uxorem suam, det ei «libellum repudii, ego autem dico vobis, «quia omnis qui dimiserit uxorem suam, «excepta causa fornicationis, eam mœchari «facit,» etc.

De pœna vero talionis dicitur: «audis«tis quia dictum est, oculum pro oculo, et «dentem pro dente, ego autem dico vobis, «non resistere malo,» etc.

De persecutione autem inimicorum dicitur: «audistis, quia dictum est anti«quis. Diliges proximum tuum, et odio «habebis inimicum tuum. Ego autem» etc. Debuerunt igitur etiam alia judicialia exponi.

3. Dominus nihil ordinavit circa præcepta cæremonialia. Ergo insufficienter actus interiores hominis in lege nova ordinari videntur.

Conseq. prob., quia in veteri lege præter præcepta moralia, et judicialia erant præcepta cæremonialia. Unde sicut Dominus in nova lege aliquid circa moralia, et judicialia ordinavit, videtur debuisse ordinare aliquid circa cæremonialia.

4. Dominus prohibuit solum ne quæramus favorem humanum, et hoc in tribus solis operibus, scilicet in jejunio, oratione, et eleemosyna. Ergo insufficienter in lege nova actus interiores ordinantur.

Conseq. prob., quia ad interiorem bonam mentis dispositionem pertinet, non solum ut homo non quærat favorem humanum in his operibus, sed etiam, ut nullum aliud temporale bonum in suis operibus quærat. Sed multa alia bona temporalia sunt, præter favorem humanum, et multa sunt alia bona opera, præter jejunium, orationem, et eleemosynam. Ergo inconvenienter Dominus prohibuit solum quæstum humanæ gloriæ, et hoc in tribus tantum operibus.

Antec. prob., quia Matth. 6. solum de his tribus operibus fit mentio, scilicet eleemosyna, oratione, et jejunio, et solum de non quærenda humana gloria.

Et de eleemosyna quidem dicitur: «cum facis eleemosynam, noli tuba ca-

«nere ante te, sicut hypocritæ faciunt. Te «autem faciente eleemosynam, nesciat si- «nistra tua,» etc.

De oratione vero dicitur. «Et cum «oratis, non eritis sicut hypocritæ,» etc. «Tu autem cum oraveris, intra cubilum «tuum,» etc.

De jejunio autem dicitur. «Cum jeju- «natis, nolite fieri sicut hypocritæ tris- «tes,» etc.

Ex quibus patet quod Dominus solum prohibet nobis quærere humanam gloriam, et hoc solum in tribus operibus prædictis, ac per hoc insufficienter ordinare videtur actus interiores, ad quorum bonam dispositionem pertinet fugere non solum humanæ gloriæ appetitum, sed etiam aliorum bonorum temporalium, et hoc non solum in eleemosyna, oratione, et jejunio, sed etiam in aliis operibus.

5. Naturaliter homini inditum est, ut sollicitetur circa ea, quæ sunt sibi necessaria ad vivendum. Ergo inconvenienter Dominus Matth. 6. prohibet sollicitudinem victus et vestitus, dicens «ne solliciti sitis animæ vestræ, quid «manducetis, neque corpori vestro, quid «induamini.»

Antec. prob., quia in hac solicitudine, scilicet quærendi necessaria ad victum, alia animalia cum homine conveniunt. Unde Prover. 5. dicitur. «Vade «ad formicam ô piger, et considera viam «ejus, quæ cum non habeat præceptorem, «vel ducem, parat in æstate cibum sibi,» etc.

Conseq. prob., quia omne præceptum quod datur contra inclinationem naturæ, est iniquum, utpote contra legem naturalem existens.

6. Nullus actus virtutis est prohibendus. Sed judicium est actus virtutis. Secundum illud Psal. 93. *quousque justitia convertatur in judicium*. Ergo inconvenienter Dominus Matth. 7. videtur prohibuisse judicium, dum dicit: «nolite judicare,» etc.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. dicit in lib. 1. de sermone Domini in monte in principio «Considerandum est, quia cum dixit: qui audit verba mea hæc, satis significat sermo- «nem istum Domini omnibus præceptis «quibus Christiana vita formatur, esse perfectum.

Determinatio.

Conclusio. Lex nova quam Dominus noster Jesus Christus per seipsum in sermone, quem habuit in monte, de quo habetur Matth. 5. 6. et 7. promulgavit, sufficienter hominem circa interiores actus ordinavit.

Probatur authoritate et ratione. Authoritas est Aug. lib. 1. de sermone Domini in monte in principio dicentis: «Sermonem quem locutus est Dominus noster Jesus Christus in monte, sicut in Evangelio secundum Matthæum legimus si quis pie sobrieque considerare voluerit, puto quod inveniet in eo, quod ad mores optimos pertinet, perfectum vitæ Christianæ modum.»

Secundo prob. ratione. Lex quæ ordinat hominem circa actus interiores, qui sunt de his quæ portinent ad seipsum, et eos qui sunt de his quæ pertinent ad proximum, et quæ docet modum adimplendi ea, quæ in lege præcipiuntur, sufficienter ordinat hominem circa actus interiores. Sed lex nova ordinat hominem circa actus interiores, qui sunt de his, quæ pertinent ad se, et ad proximum, et docet modum adimplendi ea quæ in ipsa lege præcipiuntur. Ergo lex nova sufficienter ordinat hominem circa interiores actus.

Maior prob., quia omnes actus interiores hominis, vel sunt de his quæ pertinent ad ipsum hominem, vel sunt circa ea quæ pertinent ad proximum, vel sunt circa modum observandi præcepta legis.

Minor prob. quoad omnes partes. Et primo quod lex nova convenienter ordi-

net homines circa actus, qui sunt de his quæ pertinent ad seipsum.

Sed sciendum quod actus interior hominis, qui est circa ea quæ pertinent ad seipsum, est duplex. Scilicet voluntas de agendis, et intentio de fine. Dominus igitur in sermone prædicto, post declaratum beatitudinis finem, per hoc quod beatitudines manifestavit dicens: «Beati pauperes Spiritu. Beati mites. Beati lugentes. Beati esurientes, et sitientes justitiam. Beati misericordes. Beati mundo corde. Beati pacifici. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.» Et post commendatam apostolicam dignitatem, per hoc quod dicit. «Vos estis sal terræ. Vos estis lux mundi,» ordinat primo hominis voluntatem, secundum diversa præcepta legis, declarando quod homo non solum debet abstinere ab exterioribus operibus; quæ sunt secundum se mala, sed etiam ab interioribus, et ab occasionibus malorum. Unde Matth. 5. dicitur. «Nisi abundaverit justitia vestra plusquam scribarum, et pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum,» quasi dicat. Justitia pharisæorum est, ut abstineant ab operibus malis exterioribus, vos autem debetis etiam ab interioribus abstinere. Antiquis enim dictum est: «non occides. Ego autem dico, ne irascimini fratribus vestris. Antiquis dictum est, non mœchaberis. Ego autem dico quod qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo. Antiquis permittitur dimittere uxorem, dato libello repudii. Ego autem dico vobis, qui dimiserit uxorem, facit eam mœchariu. Antiquis dictum est, non perjurabis. Ego autem dico vobis, nolite jurare omnino. Antiquis dictum est, oculum pro oculo. Ego autem dico vobis, nolite resistere malo.» etc. «Antiquis dictum est diliges amicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.» Ex quibus ordinatur voluntas hominis, ut non solum non velit malos actus exteriores, sed nec etiam interiores.

Deinde ordinat Dominus alium interiorem actum, scilicet intentionem finis, et hoc in sermone praedicto. Matth. 6. ostendens quod in bonis quae agimus, neque quaeramus humanam gloriam, neque humanas divitias. Humanam, inquam, gloriam prohibet per hoc quod dicit. «Attendite justitiam vestram faciatis coram hominibus, alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere, etc. Sed te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera. Et cum eratis, non eritis sicut hypocritæ, sed cum oraveris intra in cubiculum tuum, etc. Et cum jejunatis, nolite fieri sicut hypochritæ tristes. Sed cum jejunas, unge caput tuum et faciem tuam lava,» etc. Humanarum vero divitiarum quæstum prohibet cum dicit «nolite thesaurizare vobis thesauros in terra,» etc. et infra. «Non potestis Deo servire, et mammonæ: Ideo ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis,» etc. Et ex his sufficienter ordinantur actus pertinentes ad seipsum.

Actus autem interiores, qui sunt de his quæ ad proximum pertinent, ordinat Dominus in sermone prædicto. Mat. 7. per hoc quod probibet, ne eum temerarie, aut injuste, aut præsumptuose judicemus per hoc quod dicit: «nolite judicare, et non judicabimini.» Et etiam per hoc quod prohibet eis dare sacra, si sint indigni. Unde dicit «nolite sanctum dare canibus,» etc. et per hoc patet secunda pars minoris probandæ. Scilicet quod lex nova ordinet actus interiores circa ea quæ quæ sunt ad proximum.

Tertia pars ejusdem minoris, scilicet quod doceat quomodo præcepta legis servanda sint, ostenditur. Nam Matth. 7. docetur modus adimplendi Evangelicam legem, qui est ut primo imploremus divinum auxilium, per hoc quod dicit: *petite et accipietis.* Secundo, ut conatum adhibeamus ad ingrediendum per angustam portam perfectæ virtutis, dum

dicitur. *Contendite intrare per angustam portam.* Tertio, ut caute incedamus ne á seductoribus corrumpamur, dum dicit: «attendite á falsis prophetis,» etc. Et quarto ostendendo, quod ad virtutem non sufficit sola fidei confessio, vel miraculorum operatio, aut solus mandatorum auditus; sed ulterius necessaria est observatio mandatorum: unde dicit. «Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui fecerit voluntatem Patris mei, intrabit in regnum cœlorum. Et iterum. Multi dicent mihi in illa die, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus,» etc. Et iterum «omnis qui audit verba mea hæc, et facit ea:» et ex his remanet probata minor, quoad omnes suas partes.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod Dominus solum circa illa legis præcepta adimpletionem apposuit, in quibus Scribæ et Pharisæi non rectum intellectum habebant. Et hoc contingebat præcipue circa tria præcepta decalogi. Nam circa prohibitionem adulterii et homicidii, extimabant solum exteriorem actum prohiberi, non autem interiorem appetitum, quod magis credebant circa homicidium, et adulterium quam circa furtum, vel falsum testimonium: quia motus iræ in homicidium tendens, et concupiscentiæ motus tendens in adulterium, videntur aliqualiter nobis á natura inesse, non autem appetitus jurandi, vel falsum testimonium dicendi. Circa perjurium vero habebant falsum intellectum, credentes perjurium quidem esse peccatum, juramentum autem per se esse appetendum, et frequentandum, quia videtur ad Dei reverentiam pertinere. Et ideo Dominus ostendit juramentum non esse appetendum tamquam bonum: sed melius esse absque juramento loqui, nisi necessitas cogat.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur quod licet sint alia præcepta judicialia præter ea, quæ Dominus in Evangelio declarat, tamen de his solum fit mentio in Evangelio, circa quæ Pharisæi errabant. Dupliciter enim Pharisæi circa præcepta judicialia errabant. Primo quidem quia quædam quæ in lege Moysi erant tradita tamquam permissiones, æstimabant esse per se justa, scilicet repudium uxoris, et usuras accipere ab extraneis: et ideo Dominus prohibuit uxoris repudium Matth. 5. et usurarum acceptionem. Luc. 6. dicens: *Date mutuum; nihil inde sperantes.* Alio modo errabant credentes quædam, quæ lex vetus instituerat facienda propter justitiam, esse exequenda ex appetitu vindictæ, vel ex cupiditate temporalium rerum, vel ex odio inimicorum, et hoc in tribus præceptis. Appetitum enim vindictæ credebant esse licitum, propter præceptum datum de pœna talionis: quod quidem fuit datum, ut justitia servaretur, non ut homo vindictam quæreret. Et ideo Dominus ad hoc removendum docet animum hominis sic debere esse præparatum, ut si necesse sit, etiam paratus sit plura sustinere. Motum autem cupiditatis æstimabant esse licitum propter præcepta judicialia, in quibus mandabatur restitutio rei ablatæ fieri, etiam cum aliqua additione, ut supra dictum est, quæstione 105. art. 1. ad 9. et hoc quidem lex mandavit propter justitiam observandam, non ut daret cupiditati locum. Et ideo Dominus docet, ut ex cupiditate nostra non repetamus, sed simus parati, si necesse fuerit, etiam ampliora dare. Motum vero odii credebant esse licitum, propter præcepta legis data de hostium interfectione, quod quidem lex statuit propter justitiam implendam, ut supra dictum est quæst. 105. art. 3. non propter odia exaturanda. Et ideo Dominus docet ut ad inimicos dilectionem habeamus, et parati simus, si necesse

fuerit, etiam benefacere: hæc enim præcepta secundum præparationem animi sunt accipienda, ut Aug. exponit lib. 1. de Sermone Domini cap. 34.

Ad 3. Dicitur dupliciter. Primo negando consequentiam. Ad probationem dicitur, quod licet in lege veteri essent etiam præcepta cæremonialia, præter moralia et judicialia, tamen rationabiliter Dominus in Evangelio de cæremonialibus non facit mentionem, sicut de moralibus et judicialibus. Moralia enim præcepta omnino in lege nova manere debebant, quia secundum se pertinent ad rationem virtutis. Præcepta vero judicialia, etsi non manerent ex necessitate secundum quod in lege ordinabantur, tamen relinquebantur arbitrio hominum instituenda, et ideo utraque præcepta Dominus exposuit. Cæremonialia autem omnino cessare debebant per rei impletionem, et ideo Dominus circa præcepta cæremonalia in illa communi doctrina, quam in monte tradidit, nihil ordinavit.

Dicitur secundo ad antec. quod Dominus alibi, idest Joan. 4. ostendit quod totus ille corporalis cultus legis antiquæ erat in spiritualem commutandus. Unde dixit Samaritanæ: *venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis patrem, sed veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate.*

Ad 4. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur quod omnes res mundanæ ad tria reducuntur, scilicet ad honores, delitias et divitias, secundum illud 1. Joan. 2. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est*, quod pertinet ad delitias carnis: *et concupiscentia oculorum*, quod pertinet ad divitias: *et superbia vitæ* quod pertinet ad ambitum gloriæ et honoris. Superfluas autem carnis delitias lex non promisit, sed magis prohibuit: repromisit autem celsitudinem honoris, et abundantiam divitiarum. Dicitur enim Deuter. 28. *Si audieris vocem Domini Dei tui, faciet te excelsiorem cunctis gentibus*, quantum ad primum: et post pauca subdit. *Abundare faciet te omnibus bonis*, quantum ad secundum. Quæ quidem promissa sic prave intelligebant Judæi, ut propterea esset Deo serviendum, sicut propter finem, et ideo Dominus hoc removit, ostendens primo quod opera virtutum non sunt facienda propter humanam gloriam: et ponit tria opera ad quæ omnia alia reducuntur. Nam omnia quæ aliquis facit ad refrenandum seipsum in suis concupiscentiis, reducuntur ad jejunium. Quæcumque vero fiunt propter dilectionem proximi, reducuntur ad eleemosynam. Quæcumque vero propter cultum Dei fiunt, reducuntur ad orationem. Ponit autem hæc tria specialiter quasi præcipua, et per quæ homines maxime solent gloriam venari. Secundo docuit quod non debemus finem constituere in divitiis, cum dixit: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.*

Ad 5. Dicitur, quod solicitudo hominis ad quærendum necessaria, est duplex, scilicet ordinata, et inordinata. Dominus non prohibuit solicitudinem ordinatam, sed inordinatam. Est autem quadruplex inordinatio solicitudinis vitanda circa temporalia.

Prima quidem, quando quis in temporalibus constituit finem, et Deo servire omittit propter hanc solicitudinem. Et hanc excludit Dominus, cum dicit. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, sed in cælo.* Et *quærite primum regnum Dei*, etc.

Altera est solicitudo inordinata, quando quis solicitatur de temporalibus cum desperatione divini auxilii: quam excludens Dominus dicit. *Scit enim pater vester cælestis, quia his omnibus indigetis.*

Tertia solicitudo inordinata est, quando quis præsumit se posse necessaria consequi absque divino auxilio, quod Dominus removet per hoc quod *nullus potest adjicere ad staturam suam*, etc.

Quarta est per hoc quod homo solicitudinis tempus præoccupat, quam removet Dominus cum dicit: *Nolite soliciti esse in crastinum.*

Ad formam negatur consequentia.

Ad prob. dicitur, quod prohibitio inordinatæ solicitudinis non est contra naturam, sed naturæ conformis.

Ad 6. Dicitur ad minorem, quod Dominus non prohibet judicium justitiæ, sine quo non possent sancta subtrahi ab indignis, sed prohibet judicium inordinatum, ut in corpore dictum est.

Ad minorem igitur dicitur quod judicium quod prohibet Dominus, non est actus virtutis, sed vitii.

ARTICULUS IV.

Utrum convenienter in lege nova consilia quædam determinata sint proposita.

Pro negativa. — Videtur quod inconvenienter in lege nova consilia quædam determinata sint proposita.

1. Non eadem omnibus expediunt. Ergo non sunt aliqua consilia determinata omnibus proponenda.

Consequentia probatur. Quia consilia dantur de rebus expedientibus ad finem, ut supra dictum est quæst. 14. art. 2.

2. Non sunt determinati gradus melioris boni. Ergo non debent aliqua determinata consilia dari.

Consequentia probatur, Quia consilia dantur de meliori bono.

3. De eo quod pertinet ad perfectionem vitæ, debuit dari consilium. Sed obedientia pertinet ad perfectionem vitæ. Ergo de obedientia debuit in Evangelio dari consilium. Sod in Evangelio non datur aliquod obedientiæ consilium. Ergo non sufficienter traduntur in lege nova consilia.

4. Multa ad perfectionem vitæ pertinentia inter præcepta ponuntur, sicut hoc quod dicitur Matth. 5. *Diligite inimicos vestros*, et præcepta quæ dedit Dominus Matth. 10. Ergo consilia non sunt á præceptis distincta, ac per hoc inconvenienter traduntur in nova lege aliqua consilia.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Consilia sapientis amici sunt utilia, et convenientia. Sed consilia quæ traduntur in lege nova, sunt consilia sapientis amici, scilicet Christi, qui est maxime sapiens et amicus. Ergo consilia legis Evangelicæ sunt convenientia.

Maior prob. Quia Prov. 27. dicitur: *Bonis consiliis, amici anima dulcoratur.*

Determinatio.

1.ª Conclussio. Convenienter in lege nova supra præcepta addita sunt consilia.

Prob. In lege libertatis, supra præcepta convenienter addita sunt consilia. Sed lex nova est lex libertatis. Ergo in lege nova convenienter supra præcepta addita sunt consilia.

Maior prob. Quia hæc est differentia inter præceptum, et consilium quod præceptum importat necessitatem, consilium vero ponitur in optione ejus cui datur: et ideo in lege libertatis, præter præcepta, erant proponenda consilia, quæ libere servarentur.

Minor prob. ex differentia quæ est inter legem veterem et novam.

Lex enim vetus erat lex servitutis, et ideo in ea proponebantur solum præcepta, quæ erant necessario servanda.

Lex autem nova est lex libertatis, et propterea in ea erant proponenda aliqua, quæ libere servarentur.

Conclusio. Præcepta novæ legis sunt data de his quæ sunt necessaria ad consequendum finem æternæ beatitudinis, in quem lex nova immediate introducit. Consilia vero de illis, per quæ melius et expeditius potest homo consequi finem prædictum.

Manifestatur dupliciter. Primo: quia hoc ex prima conclusione sequitur. Si enim præcepta sunt necessario servanda, et consilia libere, manifestum est etiam quod præcepta sunt necessaria ad salu-

tem, consilia vero sunt propter melius.

Secundo manifestatur. Nam homo est constitutus inter res hujus mundi, et spiritualia bona, in quibus æterna beatitudo consistit, ita quod quanto plus inhæret uni eorum, tanto plus recedit ab altero. Qui igitur totaliter inhæret rebus hujus mundi, ita ut in eis finem constituat, habens has quasi rationes, et regulas suorum operum, totaliter excidit á spiritualibus bonis, et hujusmodi inordinatio tollitur per præcepta. Sed quod homo totaliter ea, quæ sunt mundi abjiciat, non est necessarium ad perveniendum ad finem prædictum, quia potest homo, utens rebus hujus mundi, dummodo in eis finem non constituat, ad beatitudinem æternam pervenire: sed expeditius perveniet totaliter bona hujus mundi abdicando, quod fit per consilia.

In forma igitur sic probatur conclusio quoad priorem partem. Ea per quæ tollitur totalis deordinatio á rebus spiritualibus, sunt de his quæ sunt necessaria ad salutem. Sed per præcepta tollitur totalis deordinatio á rebus spiritualibus. Ergo præcepta sunt de necessariis ad salutem.

Maior prob., quia homo qui totaliter est deordinatus á bonis spiritualibus, et in corporalibus finem ponit, non potest consequi salutem: unde id per quod hujusmodi deordinatio tollitur, est necessarium ad salutem.

Minor probatur ex differentia posita inter præcepta et consilia, quia scilicet per præcepta tollitur totalis ad corporalia adhæsio, per quam homo deordinatur totaliter ab ultimo fine. Per consilia vero homo totaliter divellitur á corporalibus, et conjungitur rebus spiritualibus.

Quoad posteriorem partem etiam in forma prob. concl. Ea per quæ homo totaliter hujusmodi bona relinquit, et spiritualibus adhæret, non sunt necessaria simpliciter ad salutem, sed solum, ut facilius et expeditius eam consequatur. Sed consilia sunt, per quæ homo totaliter ab his corporalibus separatur, et ad cælestia conjungitur. Ergo consilia non sunt simpliciter necessaria, sed propter melius ad consequendum finem.

Maior prob., quia totaliter relinquere res hujus mundi, non est simpliciter necessarium; potest enim quis rebus hujus mundi uti, et salutem consequi: sed hoc est necessarium ad melius consequendum salutem.

Minor prob. ex differentia inter præcepta, et consilia posita, quia scilicet illa sunt per quæ tollitur totalis deordinatio, quæ salutem impedit: hæc vero totaliter spiritualibus conjungunt, relictis temporalibus, quod non est simpliciter, sed ad melius necessarium.

3.ª Conclusio. Consilia generalia novæ legis sunt tria, scilicet paupertatis, castitatis, et obedientiæ.

Prob. Quot sunt ea per quæ homo facilius, et expeditius suum ultimum finem consequitur, tot sunt consilia generalia novæ legis. Sed tria sunt ea, per quæ homo expeditius, et facilius suum ultimum finem consequi potest. Ergo tria sunt consilia generalia novæ legis, scilicet consilium paupertatis, castitatis, et obedientiæ.

Maior prob., quia consilia sunt de his per quæ homo expeditius, et facilius ad ultimum finem tendit.

Minor manifestatur: nam bona hujus mundi, quæ pertinent ad usum humanæ vitæ, in tribus consistunt, scilicet in divitiis exteriorum bonorum, quæ pertinent ad concupiscentiam oculorum, et in delitiis carnis quæ pertinent ad concupiscentiam carnis; et in honoribus quæ pertinent ad superbiam vitæ, ut dicitur 1. Joan. 2. et hæc tria relinquere totaliter, secundum quod possibile est, pertinet ad consilia Evangelica. Igitur per paupertatem relinquit homo divitias; per castitatem delitias carnis; et per obedientiam honores qui pertinent ad su-

perbiam vitæ, et in his tribus fundatur omnis religio, quæ statum perfectionis profitetur.

4.ª Conclusio. Omnia particularia consilia ad hæc tria generalia reducuntur.

Manifestatur: nam ea quæ ad hæc tria consilia pertinent, possunt dupliciter observari, uno modo simpliciter, alio modo secundum quid. Simpliciter ea observant, qui se astringunt voto ad ea servanda, ut sunt religiosi. Secundum quid vero ea servant qui non se astringunt ad ea servanda semper, sed ea servant in aliquo particulari casu; et hæc dicuntur particularia consilia, quæ ad generalia reducuntur. Puta cum homo dat aliquam eleemosynam pauperi, quando dare non tenetur, consilium sequitur, quantum ad factum illud, et hoc consilium reducitur ad consilium paupertatis. Similiter quando aliquo tempore determinato quis á delectationibus carnis abstinet, ut orationibus vacet, consilium sequitur pro tempore illo, quod reducitur ad castitatem. Similiter quando quis non sequitur voluntatem suam in aliquo facto, quod licite posset facere, puta si benefaciat inimicis, quando non tenetur, vel remittat offensam, cujus juste posset exigere vindictam, sequitur consilium quod ad obedientiam reducitur, et sic de aliis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod ea de quibus sunt consilia novæ legis, possunt considerari dupliciter. Uno modo secundum se. Alio modo quatenus respiciunt dispositionem, vel indispositionem eorum quibus consilia dantur. Tunc ad antecedens dicitur quod consilia, quantum est de se, sunt omnibus expedientia, sed ex indispositione aliquorum contingit, quod alicui expedientia non sunt, quia eorum affectus ad hæc non inclinatur. Et ideo Dominus consilia evangelica proponens, semper facit mentionem de idoneitate hominum ad observantiam consiliorum. Dans enim consilium paupertatis Matth. 19. præmittit. *Si vis perfectus esse*, et postea subdit, *vade et vende omnia quæ habes*. Similiter dans consilium perpetuæ castitatis, cum dixit; *sunt Eunuchi qui castraverunt seipsos propter regnum cœlorum*, statim subdit, *qui potest capere capiat*. Et similiter Apost. 1. ad Cor. 7. præmisso consilio virginitatis dicit. *Porro hoc ad utilitatem vestram dico non ut laqueum vobis injiciam*.

Ad 2. Dicitur ad antec. quod non sunt determinata meliora bona in particulari: unde nec sunt determinata consilia in particulari. In universali vero sunt determinati gradus melioris boni, et ideo possunt dari determinata generalia consilia, ad quæ tamen particularia reducuntur.

Ad 3. Negatur quod subsumitur, consilium enim obedientiæ datur in Evangelio. Dedit enim Dominus hoc consilium, cum dixit Luc. 9. *et sequatur me*. Dominum enim sequimur, non solum imitando opera, sed obediendo mandatis ipsius, secundum illud Jo. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt, et sequuntur me*.

Ad 4. Dicitur quod ea quæ dicuntur de dilectione inimicorum; et similibus in Evangelio Matth. 5. et Luc. 6. possunt referri ad duo, scilicet ad præparationem animi, et ad actualem et promptam executionem extra casum necessitatis. Si referantur ad præparationem animi, sunt de necessitate salutis, ut scilicet homo sit paratus benefacere inimicis, et alia hujusmodi facere, cum necessitas hoc requirat, et ideo inter præcepta ponuntur. Sed ut aliquis inimicis hoc exhibeat prompte in actu, ubi specialis necessitas non occurrit, pertinet ad consilia particularia, ut dictum est in corp. art. 2. arg. Illa autem quæ ponuntur Matth. 10. et Luc. 9. et 10. fuerunt quædam præcepta disciplinæ pro tempore illo, vel concessiones quædam, ut supra dictum est, et ideo non inducuntur tamquam consilia.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,
EX PRÆCED. 108.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod lex nova debuit aliquos actus exteriores præcipere, et prohibere. Ut *Joan.* 12. Secundum quod cum applicatione simul cum *Eph.* 5. ponitur *in arg. cont.* Pro quo et dic illud, quo zelo novæ legis, inquit Apostolus Rom. 13. « Abjicite opera tenebrarum, et induimini arma lucis sic, ut in die, » scilicet novæ legis, quæ jam appropinquavit, «honeste ambulemus. Non in cubilibus, et impudicitiis, non,» etc. Item per illud Matth. 5. « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. » Patet enim, quod Dominus de operibus exterioribus hoc præcipit: quoniam homines non interiores in se, sed exteriores in se vident, et interiores solum, ut in exterioribus, tamquam in effectibus interiorum, manifestantur. Cæterum pro ly *debuit*, quod convenientiam sonat: vide, et inde applica huc pro majori intenti præmissi conclusionis confirmatione de convenientia scripturarum, quæst. 68 art. 4. append. et 2. 2. q. 122. art. 2. app. et q. 140. art. 1. app. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod lex nova de exterioribus operibus sufficienter ordinavit. Ut per illud Matth. 7. *Omnis*, etc. Secundum quod cum discursu est *in arg. cont.* Item per dicta, si recte huc applicentur (id quod facile) quæ ponuntur quæst. 68. art. 4. app. Et 2. 2. q. 179. c. 2. a. 2. app. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito essse áscripturis insinuatum, quod circa actus interiores lex nova sufficienter, et convenienter ordinavit hominem. Ut per hoc de sapientia divina quæ est Christus novæ legis ordinator, dicitur Prov. 4. « Recti sunt omnes sermones mei, » etc. Et Sapient. 1. « Omnia in pondere, numero, et mensura disposuit. » Pro quibus recte intelligendis, per te postea huic proposito accommodandis, vide quæst. 60. art. 4. appen. et 2. 2. quæst. 122. a. 2. app. et q. 140. art. 1. app. Et quæst. 179. a. 2. app. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Calvini* dicentis: Consilium nullum esse in Evangelio, sed omnia esse præcepta. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Matth. 19. « Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes. Et sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum; qui potest capere, capiat. » Et 1. Cor. 7. « De virginibus præceptum Domini non habeo. » Nam ly *si vis perfectus esse*, ly *qui potest capere*, monstrans; id quod tunc proponitur, relinqui in optione auditorum, quibus proponitur, et consequenter esse consilium. Nam definitio consilii est, quod relinquatur in arbitrio ejus, cui datur; ut dixit textus corporis, et per hanc definitionem distinguitur à præcepto, ibid. et de virginibus se habere præceptum Domini Apostolus negat: cum tamen Dominum sciat esse, commendando illos, locutum de eunuchis, idest virginitatem, seu castitatem servantibus. Nota, quod ly *vis*, ut ex *Matth.* 19. contextu patet, dicitur ad eum, qui jam per observationem præceptorum legis poterat æternam vitam possidere. Ergo est consilium. Item damnari á Papa *Nicolao III.* et *Clemente V.* per hoc, quod consilia evangelica á præceptis evangelicis distinguuntur, diffuseque distincta, et esse *tria*, scilicet, *paupertatem, castitatem, obedientiam*, indicant: ut patet de Nicolao in lib. de verb. sign. cap. exiit. De Clemente autem in lib. Clementin. de verb. signif. capit. exivi de paradiso. Item damnari á dictis in 2. 2. art. nu. 870. *Tertio* vides: etc.

Post tractatum de peccatis, optime actum est de legibus, quia ad perfectam notitiam peccati maxime juvat legum cognitio, dicente Paulo Romanorum. 7. versiculo 7. *Peccatum non cognovi nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret*: Non concupisces. Oportuit ergo ad pleniorem disputationum de peccatis intelligentiam, ut tractatus de legibus immediate succederet. Materia legum communis est philosophis, juristis, ac theologis: nobiliori tamen, ac sanctiori consideratione circa eas occupantur theologi. Nam philosophi tradiderunt ea solum, quæ naturali lumine cognosci possunt: et quæ judicarunt conducere ad hominum mores recte instituendos, et ad rempublicam in pace, concordia et justitia continendam. Juris periti, qui jus Cæsareum, ex generálibus principiis naturalis, et moralis philosophiæ deducunt in particulari leges, civili auctoritate conditas, ad reipublicæ mores politicos instituendos, sive ad externam justitiam, sive pacem servandam. Juris periti, qui jus Canonicum, seu Pontificium profitentur, de legibus, ecclesiastica auctoritate præscriptis, disputant, quibus justa moderatione res ecclesiasticæ, ac personæ ipsæ in suis officiis, et ordinibus ecclesiasticis se se contineant. Theologi vero non solum leges divinas positivas, quæ proprie ad illos pertinent, cum sola Dei revelatione notæ fiant, perscrutantur: verum etiam de lege naturali, et humana disputant: sed ob altiorem finem, nempe, ad conscientiam fidelium bene formandam, et dirigendas actiones eorum ad meritum vitæ æternæ. Ad hunc ergo finem prædictus tractatus directus est.

Tractatus
DE DIVINA GRATIA.

PROLOGUS.

Quia per legem admonemur quidem, quid agere debeamus; non tamen juvamur, ut id, quod agere debemus, impleamus: postquam de legibus actum est, de exteriori principio humanorum actuum, scilicet: de Deo, prout ab ipso per gratiam adjuvamur ad recte agendum, est sermo instituendus. Vocat autem gratiam D. Thomas principium exterius; non quod gratia intrinsece non insit, et homini non inhæreat: sed quia Deus, qui est gratiæ largitor, principium exterius est, idest, extra hominem est, nec illi per seipsum inest, aut inhæret.

QUÆSTIO CENTESIMA NONA,
DE EXTERIORI PRINCIPIO HUMANORUM ACTUUM SCILICET DE GRATIA DEI, IN DECEM ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de exteriori principio humanorum actuum, scilicet de Deo, prout ab ipso per gratiam adjuvamur ad recte agendum. Et primo considerandum est de Gratia Dei. Secundo de causis ejus. Tertio de ejus effectibus.

Prima autem consideratio erit *tripartita*. Nam primo considerabitur de necessitate gratiæ. Secundo de ipsa gratia quantum ad ejus essentiam. Tertio de ejus divisione.

Circa primum quæruntur decem.

Primo, utrum absque gratia possit homo aliquod verum cognoscere.

Secundo, utrum absque gratia Dei possit homo aliquod bonum facere, vel velle.

Tertio, utrum homo absque gratia possit Deum diligere super omnia.

Quarto, utrum absque gratia possit per sua naturalia præcepta legis observare.

Quinto, utrum absque gratia possit mereri vitam æternam.

Sexto, utrum homo possit se ad gratiam præparare sine gratia.

Septimo, utrum absque gratia possit resurgere á peccato.

Octavo, utrum absque gratia possit homo vitare peccatum.

Nono, utrum homo gratiam consecutus possit absque alio divino auxilio bonum facere, et vitare peccatum.

Decimo, utrum possit perseverare in bono per seipsum.

ARTICULUS I.

Utrum homo sine gratia aliquod verum cognoscere possit.

Po negativa. = Videtur quod homo sine gratia nullum verum cognoscere possit.

1. Quod potest cognosci sine gratia, potest cognosci sine Spiritu Sancto. Sed nullum verum potest homo cognoscere sine Spiritu Sancto. Ergo nullum verum potest homo cognoscere sine gratia.

Maior probatur. Quia Spiritus habitat in nobis per gratiam.

Minor prob., quia Glo. Amb. super illud 1. Cor. 12. *Nemo potest dicere Dominus Jesus nisi in Spiritu Sancto*, dicit: *omne verum á quocumque dic atur á Spiritu Sancto est.*

2. Sensus corporis quantumcumque sit purus, non potest aliquid visibile videre sine solis illustratione. Ergo nec humana mens, quantumcumque sit perfecta, potest veritatem cognoscere ratiocinando, absque illustratione divina, quæ ad auxilium gratiæ pertinet.

Conseq. prob., quia sicut se habet illustratio solis ad visum et ad visibilia, ita se habet illustratio divina ad intellectum, et ad ea quæ per intellectum cognoscuntur, ut patet per Aug. 1. soliloq. cap. 6. dicentem, quod «disciplinarum certissima talia sunt, qualia illa «quæ á sole illustrantur, ut videri possint: Deus autem ipse est, qui illustrat: «ratio autem ita est in mentibus, ut in «oculis est aspectus, mentis autem oculi «sunt sensus animæ.»

3. Non possumus aliquid cogitare sine auxilio gratiæ. Ergo non potest homo veritatem cognoscere sine auxilio gratiæ.

Antec prob., quia 2. Corin. 3. dicitur. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid á nobis, quasi ex nobis.*

Conseq. prob., quia non potest humana mens veritatem intelligere, nisi cogitando, ut patet per Aug. 14. de Trin. c. 7.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Sine eo per quod homo mundus efficitur, potest cognoscere veritatem. Sed gratia est per quam homo mundus efficitur. Ergo sine gratia potest homo cognoscere aliquam veritatem.

Maior prob., quia Aug. dicit in lib. retract. cap. 4. «Non approbo quod in «oratione dixi, Deus qui non nisi mundos verum scire voluisti: rosponderi «enim potest multos, etiam non mundos «multa scire vera.»

Minor prob., quia Psal. 50. dicitur, *cor mundum crea in me Deus.*

Determinatio.

1.ª *Dist.* Verum cognoscibile ab humano inteltectu est duplex. Quoddam est ad quod homo per sensibilia, lumine naturali intellectus pertingere potest. Quoddam vero est, ad quod non potest pertingere per sensibilia, solo lumine naturali intellectus. Ad primum genus veri pertinent omnia naturalia. Ad secundum vero pertinent omnia supernaturalia, ut sunt Trinitas personarum, Incarnationis mysterium, etc.

2.ª *Dist.* Nomine gratiæ in proposito tria significari possunt. Primo potest nomine gratiæ significari divinum auxilium, quo Deus movet intellectum ad cognitionem veri sive naturalis, sive su-

pernaturalis. Secundo nomine gratiæ potest intelligi lumen intelligibile naturale, quod Deus intellectui infundit, ut sit quasi formale principium intellectionis, et cognitionis veritatis. Tertio, nomine gratiæ potest intelligi aliquod supernaturale lumen, superadditum naturali lumini intellectus, puta lumen fidei, aut prophetiæ, et hoc proprie dicitur lumen gratiæ.

Sensus quæsiti.

Est igitur sensus quæsiti, utrum homo sine gratia, idest sine auxilio divino movente intellectum ad cognitionem veri, vel absque Deo infundente naturale lumen, vel sine Deo infundente supernaturale lumen, possit cognoscere aliquod verum naturale, vel supernaturale.

1.ª Conclusio. Homo non potest cognoscere aliquod verum naturale, nec supernaturale, sine Deo movente intellectum ad cognitionem veri naturalis, vel supernaturalis.

Prob. Sicut se habent corpora inferiora ad proprios motus, sive operationes, in ordine ad motum corporum cœlestium, sic se habet humanus intellectus ad cognitionem veri, in ordine ad Deum. Sed corpora inferiora non possunt moveri, nec suas operationes exercere, nisi per motionem corporis cœlestis, quæ est prima in ordine corporalium motionum. Ergo nec intellectus potest aliquid cognoscere, nisi moveatur á Deo, qui est primum movens simpliciter.

Maior prob., quia cognitio veritatis est quidam motus, large accipiendo motum, secundum quod intelligere et velle motus quidam esse dicuntur, ut dicitur tertio de anim. tex. 28. et hoc etiam manifestatur. Cognoscere enim veritatem est usus quidam, vel actus intellectualis luminis: quia secundum Apost. ad Ephes. 5. *Omne quod manifestatur, lumen est.* Usus autem motum quemdam importat, large accipiendo motum: ut dictum est. Unde quemadmodum se habent corpora inferiora ad suos motus, per respectum da motum primi corporis cœlestis, ad quem tamquam ad primum in ordine corporalium motuum omnes corporales motus reducuntur: ita se habet intellectus humanus, immo omnis creatura ad ipsum Deum, ad quem omnes motus, et omnes operationes omnium creaturarum tamquam ad primum movens simpliciter reducuntur, ab eoque dependent.

Minor probatur: Quia quantumcumque ignis habeat calorem perfectum, non tamen alteraret, nisi per motionem cœlestis corporis, et hoc dicendum est de aliis agentibus corporalibus, quorum nullum operari posset, cessante motu primi cœli. Et hoc idem accidit in operatione creaturarum spiritualium; nulla enim spiritualis creatura intelligere posset, nisi moveretur á Deo, qui est primum movens simpliciter.

2.ª Conclusio. Homo non potest cognoscere aliquod verum, sine Deo infundente lumen naturale, quod sit quasi formale principium cognitionis veritatis.

Manifest. Quia sicut á Deo, ut á primo movente est omnis motus; sic ab ipsomet, ut á primo actu est omnis actus, et formalis perfectio.

Coroll. Sic igitur actio intellectus, et cujuscumque alterius entis creati dependet á Deo quantum ad duo, scilicet in quantum ab ipso habet perfectionem, sive formam: et in quantum ab ipso movetur ad agendum. Ignis enim habet á Deo calorem, et actionem calefaciendi, et intellectus habet á Deo intellectuale lumen, et motum ad intelligendum verum.

3.ª Conclusio. Homo per naturale lumen intellectuale sibi á Deo inditum, cum divino auxilio movente ipsum ad intelligendum, absque aliquo superadditio lumine supernaturali, potest cognoscere verum quod non excedit naturam humani intellectus, ad quod scilicet potest per sensus manuduci.

Probatur. Lumen naturale humani intellectus, secundum suam proprietatem, potest habere actum cognitionis veri naturalis. Ergo homo cum solo lumine naturali, supposito divino auxilio, potest naturale verum cognoscere, absque aliquo superaddito supernaturali lumine.

Antecedens prob., quia unaquæque forma indita rebus creatis á Deo, habet efficaciam respectu alicujus actus determinati, in quem potest secundum suam proprietatem. Unde lumen naturale intellectus, secundum suam proprietatem poterit in actum cognitionis veri naturalis.

4.ª Conclusio. Homo per solum naturale lumen, non potest cognoscere verum supernaturale, sed indiget aliquo superaddito lumine fidei, vel prophetiæ, quod dicitur lumen gratiæ.

Prob. Lumen naturale intellectus, secundum suam proprietatem non potest nisi in verum naturale. Ergo ad cognitionem supernaturalem necessarium est lumen superadditum naturali lumini, quod est lumen gratiæ.

Manifestatur hæc ratio á simili. Nam quia aqua secundum suam naturam potest humectare, aut infrigidare, ad hos actus non indiget aliqua superaddita forma, sed quia aqua secundum suam proprietatem non potest calefacere aut coquere carnes, vel aliquid simile, propterea ad hæc necessaria est aliqua forma superaddita, ut scilicet recipiat calorem ab igne. Ita in proposito quia intellectus humanus potest in verum naturaliter cognoscibile, absque aliquo superaddito lumine, naturale verum cognoscere potest. Quia vero naturale lumen intellectus humani non se extendit ad supernaturale verum, propterea indiget supernaturali lumine gratiæ, sine quo ad cognitionem ejus non potest pervenire.

5.ª Conclusio. Deus quandoque miraculose, per suam gratiam aliquos instruit, etiam de his quæ per rationem naturalem cognosci possunt.

Manifestatur, quia Deus quandoque miraculose facit aliqua, quæ natura facere potest. Et patet conclusio præcipue in Adam, et Salomone, et aliis quos Deus per gratiam instruxit, etiam de his quæ ipsi successu temporis naturaliter scire potuissent.

Brevis ad quæsitum responsio.

Breviter igitur colligendo prædicta respondetur ad quæsitum duabus conclusionibus.

1.ª Conclusio. Si nomine gratiæ intelligatur divinum auxilium, quo Deus movet intellectum ad intelligendum, et perfectio sive lumen naturale intellectus, quod homo á Deo, ut á primo lumine recipit, nullum verum homo absque gratia intelligere, aut cognoscere potest.

Prob., quia quæcumque actio non solum intellectus, sed cujuscumque creaturæ dependet á Deo, quoad illa duo, scilicet quia Deus dat formam, et movet ad actionem, ad quam dedit formam.

2.ª Conclusio. Si nomine gratiæ intelligatur lumen supernaturale, superadditum naturali lumini (quod proprie lumen gratiæ dicitur) homo sine gratia potest cognoscere aliquod verum, scilicet naturale, non autem verum supernaturale.

Manifestatur. Quia lumen naturale secundum suam proprietatem solum in verum naturale ferri potest, non autem potest in verum supernaturale, et ideo illud secundum se, istud vero non nisi per supernaturale lumen gratiæ cognoscere potest.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod aliquod verum posse cognosci, vel non cognosci sine Spiritu Sancto, potest dupliciter intelligi. Uno modo absque Spiritu Sancto infundente naturale lumen, et movente ad intelligendum, et loquendum veritatem. Alio modo cum Spiritu Sancto inhabitante per gratiam gratum facientem, vel sicut largiente aliquod supernaturale

donum, naturæ superadditum. Ad maiorem dicitur, quod illud quod potest cognosci sine gratia habituali, potest quidem cognosci sine Spiritu Sancto infundente supernaturale donum, vel inhabitante per gratiam gratum facientem, non tamen sine Spiritu Sancto movente, et infundente naturale lumen. Et ad minorem dicitur quod nullum verum potest sciri sine Spiritus Sancto infundente lumen naturale, et movente ad intelligendum; potest tamen cognosci aliquod verum sine Spiritu Sancto infundente supernaturale lumen gratiæ, et sic intelligenda est sententia Ambrosii inducta, scilicet quod omne verum, á quocumque dicatur, á Spiritu Sancto est. A Spiritu Sancto, inquam, infundente naturale lumen, et movente ad intelligendum, non autem semper est á Spiritu Sancto infundente aliquod supernaturale donum.

Ad 2. Conceditur totum, sicut etiam oculus corporalis non potest aliquid videre, nisi per solis illustrationem, ita nec intellectus potest aliquod verum cognoscere absque aliqua divina interiori illustratione, quæ divina illustratio respectu naturalis veri est ipsum intellectuale lumen naturale, sine quo intellectus nihil omnino cognoscere potest, ut dictum est; respectu autem veri supernaturalis requirit novam illustrationem, quæ fit per supernaturale lumen, ut etiam dictum est.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod non possumus aliquid cogitare sine divino auxilio, quo movemur ad cogitandum, et ad actualem intellectionem cum quo tamen stat, ut aliqua cogitare et cognoscere possimus sine aliquo supernaturali gratiæ habitualis dono, ut ostensum est in corp.

ARTICULUS II.

Utrum homo possit velle, et facere bonum absque gratia.

Pro affirmativa.=Videtur quod homo possit velle, et facere bonum absque gratia.

1. Qui est dominus suorum actuum, potest velle et facere bonum sine gratia. Sed homo est dominus suorum actuum, et maxime ejus quod est velle, ut dictum est q. 1. art. 2. et alibi. Ergo homo potest velle, et facere bonum absque gratia.

Maior prob., quia illud est in hominis potestate, cujus ipse est dominus.

2. Homo per seipsum potest peccare. Ergo multo magis potest per seipsum velle, et facere bonum.

Conseq. prob. Unumquodque potest magis in id, quod est sibi secundum naturam, quam in id quod est præter naturam. Sed peccare est contra naturam, ut Dam. dicit in 2. lib. cap. 30. opus vero virtutis est homini secundum naturam, ut dictum est, q. 71. art. 1. Ergo si potest homo per seipsum peccare, multo magis poterit per seipsum benefacere.

3. Intellectus per seipsum potest cognoscere verum. Ergo homo per seipsum potes velle et facere bonum.

Conseq. prob., quia *verum est bonum intellectus*, ut dicitur 6. Ethic. cap. 2.

Antec. prob., quia quælibet res potest per seipsam suam naturalem operationem facere.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Apostolus dicit ad Rom. 9. *Non est volentis* scilicet velle, *neque currentis*, scilicet currere, *sed miserentis Dei*, et Aug. dicit in lib. de corr. et gratia, cap. 2. *Sine gratia nullum prorsus, sive cogitando, sive volendo et amando, sive agendo faciunt homines bonum.*

Determinatio.

1.ª *Distinctio.* Natura hominis potest considerari dupliciter. Uno modo in sui integritate, sicut fuit in primo parente ante peccatum. Alio modo secundum quod est corrupta in nobis per peccatum primi parentis.

2.ª *Distinctio.* Bonum operabile ab homine est duplex. Quoddam est suæ naturæ proportionatum, quale est bonum virtutis acquisitæ. Quoddam vero est bonum superexcedens naturæ facultatem, quale est bonum virtutis infusæ.

1.ª Conclusio. Natura humana in utroque statu indiget divino auxilio ad faciendum et volendum quodcumque bonum, sicut primo movente.

Hæc conclusio manifesta est ex ratione primæ conclusionis artic. præced. Quia scilicet nulla creatura potest aliquid operari, nisi Deo movente ipsam ad propriam operationem.

2.ª Conclusio. In statu naturæ integræ poterat homo, quantum ad sufficientiam suæ virtutis per sua naturalia velle, et operari bonum suæ naturæ proportionatum, scilicet bonum virtutis acquisitæ.

Quæ conclusio etiam patet ex his quæ dicta sunt artic. præced. in prob. 3. conclus. Quia scilicet unaquæque forma, indita rebus creatis á Deo habet ut possit producere actum aliquem determinatum, secundum suam proprietatem.

3.ª Conclusio. Homo in statu naturæ integræ non poterat per sua naturalia velle et operari bonum superexcedens facultatem naturæ quod est bonum virtutis infusæ, sine gratia.

Manifest. per ea quæ dicta sunt. art. præced. in prob. 4. concl. Forma enim indita rebus creatis, non potest attingere ea, quæ superexcedunt naturam, nisi per aliquam superadditam formam, ut ibidem exemplificatum est de aqua, quæ non potest calefacere, nisi fuerit prius ab igne calefacta.

4.ª Conclusio. Homo in statu naturæ corruptæ, per virtutem suæ naturæ potest sine speciali auxilio gratiæ operari aliquod particulare bonum suæ naturæ proportionatum, ut sunt ædificare domos, plantare vineas, et alia hujusmodi.

Manifestatur. Quia natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto naturæ bono privetur, quod tamen esset, si nullum bonum omnino agere posset.

5.ª Conclusio. Homo in statu naturæ corruptæ non potest agere per solam virtutem suæ naturæ omne bonum sibi proportionatum, ita ut in nullo deficiat, sine auxilio gratiæ.

Manifestatur. Nam homo per peccatum effectus est infirmus ad operandum bonum. Unde sicut homo corporaliter infirmus, quamvis possit habere ex se aliquem motum, non tamen perfecte potest moveri motu hominis sani: ita homo spiritualiter infirmus per peccatum, etsi per virtutem suæ naturæ possit aliquod bonum facere, non tamen potest perfecte facere omne bonum suæ naturæ proportionatum, ita ut in nullo deficiat, nisi prius per gratiam sanetur.

Brevis ad quæsitum responsio.

Breviter igitur ad quæsitum dicuntur tria.

Primum. Homo in utroque statu naturæ, scilicet integræ et corruptæ indiget divino auxilio, ut moveatur ad bene agendum.

Secundum. Homo in statu naturæ integræ indiget non solum divino auxilio movente, sed etiam virtute gratuita superaddita virtuti naturæ quantum ad unum, scilicet ad volendum, et operandum supernaturale bonum.

Tertium. Homo in statu naturæ corruptæ indiget non solum divino auxilio movente, sed etiam virtute gratuita superaddita virtuti naturæ quantum ad duo, scilicet ut sanetur; et ulterius ut bonum supernaturalis virtutis, quod est bonum meritorium, operetur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod aliquem habere dominium sui actus potest intelligi dupliciter: uno modo, ut taliter sit sui actus dominus, quod á nullo indigeat moveri ad operandum: alio modo, ut habeat quidem dominium sui actus, sed tamen quod non possit operari nisi præsuppo-

sita alterius motione. Ad malorem igitur dicitur, quod qui habet dominium sui actus primo modo, verum est quod potest facere bonum absque aliquo superaddito auxilio, non autem qui est dominus sui actus tantum secundo modo. Tunc ad minorem dicitur, quod homo non habet dominium sui actus primo modo, hoc enim solius Dei est proprium, sed tantum secundo modo. Homo enim est dominus suorum actuum, et volendi, et non volendi propter deliberationem rationis, quæ potest flecti ad unam partem, vel ad aliam; sed quod deliberet, vel non deliberet, oportet quod sit per deliberationem præcedentem, et cum hoc non procedat in infinitum, oportet ut finaliter deveniatur ad hoc, quod liberum arbitrium hominis moveatur ab aliquo exteriori principio, quod est supra mentem humanam, scilicet á Deo, ut etiam Phil. probat 7. Mor. Eud. cap. 18. Unde mens hominis etiam sani non ita habet dominium sui actus, quin indigeat moveri á Deo, et multo magis liberum arbitrium hominis infirmi post peccatum, per quod impeditur á bono per corruptionem naturæ.

Ad 2. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de eo, quod est posse peccare, et posse facere bonum. Peccare enim nihil aliud est, quam deficere á bono. Posse autem deficere á bono convenit omnibus creaturis secundum earum naturam: et hoc quia unaquæque res creata, sicut in se considerata nihil est, et non habet esse nisi ab alio, ita nec bonitatem. Unde sicut potest secundum se ipsam deficere ab esse, ita potest deficere á bono. Posse autem operari bonum, est á Deo, sicut et esse. Unde sicut creatura non potest esse sine Dei auxilio, nec potest bonum operari sine eodem Dei auxilio. Ad probationem conseq. dicitur ad minorem, quod peccare non est contra naturam, idest contra id quod est á natura, sed dicitur esse contra naturam, quia inclinat contra bonum virtutis, quod est homini secundum naturam, ut plenius ictum est, q. 71. art. 1.

Ad 3. Dicitur dupliciter. Primo dicitur ad antec. quod nec etiam verum potest cognoscere homo sine divino auxilio, ut art. præced. prob. est.

Secundo, neg. conseq. Non enim est eadem ratio de cognitione veri, et de voluntate boni. Natura enim magis corrupta est per peccatum quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri.

ARTICULUS III.

Utrum homo possit diligere Deum super omnia ex solis naturalibus sine gratia.

Pro negativa. = Videtur quod homo non possit diligere Deum super omnia, ex solis naturalibus sine gratia.

1. Qui potest diligere Deum super omnia ex solis naturalibus sine gratia, potest per se ipsum habere charitatem. Sed homo non potest per se ipsum habere charitatem. Ergo homo non potest per seipsum ex puris naturalibus, sine gratia diligere Deum super omnia.

Maior prob. Quia diligere Deum super omnia est proprius, et principalis actus charitatis.

Minor probatur. Quia *charitas non est in nobis, ex nobismetipsis, sed diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*, ut dicitur Rom. 5.

2. Homo secundum suam naturam non potest supra seipsum. Ergo homo ex solis naturalibus non potest diligere Deum super omnia.

Antec. prob. Quia nulla natura creata ex solis naturalibus potest aliquid supra seipsam.

Conseq. prob., quia diligere Deum plusquam se, est tendere in aliquid supra seipsum.

3. Ad impendendum Deo summum amorem, qui ei á nobis debetur, non sufficit homo, sine gratia. Sed diligere

Deum super omnia, est impendere Deo summum amorem, qui ei ut summo bono debetur. Ergo ad diligendum Deum super omnia, non sufficit homo sine gratia.

Maior prob. Quia alioquin frustra adderetur gratia.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Primus homo in solis naturalibus, in quibus primo constitutus fuit (ut á quibusdam ponitur) Deum super omnia dilexit. Ergo homo ex solis naturalibus Deum diligere potest plusquam se, et super omnia.

Antec. prob. Nam homo in solis naturalibus constitutus, manifestum est quod aliqualiter Deum diligebat. Sed non potuit diligere Deum minus quam seipsum, nec æqualiter quia tunc peccasset. Ergo homo in tali statu plus Deum quam se dilexit.

Determinatio.

Distinctio. Homo potest in duplici statu considerari, scilicet in statu naturæ integræ, et in statu naturæ corruptæ, de qua distinctione abunde dictum est in art. præced.

1.ª Conclusio. Homo in statu naturæ integræ poterat diligere Deum super omnia sine auxilio habitualis gratiæ superaddito naturæ, quamvis non sine auxilio Dei moventis.

Prob. Bonum quod est homini connaturale, potest ipse homo in statu naturæ integræ virtute suæ naturæ operari, absque superadditione gratuiti doni, licet non absque auxilio Dei moventis. Sed diligere Deum super omnia, est quoddam connaturale homini, et etiam cuilibet creaturæ, non solum rationali, sed etiam irrationali, non solum animatæ, sed etiam inanimatæ secundum modum amoris, qui unicuique creaturæ competere potest. Ergo homo in statu naturæ integræ, ex solis naturalibus, absque habitualis gratiæ dono superaddito naturæ, licet non sine auxilio Dei moventis, potest diligere Deum super omnia.

Maior probata est art. præced. et est conclus. secunda in corpore posita.

Minor prob. Illud quod secundum quod est, Dei est, naturaliter plus diligit bonum Dei, á quo est, quam bonum proprium. Sed homo secundum quod est, Dei est. Ergo homini connaturale est plus Deum, quam seipsum diligere.

Maior hujus prob. Quia unicuique naturale est quod appetat, et amet aliquid, secundum quod aptum natum est esse. Unde Phil. dicit 2. Phys. t. 78. «Sic agitur unumquodque, sicut natum est esse.» Illud igitur quod secundum quod est, Dei est, naturaliter plus diligit Deum, quam seipsum. Et hac ratione pars plus bonum totius, quam proprium diligit; exponit enim se brachium pro defensione totius corporis, quia pars secundum quod est, totius est. Sic omnis res particularis, naturali appetitu, et amore plus bonum totius universi, quod est Deus, quam proprium bonum diligit. Unde et Dion. dicit 4. cap. de div. Nom. quod *Deus convertit omnia ad amorem sui ipsius.* Homo igitur in statu naturæ integræ dilectionem sui ipsius, sicut ad finem, et similiter dilectionem aliarum rerum, referebat ad amorem Dei, et ita Deum plusquam seipsum, et super omnia diligebat.

Hæc ratio habetur etiam 1. p. q. 60 art. 5. ad probandum quod angelus plus Deum, quam se diligebat.

2.ª Conclusio. Homo in statu naturæ corruptæ per peccatum, deficit á dilectione Dei super omnia, secundum appetitum voluntatis rationalis, nisi sanetur per gratiam.

Manifestatur. Quia in statu naturæ corruptæ, propter corruptionem sequitur bonum privatum, nisi sanetur per gratiam.

Breviter igitur ad quæsitum dicitur, primo, quod homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum super omnia naturaliter, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis.

Secundo, quod in statu naturæ corruptæ homo indiget ad diligendum Deum super omnia, non solum divino auxsilio movente, sed etiam dono, et auxilio gratiæ sanantis naturam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. consequentia. Ad prob. dicitur quod diligere Deum super omnia contingit dupliciter. Uno modo, ut est principium et finis naturalis boni. Alio modo, ut est objectum beatitudinis secundum quod homo habet quamdam societatem spiritualem cum Deo. Primo modo natura diligit Deum, secundo vero modo, qui est eminentior, diligit Deum charitas. Actus igitur proprius charitatis non est dilectio Dei tantum secundum primum modum, sed juxta secundum. Addit etiam charitas super naturalem dilectionem Dei, promptitudinem quamdam et delectationem, sicut quilibet habitus virtutis addit super actum bonum, qui fit ex sola naturali ratione hominis, virtutis habitum non habentis.

Ad 2. Dicitur ad antec. quod naturam aliquam non posse supra seipsam, potest dupliciter intelligi. Uno modo, ut non possit supra seipsam, idest in objectum quod est supra naturam. Alio modo, ut non possit in actum, qui est supra ipsam naturam operantem. Si intelligatur primo modo, ipsum antecedens est falsum; manifestum est enim quod intellectus noster naturali cognitione potest aliqua cognoscere, quæ sunt supra seipsum, ut patet in naturali cognitione, qua Deum cognoscit. Si vero ipsum antecedens intelligatur secundo modo, est verum. Nihil enim naturaliter potest in actum, qui non sit naturæ proportionatus. Sed tunc neg. conseq. diligere enim Deum super omnia, secundum quod Deus est principium naturalis boni, non est actus excedens ipsam naturam humanæ voluntatis, sed est naturale cuilibet creaturæ, modo dicto in corpore.

Ad 3. Dicitur quod amor qui á nobis Deo impenditur potest dupliciter dici summus. Uno modo quantum ad gradum dilectionis, ut scilicet plus diligatur Deus quam quælibet creatura. Alio modo, quantum ad rationem diligendi, et modum dilectionis, et sic amor summus Dei est, ut non solum diligatur plus quam quælibet creatura, sed alia ratione, et alio modo. Primo modo dicitur summus amor Dei, ille quo homo diligit Deum super omnia, ut est principium naturalis esse. Secundo modo dicitur summus amor Dei, quo creatura diligit Deum, prout est objectum beatitudinis supernaturalis. Ad formam igitur dicitur ad antec. quod si intelligatur de summo amore, quoad gradum dilectionis, negatur ipsum antec. Homo enim sine gratia in statu naturæ integræ, potest summo gradu amoris diligere Deum super omnia, ut prob. est in corp. Et ad prob. Et ad prob. dicitur negando assumptum, scilicet quod frustra superadderetur gratia. Nam gratia non adjungitur ad diligendum Deum super omnia, in natura integra, sed ad diligendum Deum, ut est beatitudinis supernaturalis objectum. Si vero in antecedente sermo sit de summa dilectione quoad rationem, et modum diligendi conceditur, sed negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod diligere Deum super omnia, ut est objectum supernaturalis beatitudinis, est summus amor, quantum ad rationem, et modum diligendi, cum quo tamen stat, ut homo possit diligere in statu integro Deum super omnia, ut est objectum naturalis beatitudinis, absque habituali gratia, ut dictum est.

ARTICULUS IV.

Utrum homo sine gratia, per sua naturalia, legis præcepta implere possit.

Pro affirmativa.—Videtur quod homo sine gratia, per sua naturalia possit præcepta legis implere.

1. Illud quod naturaliter homo facit, per seipsum potest facere absque gratia. Sed homo naturaliter potest legis præcepta adimplere. Ergo homo per seipsum absque gratia potest legis præcepta implere.

Minor prob., quia Roman. 2. dicitur, quod *gentes quæ legem non habent naturaliter quæ legis sunt, faciunt.*

2. Quod est homini possibile, potest homo facere per sua naturalia. Sed observantia præceptorum est homini possibilis. Ergo homo potest per sua naturalia divina servare præcepta.

Maior prob., quia impossibile est homini illud quod per seipsum implere non potest.

Minor quia Hieron. dicit in expositione catholicæ fidei ad Damasum, illos esse maledicendos, qui *Deum præcepisse homini aliquod impossibile dicunt.*

3. Homo per sua naturalia potest sine gratia implere maximum legis mandatum. Ergo eodem modo potest implere alia legis præcepta.

Antec. prob. quia *homo per sua naturalia potest diligere Deum super omnia*, ut dictum est art. præcedenti, quod est maximum et primum mandatum, ut dicitur Matth. 22.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. dicit in lib. de Hæresibus c. 88. *Hoc pertinere ad hæresim pelagianorum, ut credant sine gratia hominem posse facere omnia divina mandata.*

Determinatio.

Distinctio. Implere mandata legis contingit dupliciter. Uno modo, quantum ad substantiam operum, prout scilicet homo operatur justa, et fortia, et alia virtutis opera. Alio modo, non solum quantum ad substantiam operis, sed etiam quantum ad modum agendi, ut scilicet ex charitate fiant.

1.ª CONCLUSIO. Homo in statu naturæ integræ poterat implere omnia legis præcepta sine gratia, quantum ad substantiam operum.

Prob. Si homo in statu naturæ integræ non potuisset servare divina mandata quantum ad substantiam operis, sequeretur quod homo in statu naturæ integræ non potuisset non peccare: quod est falsum.

Conseq. prob., quia peccare nihil aliud est, quam transgredi divina mandata.

2.ª CONCLUSIO. Homo neque in statu naturæ integræ, neque in statu naturæ corruptæ potest servare legis mandata, quantum ad modum agendi, sine gratia.

Probatur ex sententia August. qui in libro de correptione, et gratia cap. 2. cum dixisset quod sine gratia nullum prorsus bonum homines faciunt, subdit. »Non solum ut monstrante ipsa, quid faciendum sit sciant, verum etiam ut præstante ipsa, faciant cum dilectione, quod »sciunt.»

3.ª CONCLUSIO. Homo indiget in utroque statu auxilio Dei moventis ad mandata implenda.

Hæc patet ex dictis in omnibus præcedentibus hujus q. ar. et præcipue art. 1. ubi prob. est, quod sicut hæc inferiora non possunt moveri, nisi ut moventur á primo movente cœleste corpus, ita nulla creatura aliquid agere potest, nisi Deo movente ad operandum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. minor. Ad prob. dicitur quod dictum Apostoli potest intelligi dupliciter. Uno modo, ut ly naturaliter significet naturam præcise, secundum suas vires naturales: et sit sensus, quod gentes quæ legem non habent naturaliter, idest ex solis naturæ viribus, quæ legis sunt faciunt. Alio modo, ut ly na-

turaliter, significet naturam quidem non præcise, sed adjutam gratia Spiritus Sancti. Non est intelligendum dictum Apostoli in priori sensu, cum homo, nec in statu naturæ integræ, nec corruptæ possit ex solis naturæ viribus servare divina præcepta, quantum ad modum, ut dictum est: sed est intelligendum in secundo sensu, loquebatur enim tunc de gentilibus noviter conversis ad fidem, qui quamvis legem non accepissent, tamen naturaliter, adjuvante Spiritus Sancti gratia, quæ legis erant faciebant. Unde Aug. in lib. de spir. et lit. c. 27. dicit: *Non moveat quod naturaliter dixit eos, quæ legis sunt facere: hoc enim agit Spiritus gratiæ, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis.*

Ad 2. Dicitur quod aliquid esse homini possibile, dupliciter contingit. Uno modo, ut sit ei possibile propriis viribus. Alio modo adjutus alterius auxilio. Et sic etiam aliquid potest esse alicui impossibile. Vel quia nullo modo potest. Vel quia non potest nisi adjuvetur. Ad maiorem igitur dicitur, quod illud quod est homini possibile, potest facere propriis viribus, si sit ei possibile absque alterius auxilio; si autem aliquid non sit alicui possibile, nisi adjuvetur alterius auxilio, non potest illud ex solis naturalibus viribus agere. Tunc ad minorem dicitur, quod observantia mandatorum est homini possibilis, quia ea servare potest divino auxilio: quod enim possumus alterius auxilio, nobis possibile dicitur, secundum illud Philosophi, 3. Ethic. c. 3. *Quæ per amicos possumus, aliqualiter nos possumus.* Unde Hier. loc. cit. in arg. confitetur, *sic nostrum liberum esse arbitrium, ut dicamus nos semper indigere Dei auxilio.*

Ad 3. dicitur ad antec. quod præceptum de dilectione Dei non potest homo implere ex puris naturalibus, secundum quod ex charitate impletur, ut art. 3. hujus quæst. dictum est.

ARTICULUS V.

Utrum homo possit mereri vitam æternam sine gratia.

Pro affirmativa.=Videtur quod homo possit mereri vitam æternam sine gratia.

1. Illud quod est constitutum in nostra voluntate, per nos ipsos possumus. Sed mereri vitam æternam est constitutum in nostra voluntate. Ergo mereri vitam æternam per nos ipsos possumus.

Minor prob. Nam Matth. 9. dicitur. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Ex quo videtur quod ingredi ad vitam æternam sit constitutum in hominis voluntate.

2. Præmium quod redditur homini secundum opera ejus, potest homo mereri per seipsum absque gratia. Sed vita æterna est præmium, et merces quæ á Deo redditur homini, secundum opera ejus. Ergo vitam æternam potest homo mereri per seipsum absque gratia.

Maior prob., quia homo est Dominus suorum operum.

Minor prob. Matth. 5. dicitur. *Merces vestra multa est in cælo*, et Psalm. 61. dicitur. *Reddes unicuique secundum opera ejus.*

3. Quod homo consequi potest per sua naturalia, potest mereri absque gratia. Sed homo potest consequi vitam æternam per sua naturalia. Ergo homo potest mereri vitam æternam absque gratia.

Minor prob. Ultimum finem humanæ vitæ potest homo consequi per sua naturalia. Sed vita æterna est ultimus finis humanæ vitæ. Ergo vitam æternam potest homo naturaliter consequi.

Maior hujus prob., quia posse consequi proprium finem per sua naturalia convenit cuilibet rei naturali. Ergo idem et homini convenire magis debet.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Illud, ad quod non possumus pervenire, nisi ex Dei miseratione perduca-

mur, non possumus absque gratia mereri. Sed ad vitam æternam non possumus pervenire, nisi per divinam misericordiam ad ipsam perducamur. Ergo vitam æternam sine gratia mereri non possumus.

Minor prob., quia Rom. 6. dicitur. *Gratia Dei vita æterna*, quod ideo dicitur secundum Glos. *ut intelligeremus, Deum ad vitam æternam pro sua miseratione nos perducere.*

Determinatio.

Conclusio. Homo sine gratia non potest mereri vitam æternam.

Prob. Qui potest sine gratia mereri vitam æternam, potest sine gratia producere opera meritoria, proportionata vitæ æternæ. Sed homo non potest sine gratia producere opera meritoria proportionata vitæ æternæ. Ergo homo sine gratia non potest mereri vitam æternam.

Maior prob., quia oportet actus perducentes ad finem, esse fini proportionatos.

Minor prob. Vita æterna est finis excedens proportionem naturæ humanæ, ut patet ex dictis q. 5. ar. 5. Ergo homo per sua naturalia non potest producere opera meritoria proportionata vitæ æternæ.

Conseq. hæc prob., quia nullus actus excedit proportionem principii activi: et ideo videmus in rebus naturalibus, quod nulla res potest producere effectum per suam operationem, qui excedat virtutem activam, sed solum potest producere effectum suæ virtuti proportionatum. Ita homo potest quidem sua virtute facere opera perducentia ad bonum aliquod homini connaturale, sicut laborare in agro, bibere et manducare, habere amicum, et alia hujusmodi, ut Aug. dicit in 3. respons. cont. Pelag. Lib. 3. Hypognost. Non tamen potest propriis viribus producere operationes meritorias vitæ æternæ, quia vita æterna est finis excedens proportionem humanæ naturæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod facere opera meritoria vitæ æternæ est constitutum in voluntate nostra, non quidem secundum solas naturales ejus vires, sed præparata á Deo per gratiam, ut Aug. ibidem dicit.

Ad 2. Dicitur, quod opera hominis sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt hominis secundum suas præcisas naturales vires, ut plantare vineas, ædificare domos, habere amicos, et similia. Quædam vero sunt opera hominis, prout movetur per gratiam Spiritus Sancti. Ad maiorem igitur dicitur, quod præmium quod redditur homini secundum opera ejus, prout sunt á solis naturalibus viribus, potest homo mereri absque gratia. Unde homo plantando vineas, meretur fructus ejus. Præmium vero quod redditur operibus ejus, prout á Deo adjuvatur, non potest homo mereri absque auxilio gratiæ. Tunc ad minorem dicitur, quod vita æterna est præmium quod redditur homini secundum opera ejus, ut adjuvatur á Spiritu Sancto. Unde Glos. super illud Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna*, dicit. *Certum est, vitam æternam bonis operibus reddi; sed ipsa opera quibus redditur, ad Dei gratiam pertinent.*

Ad 3. Neg. minor. Ad prob. dicitur ad maiorem quod finis humanæ vitæ est duplex, scilicet naturalis, et supernaturalis. Est vera maior de fine naturali, non de supernaturali, qualis est vita æterna. Ad cujus etiam prob. dicitur, quod posse consequi naturalem finem propriis viribus est commune omnibus creaturis, et hoc etiam convenit homini: sed quia homo nobilior est cæteris creaturis, potest ad altiorem finem perduci, auxilio gratiæ, ad quem tamen aliæ inferiores creaturæ nullo modo pertingere possunt; et ex hoc ipso perfectior est. Melius est enim dispositus ad sanitatem, qui aliquibus auxiliis medicinæ potest sanitatem consequi, quam ille, qui nullo

modo eam consequi potest. Sic perfectio est humana natura, quæ ad æternam beatitudinem pertingere potest, quamvis non viribus propriis, sed Dei gratia, quam inferiores creaturæ, quæ suum finem naturaliter consequi quidem propriis viribus possunt, supernaturalem vero nullo modo.

ARTICULUS VI.

Utrum homo possit seipsum ad gratiam præparare per seipsum, absque exteriori auxilio gratiæ.

Pro affirmativa.=Videtur quod homo possit seipsum ad gratiam præparare sine exteriori auxilio gratiæ.

1. Qui potest se, ex se, ad Deum convertere, potest se, ex se, ad gratiam præparare. Sed homo potest se, ex se, ad Deum convertere. Ergo homo potest se, ex se, ad gratiam præparare.

Maior prob. Quia præparare se ad gratiam, nihil aliud est, quam se ad Deum convertere.

Minor prob. Quod imponitur homini á Deo ut faciat, potest homo ex se facere. Nihil enim imponitur homini quod sit ei impossibile, ut ar. 4. hujus dictum est. Sed homini imponitur, ut se ad Deum convertat, secundum illud Zach. 1. *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Ergo homo potest se, ex se, ad Deum convertere, sine auxilio gratiæ.

2. Homo potest ex seipso facere quod in se est. Ergo homo potest se, ex se, ad gratiam præparare.

Antec. prob., quia illud in nobis esse dicitur, quod est in nostra potestate.

Conseq. prob., quia homo præparat se ad gratiam, faciendo quod in se est. «Si enim homo faciat quod in se est, «Deus non denegat ei gratiam,» secundum illud Matth. 7. «Deus dat spiritum «bonum petentibus se.

3. Si homo indiget gratia ad hoc, ut se ad gratiam præparet esset processus in infinitum, quod est inconveniens. Ergo videtur standum in primo, ut scilicet homo sine gratia possit se ad gratiam præparare.

Conseq. prob. Nam si homo indiget gratia ad hoc, ut se ad gratiam præparet, pari ratione indiget gratia ad hoc, ut præparet se ad illam gratiam, et sic in infinitum.

4. *Hominis est præparare animam*, ut dic. Prov. 16. Ergo videtur quod homo per seipsum se possit ad gratiam præparare.

Conseq. prob., quia illud dicitur esse hominis, quod per seipsum potest.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Homo non potest venire ad Deum, nisi á Deo tractus. Ergo non potest se, ex se, absque gratiæ auxilio, ad gratiam præparare.

Antec. prob., quia dicitur Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi pater meus, qui misit me, traxerit eum.*

Conseq. prob., quia si homo posset se, ex se, ad gratiam præparare, non indigeret trahi á Deo, sed per se ipsum posset ad Deum unire.

Determinatio.

Distinctio. Duplex est præparatio humanæ voluntatis ad bonum. Una quidem est, qua præparatur ad bene operandum, et ad fruendum Deo. Alia est, qua voluntas præparatur ad consequendum ipsum gratiæ habitualis bonum.

1.ª Conclusio. Præparatio voluntatis ad bene operandum, et ad fruendum Deo, non potest fieri sine habitualis gratiæ dono.

Prob. Præparatio, ad quam exigitur opus meritorium, non fit sine dono habitualis gratiæ. Sed præparatio voluntatis ad fruendum Deo, non fit sine opere meritorio. Ergo præparatio voluntatis ad fruendum Deo non fit sine dono gratiæ habitualis.

Maior prob., quia *domum gratiæ habitualis est principium operis meritorii*, ut art. præcedenti dictum est.

2.ª Conclusio. Præparatio voluntatis ad consequendum habitualis gratiæ do-

num, non præexigit habitualis gratiæ donum.

Prob., quia sic esset processus in infinitum, ut dictum est in argumento 3, pro affirmativa.

3.ª Conclusio. Ad præparationem voluntatis, ad suscipiendum gratiæ habitualis donum, oportet præsupponi aliquod gratuitum auxilium Dei, interius animam moventis, sive inspirantis bonum propositum.

Prob. Solius primi agentis est præparare ad ultimum finem. Sed Deus est primum agens, et præparatio voluntatis ad suscipiendum habitualis gratiæ donum, est præparatio ad ultimum finem. Ergo solius Dei auxilio potest hominis voluntas præparari ad suscipiendum habitualis gratiæ donum.

Maior prob. ex differentia, quæ est inter primum agens simpliciter, et alia agentia. Cum enim omne agens agat propter finem, necesse est ut omnis causa convertat suos effectus ad proprium finem: et cum ordo finium sit secundum ordinem agentium, et moventium, necesse est quod ad ultimum finem convertatur homo per motionem primi moventis: ad finem vero proximum per motionem alicujus inferiorum moventium. Sicut animus militis convertitur ad quærendum victoriam, quæ est ultimus finis pugnæ, ex motione ducis exercitus; ad sequendum autem vexillum alicujus aciei, ex motione tribuni.

Minor quoad priorem partem, scilicet quod Deus sit primum movens simpliciter, est ex se manifesta. Quoad secundam vero, scilicet quod præparare se ad gratiam sit converti ad ultimum finem, prob. ex differentia, qua Deus convertit ad se homines justos, et alias creaturas. Pro quo est sciendum, quod Deus convertit ad seipsum omnia secundum communem intentionem boni, per quam unumquodque intendit Deo assimilari secundum suum modum, unde Dion. dicit 4. c. de Div. nom. quod *Deus convertit omnia ad seipsum*: homines autem convertit ad seipsum, sicut ad specialem finem, quem intendunt, ei cui cupiunt adhærere, sicut bono proprio, secundum illud Psal. 72. *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Ista autem conversio ad Deum, ut ad specialem finem, nihil aliud est, quam se ad lumen gratiæ præparare; sicut qui habet oculos aversos á sole, per hoc se præparat ad recipiendum lumen solis, quia convertit se ad solem. Conversio igitur ad solem, est se præparare ad recipiendum lumen solis, et conversio ad Deum est se præparare ad gratiam: sicut igitur non potest homo se convertere ad Deum, nisi Deo ipsum convertente; ita non potest se ad gratiam præparare, nisi Deo ipsum movente.

Ex quibus manifesta est intenta conclusio, quod homo non potest se præparare ad lumen gratiæ suscipiendum, nisi per auxilium gratuitum Dei interius moventis.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. neg. maior. Ad cujus probationem dicitur, quod nihil imponitur homini, quod non sit ei possibile, vel propriis viribus, vel cum divino auxilio. Præparatio ad gratiam est homini possibilis per proprias vires adjutas divino auxilio ipsas movente. Conversio enim hominis ad Deum quidem fit per liberum arbitrium, et secundum hoc homini præcipitur, ut se ad Deum convertat, ut ex sententia Zach. inducta patet. Sed quia liberum arbitrium ad Deum converti non potest, nisi Deo ad seipsum convertente, ideo Jer. 31. dicitur. *Converte me, et convertar; quia tu es* Dominus *Deus meus*, et Tren. ult. *Converte nos* Domine *ad te, et convertemur.*

Ad 2. Neg. antec. Homo enim nihil potest facere, nisi á Deo moveatur, secundum illud Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Ad prob. dicitur, quod facere quod in se est, est in potestate

hominis, secundum quod homo est motus á Deo.

Ad 3. Dicitur, quod objectio illa procedit de gratia habituali, ad quam requiritur aliqua praeparatio, quia omnis forma requirit susceptibile dispositum; sed hoc quod homo moveatur á Deo, non exigit aliquam aliam motionem, cum Deus sit primum movens. Ad formam igitur neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod homo indiget gratia habituali ad hoc ut se praeparet ad Deo fruendum. Ad hoc vero ut se praeparet ad habitualem gratiam, non indiget alia habituali gratia, sed solum divino auxilio movente ipsum, ut dictum est, et hic fit status, et non oportet abire in infinitum.

Ad 4. Dicitur ad Antec. quod hominis est praeparare animam, quia hoc facit per liberum arbitrium, sed tamen non potest animam praeparare sine auxilio Dei moventis, et ad se trahentis, ut dictum est.

ARTICULUS VII.

Utrum homo possit resurgere á peccato sine auxilio gratiæ.

Pro affirmativa.=Videtur quod homo possit resurgere á peccato sine auxilio gratiae.

1. Illud quod praeexigitur ad gratiam, fit sine gratia. Sed resurgere á peccato, praeexigitur ad illuminationem gratiae. Ergo resurgere á peccato potest homo sine gratia.

Minor prob., quia dicitur Ephes. 5. «Exurge á mortuis, et illuminabit te «Christus.»

2. Homo per virtutem naturae potest resurgere ab aegritudine ad sanitatem, sine auxilio exterioris medicinae propter hoc quod intus manet principium vitae, á quo procedit operatio naturalis. Ergo á simili videtur quod homo possit reparare seipsum, redeundo de statu peccati ad statum justitiae, auxilio exterioris gratiae.

Conseq. prob., quia peccatum virtuti opponitur, ut morbus sanati, sicut supra dictum est q. 71. ar. 1.

3. Quaelibet res naturalis potest redire ad actum convenientem suae naturae, ex actu contrario, per seipsam. Ergo homo potest ab actu peccati ad actum justitiae ex seipso redire.

Antec. prob., quia aqua calefacta, per seipsam redit á calore ad naturalem frigiditatem: et lapis sursum projectus, per seipsum redit ad suum locum naturalem.

Conseq. prob., quia peccatum est quidam actus contra naturam. ut Dam. dicit 2. lib. ort. fid. c. 30. Actus vero justitiæ est secundum naturam.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Si homo posset ex seipso sine gratia resurgere á peccato, sequeretur quod Christus gratis, idest sine causa mortuus esset. Sed hoc est inconveniens dicere. Ergo non potest homo seipsum per seipsum justificare, idest redire de statu culpæ ad statum gratiæ.

Maior conditionalis manifestatur á simili Apost. enim ad Galat. 2. dicit. *Si data est lex, quæ potest justificare ergo Christus gratis*, idest sine causa *mortuus est*. Pari igitur ratione, si homo ex viribus suæ naturæ posset seipsum justificare quod est á peccato resurgere, non fuisset necessaria mors Christi ad nostram justificationem, quod est falsissimum.

Determinatio.

Conclusio. Homo nullo modo potest resurgere á peccato per seipsum; sed ad hoc ut á peccato resurgat, requiritur auxilium gratiæ, quantum ad habituale donum, et quantum ad interiorem Dei motionem.

Prob. Homo sine dono gratiæ habitualis, et sine gratuita Dei motione, non potest reparari ad ea, quæ per peccatum amisit. Ergo homo sine dono habitualis gratiae, et sine gratuita Dei motione non potest resurgereá peccato.

Conseq. prob. Resurgere á peccato, est non solum cessare ab actu peccati, sed est reparari hominem ad ea quæ peccatum amisit; transit enim actus peccati, sed remanet reatus, ut dictum est q. 87. art. 6.

Antecedens manifestatur. Præmittendo quod homo peccando incurrit triplex detrimentum, ut ex supradictis patet q. 85, 86. 87. scilicet *maculam, corruptionem boni naturalis, et reatum pœnæ.* Maculam quidem incurrit, in quantum privatur decore gratiae ex deformitate peccati. Bonum naturae corrumpitur, in quantum natura hominis deordinatur, voluntate hominis Deo non subjecta: hoc enim ordine sublato, consequens est ut tota natura hominis peccantis inordinata remaneat. Reatus vero pœnæ est per quem homo peccando mortaliter, meretur damnationem æternam.

Prob. igitur de singulis quod non possit reparari sine gratia. Et quod non possit reparari divinus decor per peccatum amissus.

Prob. Decor gratiæ provenit ex illustratione divini luminis. Ergo talis decor non potest reparari in anima, nisi Deo illustrante denuo quod lumen est habituale gratiæ donum.

Quod vero ordo naturæ non possit reparari absque gratia: prob. Voluntas hominis non potest ordinari ad hoc, ut Deo perfecte subjiciatur, nisi Deo voluntatem hominis ad se trahente, movendo, et sanando ipsam, ut art. præced. dictum est. Ergo homo non potest reparari in naturalibus, absque habitualis gratiæ dono, et gratuita motione.

Quod vero reatum pœnæ non possit homo sine gratia evadere: probatur, quia reatus pœnæ æternæ remitti non potest, nisi á Deo, in quem est offensa commissa, et qui est hominum judex. Quod facit sanando animam per gratiam, et movendo per gratuitum auxilium.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod resurrectio á peccato duplex est, scilicet perfecta, sive totalis, et imperfecta, sive partialis, et inchoativa. Resurrectio perfecta est, quæ fit per actum liberi arbitrii informati gratia gratum faciente. Imperfecta vero est, quæ fit per actum liberi arbitrii adhuc non informati gratia, sed moti á Deo per gratuitum auxilium. Tunc ad minorem dicitur, quod si sit sermo de imperfecta resurrectione, conceditur. Verum enim est quod hujusmodi resurrectionis inchoatio præcedit illuminationem gratiæ, unde et fit sine gratia, licet non sine auxilio Dei moventis ad resurgendum á peccato; concludit igitur argumentum, in hoc sensu exposita minore quod inchoatio resurrectionis imperfectæ á peccato fiat sine gratia habituali, licet non sine motione divina, et secundum hoc est verum. Si vero in minori fiat sermo de perfecta resurrectione, negatur: completa enim, et totalis resurrectio á peccato, non solum non præcedit ipsam illuminationem, sed potius sequitur ipsam, sicut effectus causam; perfecta enim resurrectio á peccatis est effectus illuminationis gratiæ divinæ.

Ad probationem dicitur, quod homini indicitur quod pertinet ad actum liberi arbitrii, qui actus requiritur ad hoc quod homo á peccato resurgat. Unde cum dicitur: «exurge, et illuminabit te Christus,» non est intelligendum quod tota ressurrectio á peccato præcedat illuminationem gratiæ; sed quia, cum homo per liberum arbitrium, á Deo motum surgere conatur á peccato, recipit lumen gratiæ justificantis per quod perfecte á peccato resurgit.

Ad 2. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de ægritudine corporali, et sanitate ex una parte, et de peccato, et virtute ex altera. Infirmitas enim corporalis potest esse talis, ut relinquat sufficiens principium potens reducere ad sanitatem, et ideo contingit ut natura

ex se absque aliqua extrinseca medicina reducat corpus de infirmitate ad sanitatem. Peccatum autem nullum relinquit principium, quo homo possit ex peccato ad justitiam redire: et ratio est, quia naturalis ratio, et vires non sunt sufficiens principium spiritualis sanitatis, quæ est in homine per gratiam justificantem: hujus enim principium est sola gratia, quæ tollitur per peccatum, et ideo homo non potest seipsum reparare: sed indiget, ut denuo ei lumen gratiæ infundatur. Unde peccatum potius morti, quam ægritudine assimilare debet. Sicut enim corpus mortuum non potest resurgere, nisi denuo ei infundatur anima, ita peccator non potest á peccato resurgere, nisi ei denuo gratia infundatur. Ad probationem dicitur, quod licet aliquo modo peccatum corporali morbo assimiletur, non tamen de utrisque est eadem ratio, ut dictum est quæst. 71. art. 1. ad 3.

Ad 3. Dicitur ad antec., quod quando natura est integra, per seipsam potest reparari ad id quod est sibi conveniens et proportionatum. Sed ad id quod superexcedit suam proportionem, reparari non potest, sine exteriori auxilio. Sic igitur humana natura defluens per actum peccati, quia non manet integra, sed corrumpitur (ut supra dictum est) non potest per seipsam reparari, neque etiam ad bonum sibi connaturale, et multo minus ad bonum supernaturalis justitiæ.

ARTICULUS VIII.

Utrum homo sine gratia possit non peccare.

Pro affirmativa.=Videtur quod homo sine gratia possit non peccare.

1. Si homo existens in peccato mortali non posset vitare peccatum, sequeretur quod peccando non peccaret, quod est inconveniens.

Conseq. prob., quia *nullus peccat in eo quod vitare non potest*, ut Augustinus dicit lib. de duabus ani. c. 10. et 3. de lib. arb. c. 18.

2. Si homo in peccato mortali existens non posset non peccare, frustra ei correctio addiberetur quod est inconveniens.

Conseq. prob., quia ad hoc corripitur homo, ut non peccet.

3. Homo in peccato existens non desinis esse homo. Ergo homo in peccato existens potest sine gratia non peccare.

Conseq. prob., quia homo ut sic, secundum se potest vitare peccatum secundum illud Eccl. *Ante hominem vita, et mors, bonum et malum, quod placuerit ei dabitur illi.*

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. dicit lib. de perfectione justitiæ: »Quisquis negat nos orare debere, ne »intremus in tentationem; negat autem »hoc, qui contendit ad non peccandum »gratiæ Dei adjutorium non esse homini necessarium, sed sola lege accepta »humanam sufficer evoluntatem, ab auribus omnium removendum, et ore omnium esse anathematizandum non dubito.«

Determinatio.

1.ª *Distinctio.* De homine loqui possumus dupliciter; uno modo secundum statum naturæ integræ: alio modo secundum statum naturæ corruptæ.

2.ª *Distinctio.* Homo in statu naturæ corruptæ adhuc in duplici statu inveniri potest. Primo dum est in statu peccati. Secundo dum est sanatus per habitualem gratiam, secundum mentem, remanente carnali appetitu nondum totaliter reparato, secundum quem solum modum sanatur natura in hoc statu, secundum quod D. Paulus ex persona hominis reparati in vita præsenti ajebat Rom. 7. *Ego ipse mente servio legi Dei; carne autem legi peccati.*

1.ª Conclusio. Homo in statu naturæ integræ, etiam sine gratia habituali, potest non peccare nec mortaliter, nec venialiter.

Prob. Homo in statu naturæ integræ poterat non recedere ab eo quod est secundum naturam, etiam sine habituali gratia. Ergo homo in statu naturæ integræ, etiam sine gratia habituali, poterat non peccare.

Conseq. prob., quia peccare nihil aliud est, quam recedere ab eo quod est secundum naturam.

2. Conclusio. Homo in statu naturæ integræ non poterat sine Dei auxilio in bono conservantis, non peccare.

Prob. Quia subtracto divino auxilio, etiam ipsa natura in nihilum decideret. Unde sine auxilio divino in nullo statu potest homo conservari in his, quæ sunt secundum naturam.

3.ª Conclusio. Homo in statu naturae corruptae, sanatus tamen secundum mentem per habitualem gratiam, potest vitare omnia peccata mortalia.

Prob. Quia peccatum mortale consistit in ratione, ut dictum est quaest. 74. ar. 4. Unde sanata ratione per gratiam, poterit homo abstinere á peccato mortali.

4.ª Conclusio. Homo in statu naturae corruptae, sanatus etiam per habitualis gratiae donum, potest vitare singula peccata venialia, non autem omnia.

Manifest. Et quod possit vitare singula ostenditur, quia si ratio non posset reprimere singulos sensualitatis motus, ex cujus corruptione peccata venialia procedunt, non haberent sensualitatis inordinati motus, rationem voluntarii nec rationem peccati. Non potest vero, omnes reprimere, quia dum uni resistere nititur, fortassis alius consurgit. Et etiam, quia ratio non potest esse pervigil ad omnes hujusmodi motus inordinatos sensualitatis vitandos, et reprimendos ut dictum est.

5.ª Conclusio. Homo in statu naturæ corruptae existens, antequam reparetur ratio, in qua est peccatum mortale, per gratiam justificantem, potest quidem singula peccata mortalia vitare, et secundum aliquod tempus, sed non potest diu absque peccato manere.

Manifestatur quoad singulas partes, et quod possit vitare singula peccata mortalia probatur, quia alioquin non haberent haec peccata rationem voluntarii, et per consequens nec rationem peccati: quod enim vitari non potest, non est voluntarium, nec peccatum.

Quod vero per aliquod tempus possit mortalia vitare, ostenditur, quia non est necesse ut hujusmodi homo adhuc non sanatus continuo peccet.

Quod tandem non possit diu absque peccato manere, ostenditur authoritate et ratione. Authoritas est Greg. dicentis Hom. 11. sup. Eze. et lib. 25. Mor. c. 13. *Peccatum quod mox per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit.*

Ratione vero ostenditur dupliciter. Primo, homo cujus ratio non est totaliter, et perfecte Deo subjecta, non potest diu manere sine peccato. Sed hominis non sanati ratio non est totaliter, et perfecte Deo subjecta: subjectio enim perfecta non est sine gratia sanante. Ergo homo non sanatus per gratiam, non potest diu sine peccato manere.

Maior prob. dupliciter. Primo á simili; sicut se habet inferior appetitus ad rationem, sic se habet ratio ad Deum. Sed si inferior appetitus non sit perfecte subjectus rationi, non potest esse, quin in eo contingant inordinati motus. Ergo si ratio hominum non sit totaliter Deo subjecta, constituendo ipsum finem suæ voluntatis, non potest diu esse sine inordinato motu peccati.

Maior hujus prob., quia sicut per finem regulantur omnes actus humani, ita per rationem regulantur inferioris appetitus actus.

Secundo prob. eadem tertia conclusionis pars alia ratione. Homo qui non habet cor suum firmatum in Deo, ita ut pro nullo bono consequendo, vel malo vitando ab eo separari vellet non potest diu manere sine peccato. Sed homo non sanatus per gratiam non habet cor suum firmatum in Deo: firmitas enim haec fit per gratiam sanantem. Ergo homo non sanatus per gratiam, non potest diu esse sine peccato.

Maior ostenditur. Nam homini non sic firmato in Deo occurrunt multa, propter quæ consequenda, vel vitanda homo recedit á Deo, contemnendo præcepta ipsius, et ita peccat mortaliter: præcipue quia *in repentinis homo operatur secundum finem præconceptum, et secundum habitum præexistentem*, ut dicitur 3. Eth. c. 8. et quamvis ex præmeditatione rationis homo possit aliquid agere præter ordinem finis præconcepti, et præter inclinationem habitus; tamen, quia homo non potest semper esse in tali præmeditatione, non potest diu manere quin operetur secundum consequentiam voluntatis deordinatæ á Deo, nisi cito per gratiam ad debitum ordinem reparetur.

Breviter igitur dicitur ad quæsitum primo, quod homo in statu naturæ integræ, sine dono gratiæ habitualis, licet non sine divino gratuito auxilio, potest non peccare.

Secundo. Homo in statu naturæ corruptæ non sanatæ potest vitare quidem singula mortalia, non tamen omnia, neque diu potest sine peccato manere, nisi per gratiam sanetur.

Tertio. Homo in statu naturæ corruptæ, sanatus tamen per gratiam, potest vitare omnia mortalia, non tamen omnia venialia.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur quod, quia homo potest vitare singulos actus peccati, licet non omnes, nisi per gratiam, ideo, non vitando singulos, non excusatur á peccato. Et iterum non excusatur á peccato, quamvis omnes vitare non possit; quia ex ejus defectu est quod se ad habendum gratiam non præparet. Nullus igitur peccat in eo quod nullo modo vitare potest; si tamen aliquo modo possit vitare, si non vitet, peccat. Et quia homo potest vitare singulos actus peccati, et omnes per gratiam, ideo si non vitet, et non præparet se ad gratiam, peccat, nec excusatur á peccato.

Ad 2. Neg. conseq. Correctio enim ideo necessaria est, quia voluntas hominis requiritur ad hoc quod á peccato abstineat, non tamen est sufficiens correctio sine Dei auxilio. Unde dicitur Eccl. 7. *Considera opera Dei quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit.* Unde Aug. lib. de correptione, et gratia c. 6. dicit. *Correptio utilis est, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur; si tamen, qui corripitur, filius est promissionis, ut strepitu correptionis forinsecus insonante, aut flagellante, Deus in illo intrinsecus occulta inspiratione operetur et velle.* Correptiones igitur non sunt ad hoc, ut homo ex illis solis peccatum vitet, sed solum ad disponendum voluntatem, ut á peccato resipiscat per Dei gratiam.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem negatur assumptum de homine existente in statu naturæ corruptæ, tunc enim peccatum sine gratia vitare non potest, ut dictum est. Ad cujus probationem dicitur. Quod dictum Eccl. secundum Aug. in Hypognosticon lib. 3. intelligitur de homine secundum statum naturæ integræ, quando nondum erat servus peccati, tunc enim poterat peccare, et non peccare. In statu etiam naturæ corruptæ habet ut possit peccare, et non peccare, non quidem ex se, sed auxilio gratiæ.

ARTICULUS IX.

Utrum ille, qui jam consequutus est gratiam, per seipsum possit operari bonum, et vitare peccatum absque auxilio gratiæ.

Pro affirmativa. = Videtur quod ille qui jam consequutus est gratiam, per seipsum possit operari bonum, et vitare peccatum absque alio auxilio gratiæ.

1. Si homo, quia jam consequutus est gratiam, non posset vitare peccatum et operari bonum absque auxilio gratiæ, sequeretur quod gratia esset frustra, vel imperfecta, quod est inconveniens.

Prob. conseq. Illud quod datur ad vi-

tandum peccatum, et ad bene operandum, si per illud non possit vitari peccatum, et bene operari, est frustra, vel imperfectum. Sed gratia datur homini, ut per ipsam vitet peccatum, et operetur. Ergo si non sit sufficiens gratia, sine alio auxilio, erit vel frustra data, vel imperfecta.

Maior prob. Quia unumquodque frustra est, aut imperfectum, si non impleat illud, ad quod datur.

2. Illud, per quod ipsemet Spiritus Sanctus in nobis habitat, sufficit ad hoc, ut abstinere possimus á peccato, et bonum operari. Sed per gratiam habitat in nobis ipsemet Spiritus Sanctus. Ergo gratia sufficit ad hoc, ut bonum operari, et á peccatis abstinere valeamus.

Maior prob. Quia Spiritus Sanctus cum sit omnipotens, sufficiens est ut nos inducat ad bene operandum, et ut nos á peccato custodiat.

Minor prob., quia 1. Cor. 3. dicitur. *Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis*?

3. Si homo consequutus gratiam, adhuc alio auxilio gratiæ indiget ad hoc quod recte vivat, et á peccato abstineat pari ratione et si illud gratiæ auxilium consequutus fuerit, adhuc alio auxilio gratiæ indigebit; procedetur ergo in infinitum, quod est inconveniens. Ergo ille, qui est in gratia, non indigebit alio auxilio gratiæ ad hoc quod bene operetur, et á peccato abstineat.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Homo justificatus non potest sine alio gratiæ auxilio recte vivere. Ergo homo jam habens gratiam, indiget alio auxilio gratiæ, ad hoc, ut recte vivat.

Anteq. prob., quia Aug. dicit lib. de nat. et grat. 16. Quod «sicut oculus «corporis plenissime sanus, nisi candore «lucis adjutus, non potest cernere, et «sic et homo perfectissime etiam justi«ficatus, nisi æterna luce justitiæ divini«tus adjuvetur, recte vivere non potest.

Conseq. prob., quia justificatio fit per gratiam secundum illud Roman. 3. «Justificati gratis, per gratiam ipsius.»

Determinatio.

Distinctio. Homo ad recte vivendum dupliciter auxilio Dei indiget, ut ar. 2. hujus dictum est. Uno modo quantum ad habituale donum, per quod natura humana corrupta sanetur, et etiam sanata elevetur ad operanda opera meritoria vitæ æternæ, quæ excedunt proportionem naturæ. Alio modo indiget homo auxilio gratiæ, ut á Deo moveatur ad agendum.

1.ª Conclusio. Homo in gratia existens non indiget alio auxilio gratiæ, quasi aliquo alio habitu infuso.

Prob. per tertium argumentum pro affirmativa, quia scilicet esset processus in infinitum.

2.ª Conclusio. Homo in gratia existens indiget auxilio gratiæ, quo moveatur a Deo ad recte agendum.

Prob. Dupliciter, primo ratione generali, quia scilicet nulla creatura potest in quemcumque actum exire, nisi virtute motionis divinæ.

Secundo prob. ratione speciali. Nam licet natura nostra per gratiam sanetur, quantum ad mentem, remanent tamen in ea duo defectus. Prior est corruptio, et infectio, quantum ad carnem, per quam homo *servit legi peccati*, ut dicitur Rom. 7. Secundus est quædam ignorantiæ obscuritas in intellectu, secundum quam etiam dicitur Rom. 8. «Quid oremus sicut oportet, nescimus.» Propter varios enim rerum eventus, et quia etiam nosipsos non perfecte cognoscimus, non possumus ad plenum scire, quid nobis expediat: secundum illud Sap. 9. «Cogitationes mortalium timide» (ratione primi defectus) «et incertæ providentiæ nostræ» (ratione secundi defectus) timidæ quantum ad debilitatem et infectionem carnis, incertæ, quantum ad defectum cognitionis intellectus nostri. Et ideo necesse est ut á Deo dirigamur et protega-

mur, qui omnia novit, et omnia potest.

Et confirmatur conclusio, quia propter hoc renatis in filios Dei convenit dicere: «et ne nos inducas in tentationem. Et fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra.» et cætera quæ in oratione dominica contiaentur ad hoc pertinentia.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod donum gratiæ habitualis non datur nobis ad hoc, ut per ipsam solum debeamus operari bonum, ita ut non indigeamus auxilio divino, sed datur ad sanandum naturam, ut dictum est, quæ sanata per Dei auxilium, potest recte vivere: indiget enim quælibet creatura, ut conservetur in bono quod á Deo accepit, et ideo ex hoc quod homo post acceptam gratiam indiget divino auxilio, non sequitur quod gratia sit superflua, vel etiam imperfecta, quia non solum in hoc statu, in quo gratia imperfecte sanat, indiget homo ulterius divino auxilio, sed etiam in alia vita, in qua gratia perfecte sanat, erit necessarium, præter gratiam, divinum auxilium.

Ad 2. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod quamvis Spiritus Sanctus sit omnipotens, tamen diversi sunt ejus effectus. Nam per donum gratiæ inhabitat animam sanando, per auxilium vero movet ad bene operandum.

Ad 3. Jam dictum est, quod probat primam conclusionem. Concludit enim quod homo in gratia existens non indiget alio habitu gratiæ ad bene operandum: sed cum hoc stat quod indigeat divino auxilio movente ad bene operandum.

ARTICULUS X.

Utrum homo in gratia constitutus indigeat auxilio gratiæ ad perseverandum.

Pro negativa.=Videtur quod homo in gratia constitutus non indigeat auxilio gratiæ ad perseverandum.

1. Homo justificatus per gratiam, non indiget auxilio gratiæ ad habendum virtutes, sed simul cum gratia, etiam virtutes infunduntur. Ergo multo minus homo indiget auxilio gratiæ ad perseverandum.

Conseq. prob., quia perseverantia est aliquid minus virtute, sicut et continentia, ut patet 7. Ethic. c. 7.

2. Omnes virtutes simul infunduntur cum gratia. Sed perseverantia ponitur quædam virtus. Ergo perseverantia simul cum gratia infunditur, et non est necessarium aliud gratiæ auxilium ad perseverandum.

3. Adam in statu innocentiæ accepit á Deo ut posset perseverare. Ergo multo magis hoc nobis restituitur per gratiam Christi, et ideo homo non indiget, accepta gratia, alio auxilio ad perseverandum.

Conseq. prob., quia plus restitutum est homini per donum Christi, quam amisserit per peccatum Adæ, ut dicitur ad Rom. 5.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Quod petitur ab his qui sunt in gratia constituti, non habetur ab eis sine divino auxilio. Sed perseverantia petitur ab his qui sunt in gratia constituti, dicentes: *sanctificetur nomen tuum* etc. Ergo homo in gratia constitutus indiget alio divino auxilio ad perseverandum.

Maior prob., quia Aug. in lib. de persev. c. 2. dicit: «cur perseverantia pe«titur á Deo, si non datur á Deo? an et «ista irrisoria petitio est, cum id ab eo «petitur, quod scitur, non ipsum dare, «sed ipso non dante esse in hominis po«testate?»

Minor est Aug. quam et confirmat ibidem per verba Cypriani in lib. de persev. c. 2.

Determinatio.

Distinctio. Perseverantia tripliciter, dicitur, quandoque enim significat habitum mentis, per quem homo firmiter stat, ne moveatur ab eo, quod est secundum virtutem per irruentes tristitias ut sic se habeat perseverantia ad

tristitias, sicut continentia ad delectationes et concupiscentias, ut dicitur 7. Ethic. c. 7. Secundo modo potest dici perseverantia habitus quidam, secundum quem homo habet propositum perseverandi in bono usque in finem. Tertio modo dicitur perseverantia, continuatio quædam boni usque ad finem vitæ.

1.ª Conclussio. Homo in gratia constitutus, non indiget auxilio gratiæ ad habendum perseverantiam, juxta primum, et secundum modum, videlicet secundum quod est habitus, quo homo firmiter stat, ne removeatur ab eo quod est secundum virtutem, et quo habet firmum propositum perseverandi in bono.

Manifestatur, quia perseverantia utroque modo accepta, simul cum gratia infunditur, sicut etiam infunditur continentia, et cæteræ virtutes, ut probant primum, et secundum argumentum pro negativa.

2.ª Conclusio. Homo in gratia constitutus, non indiget aliqua alia gratia habituali ad habendam perseverantiam, secundum quod significat continuationem boni usque in finem, sed tamen indiget divino auxilio ipsum dirigente, et protegente contra tentationum impulsus.

Utraque hujus conclusionis pars probatur ex his, quæ dicta sunt art. præced. Et quidem quod non indigeat aliqua alia gratia habituali, probatur, quia alias procederetur in infinitum, ut dictum est. . . . . .

Quod vero indigeat auxilio divino, prob., quia cum homo non totaliter sanetur per gratiam, sed remaneat infectus quantum ad carnem, et obscuratus ex parte intellectus, indiget dirigi, et protegi contra irruentes tentationes: et ulterius, cum omnis creatura indigeat conservari in bono quod á Deo accipit, necessarium est auxilium divinum præter gratiam ad actualem continuationem boni usque in finem vitæ.

3.ª Conclusio. Postquam aliquis est justificatus per gratiam, necesse habet petere á Deo prædictum perseverantiæ donum, ut scilicet custodiatur á malo usque in finem vitæ.

Manifestatur, quia multis datur gratia, quibus non datur perseverare in gratia. Unde et in oratione dominica dicitur. «Sed libera nos á malo.»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod procedit de perseverantia juxta primum modum, prout videlicet est habitus, quo homo firmiter stat, ne removeatur ab eo quod est secundum virtutem: ad hanc enim habendam, non est necessarium aliud auxilium præter habitualis gratiæ donum, cum quo habitus etiam perseverantiæ infunditur, quo homo firmiter stat in bono contra irruentes tentationes. Et ad formam dicitur, quod si sermo sit de habitu perseverantiæ, conceditur totum, est enim hujusmodi habitus quid minus virtute. Si vero sermo sit de perseverantia, secundum quod significat actualem continuationem in bono usque ad finem vitæ, negatur consequentia. Et ad probationem negatur assumptum; est enim perseverantia sic accepta quid majus virtute. Philos. locutus est de perseverantia, quæ est habitus.

Ad 2. Dicitur, quod procedit de perseverantia juxta secundum modum, datur enim simul cum gratia propositum perseverandi, sed non actualis perseverantia usque in finem. Et ad formam negatur minor. Actualis enim perseverantia est quid majus virtute.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod Adam accepit quidem á Deo, ut posset perseverare, sed non ut actu perseveraret, ut rei probavit eventus, non enim actu perseveravit. Per gratiam autem Christi multi accipiunt, non solum gratiæ donum, quo perseverare possunt, sed ulterius recipiunt auxilium, quo actu perseverant.

Unde donum Christi maius est peccato Adæ. Peccatum enim abstulit solum donum quo homo poterat perseverare;

gratia autem Christi reddit hoc donum, et ulterius præbet auxilium perseverandi actualiter usque in finem.

Verum tamen est quod homo in statu innocentiæ cum sola gratia facilius perseverare poterat, quam homo cum gratia in statu naturæ corruptæ, quia tunc nulla erat rebellio carnis ad spiritum, sicut est in statu præsenti, sed tamen per hoc non sequitur, quod plus abstulerit peccatum Adæ, quam conferat gratia Christi; reparatio enim naturæ quæ fit per Christi gratiam, non est adhuc completa, sed complebitur in futura vita, quando dabitur perfecte, non solum posse perseverare, et actu perseverare, sed etiam non posse amplius peccare.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 109. QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, et in recto sensu intelligas, merito esse á scripturis et Augustino insinuatum quod homo potest aliquod verum cognoscere sine gratia. A B. Aug. quidem: ut *in arg. cont.* A scripturis vero per hoc, quod Apostolus multas, magnasque veritates cognovisse philosophos docet: quos tamen non solum sine gratia Dei fuisse, sed etiam gratiæ contrariissima peccata perpetrasse dicit, mortique illos justissime adjudicat. Ut Ro. 2. " Quod notum est Dei, manifestum est in illis, etc. invisibilia Dei á creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, » etc. usque in finem. Non solum ergo simpliciter, sed etiam multum á fortiori, aperit intentum, quod quærebatur. *Secundo* vides: quomodo etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas merito esse insinuatum á scripturis, Concilio et Aug. quod homo sine gratia non potest velle bonum. A B. Aug. quidem: ut *in arg. cont.* A scripturis vero ut Ro. 9. secundum quod ibid. Item á 2. Corinth. 3. " Non sumus sufficientes cogitare aliquid á nobis, quasi ex nobis, » idest per nos ipsos, sine auxilio Dei. De quo subdit ly " sed omnis sufficientia nostra ex Deo est. » Nota ly *omnis*, idest sive magna, sive parva, sive minor, sive minima Concil. autem *Arausicano*, c. 19. " Natura humana etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam, creatore suo non adjuvante, servaret. Unde, cum sine gratia Dei salutem non possit custodire, quod accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare, quod amisit? » Et c. 20. " Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præstet, ut faciat homo. » Quod si quæras, quæ bona fiant in homine, quæ non faciat homo, respondet D. Aug. quod *virtutem*, scilicet infusam, *Deus operatur in nobis sine nobis*, idest sine opere nostro. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito esse á scripturis insinuatum; quod homo, ut sic, naturaliter diligit Deum super omnia. Ut per illud dictum Ecclesiast. 7. *Deus fecit hominem rectum*. Nam rectitudini contraponitur diligere Deum non super omnia: ut patet ex corp. *Fecit* ergo *hominem rectum*, idest diligentem naturaliter ipsum Deum super omnia. Item per illud 1. Cor. 8. *Charitas ædificat*. Si enim homo, ut homo, non diligeret naturaliter Deum super omnia, tunc charitas adveniens, cujus est diligere supernaturaliter Deum super omnia, non ædificaret, idest non perficeret naturam, elevando ipsam á diligere naturaliter ad diligere supernaturaliter Deum super omnia; sed destrueret. Hoc autem est contra omnes sanctos doctores: quoniam charitatem destructricem quidem vitiorum, sed conservatricem simul, et perfectricem naturæ esse volunt. Vide ar. 4. ad prim. Naturam quidem tunc conservat quando ipsam invenit amatricem esse naturaliter Dei super omnia, perficit vero eamdem, quando ipsam facit amatri-

cem esse eminentiori modo Dei super omnia: adeo, quod natura, quæ ante adventum charitatis, ut natura, diligebat naturaliter Deum super omnia; nunc, post charitatis adventum, ipsamet, ut vestita charitate, diligi supernaturaliter Deum super omnia. Quod si natura diligeret naturaliter Deum non super omnia: ipsam, ut sic facientem charitas destrueret, quoniam hanc ejus inclinationem, utpote perversam sibi contrariam, auferret ab ea. Taceo, quod tunc natura, ut sic, et inclinatio naturalis, ut sic, esset inordinata: cum tamen á Deo sint: et quæcumque á Deo sunt, ordinata sunt. Ut igitur absurda hæc evitentur, et charitas adveniens naturæ ædificet: relinquitur scholasticis theologis concludendum secundum scripturas: quod homo secundum naturam suam non quidem post peccatum, sed præcisse integram, consideratus, amat naturalibus solis viribus Deum super omnia. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem directam, (hæc est in corpore) tum indirectam, (hæc est solutio argumentorum,) interimas hæresim *Pelagii* dicentis, ut tangitur *in arg. cont.* Cui tamquam suo magistro, consentit *Cœlestius*. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á dictis scripturarum et Concilii adductis a. 2. app. Item á dictis sup. art. n. 27. et in 2. 2. ar. nu. 670. Item á dictis in Eluc. pri. par. ar. nu. 129. 499. Et á dictis per veritates aureas super totam legem veterem Lev. 18. concl. 1. et Deut. 6. conc. 4. Item á B. Aug. sexdecim fere argumentis efficacibus damnantur in libro de perfectione justitiæ. Qui etiam in libro de fide Cathol. dicit: " Cum Cœlestius, atque Pelagius in Ephesina synodo sint damnati; quomodo poterunt illa capitula recipi quorum damnantur auctores? » Item á Papa *Cœlestino* 1. in Epist. sua ad Episcopos Galliæ; ubi damnat errores *Pelagii*. Inter alia vero dicit; quod " nemo est bonus suis viribus, nisi participatione ejus, qui solus est bonus. » Et, quod " per Christum nos libero bene utimur arbitrio. » Et, quod " omnis sancta cogitatio, et motus piæ voluntatis ex Deo sunt. » Et, quod " gratia Dei non solum peccata dimittit, sed etiam adjuvat, ne committantur; et præstat, ut lex impleatur; non sicut Pelagius ait, facile, quasi sine gratia Dei difficilius possit impleri. » Valent multa hic prædicta ad ar. 2. 3. *Tertio* vides: quomodo ex iis, etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Cœlestii*, et *Pelagii* dicentium; hominem suis operibus posse mereri vitam æternam. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Rom. 6. secundum quod cum expositione Glossæ est *in arg. cont.* Item ab omnibus prædictis, atque citatis, in art. 4. appen. Nam quæ demonstrant, quod homo sine gratia non potest mandata implere: commonstrant utique, quod non potest sine gratia mereri vitam æternam; cum vita hæc non detur, nisi adimplentibus mandata divina. Item, et quidem á fortiori, á Concilio *Trid.* sess. 9. canon. 1. " Si quis dixerit: hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per JESUM Christum gratia posse justificari coram Deo; anathema sit. » Et ibidem cap. 16. " Absit: ut Christianus homo in seipso, vel confidat, vel glorietur, et non in Domino: cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. » Vide Concilium *Arausicanum* supra a. 2. append. Item á Papa *Cœlestino in epistol. ad Episcopos Galliæ*; ubi dicit, quod omnia Sanctorum merita sunt dona Dei. Vide 1. p. q. 23. ar. 5. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens, etc.

Ex art. 6. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Melancthonicorum* dicentium: quod homo ex puris viribus naturalibus potest se præparare ad gratiam Dei consequendam. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Concilio *Trid.* sess. 6. cap. 5. " Declarat justificationis exordium in adultis á Dei præveniente gratia; hoc est, ab ejus vocatione, sumendum esse: quia nullis eorum existentibus meritis vocantur: ut, qui per peccata á Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum

justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo, et cooperando disponantur. Ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens (quippe qui illam et abjicere potest) neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo, libera sua voluntate possit. Et can. 1. Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absque divina gratia posse justificari coram Deo: anathema sit. Et can. 3. Si quis dixerit: sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet: ut ei justificationis gratia conferatur: anathema sit.» Item á *Cœlestino* Papa (ubi sup. ar. 4. appen.) dicente, quod per Christum bene utimur libero arbitrio. Et quod omnis sancta cogitatio, et motus piæ voluntatis ex Deo sunt. Nota ly *per Christum:* ergo non per nosipsos solos, idest non per vires pure naturales. Item á dictis 1. p. q. 62. a. 2. et q. 82. a. 4. cum Eluc. Item ibid. ar. n. 499. *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 7. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim quorumdam, ut refert Concilium Milevitanum, in epistola ad Papam Innocentium I. quæ incipit: *Domino beatissimo, meritoque venerabili*, etc. dicentium, quod non est orandus Deus ut contra peccati malum, et operandam justitiam, sit noster adjutor. Quandoquidem inquiunt, ad hoc implendum sufficit sola hominis voluntas. Homo igitur potest, secundum istos, per seipsum solum se tueri contra peccati malum, operarique justitiam: hoc est, resurgere á peccato redeundo ad justitiam. Patet enim, quod articulus præsens Sancti Doctoris directe impugnat hanc hæresim, et expugnat. *Secundo* habes; quomodo per rationem ostendas: ipsam merito damnari á Papa ipso *Innocentio in rescripto suo* ad idem Concilium. Vide *libr. Conciliorum inter acta Innocentii Primi.* Item damnari á Concilio ipso *Milevitano.* Item á Cœlestino I. ubi supra ar. 4. app. dicente: quod Adam omnes homines læsit: nec quempiam per liberum arbitrium posse consurgere nisi eum gratia Dei erexerit. Item á Concilio Tridentino sessione sexta, cap. 1. «Omnes homines in prævaricatione Adæ usque adeo servi erant peccati, et sub potestate diaboli, ac mortis, ut non modo gentes per viam naturæ sed nec Judæi quidem per ipsam etiam literam legis Moysi, inde liberari, aut surgere possent, tametsi in eis liberum arbitrium minime extinctum esset viribus licet attenuatum, et inclinatum.» Item ab eodem, dum negat aliquem posse pœnitere sine adjutorio gratiæ Dei, ut justificetur. Vide ejus canon. tertium relatum supra art. 6. append. Item á Concil. Arausic. can. 19. 20. ut supra ar. 2. app. Item ab eodem Concilio cap. 4. «Si quis, ut á peccato purgemur, Deum expectare voluntatem nostram contendit, non autem, ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem, et operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas á Domino, et Apostolo salubriter prædicanti: Deus est, qui operatur in nobis et velle, et perficere pro bona voluntate. Et can. 7. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, aut eligere posse confirmat, absque illuminatione, et inspiratione Spiritus Sancti, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: Sine me nihil potestis facere.» Ex his Concilii verbis cum resurgere á peccato sit aliquid pertinens ad salutem vitæ æternæ patet: quod per vigorem naturæ solius non potest quis non modo non resurgere de facto, sed nec velle resurgere ab illo. Et idem canon. 9. «Divini est muneris, cum recte cogitamus, et pedes nostros á falsitate, et injustitia tenemus. Et canon. 13. Arbitrium hominis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam non potest reparari. Quæ amissa, nisi á quo potuit dari, nec potest reddi. Unde ipsa veritas dicit: Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis. Et canon. 14. Nullus miser de quacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia praevenitur: sicut dici Psalmista. Cito anticipet nos misericordia tua Domine, et illud: Deus meus: misericordia ejus praeveniet me. Et canon. 15. Ab eo, quod formavit Deus mutatur Adam, sed in pejus, per iniquitatem suam, ab eo, quod operata est iniqui-

tas, mutatur fidelis, sed in melius per gratiam Dei. Illa ergo mutatio fuit praevaricatoris primi, haec secundum Psalmist., est mutatio dexterae excelsi.» *Tertio* vides: quomodo etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *illorum*, qui notantur á B. Aug. ut recitatur *in arg. cont.* Item hæresim *Cælestii* dicentis; hominem absque gratia Dei posse non peccare: immo et justum esse. Item *Rabbi Moysi* (ut refert Directorium inquisitorum 2. parte, q. 4.) dicentis: quod homo sine Dei gratia, vel auxilio potest omnia peccata vitare. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari a. 2. 2. art. num. 674. Item á 1. part. qu. 23. art. 1. et qu. 82. art. 4. et art. num. 499. cum Elucidat. Item á veritatibus aureis super legem veterem, Levit. 18. concl. 1. et num. 34. concl. 2. Item á multis dictis art. 6. 7. append. Item á Papa *Cœlestino*, ubi supra art. 4. append. dicente, quod, nisi gratia Dei juvemur, insidias diaboli evitare non possumus. Item á Concilio *Milevitano in epist. ad Papam Innocentium*, et ab eodem *Innocentio* postea rescribente, ut supra, art. 7. append. ubi damnant hæresim hanc dicentem: " Illud, ne nos inferas in tentationem, non est sic intelligendam, tamquam divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus: quoniam hoc in nostra positum est potestate; et ad hoc implendum sola sufficit hominis voluntas. Item damnatur á Psal. 124. " Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus, » etc. Ubi ex hoc, quod peccata vocat obligationes, monstrat intentum, quod scilicet post peccatum ad aliud, quasi ad id obligatus, trahitur peccator. Item á Matth. 19. *Necesse est, ut veniant scandala*, scilicet, ab hominibus jam per peccata priora depravatis. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens Angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 9. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim quorumdam dicentium: quod homo in gratia existens potest vitare peccatum, et operari bonum, absque alio auxilio divino. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Concil. *Arausicano* cap. 25. " Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante, et cooperante, possint, et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere ea, quæ ad salutem pertinent. *et infra.* Hoc etiam salubriter profitemur, et credimus: quod in omni opere bono nos non incipimus, et postea per Dei misericordiam adjuvamur: sed ipse nobis nullis, præcedentibus bonis meritis, et fidem, et amorem sui prius inspirat, et ut baptismi sacramentum fideliter requiramus, et post baptism um cum ipsius adjutorio, ea, quæ sibi sunt placita, implere possimus.» Ecce: quod jam bis dixit, adjutorium Dei requiri ad hoc, ut constituti in gratia per baptismum habita, possint implere, quae ad salutem pertinent et quae Deo placita sunt, idest, ut applicemus isti proposito, possint vitare peccata, et operari bonum. Item á Concilio Tridem. fess. 6. cap, 16. «Christus Jesus, tamquam caput in membra, et tamquam vitis in palmites; in ipsos justificatos jugiter virtutem influit, quae virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata, et meritoria esse possent.» Ubi patet: ultra gratiam justificantem, requri necessrio illud virtutis jugiter influxae adjutorium ad hoc, ut justificati ipsi bona opera, inter quae est vitare peccata possint facere. Item á D. Augustino per illud aptissimum exemplum de oculo sano, secundum quod cum auctoritate Rom. 3 applicatum ponitur *in arg. cont.* Item á Concilio Arcusicano can. 10. «Adjutorium Dei etiam renatis, ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, et in bono opere possint perdurare.» Ex hoc Concilii dicto, cum non nisi vitando peccata in bono accepto quis perduret, patet theologicis acutis quod etiam renatus, ac sanctus non potest absque adjutorio Dei novo, utpote noviter implorato, vitare peccata, et consequenter multo magis non potest absque illo bonum operari. Videtur autem Concilium per hoc concordare cum quadam declaratione (ut dixit) Psalm. 85. *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.* Item ab eodem Concilio Can. 19. secundum quod est supra, ar. 2. append. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 10. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *quorumdam* dicentium: quod homo in gratia constitutus potest sine auxilio alio divino perseverare, et interimas á fortiori hæresim *Pelagianorum*, atque *Cælestii*, dicentium, quod sine gratia homo potest salvari, (quod non sine perseverantia contingit) et *quorumdam* aliorum dicentium, hominem per liberum arbitrium habere, ut, si velit, in eo, quod per fidem credit, perseveret. *Secundo* habes: quomodo per rationem et simpliciter, et á fortiori ostendas, illas meríto damnari á dictis 2. 2. art. num. 676. et 1. part. art. num. 412. cum Eluc. Item á veritatibus aureis super totam legem veterem, Lev. 20. concl. 12. Item á multis dictis supr. art. 2. append. et 4. 5. 6. 7. 8. 9. appendicib. suis adjunctis, atque citationibus. Item á Conc. Trid. sess. 6. c. 13. " De perseverantiæ munere (de quo scriptum est: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet, et eum, qui cadit, restituere) nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, et reponere omnes debent. Verumtamen, qui se existimant stare, videant, ne cadant: et cum timore, ac tremore salutem suam operentur in laboribus, vigiliis, eleemosynis, orationibus, obsecrationibus, jejuniis, et castitate. Et can. 22. Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse; anathema sit. » Contra vero inanem fiduciam hæreticorum circa similia vide ibid. cap. 8. 9. 12. 15. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

QUÆSTIO CENTESIMA DECIMA,

DE GRATIA DEI QUANTUM AD EJUS ESSENTIAM, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de gratia Dei quantum ad ejus essentiam.

Et circa hoc quæruntur quatuor.

Primo, utrum gratia ponat aliquid in anima.

Secundo, utrum gratia sit qualitas.

Tertio, utrum gratia differat á virtute infusa.

Quarto, de subjecto gratiæ.

ARTICULUS I.

Utrum gratia ponat aliquid in anima.

Pro negativa. = Videtur quod gratia non ponat aliquid in anima.

1. Gratia hominis nihil ponit in eo, qui eam habet. Ergo gratia Dei nihil ponit in anima ejus qui divinam gratiam habet.

Antecedens manifestatur. Quia per hoc quod homo dicitur habere gratiam hominis, nihil ponitur in eo, qui alterius gratiam habet, sed potius aliquid significatur in eo, cujus gratia habetur, scilicet acceptatio quædam. Per hoc enim quod quis habet gratiam regis, non ponitur aliquid in eo, qui regis gratiam habet, sed potius in ipso rege ponitur quædam acceptatio personæ, quæ regiam habet gratiam.

Conseq. prob., quia sicut homo dicitur habere gratiam Dei, ita etiam dicitur habere gratiam hominis. Unde dicitur Gen. 39. quod *Dominus dedit Joseph gratiam in conspectu principis carceris.*

2. Deus immediate vivificat animam. Ergo gratia, per quam anima vivificatur á Deo, non ponit aliquid in anima.

Antec. prob. Anima immediate vivificat corpus. Ergo Deus immediate vivificat animam.

Conseq. hæc prob., quia sicut anima est vita corporis, ita Deus est vita animæ, secundum illud Deut. 3. *Ipse scilicet Deus, est vita tua.*

Conseq. prima prob., quia si gratia

poneret aliquid in anima, illud esset aliquid creatum, quasi medium inter Deum et animam. Unde non vivificaret Deus animam immediate.

3. Remissio peccatorum non ponit aliquid in anima, sed solum in Deo non imputante peccatum, secundum illud Psal. 31. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Sed gratia est remissio peccatorum. Ergo gratia non ponit aliquid in anima.

Minor prob., quia super illud Rom. 1. *Gratia vobis, et pax,* dicit Glos. interli. *Gratia, idest remissio peccatorum.*

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Lux animæ ponit aliquid in anima. Sed gratia est quædam lux animæ. Ergo gratia ponit aliquid in anima.

Maior prob., quia lux ponit aliquid in illuminato.

Minor prob., quia Augustinus dicit in libro de Nat. et Grat. cap. 22. *Prævaricatorem legis digne lux deserit veritatis, qua desertus, utique fit cæcus.*

Determinatio.

1.ª *Distinctio.* Gratia secundum communem modum loquendi tripliciter accipi consuevit. Uno modo pro dilectione alicujus. Sicut consuevimus dicere, iste miles habet gratiam regis, idest rex habet eum gratum.

Secundo modo sumitur gratia pro aliquo dono gratis dato. Sicut consuevimus dicere, cum aliquid alicui gratis damus; facio tibi hanc gratiam.

Tertio modo sumitur pro recompensatione beneficii gratis accepti, secundum quod dicimus agere gratias beneficiorum acceptorum.

Horum trium modorum acceptionis gratiæ, secundus dependet ex primo, et ex secundo dependet tertius. Ex amore enim quo aliquis habet aliquem gratum, procedit ut aliquid ei gratis impendat, et ex beneficiis gratis acceptis gratiarum actio consurgit.

2.ª *Distinctio.* Gratia secundum primum modum accepta, scilicet ut significat dilectionem, est duplex. Prima est hominis ad Deum, vel ad creaturas. Secunda est Dei ad creaturas.

3.ª *Distinctio.* Dilectio Dei dupliciter consideratur. Uno modo ex parte actus, quo Deus ab æterno creaturam diligit et de dilectione sic accepta dictum est prima par. quæst. 23. art. 4. in corp. quod præcedit electionem, et prædestinationem, et dicitur hic actus divinus gratia, quatenus Deus gratuito, et non meritis aliquos prædestinat, secundum illud ad Eph. 1. «Prædestinavit nos in adoptiodem filiorum in laudem gloriæ gratiæ suæ.» Alio modo consideratur divina dilectio ex parte effectus, secundum quod terminatur ad creaturam jac actu existentem in seipsa. Et sub aliis verbis. Divina dilectio dupliciter consideratur. Primo ex parte actus divinæ voluntatis. Alio modo ex parte boni quod Deus vult creaturæ, quam dilgit, de qua distinctione dictum est 1. par. q. 20. art. 3. et á simili dictum est 1. par. q. 23. art. 2. quod prædestinatio sumitur pro ratione ordinis, et pro executione.

4.ª *Distinctio.* Dilectio, qua Deus hominem diligit, ex parte effectus duplex est, scilicet generalis, et specialis. Dilectio generalis est, qua Deus vult homini ipsum esse, et alia ad ejus naturam pertinentia. Specialis vero est, qua Deus vult homini speciale bonum, hoc est bonum supernaturale, quod est fruitio sui ipsius, et hæc est simpliciter dilectio, et proprie dicitur gratia.

1.ª Conclusio. Gratia accepta juxta secundum et tertium modum primæ distinctionis, hoc est, secundum quod gratia dicitur donum, vel gratiarum actio pro dono accepto, ponit aliquid in eo, qui habet alicuius gratiam.

Manifestatur. Quia gratia secundo modo accepta ponit in eo qui habet gratiam, donum quod gratis accipit, et gratia tertio modo accepta, ponit in eo do-

ni accepti recognitionem, sive gratiarum actionem.

2.ª Conclusio. Dilectio Dei, secundum quod significat actum simplicem divinæ voluntatis, non ponit aliquid, ut sic, in creatura.

Manifestatur. Quia Deus ab æterno omnia dilexit, et tamen creatura ab æterno non fuit in seipsa.

3.ª Conclusio. Dilectio divina ex parte effectus, secundum quod ad creaturas actu existentes, terminatur, ponit aliquid in creatura.

Prob. ex differentia quæ est inter dilectionem Dei, et dilectionem hominis, quæ est quod cum bonum creaturæ ex divina voluntate pendeat, ex dilectione Dei profluit in re dilecta bonum, quod ei Deus vult. Voluntas autem hominis non est causa boni voliti, sed movetur á bono præexistente in re dilecta. Et inde est quod dilectio hominis non causat bonitatem rei dilectæ, sed ipsam præsupponit in toto, vel in parte. Ex divina vero dilectione causatur bonum in re dilecta, non quidem coæternum actui divinæ dilectionis, sed tempore collatum.

4.ª Conclusio. Dilectio Dei generalis ponit aliquid in creatura dilecta.

Manifestatur. Nam dilectione generali, de qua dicitur Sap. 11. *Diligis omnia, quæ sunt,* largitur Deus omnibus creaturis esse, et cætera naturalia ad singulas naturas pertinentia.

5.ª Conclusio. Dilectio Dei specialis ponit aliquid in anima.

Manifestatur. Nam per hanc dilectionem trahitur creatura rationalis supra conditionem suæ naturæ ad participationem divini boni, et secundum hanc dilectionem dicitur Deus aliquem simpliciter diligere, quia per ipsam vult ei quem diligit, bonum simpliciter, quod est ipsemet Deus.

Ex speciali igitur dilectione divina, quæ proprie gratia dicitur, tribuitur homini aliquod supernaturale bonum, quod gratia Dei appellatur. Ponit igitur gratia divina aliquid in anima.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod etiam gratia hominis ponit aliquid in eo, qui habet gratiam: ex hoc enim quod aliquis dicitur habere gratiam hominis, intelligitur in eo esse aliquid quod sit homini gratum, puta virtutem, pulchritudinem, vel aliquid hujusmodi. Differenter tamen gratia Dei, et gratia hominis significant aliquid in re dilecta. Gratia enim hominis non causat, sed præsupponit, quod in re dilecta diligit. Deus autem causat bonum quod in re dilecta diligit.

Ad 2. Negatur antec. Deus enim vivificat animam, mediante gratia. Ad cujus prob. neg. etiam consequentia, et ad ejus probationem dicitur ad assumptum, quod Deus est quidem vita animæ, non tamen eo modo quo anima est vita corporis. Anima enim est vita corporis formaliter: et quia inter formam et materiam nihil potest cadere medium, propterea anima immediate corpus vivificat, sicut quælibet alia forma immediate informat materiam. Deus autem vivificat animam effective, et quia agens informat materiam, non per seipsum, sed per formam, hinc fit ut Deus, non per alium agentem, sed per formam, idest per gratiam, animam vivificat.

Ad 3. Dicitur ad minorem, et ad ejus prob. quod ad gratiam, non solum pertinet remissio peccatorum, sed etiam multa alia includit, puta pacem, sanitatem animæ, et his similia, sine quibus remissio peccatorum non fit. Unde etiam remissio peccatorum requirit aliquod divinum donum in anima.

ARTICULUS II.

Utrum gratia sit qualitas animæ.

Pro negativa. — Videtur quod gratia non sit qualitas animæ.

1. Illud quod agit in anima, non est qualitas animæ. Sed gratia agit in anima, ipsam justificando. Ergo gratia non est qualitas animæ.

Maior probatur. Quia nulla qualitas

agit in suum subjectum: et hoc, quia cum actio qualitas non sit absque actione subjecti, si qualitas ageret in suum subjectum, sequeretur quod subjectum ageret in seipsum.

2. Quod est nobilius, quam sit natura animæ, non est qualitas animæ. Sed gratia est nobilior, quam sit natura animæ. Ergo gratia non est qualitas animæ.

Maior prob., quia substantia est nobilior qualitate.

Minor prob., quia multa possumus per gratiam, ad quæ natura non sufficit, ut dictum est quæst. 109. in tribus primis art.

3. Quod remanet, postquam desinit esse in anima, non est qualitas animæ. Sed gratia remanet, postquam desinit esse in anima. Ergo gratia non est qualitas animæ.

Maior prob., quia nulla qualitas remanet, postquam desinit esse in subjecto, cujus est qualitas.

Minor prob., quia si gratia non remaneret, redigeretur in nihilum, sicut ex nihilo creata fuit. Unde Gal. ult. dicitur *nova creatura*.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Nitor animæ est quædam qualitas animæ, sicut etiam pulchritudo corporis, est qualitas corporis. Sed gratia est initor animæ. Ergo gratia est qualitas animæ.

Minor prob., quia Glos. super illud Psal. 103. *Ut exhilaret faciem in oleo*, dicit quod *gratia est nitor animæ, sanctum concilians amorem*.

Determinatio.

Distinctio. Gratia accipitur dupliciter: primo pro gratuita Dei motione, ad cognoscendum, volendum, et operandum bonum. Secundo pro dono habituali gratuito.

Manifestatur hæc dist. Nam sicut jam dictum est art. 1. hujus quæst. In eo, qui dicitur Dei gratiam habere, significatur esse in eo quidam effectus gratuitæ Dei voluntatis, quo homo á Deo adjuvatur. Quot igitur modis homo ex Dei gratuita voluntate adjuvatur, tot modis accipitur gratia. Et quia homo dupliciter á Deo adjuvatur, ut dictum est q. 109. art. 1. scilicet secundum quod movetur ad bonum, et secundum, quod infunditur ei supernaturale habituale donum: ideo gratia accipitur, et pro divina Dei gratuita motione ad bonum, et pro habituali dono supernaturali á Deo infuso.

1.ª Conclusio. Gratia, secundum quod significat gratuitam Dei motionem, qua homo movetur ad aliquod verum cognoscendum, et ad volendum, vel ad operandum aliquod bonum, non est qualitas animæ, sed quidam animæ motus.

Manifestatur. Quia *actus moventis non est habitus*, in eo quod movetur, *sed motus*, ut dicitur 3. Phys. tex. 18.

2.ª Conclusio. Gratia, secundum quod significat habituale donum, est qualitas animæ.

Prob. Creaturis, quæ ratione carent, sic Deus providet, ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas et virtutes quasdam, quæ sint principia naturalium actuum, ut secundum seipsas inclinentur ad hujusmodi motus. Ergo multo magis Deus illis creaturis, quas movet ad consequendum supernaturale bonum, infundit aliquas formas, seu qualitates supernaturales, secundum quas suaviter, et prompte ab ipso moveantur ad bonum æternum consequendum, et hoc est gratiæ donum.

Antecedens prob., quia per hujusmodi formas, seu qualitates, fiunt creaturis irrationalibus naturales et faciles motus, quibus á Deo moventur ad proprias operationes, et verificatur illud Sap. 8. *Deus disponit omnia suaviter*.

Conseq. prob., quia non est inconveniens, ut Deus minus provideat his quos diligit, ad supernaturale bonum habendum, quam creaturis quas diligit solum ad naturale bonum agendum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur quod aliquid agere in

aliquo contingit dupliciter. Uno modo effective. Alio modo formaliter. Ad maiorem dicitur, quod illud quod agit in anima effective non est in anima. Illud vero quod agit in anima formaliter, est in anima. Tunc ad minorem dicitur, quod gratia agit in anima per modum causæ formalis, sicut dicimus, quod albedo facit subjectum album, et ideo gratia est in anima ipsam justificando.

Ad 2. Dicitur, quod gratia potest considerari dupliciter. Uno modo quantum ad suum esse, ut, inquam, est quædam expressio divinæ bonitatis, naturam animæ excedens. Alio modo quantum ad modum essendi, quem habet in anima, in quantum est quædam imperfecta participatio divinæ bonitatis, ita ut bonitas, quæ est substantia in Deo, sit accidens in anima. Ad maiorem dicitur, quod illud, quod est nobilius anima, quantum ad esse, et quantumad modum essendi, non est qualitas animæ, sed est substantia perfectior anima. Quod autem est nobilius ipsa anima secundum suum esse, non autem quantum ad modum essendi, potest esse qualitas animæ. Tunc ad minorem dicitur, quod gratia est nobilior quam sit anima, quantum ad esse; quia gratia est expressio divinæ bonitatis, quæ est perfectissima substantia, non autem est perfectior ipsa anima, quantum ad modum essendi. Gratia enim, secundum quod participatur ab anima habet modum essendi accidentis: non enim potest gratia esse substantia animæ, cum sit supra naturam animæ, sed est forma accidentalis ei inhærens.

Ad 3. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod sicut dicit Boet. *accidentis esse est inesse*; unde accidens non dicitur esse ens, quasi habeat esse, sed quia eo aliquid est; unde magis dicitur esse entis, quam ens; et quia ejus est fieri, vel corrumpi, cujus est esse ut dicitur 7. Met. tex. 2. ideo proprie loquendo, nullum accidens fit, neque corrumpitur; sed dicitur fieri, vel corrumpi secundum quod subjectum incipit, vel desinit esse in actu secundum illud accidens. Et secundum hoc gratia dicitur creari, ex eo quod homines secundum ipsam creantur, idest in novo esse constituuntur ex nihilo, idest non ex meritis, secundum illud ad Ephes. 2. *Creati in Christo Jesu, in operibus bonis.* Gratia igitur non redigitur in nihilum, sicut nec proprie creatur, sed desinit esse in anima, secundum quod quis ex justo fit peccator.

ARTICULUS III.

Utrum gratia sit idem quod virtus.

Pro affirmativa.=Videtur quod gratia sit idem quod virtus.

1. Fides, quæ per dilectionem operatur, est idem quod virtus. Sed gratia est fides, quæ per dilectionem operatur. Ergo gratia est idem quod virtus.

Minor prob. quia Aug. dicit in lib. de spir. et lit. c. 14. et 32. quod *gratia operans est fides, quæ per dilectionem operatur.*

2. Cui conveniunt diffinitiones virtutis est idem quod virtus. Sed gratiæ conveniunt diffinitiones virtutis datæ á sanctis, et á philosophis. Ergo gratia est idem quod virtus.

Maior prob., quia cuicumque convenit diffinitio, convenit et diffinitum.

Minor prob., quia gratia est bona qualitas mentis, quæ bonum facit habentem, et opus ejus bonum reddit, quæ est una diffinitio virtutis. Et iterum, gratia est bonitas qualitas mentis, qua recte vivitur, quæ est altera diffinitio virtutis.

3. Habitus mentis est idem quod virtus. Sed gratia est habitus mentis. Ergo gratia est idem quod virtus.

Maior prob., quia etiam scientia, quæ est quædam qualitas mentis, est quodammodo virtus, ut dictum est q. 56. art. 4. et 57. art. 2.

Minor prob., nam gratia est qualitas quædam, ut dictum est. Non est autem in quarta specie qualitatis, quæ est forma, vel figura: quia qualitates quartæ

speciei pertinent ad corpus: gratia autem pertinet ad animam. Nec est in tertia specie, quæ est passio, et passibilis qualitas: quia qualitates tertiæ speciei sunt in parte sensitiva, ut prob. 7. Phy. text. 14. gratia autem est in mente; Nec est in secunda specie, quæ est naturalis potentia, vel impotentia, tum quia gratia est supra naturam, tum quia gratia non se habet ad bonum, et ad malum, sed ad bonum tantum, potentia vero naturalis se habet ad bonum, et ad malum. Relinquitur igitur quod gratia sit in prima specie qualitatis, quæ est habitus, unde erit idem quod virtus.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Gratia non potest esse virtus theologica. Ergo gratia non est idem quod virtus.

Conseq. prob., quia si gratia esset virtus, maxime videretur esse aliqua virtutum theologicarum.

Antecedens prob., quia gratia non est fides, nec spes: Nam hæ possunt esse sine gratia gratum faciente. Nec potest esse charitas: quia gratia prævenit charitatem, ut Aug. dicit lib. 2. de præd. SS. c. 2.

Determinatio.

Quorumdam opinio.

Quidam posuerunt idem esse gratiam, et virtutem secundum essentiam, sed differre solum secundam rationem; ita ut gratia dicatur, secundum quod facit hominem Deo gratum, vel secundum quod gratis datur. Virtus vero, secundum quod perficit ad bene operandum, et hoc videtur sensisse Magister 2. dist. 26.

Reprobatio.

Sed hoc stare non potest, ratione adducenda ad probandam veram sententiam.

Vera sententia.

Conclusio. Gratia non est idem quod virtus infusa.

Prob. Illud quod præsupponitur virtutibus infusis, et ad quod virtutes infusæ ordinantur, non est idem quod virtus infusa. Sed gratia præsupponitur virtutibus infusis, et ad eam virtutes infusæ ordinantur. Ergo gratia non est idem quod virtus infusa.

Minor prob. Sicut se habet lumen naturale ad virtutes acquisitas, ita se habet lumen gratiæ ad virtutesinfusas. Sed lumen naturale præsupponitur virtutibus acquisitis. Ergo lumen gratiæ præsupponitur virtutibus infusis.

Utraque harum præmissarum manifestatur ex ipsa ratione virtutis. *Virtus* enim ut dicitur 7. Phys. tex. 17. *est dispositio perfecti ad optimum; dico autem perfectum quod est dispositum secundum naturam.* Sensus hujus definitionis est quod virtus est dispositio ejus quod est perfectum secundum naturam ad optimum, idest ad operationem. Virtus enim præsupponit in eo, cujus est virtus, naturalem perfectionem, et perficit eumdem ad operandum. Sicut virtus sapientiæ præsupponit in homine naturalem perfectionem, puta naturale lumen intellectus, et disponit ipsum hominem ad optimum, idest ad cognitionem primarum causarum. Unde virtus acquisita est dispositio perfecti secundum naturam ad optimum, idest ad rectas operationes. Virtutes autem infusæ disponunt hominem ad supernaturales operationes, et ideo debent præsupponere in ipso homine perfectionem supernaturalem, ut scilicet sit particeps divinæ naturæ, quia perfectio, et participatio fit per lumen gratiæ, juxta illud 2. Per 1. «Maxima, et prætiosa nobis promissa donavit, ut per hoc efficiamini divinæ consortes naturæ.»

Ex his igitur patet primo maior secundi syllogismi, scilicet quod lumen gratiæ se habeat ad virtutes infusas, sicut lumen naturale ad virtutes acquisitas. Sicut enim lumen naturale perficit secundum naturam, ita supernaturale perficit secundum aliquid quod est supra naturam. Et sicut lumen naturale perficit in or-

dine ad naturales operationes; ita lumen supernaturale gratiæ est radix supernaturalium operationum, secundum illud ad Ephes. 5. «Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate.»

Patet etiam minor, scilicet quod lumen naturale præsupponatur virtutibus acquisitis ex ipsa ratione virtutis, quæ est, ut sit dispositio perfecti secundum naturam ad optimum, idest ad operationes, quæ ei conveniunt secundum naturam. Disponunt enim virtutes acquisitæ hominem naturaliter perfectum, ad operationes sibi convenientes secundum suam naturam; sicut virtutes infusæ disponunt hominem jam supernaturaliter perfectum per lumen gratiæ, ad supernaturales operationes.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod August. nominat *fidem per dilectionem operantem* gratiam, qui actus fidei per dilectionem operantis est primus actus in quo gratia gratum faciens manifestatur. Unde fides per dilectionem operans dicitur gratia, non identice, sed causaliter: quia fides per dilectionem operans est primus effectus ostendens gratiam gratum facientem.

Ad 2. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod quamvis tam gratia, quam virtutes faciant bonum habentem, tamen non eodem modo. Gratia enim facit bonum habentem, per supernaturalem perfectionem participatam ab habente, idest quatenus homo fit particeps naturæ divinæ, sicut lumen naturale perficit hominem secundum naturam. Virtutes autem faciunt bonum, quatenus ipsum dirigunt ad operationes convenientes perfectioni naturæ, secundum quam operans est perfectum, sive naturaliter, sive supernaturaliter. Et breviter, gratia facit bonum habentem, quia deificat hominem. Virtutes vero infusæ faciunt bonum habentem, quia ipsum disponunt ad supernaturales operationes, quarum gratia est radix, et origo. Sicut lumen naturale perficit hominem in eo quod homo. Et virtutes acquisitæ disponunt ad operationes ex naturali lumine, ut á radice manantes.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod non omnis habitus mentis est idem quod virtus, sed ille habitus dicitur virtus, qui disponit ad operationes, ut dictum est. Unde gratia est habitus, et est in prima specie qualitatis, qui habitus non est virtus, sed dispositio, quæ præsupponitur virtutibus infusis, sicut earum principium et radix.

ARTICULUS IV.

Utrum gratia sit in essentia animæ sicut in subjecto.

Pro negativa.=Videtur quod gratia non sit in essentia animæ sicut in subjecto, sed in aliqua potentiarum.

1. Quod est in libero arbitrio tamquam in subjecto, non est in essentia animæ, sed in potentia. Sed gratia est in libero arbitrio tamquam in subjecto. Ergo gratia non est in essentia animæ tamquam in subjecto.

Maior prob., quia voluntas, sive liberum arbitrium est quædam animæ potentia, ut dictum est 1. p. q. 83. art. 2.

Minor prob., quia August. in Hypognosticon lib. 3. dicit quod *gratia comparatur ad voluntatem, sive ad liberum arbitrium sicut sessor ad equum.*

2. Quod est principium meriti, est in potentia, et non in essentia animæ, sicut in subjecto. Sed gratia est principium meriti. Ergo gratia est in potentia animæ, et non in essentia, sicut in subjecto.

Maior prob., quia meritum consistit in actu, seu operatione, quæ semper ex aliqua potentia procedit.

Minor prob., quia *ex gratia incipiunt merita hominis*, ut August. dicit in lib. de corr. et grat. c. 6. et alibi.

3. Anima non est capax gratiæ, in quantum habet essentiam. Ergo gratia non est in essentia animæ tamquam in subjecto.

Antecedens prob., quia si anima esset capax gratiæ, in quantum habet essentiam, sequeretur quod omnis anima esset capax gratiæ: quod est falsum, ut patet de animabus brutorum, quæ habent suas essentias et tamen non sunt capaces gratiæ.

Conseq. prob., quia si essentia animæ esset proprium subjectum gratiæ, sequeretur quod anima esset capax gratiæ, in quantum habet essentiam, utpote quæ esset proprium subjectum gratiæ.

4. Si gratia esset in essentia animæ sicut in subjecto, sequeretur quod gratia posset intelligi in anima, nulla parte, sive potentia animæ intellecta, scilicet neque intellectu, neque voluntate quod est inconveniens.

Conseq. prob. Prius potest intelligi sine posteriori. Sed essentia animæ est prior quam sint suæ potentiæ. Ergo quæ pertinent ad essentiam animæ, prius possunt intelligi in anima, quam intelligantur potentiæ. Unde si gratia esset in essentia animæ, posset intelligi in anima, nulla ejus potentia intellecta.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Illud, per quod regeneramur in filios Dei, est in essentia animæ tamquam in subjecto. Sed per gratiam regeneramur in filios Dei. Ergo gratia est in essentia anima tamquam in subjecto.

Maior prob., quia generatio prius terminatur ad essentiam, quam ad potentiam.

Determinatio.

Unde pendeat hujus quæst. solutio.

Quæstionis hujus solutio ex dictis art. præc. dependet. De distinctione enim gratiæ á virtute, duplex recitata fuit opinio. Quarum prima erat, gratiam á virtute nequaquam secundum rem distingui. Altera vero, et verior, erat virtutem á gratia realiter esse distinctam, sicut fuit probatum. Juxta igitur hanc duplicem opinionem, dupliciter dicitur ad quæsitum.

1.ª Conclusio. Si gratia sit idem quod virtus, necesse est dicere gratiam esse in potentiis animæ sicut in proprio.

Probatur. Virtus est in potentia animæ sicut in propio subjecto, ut dictum est quæst. 56. art. 1. Sed gratia secundum priorem opinionem, est idem quod virtus. Ergo gratia, secundum hanc sententiam, est in potentia animæ sicut in subjecto.

2.ª Conclusio. Si grâtia non sit idem quod virtus, ut verior sententia dicebat, non est in potentia, sed in essentia animæ sicut in subjecto.

Prob. dupliciter. Primo: quod est in potentiis animæ, habet rationem virtutis. Sed gratia, juxta secundam opinionem, non habet rationem virtutis, sed est aliquid prius virtute, ut ostensum est art. præced. Ergo gratia non est in potentia animæ, sicut in subjecto, sed in aliquo, quod sit prius potentiis quod est essentia animæ.

Maior prob., quia omnis perfectio potentiæ habet rationem virtutis, ut ostensum est q. 55. et 56.

Secundo prob. concl. Illud, per quod homo participat, secundum quamdam similitudinem, naturam divinam per quamdam regenerationem, sive recreationem est in essentia animæ sicut in subjecto. Sed per gratiam homo participat per quamdam similitudinem, naturam divinam secundum quamdam regenerationem, sive recreationem. Ergo gratia est in potentia animæ sicut in subjecto.

Utraque præmissa prob., quia sicut per potentiam intellectivam homo participat cognitionem divinam per virtutem fidei, in intellectiva potentia sicut in subjecto existentem, et secundum potentiam voluntatis amorem divinum, per virtutem charitatis, ita etiam per naturam animæ participat secundum quamdam similitudinem naturam divinam secundum quamdam regenerationem, quæ fit per gratiam.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Gratia enim non est in libero arbitrio tamquam in subjecto, sed in essentia animæ, ut in corpore ostensum est. Ad probationem dicitur, quod comparatio sessoris ad equum, non est comparatio accidentis ad subjectum, sed moventis ad motum. Unde dicere quod gratia se habeat ad liberum arbitrium ut sessor ad equum, non est dicere quod gratia sit in libero arbitrio, ut accidens in subjecto, sed quod est movens liberum arbitrium sive voluntatem, et hoc verum est, quia á gratia effluunt virtutes, per quas movetur voluntas ad operandum.

Ad 2. Dicitur, quod aliquid esse principium meriti contingit dupliciter; uno modo immediate; alio modo mediate. Ad majorem dicitur, quod est vera de eo quod est principium meriti immediate, non autem de eo quod est principium meriti mediate. Tunc ad minorem dicitur, quod gratia est principium meriti, mediate, scilicet mediantibus virtutibus, sicut essentia animæ est principium operum vitæ, mediantibus suis potentiis.

Ad 3. Negatur antecedens. Ad prob. negatur consequentia. Anima enim est capax gratiæ, in quantum habet essentiam, non quamcumque, sed eam, per quam constituitur in specie rationalis creaturæ. Et quia anima non constituitur in specie humana per aliquam potentiam (cum potentiæ sint naturales animæ proprietates, speciem in qua anima reponitur consequentes) sed per propriam essentiam, ideo non sequitur ex hoc quod essentia animæ rationalis est subjectum gratiæ quod quælibet essentia cujuslibet animæ sit subjectum gratiæ: quia hoc convenit essentiæ animæ in quantum est talis speciei, scilicet creaturæ rationalis.

Ad 4. Dicitur dupliciter. Primo: negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod quamvis potentiæ animæ secundum naturam sint posteriores ipsa animæ essentia, tamen quia sunt naturales animæ proprietates, consequentes animæ naturam, non potest anima esse sine ipsis potentiis. Unde quamvis gratia sit in essentia animæ, non tamen per hoc est prior ipsis potentiis. Secundo respondetur, negando quod sit inconveniens illud quod sequitur. Nam dato quod anima esset sine potentiis, adhuc diceretur rationalis secundum suam speciem, non quia actu haberet potentias, ex quibus denominatur rationalis, sive intellectualis, sed quia ex essentia talis speciei natæ sunt hujusmodi potentiæ effluere.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI

EX PRÆCED. 110.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Justificatoriorum* dicentium, justitiam nostram Deum nobis imputare, etiamsi justi non simus. Item *Antosiandrinorum* cum quodam *Illyrico* dicentium, hominem ea justitia, qua Deus justus est, non essentialiter, sed imputative justum fieri, idest non reipsa, sed verbo tantum pronuntiari. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas has merito damnari á Concilio Trid. sess. 6. cap. 16. " Justificationis unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur, et sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam. » Et can. 16. " Nec propria justitia tamquam ex nobis proprio statuitur, neque ignoratur, aut repudiatur justitia Dei. » Quæ enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem justificamur, illa eadem Dei est, quia ab eo nobis infunditur per Christi meritum » Et can. 10. " Si quis dixerit, homines sine Christi justitia, per quam nobis

meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse: anathema sit. » Et can. 11. " Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei: anathema sit. » Nec mireris, quod de justitia tractantes in articulo de gratia nunc meminimus: quoniam gratia, et est, qua justificamur, et est justitia ipsa, nobis inhærendo tamquam supernaturale donum á Deo in nos proveniens. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo:* quomodo per rationem et ostendas, et in vero sensu intelligas, merito esse á scripturis, et concilio insinuatum, quod gratia est qualitas. A scripturis quidem, ut Psalm. 103. *Ut exhilaret,* etc. secundum quod cum Glossa et applicatione est *in arg. cont.* Ac si ergo dixerit Psalmus, quod anima, quæ est nobilior pars hominis, sicut facies est nobilior pars corporis, exhilaratur recepta hac qualitate, idest gratia Dei, quæ est suus spiritualis nitor. Unde in Psal. 44. gratia ipsa vocatur *oleum lætitiæ.* Sensus autem Psalmi, et Glossæ in præd. arg. adducto confirmatur ex Conc. Trid. sess. 14. c. 3. " Res, et effectus hujus sacramenti, quantum ad ejus vim, et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo: quam interdum in viris piis, et cum devotione hoc sacramentum percipientibus, conscientiæ pax, ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet. » Hæc ibi de sacramento pœnitentiæ. A Concilio item Trid. sess. 6. c. 16. ut supra art. 1. app. recitatis, insinuatur intentum primum, scilicet quod gratia est qualitas, per hoc videlicet, quod declarat, gratiam esse inhærentem, seu inhærere subjecto, idest justificatis, et esse causam formalem, et nos per ipsam formaliter esse justos. Cæterum ex his in præsenti, simul et in artic. dictis, viam habes, et modum excludendi sequentes errores *Justificatoriorum* ex scripturis male intellectis eos perperam deducentium, videlicet. " Justitia nostra est sanguis Christi, quia justificati sumus per sanguinem ejus. » Roman. 4. Item, " justitia nostra est obedientia Christi, quia per unius obedientiam justi constituentur multi. » Rom. 5. Item, " justitia nostra est transitus Christi ad patrem, quia Spiritus Sanctus arguet mundum de peccato, quia vado ad patrem. » Joan. 16. Item, " justitia nostra est resurrectio Christi, quia resurrexit propter justificationem nostram. » Rom. 2. Item, " justitia nostra est remissio peccatorum, quia ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum. » Rom. 4. Item, " justitia nostra sunt vulnera Christi, quia ejus livore sanati sumus. » Isaiæ 23. Ad horum vero exclusionem multum etiam juvaberis per Conc. Trid. sess. 6. c. 7. ex hoc, scilicet quod ibi demonstrat, causam meritoriam non esse idem, quod causam formalem. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim, etc.

Ex. art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, Concilio, et Aug. insinuatum, quod gratia non est virtus. A B. Aug. quidem, ut cum discursu ponitur *in arg. cont.* Pro cujus captu, scilicet, quod fides, et spes possint esse sine gratia, colligitur 2. 2. qu. 4. a. 7. et q. 17. ar. 6. 7. 8. et q. 23. ar. 7. sed et Concilium Trid. sess. 6. cap. 28. dicit, quod fides vera, licet non viva, potest esse sine gratia, et sine charitate. A Concilio autem *Viennensi* ubi Papa *Clemens V.* dicit. " Tam parvulis, quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam, et virtutes, tamquam probabiliorem opinionem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam. » Hæc in Clem. *de Sum. Trin. et fid. Cath.* A scripturis autem per hoc, quod attribuitur gratiæ Dei, quod sit nutrix omnium bonorum, et ideo omnium virtutum. Sap. 16. *Nutrici omnium gratiarum.* Et per hoc, quod eam tamquam fontem eorumdem Apostolus semper in primis optat suis dicens Rom. 1. et 1. Cor. 1. et 2. Cor. 1. et Galat. 1. et Ephes. 1. et Philip. 1. et Colos. 1. et 1. Thess. 1. et 2. Thess. 1. et 1. Tim. 1. et 2. Tim. 1. et ad Tit. 1. et Philem. 1. Gratia, etc. Vide ibi Sanctum Doctorem hunc nostrum, cum cæteris: quare præposuerit gratiam Dei ubique Apostolus omnibus aliis bonis. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo* : quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod gratia est in essentia animæ, tamquam in subjecto. Ut per hoc, quod dicitur tit. 3. " per lavacrum regenerationis, etc. ut justificati gratia ipsius hæredes simus, » etc. Cum enim generatio proprie terminetur ad essentiam rei (secundum philosophum) Apostolus per hoc, quod regenerari nos et in filios Dei adoptari attribuit gratiæ, quam etiam ideo sententialiter vocat gratiam adoptionis Rom. 8. Gal. 4. Ephes. 1. Scholasticis perspicacibus innuit: quod gratia est in anima ipsa, idest in natura animæ. Confirmat hoc et Conc. Trid. sess. 6. c. 3. quod scilicet " renascentia in Christo fit per gratiam, qua tunc baptizati fiunt justi. » Quia vero cor. prin. dicit hanc quæst. et inquisit. hujus materiæ ex præcedenti art. 3. dependere, ideo recurre etiam ad a. 3. app. Et, inde juvando teipsum per teipsum, exerceas. *Secundo* vides: etc.

QUÆSTIO CENTESIMA DECIMA PRIMA,

DE DIVISIONE GRATIÆ, IN QUINQUÆ ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de divisione gratiæ.

Et circa hoc quæruntur quinque.

Primo, utrum convenienter dividatur gratia per gratiam gratis datam, et gratiam gratum facientem.

Secundo, de divisione gratiæ gratum facientis per operantem, et cooperantem.

Tertio, de divisione ejusdem per gratiam prævenientem, et subsequentem.

Quarto, de divisione gratiæ gratis datæ.

Quinto, de comparatione gratiæ gratum facientis, et gratis datæ.

ARTICULUS I.

Utrum gratia convenienter dividatur per gratia gratum facientem, et gratiam gratis datam.

Pro negativa.=Videtur quod gratia non convenienter dividatur per gratiam gratum facientem, et gratiam gratis datam.

1. Gratia gratum faciens debet facere hominem Deo gratum. Sed nulla gratia facit hominem Deo gratum. Ergo nulla est gratia gratum faciens, quæ possit dividi contra gratiam gratis datam.

Minor prob. Donum Dei non facit hominem Deo gratum, sed potius supponit hominem jam esse Deo gratum. Sed omnis gratia est Dei donum, ut dictum est quæst. præced. Ergo nulla gratia facit hominem Deo gratum.

Maior hujus prob. Non enim homo est Deo gratus, quia Deus dat sibi donum, sed potius é converso, quia homo est Deo gratus, Deus dat sibi donum. Unde gratia, quæ est Dei donum, non solum non videtur facere hominem Deo gratum sed potius videtur, ut supponat hominem esse Deo gratum, propter quod ei Deus det gratiæ donum.

2. Differentia, quæ invenitur extra genus gratiæ, inconvenienter dividit genus gratiæ. Sed gratis datum invenitur extra genus gratiæ. Ergo gratis datum inconvenienter ponitur differentia dividens genus gratiæ.

Minor probatur. Bonum naturæ est extra genus gratiæ. Sed gratis datum potest etiam dici bonum naturæ. Ergo gratis datum invenitur etiam extra genus gratiæ.

Maior hujus probatur, quia natura contra gratiam dividitur.

Minor hujus prob., quod non datur ex meritis, gratis datur. Sed bonum naturæ datur sine meritis: merita enim naturam præsupponunt. Ergo bonum naturæ gratis est datum.

3. Omnis divisio debet esse per oppo-

sita. Sed divisio gratiæ in gratis datam, et gratum facientem non est per oppositа. Ergo hæc divisio non est conveniens.

Minor probatur, quia gratia gratum faciens gratis nobis á Deo conceditur, secundum illud Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Unde gratia gratum faciens est etiam gratis data, et inde inconvenienter contra ipsam dividitur.

PRO AFFIRMATITA.

Argumentum sed contra.

Illud, cui attribuitur gratum facere, et est gratis datum, convenienter dividitur in gratum faciens, et gratis datum. Sed gratiæ attribuitur gratum facere, et est gratis data. Ergo gratia convenienter dividitur in gratis datam, et gratum facientem.

Minor prob., quia Apostolus ad Ephe. 1. attribuit gratiæ gratum facere, dum dicit *gratificavit nos in dilecto filio suo.* Et Rom. 2. attribuit gratiæ gratis datum dicens. «Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.»

Determinatio.

Conclusio. Gratia convenienter dividitur in gratiam gratum facientem, et in gratiam gratis datam.

Probatur. Illud, per quod homo secundum seipsum Deo conjungitur, et per quod unus homo alteri cooperatur, ut in Deum reducatur, convenienter dividitur in gratiam gratum facientem, et in gratiam gratis datam. Sed per gratiam homo secundum seipsum Deo conjungitur, et unus homo alteri cooperatur, ut in Deum reducatur. Ergo gratia convenienter dividitur in gratiam gratum facientem, et gratis datam.

Maior prob., quia gratia gratum faciens est per quam homo secundum seipsum Deo conjungitur. Gratia vero gratis data est, per quam unus homo cooperatur alteri, ut in Deum reducatur, quæ quia datur supra meritum, dicitur gratia. Sed quia non datur homini ad hoc ut ipse homo, cui datur justificetur, sed ut ad justificationem alterius cooperetur, secundum illud 1. Corin. 12. «Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem, scilicet aliorum, dicitur gratis data.»

Minor probatur, quia cum omnia, *quæ sunt á Deo, ordinata sint,* ut dicitur Rom. 13. et hoc ordo rerum expostulet, ut quædam per alia in Deum reducantur, ut Dion. dicit 4. c. cœl. Hier. et gratia detur ad hoc, ut homo in Deum reducatur, conveniens fuit ut esset quædam gratia per quam homo secundum seipsum Deo conjungatur, et alia per quam unus homo per alium in Deum reduceretur, ut sic servaretur divinus ordo in reductione hominis in Deum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad maiorem probationis dicitur, quod homo fit Deo gratus dupliciter, scilicet effective, et formaliter. Effective homo fit gratus Deo per ipsummet Deum. Per gratiæ donum, fit Deo gratus formaliter. Probatio hujus maioris concludit gratiam non facere hominem Deo gratum effective, cum quo stat, ut faciat eum gratum formaliter.

Ad 2. Dicitur, quod illud dicitur gratis dari quod non datur ex debito: aliquid autem potest esse debitum dupliciter. Uno modo, quia ille, cui datur, meruit: sicut merces reddita his qui in vinea laboraverant, non erat gratis data, sed ex debito, quia illi per suum laborem in vinea meruerant præmium, et mercedem. Aliquid vero potest dici debitum, non quia ille, cui aliquid datur, illud meruit, sed quia debetur ei secundum conditionem naturæ. Sicut pater, qui dedit portionem substantiæ filio suo, non gratis dedit, quia etsi filius non meruit recipere portionem suæ substantiæ, tamen ex eo quod erat filius, debebatur sibi hæreditas, et portio substantiæ patris. Deus igitur, etsi nulli possit esse debitor, ta-

men aliqua dat ex debito, aliqua vero dat non ex debito. Illa dat ex debito, quæ debentur creaturæ secundum suas conditiones, ut est talis naturæ. Ex hoc enim quod Deus universum producere decrevit, ex debito produxit in eo Solem, et Lunam, et alia corpora, et ex debito dedit corporibus cœlestibus, ut influere possent in hæc inferiora generabilia, et corruptibilia: et ex hoc quod hominem talis naturæ condidit, ex debito debetur sibi anima rationalis, intellectus, voluntas, sensus, corporis membra et cætera, quæ ei conveniunt secundum suam naturam. Hæc enim dantur ex debito, non quidem existente in Deo, quasi obligante Deum, sed existente in creatura, quæ debet subjici Deo, ut in ea divina ordinatio compleatur. Ea vero quæ sunt supra naturam ejus, cui dantur, dat Deus ex nullo debito, ut sunt supernaturalia dona, de qua distinctione dictum est etiam 1. p. q. 21. ar. 1.

Ad formam igitur argumenti negatur minor, scilicet quod gratis datum inveniatur extra genus gratiæ.

Ad cujus probat. negatur minor, scilicet quod bonum naturæ sit gratis datum. Bonum enim naturæ, et si non detur ex merito, datur tamen ex debito, scilicet ex hoc quod naturæ debetur secundum divinam ordinationem.

Ad cujus prob. negatur maior, scilicet quod omne illud, quod non datur ex meritis, gratis detur. Ad hoc enim, ut aliquid dicatur gratis dari, requiritur ut nullo modo sit debitum, et quia bonum naturæ, licet non sit debitum ex meritis, est tamen debitum secundum naturæ conditiones, propterea non dicitur gratis dari. Dona autem supernaturalia, quia nullo modo sunt debita, propterea gratis dari dicuntur.

Ad 3. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod gratia gratum faciens, est gratis data, et addit supra rationem gratiæ gratis datæ aliquid ad gratiam pertinens, scilicet quod facit hominem Deo gratum: et ideo gratia gratis data, quæ hoc non facit, retinet sibi nomen commune. Et sic opponuntur duæ partes divisionis: sicut gratum faciens, et non gratum faciens.

ARTICULUS II.

Utrum gratia convenienter dividatur per operantem, et cooperantem.

Pro negativa.=Videtur quod gratia inconvenienter dividatur per operantem, et cooperantem.

1. Quod non potest agere, inconvenienter dividitur in operans, et cooperans. Sed gratia non potest agere. Ergo gratia inconvenienter dividitur per operantem, et cooperantem.

Minor prob. Nullum accidens potest agere in suum subjectum. Sed gratia est accidens. Ergo gratia non potest agere.

2. Sola gratia non potest operari in nobis justificationem nostram. Ergo gratia non potest dici operans, ac per hoc inconvenienter dividitur per operantem et cooperantem.

Conseq. prob., quia si gratia aliquid operetur in nobis, maxime operaretur justificationem nostram.

Antec. prob., quia Aug. tract. 72. in Joan. super illud Cap. 14. *Opera, quæ ego facio, et ipse faciet:* Dicit *qui creavit te sine te, non justificavit te sine te.*

3. Principalius agens non debet dici cooperans. Sed gratia est principalius agens in nobis. Ergo gratia non debet dici cooperans.

Maior, quia cooperari alicui videtur pertinere ad inferius agens.

Minor prob., quia gratia principalius operatur in nobis, quam liberum arbitrium, secundum illud Rom. 9. *Non est currentis, neque volentis, sed miserentis Dei.*

4. Divisio debet dari per opposita. Sed operari, et cooperari, non sunt opposita. Ergo inconvenienter dividitur gratia per operantem et cooperantem.

Minor prob., quia idem potest operari, et cooperari.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Aug. dicit in lib. de gratia, et lib. arb. cap. 17. «Cooperando Deus in nobis perficit quod operando incepit, quia ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.» Ergo convenienter gratia dividitur per operantem et cooperantem.

Conseq. prob., quia operationes Dei quibus movet nos ad bonum, ad gratiam pertinent.

Determinatio.

Distinctio. Gratia dupliciter accipitur. Uno modo pro divino auxilio, sive pro divina motione, qua nos Deus movet ad bene volendum, et agendum. Alio modo pro habituali dono nobis divinitus indito, de qua distinctione pluries dictum est in quæstionibus 109. et 110.

1.ª Conclusio. Gratia accepta pro divino auxilio quo Deus nos movet ad bonum volendum et agendum, convenienter dividitur per gratiam operantem et cooperantem.

Prob. Voluntas nostra respectu divinæ motionis aliquando se habet, ut mota, et non movens. Aliquando se habet ut mota, et movens. Ergo divinum auxilium, quo Deus voluntatem movet, convenienter dividitur per gratiam cooperantem et operantem.

Conseq. prob., quia cum operatio alicujus effectus non attribuatur mobili, sed moventi, in illo effectu, in quo mens nostra est mota, et non movens, solus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur, et secundum dicitur gratia operans. In illo autem effectu, in quo mens nostra movet, et movetur, operatio non solum attribuitur Deo, sed etiam animæ, et secundum hoc dicitur gratia cooperans.

Antecedens manifestatur. In nobis enim est duplex voluntatis actus. Primus quidem interior: alius vero exterior, qui est á voluntate imperatus, ut dictum est quæst. 17. ar. 9. Quantum ad actum interiorem, præsertim, quó voluntas incipit bonum velle, quæ prius malum volebat, voluntas se habet ut mota tantum, Deus autem se habet ut movens, et secundum quod Deus movet humanam mentem ad hunc actum, dicitur gratia operans. In actu autem exteriori voluntas se habet ut movens, quia ipsum imperat; sed quia Deus etiam ad hunc actum adjuvat, et interius confirmando voluntatem, ut ad actum perveniat, et exterius facultatem operandi præbendo, divina motio respectu hujus actus dicitur gratia cooperans.

Et confirmatur hæc ratio, quia Aug. post verba citata in argumento pro affirmativa subdit. *Ut autem velimus, operatur* (hoc est in actu interiori voluntatis, quo bonum incipit velle, Deus se habet ut operans) *ut perficiamus, nobis cooperatur*, idest in actu exteriori imperato á voluntate, Deus se habet ut cooperans. Quia igitur divinum auxilium aliquando movet voluntatem, scilicet in primo actu, et aliquando adjuvat voluntatem operantem, ut in actu exteriori, propterea convenienter divina hæc motio, qua á Deo movemur ad bonum, dividitur in gratiam operantem et cooperantem.

Ratio hujus primæ conclusionis brevius potest sic formari.

Illa motio voluntatis, respectu cujus voluntas aliquando se habet tantum ut mota, et aliquando se habet non solum ut mota, sed etiam ut movens, convenienter dividitur per motionem operantem, et cooperantem. Sed respectu motionis, qua Deus nostram voluntatem movet ad bonum, voluntas aliquando se habet tantum ut mota, aliquando vero se habet ut mota, et movens. Ergo gratia, quæ est divina motio, convenienter dividitur in gratiam operantem et cooperantem.

Maior prob., quia quando voluntas est mota tantum, effectus attribuitur non

voluntati, sed auxilio moventis, et tunc auxilium dicitur operans. Quando vero voluntas etiam movet, tunc attribuitur sibi effectus, et auxilio adjuvanti, et sibi cooperanti.

Minor prob., quia voluntatis nostræ duplex est actus, scilicet elicitus et imperatus, sive interior et exterior, ut dictum est in alia forma probationis.

2.ª Conclusio. Gratia, quæ est habituale donum Dei, convenienter dividitur in gratiam operantem et cooperantem.

Prob. Illud, quod sanat, justificat, et gratam facit Deo, animam, et ulterius est principium operis meritorii, convenienter dividitur in gratiam operantem et cooperantem. Sed gratia, quæ est habituale donum, sanat, justificat, et facit animam Deo gratam, et ulterius est principium operis meritorii. Ergo gratia, quæ est habituale donum, convenienter dividitur in gratiam operantem et cooperantem.

Maior prob., quia gratia habitualis, in quantum sanat, justificat, et facit animam Deo gratam, dicitur operans. In quantum vero est principium operis meritorii, quod ex lib. arb. procedit, dicitur cooperans.

Mino prrob., quia effectus gratiæ sicut et cujuslibet alterius formæ, est duplex. Quorum primus est esse. Secundus est operatio. Sicut caloris est facere calidum, et esse principium calefactionis exterioris. Primus igitur effectus gratiæ est facere justum, et Deo gratum. Secundus est esse principium operis meritorii á libero arbitrio provenientis, coadjuvando ipsum, ut dictum est.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod gratia secundum quod est quædam animæ qualitas, non agit in animam effective, sed tamen agit formaliter, sicut albedo dicitur facere albam superficiem.

Ad 2. Dicitur ad antecedens, et ad ejus probationem, quod ad justificationem nostram, simul cum gratia, requiritur etiam motus liberi arbitrii quo dum justificamur, Dei justitiæ consentimus, ratione cujus consensus dicitur, quod Deus nos sine nobis non justificat: tamen quia lle motus liberi arbitrii non est causa, sed effectus gratiæ, to ta operatio nostræ justificationis ad gratiam pertinet, et propterea gratia dicitur operans, dum movet liberum arbitrium ad bonum volendum, et operandum: et cooperans, dum ipsum adjuvat ad exteriorem operationem ab ipso imperatam.

Ad 3. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod cooperari dicitur aliquis alicui, non solum sicut secundarium agens principali agenti, sed sicut adjuvans ad præsuppositum finem. Homo autem per gratiam operantem adjuvatur á Deo, ut bonum velit, et ideo præsupposito fine consequens est ut gratia nobis cooperetur. Negatur igitur absolute assumptum; cooperari enim, potest pertinere etiam ad primum agens.

Ad 4. Dicitur, quod gratia operans, et cooperans est eadem gratia: idem enim est divinum auxilium movens voluntatem ad volendum bonum, et ad operandum, et idem est habitus gratiæ, quæ sanat, et quæ est principium operis meritorii, tamen sunt diversi effectus ejusdem gratiæ: alius enim effectus est movere voluntatem, et alius ipsam adjuvare ad operandum, et alius effectus est sanare, et alius causare opus meritorium: argumentum igitur probat, quod non sint diversæ gratiæ, sed tamen cum hoc stat, ut sint diversi effectus gratiæ. Unde ad formam dicitur negando minorem.

Ad prob. dicitur, quod operari, et cooperari possunt ad idem pertinere, tamen sunt diversi effectus.

ARTICULUS III.

Utrum gratia convenienter dividatur in prævenientem et subsequentem.

Pro negativa.=Videtur quod gratia inconvenienter dividatur in prævenientem et subsequentem.

1. Effectus divinæ dilectionis non po-

test dici subsequens, sed solum præveniens. Sed gratia est effectus divinæ dilectionis. Ergo gratia non potest dici subsequens, sed solum præveniens.

Maior prob., quia dilectio Dei semper est præveniens, et numquam subsequens, secundum illud 1. Joan 4. *Non quasi nos dilexímus Deum sed quia ipse prior dilexit nos.*

2. Quod est tantum unum, non potest dividi in præveniens, et subsequens. Sed gratia gratum faciens est tantum una in homine. Ergo gratia gratum faciens inconvenienter dividitur in prævenientem et subsequentem.

Maior prob., quia idem non potest esse prius et posterius.

Minor prob., quia una gratia est sufficiens secundum illud 2. Cor. 12. *Sufficit tibi gratia mea.*

3. Si gratia divideretur in prævenientem et subsequentem, tamquam per diversos specificos effectus, sequeretur quod infinitæ essent species gratiæ quod est inconveniens.

Conseq. prob., quia effectus gratiæ, per quos ipsa gratia cognoscitur, quorum unus alium præcedit, sunt infiniti.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Est misericordia præveniens et subsequens. Ergo etiam gratia convenienter dividitur in prævenientem et subsequentem.

Antec prob., quia in Psal. 58. dicitur: *Misericordia ejus præveniet me. Et misericordia tua subsequetur me.*

Conseq. prob., quia gratia Dei ex misericordia provenit.

Determinatio.

Conclusio. Gratia, qualitercumque accipiatur, dividitur convenienter secundum diversos effectus in prævenientem et subsequentem.

Manifestatur. Nam sunt quinque gradus gratiæ in nobis, quorum

Primus est, ut anima sanetur.

Secundus, ut bonum velit.

Tertius, ut bonum quod vult, efficaciter operetur.

Quartus, ut in bono perseveret.

Quintus, ut ad gloriam perveniat.

Gratia igitur, secundum quod causat in nobis primum effectum, vocatur præveniens respectu secundi effectus, et prout causat secundum effectum, vocatur subsequens, respectu primi effectus, et sic de aliis. Et sicut unus effectus est posterior alio effectu, ita gratia potest dici præveniens, et subsequens, secundum eumdem effectum, respectu tamen diversorum: gratiæ enim effectus, quo homo bonum efficaciter operatur, est præveniens respectu perseverantiæ, et subsequens respectu volitionis boni.

Et confirmatur, quia hoc est quod dicit Aug. in lib. de nat. et grat. c. 32. inquit enim: «prævenit, ut sanemur: sub«sequitur, ut sanati, vegetemur; præve«nit, ut vocemur; subsequitur, ut glori«ficemur.»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod licet gratia sit effectus divinæ dilectionis, non tamen est eadem ratio de utroque. Dilectio enim Dei nominat aliquid æternum, et ideo numquam potest dici nisi præveniens. Gratia autem significat temporalem effectum divinæ dilectionis, qui potest præcedere aliquid, et aliquid subsequi, et ideo gratia potest dici præveniens, et subsequens.

Ad 2. Dicitur quod aliquid esse unum, potest dupliciter intelligi. Uno modo, ut sit idem secundum essentiam, et etiam secundum effectum. Alio modo, quod sit unum secundum essentiam, sed tamen diversum secundum effectum. Ad maiorem dicitur, quod illud, quod est unum secundum essentiam, et etiam secundum effectum, non potest dividi in plura. Quod vero est unum tantum secundum essentiam, sed multiplex secundum effectus, potest secundum plura dividi. Tunc ad minorem dicitur, quod gratia est una secundum essentiam, et

ideo secundum essentiam non dividitur in plures. Quia vero est multiplex secundum effectus, in plura secundum effectus dividitur. Gratia enim, secundum quam justificamur, non est alia ab ea secundum quam glorificamur. Sicut enim charitas viæ non evacuatur, sed perficitur in patria, ita etiam est dicendum de lumine gratiæ, et hoc quia neutrum in sui ratione imperfectionem importat.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod quamvis effectus gratiæ possint esse infiniti numero, sicut infiniti sunt actus humani, tamen omnes reducuntur ad aliqua determinata in specie, et propterea omnes conveniunt in hoc quod unus alium præcedit.

ARTICULUS IV.

Utrum gratia gratis data convenienter ab Apostolo, 1. Cor. 12. dividatur.

Pro negativa.=Videtur quod gratia gratis data inconvenienter ab Apost. 1. Cor. 12. distinguatur.

1. Infinita non possunt comprehendi sub aliqua certa divisione. Sed gratiæ gratis datæ sunt infinitæ. Ergo gratiæ gratis datæ non possunt comprehendi sub aliqua certa divisione.

Minor prob. Dona, quæ nobis á Deo conceduntur, tam corporis quam animæ, sunt infinita. Sed gratiæ gratis datæ dicuntur dona, quæ nobis á Deo dantur. Ergo gratiæ gratis datæ sunt infinitæ.

2. Quod pertinet ad gratiam gratum facientem, inconvenienter ponitur gratia gratis data. Sed fides pertinet ad gratiam gratum facientem. Ergo fides inconvenienter ponitur ab Apostolo gratia gratis data.

Maior prob., quia gratia gratis data distinguitur contra gratiam gratum facientem.

Minor prob., quia per fidem justificamur.

Et confirmatur argumentum, quia spes, et charitas non ponuntur sub gratia gratis data. Ergo nec fides debet poni.

3. Operatio sanitatum, et loqui diversa genera linguarum, miracula quædam sunt: interpretatio etiam sermonum ad sapientiam, vel ad scientiam pertinet, secundum illud. Dan. 1. *Pueris his dedit Deus scientiam, et disciplinam in omni libro, et sapientia.* Ergo inconvenienter dividitur gratia sanitatum, et genera linguarum, contra operationem virtutum; et interpretationem sermonum contra sermonem sapientiæ, et scientiæ.

4. Inter gratias gratis datas ab Apost. enumeratas non ponuntur intellectus, consilium, pietas, fortitudo, et timor. Ergo gratiæ gratis datæ inconvenienter ab Apost. numerantur.

Conseq. prob., quia sicut sapientia et scientia sunt dona Spiritus Sancti, ita etiam intellectus, consilium, pietas, fortitudo, et timor, ut dictum est q. 48. ar. 4. Unde sicut illa enumerantur inter gratias gratis datas, sic et cætera hæc dona enumerari debuerunt.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

1. Apostolus 1. Cor. 12. dicit. *Alii per spiritum datur sermo sapientiæ.*

2. *Alii sermo scientiæ secundum eumdem spiritum.*

3. *Alteri fides in eodem spiritu.*

4. *Alii gratia sanitatum.*

5. *Alii operatio virtutum.*

6. *Alii prophetia.*

7. *Alii discretio spirituum.*

8. *Alii interpretatio sermonum.*

9. *Alii genera linguarum.*

Determinatio.

Conclusio. Gratia gratis data convenienter dividitur ab Apost. 1. Cor. 12.

Prob. Quot sunt necessaria ad hoc ut homo alium in rebus divinis instruere possit, exterius docendo, vel persuadendo, tot convenienter assignantur gratiæ gratis datæ. Sed novem, quæ ab Apostolo assignantur, sunt necessaria ad hoc, ut homo alium in rebus divinis, quæ sunt supra rationem, docendo, et persuadendo instruere possit. Ergo convenienter ab

Apostolo assignantur gratiæ gratis datæ superius enumeratæ.

Maior probatur, quia ut art. 1. hujus quæst. dictum est. Gratia gratis data ordinatur ad hoc quod homo alteri cooperetur, ut reducatur in Deum, non quidem interius movendo, hoc enim solius Dei est; sed solum exterius docendo, vel persuadendo. Unde gratia gratis data illa continere debet sub se, quibus homo indiget ad hoc, ut alterum instruat in rebus divinis, quæ sunt supra rationem.

Minor manifestatur. Tria enim requiruntur ad hoc ut homo alium in rebus divinis instruere possit.

Primo, ut homo sit sortitus plenitudinem cognitionis divinorum, ut ex hoc instruere alios possit.

Secundo, ut possit confirmare, vel probare ea quæ dicit, alias non esset efficax ejus doctrina.

Tertio, ut ea quæ concipit, possit convenienter auditoribus proferre.

Quantum igitur ad primum, tria sunt necessaria, sicut etiam apparet in magisterio humano. Oportet enim quod ille, qui debet alium instruere in aliqua scientia, primo quidem ut principia illius scientiæ sint ei certissima: et quantum ad hoc ponitur fides, quæ est certitudo de rebus invisibilibus, quæ supponuntur principia in catholica doctrina.

Secundo oportet quod doctor recte se habeat circa principales conclusiones scientiæ, et sic ponitur sermo sapientiæ, quæ est cognitio divinorum.

Tertio oportet ut etiam abundet exemplis, et cognitione effectuum, per quos interdum oportet manifestare causas; et quantum ad hoc ponitur sermo scientiæ, quæ est cognitio rerum humanarum, quia *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

Confirmatio autem in his, quæ subduntur rationi, est per argumenta. In his autem, quæ sunt supra rationem divinitus revelata, confirmatio est per ea quæ sunt divinæ virtuti propria: et hoc dupliciter. Uno quidem modo, ut doctor sacræ doctrinæ faciat, quæ solus Deus facere potest in operibus miraculosis. Sive sint ad salutem corporum: et quantum ad hoc, ponitur gratia sanitatum. Sive ordinentur ad solum divinæ potestatis manifestationem, sicut quod sol stet, aut tenebrescat, quod mare dividatur: et quantum ad hoc, ponitur operatio virtutum. Secundo, ut possit manifestare ea quæ solius Dei est scire, et hæc sunt contingentia futura: et quantum ad hoc ponitur prophetia, et etiam occulta cordium, et quantum ad hoc, ponitur discretio spirituum. Facultas autem pronuntiandi potest attendi, vel quantum ad idioma, in quo aliquis possit intelligi, et secundum hoc ponuntur genera linguarum. Vel quantum ad sensum eorum, quæ sunt proferenda: et quantum ad hoc ponitur interpretatio sermonum.

Breviter igitur colligendo numerum gratiarum gratis datarum dicimus quod gratiæ gratis datæ dantur ad hoc, ut homo possit alium instruere de divinis. Ad hoc autem tria sunt necesaria. Primum, ut homo qui alium docere debet, habeat plenitudinem cognitionis divinorum. Secundum, ut possit probare et confirmare ea quæ docet. Tertium, ut quæ docere debet, possit convenienter proferre his quos instruit. Ad hoc, ut quis habeat plenitudinem cognitionis divinorum, tria requiruntur. Primum est cognitio eorum, quæ in divina scientia tamquam principia supponuntur. Secundum est cognitio principalium conclusionum. Tertium est cognitio effectuum divinorum, ex quibus oportet interdum manifestare causas. Et ideo tres gratiæ gratis datæ sunt necessariæ ad plenitudinem notitiæ de divinis, scilicet fides, per quam prima principia creduntur; sapientia, per quam cognoscuntur principales conclusiones, et scientia, per quam divini effectus sciuntur. Ad hoc ut homo confirmare possit

quæ docet de divinis, requiruntur duo. Unum est, ut faciat quæ solus Deus facere potest, et hæc sunt opera miraculosa: quæ duplicia sunt. Aut enim sunt ad salutem corporum ordinata: aut ad solam divinæ potentiæ manifestationem: sicut quod sol stet, aut tenebrescat, et his similia, et ideo ad hoc, ut qui divina docet, eá confirmare possit, ponuntur duæ aliæ gratiæ gratis datæ quæ sunt, gratia sanitatum, et operatio virtutum. Alterum est, ut possit manifestare ea quæ solius Dei est scire, et hæc sunt duo, scilicet futura contingentia, et occulta cordium. Et propterea ponuntur duæ aliæ gratiæ gratis datæ. Ad cognoscendum futura contingentia ponitur prophetia. Ad cognoscenda occulta cordium ponitur discretio spirituum. Ad hoc autem, ut ille qui divina docere debet, possit convenienter illa auditoribus proponere, necessaria est facultas pronuntiandi quæ attenditur, vel quantum ad idioma, vel quantum ad sensum eorum quæ sunt proferenda. Et propter hæc ponuntur duæ aliæ gratiæ gratis datæ. Propter primum ponitur gratia linguarum diversarum. Propter secundum ponitur interpretatio sermonum. Sic igitur ordinantur gratiæ gratis datæ.

Ad plenitudinem scientiæ dantur.

1. Fides propter principia.

2. Sapientia propter principales conclusiones.

3. Scientia propter effectus.

Ad hoc ut possit confirmare dantur.

4. Gratia sanitatum propter corporalem salutem.

5. Operatio virtutum propter divinæ potentiæ ostensionem, ad hoc ut faciat quæ solus Deus facere potest.

6. Prophetia propter futura contingentia.

7. Discretio spirituum propter cognitionem occultorum cordium, ut sciat quæ solus Deus scire potest.

Ad hoc ut possit docenda proponere dantur.

8. Genera linguarum propter idioma.

9. Interpretatio sermonum propter sensum sententiarum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad prob. iterum negatur minor. Non enim omnia beneficia, quæ nobis divinitus conceduntur, gratiæ gratis datæ dicuntur, sed solum illa quæ excedunt facultatem naturæ: sicut quod piscator abundet sermone sapientiæ et scientiæ, et aliis hujusmodi. Et talia ponuntur hic sub gratia gratis data.

Ad 2. Neg. minor. Ad prob. dicitur, quod fides dupliciter consideratur. Uno modo, ut est virtus justificans. Alio modo, ut importat quamdam superveniențem certitudinem fidei, ex qua homo fit idoneus ad instruendos alios, de his quæ ad fidem pertinent. Non enumeratur fides inter gratias gratis datas, ut est virtus qua justificamur, sed ut importat supereminentem certitudinem eorum quæ ad fidem pertinent. Ad confirmationem dicitur, quod spes, et charitas pertinent ad vim appetitivam, secundum quod per eam homo secundum seipsum in Deum ordinatur, et non secundum quod aliis cooperatur.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod gratia sanitatum distinguitur á generali operatione virtutum, quia habet specialem rationem inducendi ad fidem ad quam aliquis magis promptus redditur per beneficium corporalis sanitatis, quam per fidei virtutem assequitur. Similiter etiam loqui variis linguis, et interpretari sermones, habent speciales quasdam rationes movendi ad fidem, et ideo ponuntur speciales gratiæ gratis datæ.

Ad 4. Dicitur ad antec. quod sapientia, et scientia non computantur inter gratias datas, secundum quod enumerantur inter dona Spiritus Sancti, prout scilicet mens hominis est bene mobilis per Spiritum Sanctum ad ea quæ sunt sapientiæ et scientiæ: sic enim sunt dona Spiritus Sancti, ut supra dictum

est, q. 68. art. 1. et 4. Sed computantur inter gratias gratis datas, secundum quod important quamdam abundantiam scientiæ et sapientiæ, ut homo possit non solum in seipso recte sapere de divinis, sed etiam alios instruere, et contradicentes revincere. Et ideo inter gratias gratis datas significanter ponitur *sermo sapientiæ, et sermo scientiæ*: quia ut August. dicit lib. 14. cap. 1. de Trinit. «Aliud est scire tantummodo, quid homo «credere debeat propter adipiscendam «vitam beatam. Aliud est scire, quemad«modum hoc ipsum, et piis opituletur, «et contra impios defendatur.

ARTICULUS V.

Utrum gratia gratis data sit dignior, quam gratia gratum faciens.

Pro affirmativa.=Videtur quod gratia gratis data sit dignior, quam gratia gratum faciens.

1. Quod ordinatur ad bonum commune totius Ecclesiæ, dignius est quam quod ordinatur ad bonum unius. Sed gratia gratis data ordinatur ad bonum commune totius Ecclesiæ; gratia vero gratum faciens ordinatur tantum ad bonum unius, ut supra dictum est. Ergo gratia gratis data dignior est, quam gratia gratum faciens.

Maior prob., quia bonum gentis, est melius quam bonum unius.

2. Illud quod homo potest operari ad perfectionem aliorum, dignius est quam illud, per quod homo tantum perficitur in seipso. Sed per gratiam gratis datam homo potest cooperari ad perfectionem aliorum: per gratiam vero gratum facientem perficitur tantum in seipso, ut dictum est. Ergo gratia gratis data dignior est quam gratum faciens.

Maior prob., quia maioris virtutis est quod aliquis possit agere in aliud, quam solum in seipso perficiatur. Sicut maior est claritas corporis, quod potest etiam alia corpora illuminare, quam ejus quod ita in se lucet, ut alia illuminare non possit.

Et confirmatur. Quia propter hoc Phil. 5. Eth. c, 1. dicit: quod justitia est præclarissima virtutum, quia per ipsam homo recte se habet etiam ad alios.

3. Id quod est proprium meliorum, dignius est quam illud quod est commune omnium. Sed gratia gratum faciens est communis omnibus membris Ecclesiæ: Gratia autem gratis data est proprium donum digniorum membrorum Ecclesiæ. Ergo gratia gratis data est dignior, quam gratia gratum faciens.

Maior manifestatur. Nam ratiocinari quod est proprium hominis, dignius est quam sentire, quod est commune omnibus animalibus.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Charitas est dignior gratiis datis. Ergo gratia gratis data non est dignior, quam gratia gratum faciens.

Antec. prob., quia Apost. 1. Cor. 12. enumeratis gratiis gratis datis, subdit. *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*, et sicut per subsequentia patet loquitur de charitate.

Conseq. prob., quia charitas pertinet ad gratiam gratum facientem.

Determinatio.

Conclusio. Gratia gratum faciens est multo excellentior, quam gratia gratis data.

Probatur. Gratia quæ ordinat hominem immediate ad conjunctionem ultimi finis, excellentior est quam gratia, quæ ordinat hominem solum ad quædam præparativa ultimi finis. Sed gratia gratum faciens ordinat hominem immediate ad conjunctionem ultimi finis. Gratia autem gratis data ordinat hominem ad quædam præparativa ultimi finis. Ergo gratia gratum faciens nobilior est, et excellentior, quam gratia gratis data.

Maior probatur. Virtus quæ ordinat ad maius bonum, est excellentior. Sed gratia quæ ordinat hominem ad conjunctionem ultimi finis, ordinat ad maius bonum, quam quæ ordinat solum ad ea quæ

sunt ad finem. Ergo gratia quæ ordinat hominem ad conjunctionem ultimi finis, est excellentior, quam quæ ordinat hominem ad quædam præparativa ad ultimum finem.

Maior hujus prob., quia unaquæque virtus tanto excellentior est, quanto ad altius bonum ordinatur.

Minor hujus prob., quia finis semper potior est his quæ sunt ad finem.

Minor principalis quoad priorem partem, scilicet quod gratia gratum faciens conjungat hominem Deo, habita est art. 1. hujus. Quoad secundam, scilicet quod gratia gratis data ordinet ad quædam præparativa ultimi finis, manifestatur. Nam per prophetiam, miracula, et alia hujusmodi homines inducuntur ad hoc, ut ultimo fini conjungantur; sed tamen ultimo fini se non possunt conjungere, nisi per gratiam gratum facientem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod *bonum multitudinis* est duplex, ut Phil. 12. Met. tex. 52. Unum «quidem quod est in ipsa mul»titudine: puta ordo est bonum exerci»tus.» Aliud «est, quod est separatum à »multitudine quod est bonum ducis: pu»ta victoria, et hoc bonum separatum est »melius, quam bonum conjunctum.» Melior est enim victoria quam ordo exercitus. Et ratio est quia bonum conjunctum, scilicet ordo exercitus, ordinatur ad bonum separatum, scilicet ad victoriam. Ecclesia habet duplex hoc bonum, scilicet conjunctum et separatum. Conjunctum est ipse ordo ministrorum Ecclesiæ. Separatum est ipse Deus, ad quem omnis Ecclesiæ bonum ordinatur. Gratia gratis data ordinatur ad bonum Ecclesiæ conjunctum. Gratia vero gratum faciens ordinatur ad bonum Ecclesiæ separatum, qui est Deus. Ad formam igitur argumentum dicitur ad maiorem, quod est vera de eo quod ordinatur ad bonum communitatis separatum, non autem de eo quod ordinatur solum ad bonum conjuntum. Et ad minorem dicitur, quod gratia gratis data ordinatur ad bonum Ecclesiæ, sed conjunctum. Gratia vero gratum faciens conjungit hominem ultimo separato fini, scilicet Deo, ut dictum est.

Ad 2. Dicitur, quod hominem operari ad perfectionem aliorum per gratiam gratis datam dupliciter potest intelligi. Uno modo, ut homo per gratiam gratis datam operetur ad perfectionem aliorum illud, quod operatur in seipso per gratiam gratum facientem. Alio modo, ut operetur ad perfectionem aliorum, non illud quod efficit in ipso per gratiam gratum facientem, sed aliquid aliud. Ad maiorem dicitur, quod est vera, quando quis per id quod habet, operatur in aliis id quod ipse est consecutus ex perfectione quam habet: non autem est vera, quando per id quod quis habet, non operatur in aliis quod ipse ex eo quod habet est consecutus. Tunc ad minorem dicitur, quod per gratiam gratum facientem homo consequitur hoc ut Deo conjungatur. Per gratiam vero gratis datam non conjungit homines Deo, sed solum eos disponit ad conjunctionem cum Deo. Unde plus consequitur homo per gratiam gratum facientem in seipso, quam faciat in aliis per gratiam gratis datam.

Et brevius dicitur ad maiorem, quod est vera cæteris paribus. Si enim esset aliquid, per quod homo seipsum, et alios Deo conjungere posset, profecto excellentius esset, quam illud per quod tantum seipsum Deo conjungit. Sed si sit aliquid per quod homo seipsum Deo conjungat, et aliud per quod solum disponat alios ad divinam conjunctionem, excellentius est id per quod ipse homo Deo conjungitur, quam illud, per quod solum alios disponit ad divinam conjunctionem.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem dicitur, quod ratiocinari non ideo est perfectius, quam sentire, ex hoc quia ratiocinari est proprium, et sentire commune; nam dato quod omnia animalia essent rationalia, vel dato quod solus ho-

mo haberet sensum, adhuc ratiocinari esset quid nobilius, quam sit sentire. Sed ista excellentia rationis supra sensum est, quia sensitiva cognitio ad intellectionem ordinatur. Illud igitur ad quod aliud ordinatur, est excellentius quam sit id quod ad ipsum ordinatur. Et quia gratia gratis data ordinatur ad gratiam gratum facientem, ideo hæc est excellentior illa. Unde patet quod est opposito modo, de sensu respectu intellectus, et de gratia gratis data respectu gratiæ gratum facientis. Nam ibi commune, scilicet sensus ordinatur ad proprium, idest ad rationem. Hic autem proprium, idest gratia gratis data, quæ non est omnibus communis, ordinatur ad commune, idest ad gratiam gratum facientem, quæ est omnibus fidelibus communis.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 111.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod gratia alia est gratum faciens, alia gratis data. Ut Eph. 1. tum Rom. 11. Secundum quod ponitur *in arg. cont.* Item à Matth. th. 7. " Multi mihi dicent in illa die: Dominus in nomine tuo prophetavimus, dæmonia ejecimus, virtutes multas fecimus: Et tunc confitebor illis, quia numquam novi vos. » Patet enim, quod prophetia est gratia gratis data, operatioque miraculorum; et tamen his gratiis non fit aliquis gratus Deo. In cujus evidens signum talibus dicit Deus. *Numquam*, idest nec etiam tunc, quando talia faciebatis, *novi vos*, scilicet notitia approbationis, de qua dicitur Eccles. 44. " Cognovit eum in benedictionibus suis, » idest, numquam fuistis mihi grati. Item ab Eccl. 44. " Invenit gratia coram oculis Domini. » Nam ibi ostenditur ex modo loquendi, idest ex terminis ipsis, quod ista gratia facit gratum Deo. Quod etiam in contextu prædixerat ad literam, scilicet, " qui in diebus suis placuit Deo. » Item á Luc. 1. " Ave gratia plena, Dominus tecum, etc. Invenisti gratiam apud Deum, ecce concipies, » etc. Quod exponens Ecclesia in persona ejusdem B. Virginis, inquit: " congratulamini mihi omnes, quia, cum essem parvula, placui altissimo, et de meis visceribus genui Deum et hominem. » Vide Offic. circumc. Domini responsor. 9. Junctis ergo omnibus his auctoritatibus in simul, paCet intentum. Cæterum pro ly *convenienter*; vide de convenientia scripturarum, art 2. app. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, Concilio, et Augustino insinuatum, quod convenienter gratia alia dicitur operans, alia cooperans. A D. Aug. quidem, ut *in arg. cont.* A concilio autem *Arausicano* per hoc, quod dicit can. 9. " Dei est muneris, cum recte cogitamus et pedes nostros á falsitate, et injustitia tenemus. Quoties enim bona agimus: Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur. » Ubi gratiam Dei operantem vides per ly *operatur in nobis*, *ut operemur*: gratiam vero cooperantem vides per ly *operatur nobiscum*, *ut operemur*. A scripturis vero insinuatur, ut Philip. 2. " Deus est, qui operatur in vobis velle, » et Marc. 16. " Prædicaverunt ubique Domino cooperante. » Utrobiquenim subintelligitur ly *per gratiam suam*. Cæterum per ly *convenienter*, vide de convenientia scripturarum, quæst. 68. art. 4. append. et 2. 2. quæst. 22. art. 2. app. et quæst. 140. art. 1. app. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis et Ecclesia insinuatum, quod gratia convenienter dividitur in prævenientem et sub sequentem. A scripturis quidem, ut Psal. 58. Cui concordat Psal. 78. " Cito anticipent nos misericordiæ tuæ: » et Psal. 22. Secundum quod adducitur *in arg. cont.* A Sancta vero Ecclesia per hoc, quod in collecta Dom. 16. post. 8. Trinit. ait.

" Tua nos Domine gratia semper et præveniat, et sequatur. » Et in collecta de Prec. " Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra operatio á te semper incipiat, et per te cæpta finiatur. » Ubi et acuto lectori commonstratur, quis sit effectus gratiæ prævenientis, et subsequentis. Item in collecta Resurrect. Pasch. " Vota nostra, quæ prævenindo aspiras, etiam adjuvando prosequere. » Cæterum pro ly *convenienter*, vide de convenientia scripturarum. 2. 2. q. 24. ar. 2. app. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis insinuatum, quod convenienter dicuntur gratiæ gratis datæ esse novem. Ut 1. Cor. 12. secundum quod est *in arg. cont.*. Quod autem ista enumeratio sit conveniens simul et sufficiens, idest, quod neque pauciora, neque plura enumerari debeant inter gratias gratis datas insinuatur generaliter, et per consequens specialiter, si recte applicentur applicanda in quæst. 68. art. 4. append. et 2. 2. qu. 122. art. 2. append. et quæst. 140. art. 1. app. et quæst. 179. art. 2. app. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis iniinuatum, quod gratia gratum faciens est excellentior, quam gratia gratis data. Ut 1. *Corinth.* 12. secundum quod cum discursu extenditur *in arg. cont.* Item per hoc, quod dicitur Matth. 16. Marc. 8. Luc. 9. " Quid prodest homini, si universum mundum lucretur; seipsum autem perdat, et detrimentum sui faciat? » Item per dictum ibi " Quam dabit homo commutationem pro anima sua? » Cum itaque gratia purificans ad salutem propriæ animæ sit: et gratis data ad aliorum, quandoque compatiendo secum detrimentum animæ propriæ: relinquitur, quod scripturæ illæ, si scholastica verba sonent, dixerint; Gratia gratum faciens est multo excellentior, desiderabilior, atque salubrior; quam gratia gratis data. *Secundo* vides: etc.

QUÆSTIO CENTESIMA DECIMA SECUNDA,

DE CAUSA GRATIÆ, IN QUINQUE ARTILCUOS DIVISA.

Deinde considerandum est de causa gratiae.

Et circa hoc quæruntur quinque.

Primo, utrum solus Deus sit causa efficiens gratiae

Secundo, utrum requiratur aliqua dispositio ad gratiam ex parte recipientis ipsam per actum liberi arbitrii.

Tertio, utrum talis dispositio possit esse necessitas ad gratiam.

Quarto, utrum gratia sit aequalis in omnibus.

Quinto, utrum aliquis possit scire se habere gratiam.

ARTICULUS I.

Utrum solus Deus sit causa gratiæ.

Pro negativa.=Videtur quod non solus Deus sit causa gratiæ.

1. *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est*, ut dicitur Jo. 1. Ergo non solus Deus, sed aliqua etiam creatura potest esse causa gratiæ.

Conseq. prob. Nomine Jesu Christi intelligitur non solum divina natura assumens, sed etiam natura creata assumpta.

2. Sacramenta novæ legis causant gratiam. Ergo non solum Deus est causa gratiæ.

Antec. prob., quia ista differentia ponitur inter sacramenta novæ legis et veteris, quod sacramenta novæ legis causant gratiam, quam sacramenta veteris legis significabant.

Conseq. prob., quia sacramenta novæ legis sunt quædam visibilia elementa, et proinde creaturæ.

3. *Angeli superiores purgant, illuminant, et perficiunt angelos inferiores et*

etiam homines, ut Dion. in lib. cœl. Hier. Ergo non solus Deus est causa gratiæ.

Conseq. prob., quia creatura rationalis purgatur, illuminatur et perficitur per gratiam.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In Psal. 83. dicitur: *Gratiam et gloriam dabit Dominus.*

Determinatio.

CONCLUSIO. Solus Deus est causa gratiæ.

Prob. ratione, et á simili.

Ratio est. Illud quod excedit omnem facultatem naturæ creatæ, á solo Deo potest produci et causari. Sed gratia excedit totam facultatem naturæ creatæ. Ergo gratia á solo Deo potest causari.

Maior prob., quia cum semper oporteat ut causa sit potior suo effectu, nulla res potest agere ultra suam speciem, nec producere ea quæ sunt supra suam naturam.

Minor prob., quia gratia nihil aliud est, quam quædam participatio divinæ naturæ quæ excedit omnem creaturam.

Secundo prob. á simili. Sicut enim impossibile est ut aliquid igniat quod tamen non sit ignis, sic impossibile est ut aliquid possit deificare, communicando consortium divinæ naturæ per gratiam, quod non sit Deus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod gratiam causari ab aliquo potest intelligi dupliciter. Uno modo, tamquam á causa instrumentali. Gratia est facta per Jesum Christum tamquam per causam principalem, secundum divinitatem: ab humanitate vero ejus, tamquam á causa instrumentali. Est enim humanitas Christi sicut quoddam organum divinitatis ejus, ut Dam. dicit lib. 3. c. 15. Instrumentum autem non agit actionem agentis principalis propria virtute, sed virtute principalis agentis: et ideo humanitas Christi non causat gratiam propria virtute, sed virtute divinitatis adjunctae, ex qua actiones humanitatis Christi sunt salutares.

Ad 2. Dicitur ad antecedens quod sacramenta novae legis sunt causa gratiae, non quidem principaliter, sed tantum instrumentaliter: causatur enim gratia per sacramenta virtute Spiritus Sancti in sacramentis operantis, secundum illud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto*, etc.

Ad 3. dicitur ad antecedens quod angelus superior purgat inferiorem, non justificando per gratiam, hoc enim soli Deo convenit, sed solum infundendo eis aliquod divinæ scientiæ lumen. Unde neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod non omnis purgatio creaturae est per gratiam, sed solum quae est á peccato, et haec est á solo Deo.

ARTICULUS II.

Utrum requiratur aliqua præparatio, et dispositio ad gratiam ex parte hominis.

Pro negativa.=Videtur quod non requiratur aliqua praeparatio, sive dispositio ad gratiam ex parte hominis.

1. Quod tollit rationem gratiae non requiritur ad gratiam. Sed praeparatio ex parte hominis tollit rationem gratiae. Ergo praeparatio ex parte hominis non praexigitur ad gratiam.

Minor prob. Operatio ex parte hominis tollit rationem gratiae, secundum illud Rom. 4. «ei, qui operatur, merces »non imputatur secundum gratiam, sed »secundum debitum.» Sed praeparatio hominis per liberum arbitrium est per aliquam operationem. Ergo hujusmodi praeparatio tollit rationem gratiae.

2. Quibusdam in peccato progredientibus data est gratia, sicut patet de Paulo, qui gratiam consecutus est, dum esset «spirans minarum et caedis in discí»pulos Domini, ut dicitur Act. 9. Ergo nulla praparatio requiritur ad gratiam consequendam ex parte hominis.

Conseq. prob., quia ille, qui in peccato progreditur, non præparat se ad habendam gratiam.

3. Agens infinitæ virtutis non requirit dispositionem in materia. Sed Deus, qui solus gratiam causat, est agens infinitæ virtutis. Ergo Deus non requirit in collatione gratiæ aliquam præparationem in homine.

Maior prob., quia agens infinitæ virtutis, nec ipsam materiam requirit, ut in creatione apparet, cui collatio gratiæ comparatur, quæ dicitur nova creatura ad Galat. ult.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Amos 4. dicitur homini: *Præparare in occursum Dei tui.* et 1. Reg. 8. dicitur: *Præparate corda vestra Domino.*

Determinatio.

Distinctio. Gratia dicitur dupliciter, ut pluries in tribus præcedentibus quæstionibus dictum est. Quandoque quidem dicitur gratia, ipsum habituale donum Dei. Quandoque vero auxilium Dei moventis animam ad bonum.

1.ª Conclusio. Ad habituale gratiæ donum requiritur in homine aliqua præparatio.

Probatur. Nulla forma potest esse nisi in materia disposita. Habitualis gratia est quædam forma in anima. Ergo habitualis gratia requirit aliquam præparationem ex parte hominis.

2.ª Conclusio. Ad gratiam, secundum quod significat auxilium Dei moventis ad bonum, nulla præparatio requiritur ex parte hominis, quasi præveniens divinum auxilium.

Manifestatur. Quia quæcumque præparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei moventis animam ad bonum. Motus enim liberi arbitrii, quo quis præparatur ad donum gratiæ suscipiendum, est etiam á Deo, quis movet liberum arbitrium ad bonum.

3.ª Conclusio. Præparatio ad gratiam habitualem, est ipse bonus motus liberi arbitrii moti á Deo.

Manifestatur. Quia enim hujusmodi actus liberi arbitrii est á libero arbitrio, dicitur homo se præparare secundum illud Proverb. 16. *Hominis est præparare animam.* Et iterum. Quia hujusmodi liberi arbitrii motus est principaliter á Deo movente ipsum, ideo dicitur voluntas hominis á Deo præparari et á Domino gressus hominis dirigi, ut ibidem dicitur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod præparatio hominis ad gratiam est duplex. Quædam est simul cum infusione gratiæ, et hæc præparatio est perfecta. Alia est præparatio quæ præcedit infusionem gratiæ, et hæc est imperfecta præparatio; fit enim per actum liberi arbitrii moti á Deo. Prima præparatio est meritoria, non quidem gratiæ, quæ jam habetur, sed gloriæ, quæ nondum habetur. Præparatio vero imperfecta non sufficit ad meritum, quia cum hujusmodi præparatio præcedat infusionem gratiæ, sine qua nullum est meritum, sequitur quod non sit meritoria et per consequens quod non tollat rationem gratiæ infundendæ. Unde ad formam argumenti dicitur ad minorem, quod non omnis præparatio ex parte hominis tollit rationem gratiæ, cum non omnis talis præparatio sit perfecta, sed solum illa, quæ est simul cum infusione gratiæ. Præparatio vero, quæ præcedit ex se infusionem gratiæ, quæ præparatio est solus actus bonus liberi arbitrii moti á Deo, non est meritoria, nec tollit rationem gratiæ.

Ad maiorem probationis dicitur, quod non omnis operatio ex parte hominis est meritoria, sed solum illa, quæ fit per liberum arbitrium informatum gratia gratum faciente.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod cum præparatio ad gratiam sit á Deo movente liberum arbitrium, ut dictum est in præced. res-

ponsione: Deus aliquando movet hominem ad bonum, non tamen perfectum, et talis præparatio semper præcedit ipsam gratiæ infusionem. Aliquando autem Deus perfecte movet hominem ad bonum perfectum, et tunc homo subito consequitur gratiam, secundum illud Joan. 6. *Omnis, qui audit á Patre, et didicit, venit ad me. Facile enim est in oculis Dei subito honestare pauperem*, ut dicitur Eccl. 11. et hoc contigit Paulo, qui dum esset in progressu peccati, perfecte motum est cor ejus á Deo, audiendo, addiscendo, et veniendo, et propterea subito gratiam est consecutus. Ad probationem igitur consequentiæ negatur assumptum, ille enim, qui in peccato proficit, si subito perfecte moveatur á Deo, præparatur ad gratiam, et simul eam recipere potest, ut in Paulo apparuit.

Ad 3. Dicitur, quod agens infinitæ virtutis requirere in sua actione materiam, et materiae dispositionem, potest dupliciter intelligi; uno modo, ut indigeat materia ab alio facta et disposita: alio modo, ut praexigat materiam á se factam, et dispositam secundum exigentiam rei faciendae. Tunc ad maiorem dicitur, quod agens infinitae virtutis non præsupponit materiam ab alio factam, aut dispositam, sed tamen præsupponit materiam á seipso factam, et præparatam, ut recipiat debitam formam. Infusio igitur gratiæ præsupponit præparationem, non ab alio quam á Deo infundente gratiam factam: præparatur enim homo ad gratiam per actum liberi arbitrii moti á Deo in bonum.

Ad probationem autem maioris dicitur, quod agens infinitae virtutis non requirit materiam ab alio productam, sed secundum conditionem rei faciendae requirit materiam ab ipsomet productam, et dispositam ad receptionem debitae formae.

ARTICULUS III.

Utrum necessario detur gratia se præparanti ad gratiam, vel facienti quod in se est.

Pro affirmativa. — Videtur quod necessario detur gratia se praeparanti ad gratiam, vel facienti quod in se est.

1. Impossibile est Deum non recipere eum, qui ad se confugit. Ergo necessario datur gratia facienti quod in se est.

Antec. prob. Impossibile est in Deo esse iniquitatem. Ergo impossibile est Deum non recipere fugientem ad se.

Conseq. haec prob., quia super illud Roman. 5. *justificati ex fide pacem habeamus*, Glos. dicit, *Deus recipit eum, qui ad se confugit, aliter esset in eo iniquitas.*

2. *Ista est causa quare Deus non concedit diabolo gratiam*, inquit Ansel. libro de casu Diab. cap. 3. *quia ipse noluit accipere, nec paratus fuit.* Ergo ei, qui vult accipere, et se præparavit, necessario datur gratia.

Conseq. prob., quia remota causa impediente gratiæ consecutionem, quæ est nolle, et non se præparare, necessario sequitur effectus gratiæ,

3. Forma naturalis necessario advenit materiæ dispositæ ad talem formam. Ergo multo magis gratia datur ex necessitate præparanti se ad gratiam.

Conseq. prob., quia *cum omne bonum sit communicativum*, ut Dionys. dicit 4. c. de divin. nom. et gratia sit maius bonum, quam bonum naturæ, sequitur quod sit magis communicativa sui ipsius, et per consequens si forma naturalis necessario infunditur præparatæ materiæ, multo magis gratia infundatur cordi præparato.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Lutum non ex necessitate accipit formam á figulo, quantumcumque præparatum. Ergo neque homo, quantumcumque se præparet, non necessario recipit gratiam á Deo.

Conseq. prob., quia homo comparatur ad Deum, ut lutum ad figulum, secundum illud Hierem. 18. *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea.*

Determinatio.

Distinctio. Præparatio dupliciter considerari potest. Uno modo, secundum quod est á libero arbitrio. Alio modo, secundum quod est á Deo movente.

Manifest. hæc dist. quia præparatio hominis ad gratiam est á Deo sicut á movente, et á libero arbitrio sicut á moto.

1.ª Conclusio. Præparatio ad gratiam secundum quod est á libero arbitrio nullam necessitatem habet ad gratiæ consecutionem.

Prob., quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ.

2.ª Conclusio. Præparatio ad gratiam, secundum quod est á Deo movente, habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur á Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis.

Prob., quia intentio Dei deficere non potest: nam Aug. dicit in lib. de Præd. SS. 55. quod *per beneficia Dei certissime liberantur quicumque liberantur.*

Corol. Si ex intentione Dei moventis est quod homo, cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequitur. Dicitur enim Joan. 6. *Omnis, qui audit á Patre, et didicit, venit ad me.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur antecedens. Ad prob. negatur conseq. Ad cujus prob. dicitur dupliciter. Primo quod Glosa illa loquitur de eo, qui confugit ad Deum per actum meritorium liberi arbitrii jam per gratiam informati, quem si Deus non reciperet, esset contra justitiam, quam ipse statuit.

Secundo, dicitur quod si Glossa referatur ad motum liberi arbitri ante gratiam, loquitur secundum quod ipsum confugium hominis ad Deum est per motionem divinam, quam justum est non deficere ab eo quod intendit.

Ad 2. Negatur conseq. Non enim sequitur, quod quia causa non consecutionis gratiæ est nostrum non velle, quod causa consecutionis sit nostrum velle. Quia defectus gratiæ prima causa est ex nobis. Sed prima causa collationis gratiæ est á Deo, secundum illud Os. 13. *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Stat igitur, quod causa quare diabolus non est consecutus gratiam, fuerit ejus mala voluntas, et tamen quod remota hac causa, non necessario sequatur effectus gratiæ, quia gratia non est ex voluntate nostra, sed á Deo. In argumento vero supponitur, quod sicut voluntas nostra est causa non consequendi gratiam, ita bona voluntas nostra sit causa consecutionis gratiæ.

Ad 3. Dicitur ad antec. quod forma naturalis non ex necessitate sequitur ad materiæ dispositionem, nisi ex virtute agentis causantis ipsam materiæ dispositionem: sicque gratia non necessario datur se præparanti, nisi secundum intentionem Dei causantis dispositionem animæ nostræ.

ARTICULUS IV.

Utrum gratia sit maior in uno quam in alio.

Pro negativa.=Videtur quod gratia non sit maior in uno, quam in alio.

1. Quod causatur in nobis ex dilectione divina, non est maius in uno, quam in alio. Sed gratia causatur in nobis ex dilectione divina, ut dictum est q. 110. art. 1. Ergo gratia non est maior in uno, quam in alio.

Maior probatur, quia divina dilectio æqualiter ad omnes se diffundit, secundum illud Sap. 6. «Pusillum, et mag«num ipse fecit, et æqualiter est illi cu«ra de omnibus.

2. Illud quod est magis in uno, quam in alio, suscipit magis et minus. Sed gratia non suscipit magis et minus. Ergo gratia non est maior in uno, quam in alio.

Minor prob. Quod est in summo, non

suscipit magis et minus. Sed gratia est in summo; conjungit enim ultimo fini. Ergo gratia non suscipit magis et minus.

3. Vita non suscipit magis et minus. Sed gratia est animæ vita, ut dictum est q. 110. art. 2. Ergo gratia non suscipit magis et minus.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Quod datur secundum mensuram, non omnibus æqualiter datur. Sed gratia datur secundum mensuram. Ergo gratia non est æqualis in omnibus, sed in uno maior quam in alio.

Minor prob., quia ad Ephes. 4. dicitur: *unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.*

Determinatio.

Distinctio. Habitus duplicem magnitudinem habere potest, ut dictum est supra q. 52. art. 1. et 2. Unam ex parte finis, vel objecti, secundum quod dicitur una virtus alia nobilior, in quantum ad maius bonum ordinatur. Aliam vero ex parte subjecti, quod scilicet magis, vel minus participat habitum inhærentem.

1.ª Conclusio. Gratia gratum faciens secundum magnitudinem, quæ est ex parte finis, vel objecti, non potest esse maior, et minor.

Prob. Quod conjungit hominem summo bono, non potest ex parte objecti vel finis esse maius, vel minus. Sed gratia gratum faciens conjungit hominem summo bono. Ergo gratia gratum faciens ex parte objecti non est maior, vel minor.

2.ª Conclusio. Gratia secundum magnitudinem, quam habet ex parte subjecti, potest esse maior in uno quam in alio, prout scilicet unus perfectius illustratur á lumine gratiæ, quam alius.

Hæc conclusio duplicem habet rationem. Prima desumitur ex parte præparantis sed ad gratiam, et est talis. Qui se magis ad gratiam præparat, pleniorem gratiam recipit. Sed unus magis se, quam alius, ad gratiam præparat. Ergo gratia potest esse maior in uno, quam in alio.

Judicium de hac ratione.

Quæ ratio, quamvis vera sit, non tamen est prima, et pricipalis. Non enim potest sumi prima ratio diversitatis gradus gratiæ ex parte se præparantis ad gratiam, quia præparatio ad gratiam non est hominis, nisi in quantum liberum arbitrium ejus præparatur á Deo: unde prima ratio, et causa hujus diversitatis accipienda est ex parte ipsius Dei.

Primaria ratio ad conclusionem.

Prima igitur, et radicalis ratio, quare unus maiorem habet gratiam, quam alius, est ex hoc, quia Deus diversimode sua dona dispensat, ut ex diversis gradibus pulchritudo, et perfectio Ecclesiæ consurgat: sicut etiam diversos gradus rerum instituit, ut esset universum perfectum. Unde Apost. ad Ephes. 4. postquam dixerat: *unicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi*, enumeratis diversis gradibus subjungit: *ad consummationem Sanctorum, in ædificationem corporis Christi.*

In forma. Sicut se habent diversi gradus rerum ad perfectionem universi; sic se habent diversi gradus gratiæ ad perfectionem, et decorem Ecclesiæ. Sed causa prima diversitatis gradus rerum est Deus, ut universum sit perfectum. Ergo causa diversitatis graduum gratiæ in diversis membris Ecclesiæ est Deus, ut ex hac diversitate graduum Ecclesiæ pulchritudo consurgat.

Et confirmatur authoritate Apost. ad Eph. 4. citata.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. maior. Ad prob. dicitur, quod divina dilectio, quam Deus de omnibus curam habet, potest considerari dupliciter. Uno modo, quantum ad ipsum divinum actum, qui est simplex, et uniformis. Alio modo, quantum ad ea, quæ

in creaturis ex divina dilectione, et cura proveniunt. Si consideretur primo modo, æqualiter se habet ejus dilectio, et cura ad omnes: quia scilicet Deus uno actu simplici, et maiora, et minora dispensat. Si vero consideretur secundo modo, invenitur in divina cura, et dilectione inæqualitas, in quantum scilicet Deus sua cura quibusdam maiora, et quibusdam minora dona dispensat.

Ad 2. Dicitur, quod probat primam conclusionem; concludit enim quod gratia ex parte finis, seu objecti, non suscipiat magis, et minus: non enim potest gratia secundum hoc esse maior, vel minor, quia ad maius, vel minus bonum ordinet. Sed est maior, vel minor ex eo quod magis, vel minus ordinat ad idem bonum, magis, vel minus participandum. Quamvis igitur gratia sit in summo, quatenus summo bono conjungit tamen potest esse maior, vel minor secundum participationem subjecti, et ipsa gratia, et etiam finalis gloria.

Ad 3. Neg. Conseq. Ad probationem dicitur, quod non est eadem ratio de vita naturali, et de vita gratiæ. Vita enim naturalis pertinet ad substantiam hominis: et quia substantia non suscipit magis, et minus, ideo vita naturalis non est maior in uno, quam in alio. Gratia autem est vita, quam participat homo accidentaliter, et ideo eam potest magis, vel minus habere.

ARTICULUS V.

Utrum homo possit scire se habere gratiam.

Pro affirmativa.=Videtur quod homo possit scire se habere gratiam.

1. Illud, quod est in anima per sui essentiam, potest ab eo, in quo est certissime sciri. Sed gratia est in anima per sui essentiam. Ergo gratia potest ab eo, in quo est, certissime cognosci.

Maior prob., quia certissima cognitio animæ est eorum, quæ sunt in anima per sui essentiam, ut Aug. dicit 12. super Gen. ad lit. c. 25.

2. Qui accipit scientiam á Deo, scit se scientiam habere, secundum illud Sap. 7. «Dominus dedit mihi horum, quæ «sunt, veram scientiam.» Ergo pari ratione, qui accipit gratiam á Deo, scit se gratiam habere.

Gonseq. prob., quia sicut scientia est donum Dei, ita et gratia.

3. Peccatum quod est spiritualis tenebra, per certitudinem potest sciri ab eo, qui habet peccatum. Ergo multo magis gratia, quæ est spirituale lumen.

Conseq. prob., quia lumen est magis cognoscibile, quam tenebra, secundum illud ad Ephes. 5. *Omne quod manifestatur, lumen est.*

4. Dona Dei cognoscuntur ab eo qui ea recipit. Sed gratia est primum donum Dei. Ergo homo, qui habet gratiam, potest certo cognoscere, se eam habere.

Maior prob., quia 1. Cor. 2. dicitur: «Nos autem non spiritum hujus mundi «accepimus; sed spiritum, qui á Deo est, «ut sciamus quæ á Deo donata sunt in «nobis.»

5. Genes. 22. Ex persona Domini dicitur ad Abraham. «Nunc cognovi quod «timeas Dominum,» idest «cognoscere te «feci:» loquitur autem ibi de timore casto, qui non est sine gratia. Ergo homo potest cognoscere se habere gratiam.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

«Nemo, potest scire, utrum sit dig«nus amore vel odio,» ut dicitur Eccles. 9. Sed gratia gratum faciens facit hominem dignum Dei amore. Ergo gratiam gratum facientem nullus potest scire se habere.

Determinatio.

Distinctio. Tripliciter aliquid cognosci potest. Uno modo, per revelationem. Alio modo, per seipsum certitudinaliter. Tertio modo conjecturaliter per aliqua signa. Unde aliquem scire se habere gratiam, hoc triplici modo potest intelligi, scilicet per revelationem, per

seipsum certitudinaliter, et per seipsum conjecturaliter.

1.ª Conclusio. Aliquis potest scire se habere gratiam per revelationem.

Manifestatur. Deus enim revelat hoc aliquibus ex speciali privilegio, ut securitatis gaudium, etiam in hac vita in eis incipiat, et confidentius, et fortius magnifica opera prosequantur, et mala præsentis vitæ sustineant. Quod privilegium concessum fuit Paulo, cui dictum est. 2. Cor. 12. *sufficit tibi gratia mea.*

2.ª Conclusio. Nullus potest per seipsum certitudinaliter scire se habere gratiam.

Prob. Illud, cuius principium est nobis ignotum, non potest á nobis certitudinaliter cognosci. Sed principium gratiæ est nobis ignotum. Ergo nullus potest certitudinaliter cognoscere se habere gratiam.

Maior manifestatur, quia certitudo non potest haberi de aliquo, nisi possit dijudicari per proprium principium. Sic enim habetur certitudo de conclusionibus demonstrativis, per indemonstrabilia universalia principia: et nullus posset scire se habere scientiam alicuius conclusionis, si principium ignoraret.

Minor probatur, quia principium gratiæ, et objectum est ipse Deus, qui propter sui excellentiam est nobis ignotus, secundum illud Job. 36. «Ecce Deus «magnus vincens scientiam nostram.» Et propterea Dei præsentia, et absentia in nobis per certitudinem cognosci non potest secundum illud Job. 9. «Si venerit «ad me, non videbo eum, et si abierit, «non intelligam.» Et ideo homo non potest per certitudinem judicare se habere gratiam, secundum illud Apostoli 1. Corinth. 4. «Sed neque meipsum judico; qui autem judicat me, Dominus est.

3.ª Conclusio. Homo potest conjecturaliter per aliqua signa cognoscere se habere gratiam.

Manifestatur, quia quando homo percipit se delectari in Deo, et contemnere res mundanas, et iterum non est sibi conscius alicuius peccati mortalis, potest conjecturare se habere gratiam. Secundum quem modum potest intelligi illud quod habetur Apoc. 1. «Vincenti dabo manna absconditum quod nemo novit, nisi qui accipit,» quia scilicet ille *qui accipit gratiam*, per quamdam experientiam dulcedinis novit, quam non experitur ille qui non accipit.

4.ª Conclusio. Cognitio conjecturalis, qua aliquis scit se habere gratiam, est imperfecta.

Manifestatur, quia Apost. Chorinth. 4. dicit «nihil mihi conscius sum, sed «non in hoc justificatus sum:» et Psal. 18. dicitur, «delicta quis intelligit? ab «occultis meis munda me Domine, et ab «alienis parce servo tuo.»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod aliquid esse in anima per sui essentiam, potest dupliciter intelligi. Uno modo, ut sit in anima in ratione objecti. Alio modo, ut sit in anima in ratione principii alicuius actus. Lapis enim est in anima in ratione objecti: species vero lapidis est in anima in ratione principii actus cognoscendi: similem doctrinam habes 1. p. q. 87. art. 2. ad 2.

Quod igitur est in anima primo modo, certissime cognoscitur ab eo, in quo est. Quod vero est tantum secundo modo, non cognoscitur, nisi per suos actus, quorum est principium: quod si similes actus ab alio principio provenire possint non poterit quis cognoscere, se habere illum habitum, nisi secundum aliqualem conjecturam.

Tunc ad minorem dicitur, quod gratia est in anima, non in ratione objecti, sed in ratione habitus, quatenus scilicet est principium bonarum operationum. Et ideo gratia non potest secundum seipsam cognosci, sed per suos actus.

Sed quia similes actus possunt etiam ex naturalibus principiis, puta ex acquisitis virtutibus provenire, propterea ex

hujusmodi actibus non potest quis certo scire se habere gratiam. Actus enim faciendi eleemosynam, potest esse actus charitatis, et etiam actus liberalitatis: et simile est de actibus aliarum virtutum. Unde ex hujusmodi actibus non potest quis certo cognoscere se habere gratiam.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod non est eadem ratio de scientia, et gratia. De ratione enim scientiae est, quod homo certitudinem habeat de his, quorum scientiam habet et similiter de ratione fidei est, quod homo sit certus de his quorum habet fidem, et hoc ideo, quia certitudo pertinet ad perfectionem intellectus, in quo praedicta dona existunt, et ideo quicumque habet scientiam, vel fidem, certus est, se habere illa. Gratia vero, et charitas perficiunt appetitum, de cujus ratione non est certitudo, et ideo non potest quis certo scire, se habere hujusmodi habitus.

Ad 3. Dicitur ad antecedens, quod licet peccatum sit spiritualis tenebra, tamen habet pro objecto bonum commutabile quod est nobis notum. Gratia vero licet sit spiritualis lux; tamen quia habet pro objecto bonum incommutabile, quod ratione immensitatis luminis est nobis ignotum, secundum illud 1. Timoth. ult. *Lucem habitat inaccessibilem.* Unde negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod tenebra minus cognoscitur, quam lux, cæteris paribus. Quod non est in proposito: nam peccatum est tenebra quidem secundum se, sed ejus objectum est nobis notum. Gratia vero est lux, sed innaccessibilis.

Ad 4. Dicitur dupliciter. Primo quod dona Dei sunt duplicia, scilicet gratiæ, et gloriae. Ad maiorem dicitur, quod est vera de donis gloriae, quae nobis dantur in spe, et certissime ea cognoscimus per fidem: non autem est vera de donis gratiae: non enim possumus habere certitudinem, nos habere gratiam, per quam possimus gloriam promereri.

Ad probationem dicitur, quod Apostolus loquitur de donis gloriae, non autem de dono gratiae.

Vel dicitur secundo ad eamdem prob. quod Apost. loquitur de notitia, quae est ex privilegio per revelationem, per quam certo cognoscere possumus nos habere gratiam, ut in conclusione prima dictum est. Quod innuens Apost. subdit ibidem: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum Sanctum.*

Ad 5. Dicitur primo, quod illud verbum Abrahae dictum, potest referri ad notitiam experimentalem, quae est per exhibitionem operis. In opere enim illo quod fecerat Abraham, cognoscere potuit experimentaliter se Dei timorem habere. Vel potest hoc etiam ad revelationem referri, ut sit sensus. Nunc te cognoscere feci per meam revelationem, etc.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 112.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Albanensium* dicentium: quod homo potest ex se dare Spiritum Sanctum. Et *Arnoldi* dicentis, quod humana natura á Deo Verbo assumpta, est æqualis Deo in omnibus bonis suis: adeo, ut tanta sit humanitas Christi, quanta est ejus divinitas, et tantumdem possit, et valeat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á dictis in 1. q. 43. a. 8. Eluci. et 3. qu. 2. artic. 6. et ab Additionibus art. num. 389. Item á Concil. *Arausicano* canon. 22. "Nemo habet de suo, nisi mendacium, et peccatum. Si quis autem homo, habet veritatem, atque justitiam, ab illo

fonte est, quem debemus sitire in hac eremo; ut ex hoc, quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via. » Nota ly *de suo* contra hæresim illam *primam* dicentem ly *ex se*. Item ab eod. can. 17. " Fortitudinem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, nullis meritis gratiam prævenientibus. » Homo igitur secundum Concilium, nec Spiritum Sanctum, nec charitatem, nec gratiam dat; immo, nec homo sic gratiam sibi dari meretur. Item á Job. 14. " Quis potest facere mundum de immundo? Nonne tu, qui solus es? » Tu scilicet effective; per gratiam formaliter, q. 110. a. 1. ad 1. Item á sexta synodo Generali *Contantinopolitana* actione 4. " De misterio admirandæ ejus secundum carnem dispensationis confitemur: omnia duplicia unius, ejusdemque Domini nostri Jesu Christi secundum Evangelicam traditionem, asserimus, idest duas ejus naturas, divinam scilicet, et humanam, et unamquamque ejus naturam, proprietatem naturalem habere, et divinam habere omnia, quæ divina sunt et humanam habere omnia, quæ humana sunt, absque ullo peccato. Et utrasque unius ejusdemque Dei Verbi Incarnati inconfuse, inseparabiliter, immutabiliter esse cognoscimus. Ita et duas naturales voluntates, et operationes, divinam scilicet et humanam: divinam quidem voluntatem, et operationem habere ab æterno cum coessentiali Patre communem: humanam autem temporaliter ex nobis, cum nostra natura susceptam. Et infra recit. verba Magni Leonis Papæ. Agit utraque forma, cum alterius communione, quod proprium est: Verbo scilicet operante, quod verbi est, et carne exequente, quod carnis est, etc. Et sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recedit: ita caro naturam nostri generis non relinquit. At vero illa ad divinam naturam pertinere dicuntur, scilicet sicut Pater suscitat mortuos, ita dedit et Filio, et c. Et illud: Nemo potest cognoscere Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Ad humanam autem illa; Nolebat per Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere. Et illud: caro autem infirma. Et illud David in persona Christi: Ut faciam voluntatem tuam. Deus meus volui. Et illud, voluntarie sacrificabo tibi. » Hæc ibi ex epistola *Agathonis* Papæ: quæ summo consensu ab ipsa synodo acceptata est. act. 6. anathematizando contraria sentientes. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Lutheri* (ut refert Joan. Roffensis Episcopus in lib. *Assertionis Lutheranæ confutatio, ar.* 36.) dicentis: quod figmenta sunt omnia, quæ de præparatione liberi arbitrii dicuntur. Nam (ut inquit) liberum arbitrium, dum facit, quod in se est, peccat mortaliter: et quanto magis nititur præparare se ad gratiam, tanto gravius peccat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc cum suis infestis radicibus merito damnari á Zachar. 1. et Joel. 1. «Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.» Item á Prov. 1. " Hominis est præparare animum. » Et a 1. Regum 7. " Præparate corda vestra Domino, et servite illi soli: et liberabit vos de manu Philisthiim. » Si enim præparatio hominis ad serviendum Domino esset peccatum: neque Dominus, neque Samuel propheta Domini invitaret nos ad hoc, ut præparemus corda, et convertamur. Adde, quod tunc Dominus non diceret vicissim ly *et ego convertar ad vos*, sed diceret, et ego avertar á vobis: nec in praemium dixisset Samuel ad populum ly *et liberabit vos de manu Philisthiim:* sed dixisset, et tradet vos in manu Philisthiim. Item damnatur á *Leone* 10. in bulla contra errores *Lutheri*. Item á dictis pri. par. articulorum num. 255. 412. 569. cum Elucidat. et ab Addition. articulorum num. 43. cum Eluc. et á veritatibus aureis super totam legem veterem, Exod. 1. concl. 3. et cap. 2. conc. 1. Item á multis Sanctis Doctoribus, quorum dicta recitata vide in D. Roffense lib. et loco praenotatis. Item á Conc. Trid. sess. 6. c. 5. 6. 13. ut supra in exam. resp. ad 2. vid. et can. 7. " Si quis dixerit: opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vera esse peccata, vel odium Dei mereri, aut, quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit. Et can. 9. Si quis dixerit: sola fide impium justificari, ita ut

intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse, eum suae voluntatis motu praeparari, atque disponi: anathema sit. » *Tertio* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo* : quomodo per rationem ostendas, et recte intelligas, merito á scripturis, et concilio insinuatum, quod ad gratiam praeparanti se, quantum ex libero arbitrio solum pendet, non ex necessitate datur gratia. A scripturis quidem, Hierem. 18. secundum quod cum discursu applicatur *in arg. cont.* A concilio vero *Arausicano* can. 6. " Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, et pulsantibus nobis misericordiam djcit conferri; non autem divinitus, ut credamus, velimus, vel haec omnia, sicut oportet, agere valeamus per infusionem, et inspirationem Spiritus Sancti in nobis fieri confitetur: aut humilitati, et obedientiae humanae subjungit gratiae adjutorium: nec ut sit obediens, et humilis ipsius gratiae donum esse consentit: hic resistit Apostolo dicenti; Quid habes, quod non accepisti? Et gratia Dei sum id, quod sum. » Ex concilio igitur hoc constat, quod nunc datur nobis misericordia, quia nos, ut ex nobis, pulsamus, sed quia nos, ut moti ad hoc á Deo, pulsamus. Nec donum Dei confertur nobis, quia nos humiles, vel obedientes, ut ex nostro arbitrio sumus: sed quia nos, ut á Deo sic per auxilium gratuitum monente, humiles, et obedientes sumus. Item á concilio *Tridentino* sess. 6. canon. 3. " Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: anathema sit. » *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, et recte intelligas, merito esse insinuatum á scripturis, et concilio, quod gratia gratum faciens potest esse major in uno, quam in alio. A scripturis quidem, ut Ephes. 4. secundum quod cum discursu est *in arg. cont.* Item per illud dictum Joan. 21. *Simon diligis me plus his?* Ibi enim agitur de dilectione charitatis, quæ procedit á gratia gratum faciente. Dum ergo Dominus subindicat, quod charitatis dilectio potest esse major in uno, quam in alio: simul demonstrat, quod radix prima, idest gratia gratum faciens potest major in uno esse, quam in alio. A concilio autem *Tridentino* sess. 6. cap. 7. " vere justi nominamur, et sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult : et secundum propriam cujusque dispositionem, et cooperationem. » Ubi et vides illas duas rationes, quas probatio conclusionis explicabat. *Secundo* vides : quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis, doctrina præsens, etc.

Ex art. 5. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Lutheri*, dicentis: quod omnis homo scit se habere gratiam, et est certus de sua justitia. Et hæresim *Melancthonis* dicentis, quod in gratia se esse quilibet est obligatus ad credendum. Et hæresim *Buceri* dicentis: quod homines debent credere, gratos se esse Deo per Christum, quantumlibet impure, et scelerate vivant. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari á Job 9. 36. et 1. Corinth. 4. ut est in corpore. Item ab Eccl. 9. ut *in arg. cont.* Advertendo tamen, quod loquendo pro futuro tempore mortis currunt de pari ignorantia, utrum quis amore dignus sit, et ignorantia, utrum odio dignus sit, idest, utrum quis in gratia, vel peccato mortali sit pariter moriturus, sed loquendo pro præsenti tempore non currunt de pari: cum de odio quis possit certitudinaliter scire, utrum dignus sit, ut dic. resp. ad *tertium*, et de gratia remaneat adhuc ignorantia, quod nemo scit, utrum amore dignus sit. Item merito damnari á dictis in Addit. ar. nu. 56. Eluc. Item á veritatibus aureis super legem veterem, Gen. 17. conc. 5. Item Lev. 11. conc. 6. et cap. 16. conc. 4. Item Num. 20. conc. 4. et Deuter. 29. conc. 5. Item á concil. Trid. sess. 6. c. 9. " Sicut nemo plus de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute, et efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem, et indispositionem respicit, de sua gratia formidare, et timere potest. Cum

nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. » Ex hac tamen nulli, ut aliqui mentiuntur, neque datur occasio desperandi, aut remissius bene agendi, neque desperandum est, neque remissius bene agendum. Unde idem conc. loquens de scientia perseverantiæ cavillum prædictum, á simili totaliter eradicat, dum can. 13. ait. " Nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur: tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, et reponere omnes debent. Et infra. Verumtamen qui se existimant stare, videant, ne cadant : et cum timore, et tremore suam salutem operentur in laboribus, vigiliis, eleemosynis, orationibus, obsecrationibus, jejuniis, et castitate. Formidare enim debent, » etc. Item merito damnari ab eodem ibi. can. 13. " Si quis dixerit: omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut certo credat, absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis, et indispositionis, peccata sibi esse remissa: anathema sit. Et can. 14. Si quis dixerit: hominem á peccatis absolvi, ac justificari ex eo, quod se obsolvi, ac justificari certo credat: aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credit, se esse justificatum: et hac sola fide absolutionem, et justificationem perficit: anathema sit. » Ubi patet, concilium semper tendere, et ad illam temerariam præsumptionem destruendam, scilicet, quod aliquis certo scire possit, se habere gratiam, et ad confirmandam veritatem appositam á sese in cap. 9. præmissam, in fin. ut nunc sup. adductum est. *Tertio* vides: etc.

QUÆSTIO CENTESIMA DECIMA TERTIA,

DE EFFECTIBUS GRATIÆ, IN DECEM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de effectibus gratiæ. Et *primo* de justificatione impii, quæ est effectus gratiæ operantis. *Secundo* de merito, quod est effectus gratiæ cooperantis.

Et circa hoc quæruntur decem.

Primo, utrum sit justificatio impii.
Secundo, utrum ad eam requiratur gratiæ infusio.
Tertio, utrum ad eam requiratur aliquis motus liberi arbitrii.
Quarto, utrum ad justificationem impii requiratur motus fidei.
Quinto, utrum ad eam requiratur motus liberi arbitrii contra peccatum.
Sexto, utrum præmissis sit connumeranda remissio peccatorum.
Septimo, utrum in justificatione impii sit ordo temporis, aut sit subito.
Octavo, de naturali ordine eorum, quæ ad justificationem concurrunt.
Nono, utrum justificatio impii sit maximum opus Dei.
Decimo, utrum justificatio impii sit miraculosa.

ARTICULUS I.

Utrum justificatio impii sit remissio peccatorum.

Pro negativa. = Videtur quod justificatio impii, non sit remissio peccatorum.

1. Illud quod significat motum non solum ad justitiam, sed etiam ad omnes alias virtutes, non est justificatio. Sed remissio peccatorum est motus quidam non solum ad justitiam, sed etiam ad omnes alias virtutes. Ergo remissio peccatorum non debet dici justificatio.

Maior prob., quia justificatio significat tantum motum ad justitiam, unde illud quod significat motum etiam ad alias virtutes, non debet dici justificatio.

Minor prob. Peccatum opponitur non solum justitiæ, sed etiam omnibus aliis virtutibus, ut dictum est quæst. 71. art. 1. Ergo remissio peccatorum non est so-

lum motus ad justitiam, sed ad omnes alias virtutes.

Conseq. hæc prob., quia motus est de contrario in contrarium. Unde remissio peccati quod erit contra charitatem, erit motus ad charitatem, et remissio peccati imprudentiæ, erit motus ad prudentiam, et sic de aliis. Non igitur omnis peccatorum remissio, justificatio dici debet.

2. Remissio peccatorum præcipue fit per fidem et charitatem. Ergo remissio peccatorum magis debet denominari á fide, et charitate, quam á justitia.

Antecedens prob., quia Act. 15. dicitur: *Fide purificans corda eorum.* Et Prov. 10. dicitur: *Universa delicta operit charitas.*

Conseq. prob., quia unumquodque debet nominari ab eo, quod est potissimum in ipso, ut dicitur 2. de Anima. tex. 49.

3. Quod præcedit justificationem, non est justificatio. Sed remissio peccatorum præcedit justificationem. Ergo remissio peccatorum non est justificatio.

Minor prob. Vocatio præcedit justificationem. Sed remissio peccatorum idem esse videtur, quod vocatio. Ergo remissio peccatorum præcedit justificationem.

Maior hujus prob., quia Rom. 8. dicitur: *Quos vocavit, hos et justificavit.*

Minor hujus prob. Deus enim vocare dicitur eum, qui ab ipso distat per peccatum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Super illud Rom. 8. *Quos vocavit, hos et justificavit*, dicit Glos. interlin. *Remissione peccatorum.* Ergo remissio peccatorum est justificatio.

Determinatio.

1.ª *Distinctio.* Justificatio potest accipi dupliciter: uno modo active; alio modo passive. Justificatio active significat motum ad justitiam secundum quod est á justificante. Justificatio passive accepta significat motum ejus qui justificatur qui terminatur ad justitiam. Sicut calefactio hoc duplici modo accipi potest, scilicet active, et sic est motus ad calorem, secundum quod exit á calefaciente: et passive, et sic significat motum calefactibilis, ut terminatur ad calorem. Hic est sermo de justificatione passive accepta, quæ significat motum ad justitiam.

2.ª *Distinctio.* Justitia cum importet quamdam rectitudinem, dupliciter accipi potest. Uno modo proprie: alio modo metaphorice. Justitia proprie accepta est, quæ importat ordinem in ipso actu hominis, et secundum hoc justitia est quædam virtus, quæ etiam est duplex: est enim quædam virtus justitiæ, quæ importat rectitudinem in actu hominis per comparationem ad alium singularem hominem, et dicitur justitia particularis. Et est virtus distincta contra alias virtutes cardinales. Quædam vero ordinat actus hominis in comparatione ab bonum commune, et hæc dicitur justitia legalis de qua dictum est in quæst. 90. Justitia vero metaphorice accepta est, quæ importat rectitudinem quamdam ordinis in ipsa interiori dispositione hominis, prout scilicet supremum hominis subditur Deo, et inferiores animæ vires subduntur supremæ scilicet rationi, quam dispositionem Phil. 5. Ethic. c. ult. vocat *justitiam metaphorice.*

Breviter igitur colligendo membra hujus distinctionis dicitur, quod justitia tripliciter accipitur.

Primo, ut significat rectitudinem actus humani in ordine ad alium singularem hominem: et sic justitia est virtus specialis, una ex quatuor cardinalibus.

Secundo, ut est directiva actuum humanorum in ordine ad bonum commune: et hæc dicitur justitia legalis.

Tertio, ut significat rectitudinem dispositionis interioris, scilicet subjectionem rationis ad Deum, et virium inferiorum ad rationem, et hanc justitiam faciebat

justitia originalis in statu innocentiæ, et eamdem facit gratia post peccatum, licet non omnino eodem modo, ut superius dictum est. Quando igitur quæritur, utrum justificatio impii sit remissio peccatorum, non est sermo de justificatione active accepta, sed passive. Non secundum quod significat motum ad justitiam proprie dictam, sive ut est virtus, sive ut est legalis, cum acquisitio justitiæ sic acceptæ possit fieri absque aliqua peccatorum remissione: potest enim quis justo pretio vendere, et reddere unicuique suum, et etiam servare legem, ordinando actus suos ad commune bonum, absque aliqua peccatorum remissione. Sed est sermo de justitia metaphorice dicta, et est sensus an motus ad justitiam, quæ significat rectam interiorem dispositionem, dicatur remissio peccatorum.

3.ª *Distinctio.* Sed adhuc est sciendum quod quis potest moveri ad hanc interiorem justitiam dupliciter. Primo, per modum simplicis generationis. Alio modo, secundum rationem motus.

Ad intelligentiam hujus distinctionis est considerandum quod ut dicit Phil. 5. Phys. hæc est differentia inter simplicem mutationem et motum, quod simplex mutatio est de non subjecto in subjectum, idest de privatione ad habitum, motus vero est de contrario in contrarium. Sicut sanatio quæ significat motum ad sanitatem, potest dupliciter fieri. Uno modo per modum simplicis mutationis, et sic primus homo, quando fuit creatus á Deo, assecutus est sanitatem, non per motum, ut scilicet prius fuerit infirmus, et postea factus sit sanus: sed factus est sanus in sui productione.

Alio modo potest quis moveri ad sanitatem ex infirmitate, ut communiter videmus in his qui prius fuerunt infirmi. Sic in proposito quis potest fieri justus dupliciter.

Uno modo per modum simplicis mutationis: et hoc modo justitia potest competere etiam ei, qui non fuit in peccato, et sic Adam accepit á Deo originalem justitiam.

Alio modo secundum rationem motus: et sic significat transmutationem quamdam de statu injustitiæ ad statum justitiæ. In hoc quæsito non est sermo de justificatione, quæ est secundum rationem simplicis mutationis; hæc enim fieri potest absque aliqua peccatorum remissione, ut patuit in Adam; sed est sermo de justificatione, quæ significat motum á statu injustitiæ ad statum justitiæ, de qua Apost. Rom. 4. dicit: *Ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium*, etc.

Conclusio. Remissio peccatorum convenienter justificatio denominatur.

Prob. Motus, qui est á statu injustitiæ, ad statum justitiæ, convenienter dicitur justificatio. Sed remissio peccatorum est quidam motus, et transitus á statu injustitiæ ad statum justitiæ. Ergo remissio peccatorum convenienter dicitur justificatio.

Maior prob., quia motus magis denominatur á termino ad quem, quam á termino á quo: cum igitur terminus ad quem proceditur in remissione peccatorum, sit justitia, potius debet denominari á justitia, quam á peccato.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod justitia duplex est, scilicet proprie dicta, et metaphorice dicta. Justitia proprie dicta est particularis virtus: justitia vero metaphorice dicta non est virtus, sed recta interior dispositio, ut scilicet ratio Deo subdatur, et vires inferiores subdantur rationi, quam rectam dispositionem concomitantur omnes virtutes. Justificatio igitur non est motus ad justitiam proprie dictam, nec ad aliquam aliam virtutem, ut sic; sed ad justitiam, quæ est interior hominis recta dispositio.

Ad formam igitur argumenti negatur minor. Justificatio enim primo, et per se non est motus ad aliquam particula-

rem virtutem, sed ad rectam interiorem dispositionem.

Ad prob. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod peccatum considerari potest dupliciter: uno modo, ut opponitur particulari virtuti: alio modo, ut opponitur rectæ dispositioni interiori. Puta peccatum intemperantiæ consideratur, ut opponitur virtuti temperantiæ, et ut pervertit ordinem rationis, in hoc quod subtrahit inferiores vires ab ordine rationis. Peccatum igitur non est terminus á quo justificationis, quatenus est oppositum particulari virtute, sed solum quatenus adversatur interiori ordini, secundum quam considerationem peccatum dicitur iniquitas juxta illud Jo. 1. c. 3. *Omnis qui facit peccatum, iniquitatem facit.*

Ad 2. Dicitur ad antecedens, quod licet remissio peccatorum fiat per fidem, tamquam per principium, et fundamentum justificationis, et per charitatem, quatenus conjungitur per ipsam homo secundum affectum Deo: tamen terminus per se justificationis est rectitudo interioris ordinis. Non enim omnia vitia opponuntur directe fidei, vel charitati, et tamen omnia opponuntur illi rectæ dispositioni. Unde simpliciter negatur ipsum antec.

Ad prob. dicitur, quod fides et charitas significant specialem ordinem ad Deum, justitia vero generalem ordinem dicit, et ideo ab ipsa debet denominari motus, qui est á vitio ad virtutem.

Ad 3. Neg. minor. Ad prob. etiam neg. minor. Ad cujus prob. dicitur, quod vocatio est auxilium Dei interius moventis, et excitantis mentem ad deserendum peccatum, quæ quidem Dei motio non est ipsa remissio peccati, nec justificatio sed causa ejus; est enim dispositio ad justificationem, ut dictum est.

ARTICULUS II.

Utrum ad remissionem culpæ, quæ est justificatio impii, requiratur gratiæ infusio.

Pro negativa.=Videtur quod ad remissionem culpæ, quæ est justificatio impii, non requiratur gratiæ infusio.

1. Motus qui est inter contraria mediata, potest esse ab uno extremo, absque hoc quod perveniatur ad aliud extremum. Sed justificatio est quidam motus inter duo contraria, scilicet á peccato ad gratiam, quæ sunt contraria mediata. Ergo potest peccator á peccato recedere, et tamen non pervenire ad gratiæ receptionem.

Minor prob., quia inter statum peccati et gratiæ datur status innocentiæ, in quo homo non habet gratiam, nec peccatum.

2. Illud ad quod requiritur gratiæ infusio ponit aliquid in nobis. Sed remissio peccatorum non ponit aliquid in nobis. Ergo ad remissionem peccatorum non requiritur gratiæ infusio.

Maior prob., quia gratia ponit aliquid in nobis, ut dictum est quæst. 110. 1. ad 3.

Minor prob., quia remissio culpæ consistit in reputatione divina, juxta illud Psal. 31. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.*

3. Ei qui ex prodigo fit illiberalis, remittitur peccatum prodigalitatis, manente peccato illiberalitatis. Ergo remissio peccati potest fieri sine gratia.

Antec. prob. Nullus potest subjici simul duobus contrariis. Sed peccata prodigalitatis, et illiberalitatis sunt contraria. Ergo idem non potest utrique peccato subjici. Unde si ex prodigo factus est illiberalis, dimissum est sibi peccatum prodigalitatis, et tamen non es consecutus gratiam, cum sit sub peccato illiberalitatis.

PRO AFFIRMATITA.

Argumentum sed contra.

Rom. 3. Dicitur. *Justificati gratis per gratiam ipsius.*

Determinatio.

Conclusio. Ad remissionem culpæ, quæ est justificatio, requiritur gratiæ infusio.

Prob. Ad illud quod fit per hoc quod Deus offensus pacatur homini, qui ipsum Deum offendit, requiritur gratiæ infusio. Sed peccatorum remissio, sive justificatio fit per hoc quod Deus offensus pacatur homini offendenti. Ergo ad remissionem peccatorum, quæ est justificatio, requiritur gratiæ infusio.

Maior manifestatur. Quia per hoc quod Deus homini peccatori pacatur, confertur ipsi homini effectus divinæ dilectionis, qui per peccatum ablatus fuerat. Quamvis enim dilectio divina, in qua pax cum Deo consistit, ex parte divini actus sit æterna, et immutabilis; quantum tamen ad effectum, quem in nobis imprimit, quandoque interrumpitur, prout ab ipso peccando deficimus, et quandoque recuperamus. Effectus autem dilectionis, qui á nobis per peccatum excluditur, est gratia, et ideo non potest intelligi, ut fiat remissio culpæ, absque infusione gratiæ.

Minor prob., quia offensa non remittitur alicui, nisi per hoc quod animus offensi, pacatur offendenti. Per hoc igitur peccatum nobis remitti dicitur, quod Deus nobis pacatur.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Status enim peccati, et gratiæ sunt contraria immediata, ita ut necessarium sit homini, qui jam peccavit, esse in uno, vel in altero, nec potest dari medium.

Ad prob. dicitur, quod plus requiritur ad hoc, ut offendenti remittatur offensa, quam ad hoc, quod simpliciter aliquis non offendens, non habeatur odio. Potest enim apud homines contingere, quod unus homo non odiat, nec diligat aliquem alium: sed si eum offendat quod ei dimittat offensam, non contingit absque speciali benevolentia. Sic etiam si homo non peccasset, potuisset sine gratia, et sine culpa esse: tunc enim status innocentiæ fuisset medius. Sed post peccatum non potest esse homo sine culpa, vel si Deus dimittat sibi culpam, per specialem dilectionem hoc fit, quæ specialis Dei benevolentia per gratiam recuperatur. Et unico verbo dicitur ad prob. quod licet ante peccatum in statu naturæ integræ, potuisset homo esse sine gratia; et sine culpa, post peccatum tamen primi parentis, vel est in statu culpæ, vel in statu gratiæ.

Ad 2. Negatur minor. Ad prob. dicitur, quod sicut dilectio Dei non solum consistit in actu voluntatis divinæ, sed etiam importat quemdam gratiæ effectum, ut dictum est q. 110. art. 1. ita etiam hoc quod est Deum non imputare peccatum homini, importat quemdam effectum in ipso, cui peccatum non imputatur: quod enim alicui peccatum non imputetur, procedit ex divina Dei dilectione, quæ in nobis est gratia.

Ad 3. Negatur maior. Ei enim, qui transit ex uno peccato in aliud contrarium peccatum, non remittitur ei primum peccatum, sed manet, non quidem quoad actum; transit enim quoad actum: sed remanet secundum reatum: *Non enim idem est desistere á peccato, et non habere peccatum*, ut Aug. dicit lib. 1. de nup. cap. 26. Et propter hoc Spiritus Sanctus monet ut abstineamus á peccato dicens. *Fili, peccasti, non adjicias iterum*, sed subdit, «et de pristinis deprecare» remanet igitur post actum peccati reatus. Ad prob. dicitur, quod nullus potest simul subdi peccatis contrariis secundum actum, potest tamen simul subdi reatibus contrariorum peccatorum, qui reatus, cum conveniant peccato ex parte aversionis non contrariantur ad invicem. Qui igitur ex prodigo fit illiberalis, subjicitur reatui prodigalitatis, et actui, et reatui illiberalitatis, et sic nullum peccatum remittitur sine gratia.

ARTICULUS III.

Utrum ad justificationem impii requiratur motus liberi arbitrii.

Pro negativa.=Videtur quod ad justificationem impii non requiratur motus liberi arbitrii.

1. Per Sacramentum baptismi justificantur pueri absque motu liberi arbitrii, et interdum adulti. Ergo Deus potest etiam sine Sacramentis hominem absque motu liberi arbitrii justificare.

Antecedens prob. Et de pueris quidem manifestum est: cum enim careant usu liberi arbitrii, baptizati justificantur. De adultis vero: quia Aug. refert in lib. 4. conf. c. 4. quod cum quidam suus amicus laboraret febribus, «jacuit diu «sine sensu in sudore letali, et dum des«peraretur, baptizatus est, nesciens, et «renatus est,» quod fit per gratiam justificantem.

Conseq. probatur, quia Deus non alligavit suam virtutem Sacramentis, unde quod Deus cum Sacramentis facit, potest sine ipsis facere.

2. Homo absque aliquo motu liberi arbitrii potest consequi á Deo donum sapientiæ. Ergo homo absque motu liberi arbitrii pari ratione potest consequi á Deo donum gratiæ justificantis.

Antec. prob., quia Salomon in somno, quando usus rationis non habetur, nec motus liberi arbitrii consecutus est á Deo donum sapientiæ, ut patet 3. Reg. 3. et 2. Paral. 1.

3. Absque motu liberi arbitrii gratia in homine conservatur. Ergo absque motu liberi arbitrii potest quis gratiam consequi.

Conseq. probatur, quia per eamdem causam gratia producitur in esse, et conservatur. Dicitur enim Aug. 8. super Gen. ad lit. c. 10. quod ita se debet homo ad Deum convertere, ut ab illo semper fiat justus.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Discere, non est sine motu liberi arbitrii. Sed ad justificationem impii necessarium est ut justificandus discat, et sic ad Deum veniat. Ergo justificatio non est sine motu liberi arbitrii.

Maior prob., quia addiscens consentit docenti.

Minor prob., quia Joan. 6. dicitur: *omnis qui audit á Patre, et didiscit, venit ad me.*

Determinatio.

Conclusio. Ad justificationem impii requiritur motus liberi arbitrii, si tamen habeat liberi arbitrii usum.

Prob. Ad justificationem ejus qui est secundum suam naturam liberi arbitrii, sequiritur motus liberi arbitrii. Sed homo secundum suam naturam est liberi arbitrii. Ergo ad justificationem hominis habentis rationis usum, requiritur necessario motus liberi arbitrii.

Maior prob., Omnis motus creaturæ á Deo est secundum conditionem naturæ motæ. Sed justificatio est motus, quo Deus movet hominem ad justitiam. Ergo justificatio fit secundum conditionem naturæ ejus, qui justificatur: ita ut cum, qui justificatur, secundum suam naturam sit liberi arbitrii, necessario requiratur ad ejus justificationem liberi arbitrii motus.

Maior hujus probatur, quia Deus movet omnia secundum modum uniuscuiusque, sicut in naturalibus videmus. Aliter enim moventur gravia, et aliter levia per diversam ipsorum naturam.

Minor hujus prob., quia *Deus est qui justificat impium*, ut dicitur ad Rom. 3.

Aliter formatur hæc litera. Deus movet omnia secundum modum uniuscuiusque, et secundum quod requirit conditio naturæ motæ. Sed justificatio est motus, quo Deus movet ad justitiam hominem, qui secundum suam naturam est liberi arbitrii. Ergo ad justificationem impii requiritur usus liberi arbitrii.

Aliter. Homo secundum suam naturam est liberi arbitrii. Ergo ad justificationem hominis requiritur motus liberi arbitrii.

Conseq. prob., quia cum justificatio sit quædam divina motio quæ movet hominem ad justitiam, et Deus moveat semper secundum conditionem naturæ motæ; sequitur evidenter, quod natura

quæ est liberi arbitrii, non moveatur á Deo, nisi accedente motu liberi arbitrii, quod est moveri secundum quod convenit naturæ motæ. Deus igitur in justificatione ita movet hominem ad justitiam, et infundit donum gratiæ, quod etiam simul cum hoc movet liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptandum in his qui sunt hujus motionis capaces.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, in quo quia fit mentio de pueris et de adultis, ideo primo de pueris non habentibus rationis usum, dicitur quod cum careant usu liberi arbitrii, non requiritur ad eorum justificationem motus liberi arbitrii; sed justificantur á Deo per solam informationem animæ ipsorum, et hoc fit mediante sacramento, quia sicut peccatum originale á quo justificantur et mundantur, non propria voluntate ad eos pervenit, sed per carnalem originem, ita etiam per spiritualem regenerationem á Christo in eos gratia derivatur.

De adultis vero dicitur, quod si nunquam habuerunt rationis usum, ut sunt amentes, et furiosi á nativitate, de his est eadem ratio, sicut de pueris non habentibus usum liberi arbitrii, nec ad eorum justificationem requiritur motus liberi arbitrii, sed justificantur per simplicem informationem gratiæ.

Si vero aliquando habuerunt usum liberi arbitrii, sed ipsum postea per infirmitatem vel per somnum amiserunt, hi non consequuntur gratiam per aliquod sacramentum, nisi prius haberint sacramentum in proposito seu voto, quod sine motu liberi arbitrii non potest fieri. Et hoc modo ille de quo loquitur Augustinus, renatus est quia prius et postea baptismum acceptavit.

Ad 2. Dicitur tripliciter. Primo negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod Salomon non meruit sapientiam dormiendo, nec accepit, sed in somno declaratum est ei quod propter præcedens desiderium infunderetur ei á Deo sapientia. Unde ex ejus persona dicitur Sap. 7. *Optavi et datus est mihi sensus*, etc.

Dicitur secundo, negando etiam antecedens. Ad probationem dicitur, quod ille somnus Salomonis non fuit naturalis, sed somnus prophetiæ, secundum quod dicitur Num. 12. «Si quis fuerit inter «vos propheta Domini, per somnium aut «in visione loquar ad eum,» in quo casu aliquis usum liberi arbitrii habet.

Tertio, dicitur, negando consequentiam. Non enim sequitur, quod si haberi possit sapientia sine motu liberi arbitrii, quod possit pari ratione haberi gratia; non enim est eadem utriusque ratio: donum enim gratiæ justificantis præcipue ordinat hominem ad bonum; bonum autem est objectum voluntatis: et ideo ad ipsum movetur homo per motum voluntatis, qui est motus liberi arbitrii. Sapientia autem perficit intellectum qui præcedit voluntatem. Unde absque completo motu liberi arbitrii potest intellectus dono sapientiæ illuminari, sicut etiam videmus, quod in dormiendo aliqua hominibus revelantur, sicut dicitur Job. 33. «Quando irruit sopor super homi«nes, et dormiunt in lectulo, tunc aperit «aures virorum, et erudiens eos, instruit «disciplinam.»

Ad 3. Negatur consequentia. Non est enim eadem ratio de infusione et conservatione gratiæ: in infusione enim gratiæ justificantis est quædam humanæ animæ transmutatio, et ideo requiritur motus proprius animæ humanæ, ut anima moveatur secundum modum suum. Conservatio autem gratiæ est absque transmutatione: unde non requiritur aliquis motus ex parte animæ, sed sola continuatio divini influxus.

ARTICULUS IV.

Utrum ad justificationem impii requiratur motus fidei.

Pro negativa. = Videtur quod ad justificationem impii non requiratur motus fidei.

1. Homo justificatur non solum per fidem, sed etiam per quædam alia. Ergo ad justificationem non magis requiritur motus fidei, quam aliorum per quæ homo justificatur.

Antec. prob. Justificatur enim homo per timorem, secundum illud Eccl. 1. «Timor Domini expellit peccatum; «nam qui sine timore est, non poterit «justificari.» Justificatur per charitatem secundum illud Lucæ 7. «Dimissa sunt «ei peccata multa, quoniam dilexit mul«tum.» Justificatur per humilitatem, secundum illud Jacobi 4. «Deus superbis «resistit, humilibus autem dat gra«tiam. Et tandem justificatur homo per misericordiam, secundum illud Prov. 15. «Per misericordiam et fidem purgan«tur peccata.» Non magis igitur motus fidei quam motus harum virtutum requiritur ad justificationem.

Conseq. prob., quia ad justificationem ideo requiritur motus fidei, quia per fidem justificamur.

2. Homo potest cognoscere Deum, non solum per fidem, sed etiam aliis modis, scilicet per cognitionem naturalem et per donum sapientiæ. Ergo ad justificationem non requiritur necessario actus fidei.

Conseq. prob., quia actus fidei non requiritur ad justificationem, nisi in quantum homo per fidem cognoscit Deum.

3. Si ad justificationem requireretur motus fidei, sequeretur quod justificatio non posset fieri nisi post longam temporis moram. Sed hoc est inconveniens cum statim fieri possit. Ergo ad justificationem non requiritur motus fidei.

Conseq. prob., quia cum diversi sint articuli fidei, oporteret hominem primo justificandum, cogitare de omnibus fidei articulis, quod requirit longam temporis moram.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ad Romanos 5. dicitur, *justificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum.*

Determinatio.

Conclusio. Ad justificationem impii requiritur motus fidei.

Prob. Ad justificationem impii requiritur motus quo mens in Deum convertitur. Ergo ad justificationem impii requiritur motus fidei.

Antec. prob., quia cum ad justificationem impii requiratur motus liberi arbitrii, ut dictum est articulo præcedenti, secundum quod mens hominis movetur á Deo; et Deus moveat humanam mentem convertendo eam ad se, secundum illud Psalmi 84. secundum aliam literam, *Deus tu convertens vivificabis nos*, Manifeste sequitur quod ad justificationem requiratur motus mentis, quo se in Deum convertit.

Conseq. prob., quia prima conversio mentis in Deum fit per fidem, secundum illud ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antecedens, quod ad justicationem impii requiritur quidem, non solum motus fidei, sed etiam charitatis, timoris, humilitatis et misericordiæ, sed diversimode. Nam actus fidei est prior ordine naturæ, quem supradicta omnia præsupponunt, ratione dicta in corpore, quia scilicet prima conversio mentis in Deus est per fidem. Sed quia motus fidei non est ex se perfectus, ideo ipsum concomitatur charitas informans ipsum, ut sit perfectus. Et quia homo movetur in Deum per liberum arbitrium ut ei subjiciatur, ideo sequitur actus filialis timoris et humilitatis, per quæ mens hominis Deo subjicitur. Actus autem misericordiæ potest præcedere, vel concomitari, vel sequi justificationem: si enim accipiatur misericordia, ut operatur per modum satisfactionis, quatenus per opera misericordiæ exhibetur satisfactio pro peccato, sic sequitur justificationem. Si vero sumatur misericordia se-

cundum quod compatitur aliorum miseriis, et cum affectu subvenit, est præparatoria ad justificationem, secundum quod misericordes misericordiam consequentur. Si tandem consideretur misericordia, secundum quod includit dilectionem Dei et proximi concomitatur ipsam justificationem et actus prædictarum virtutum. Unde ad argumentum negatur consequentia. Ad cujus probationem dicitur, quod licet ad justificationem concurrant etiam quædam alia, ut dictum est, tamen omnium horum fundamentum et radix est fides: cætera autem concomitantur fidei actum, ut dictum est.

Ad 2. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod fides requiritur ad justificationem, ut homo justificandus Deum cognoscat, non qualitercumque, sed ut est finis supernaturalis, quod fit primo per fidem: cognitio enim naturalis non potest pertingere ad Deum, nisi ut est naturalis finis. Per donum autem sapientiæ cognoscitur quidem Deus, ut est supernaturalis finis, sed tale donum præsupponit actum fidei, ut patet ex dictis qu. 68. art. 2. et 4. ad 3.

Ad 3. Negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod licet articuli fidei sint diversi, tamen ad justificationem sufficit credere Deum esse justificatorem hominum per mysterium Christi, secundum illud ad Romanos 4. *Credenti in eum qui justificat impium, reputabitur fides ejus ad justitiam.*

ARTICULUS V.

Utrum ad justificationem impii requiratur motus liberi arbitrii in peccatum.

Pro negativa.=Videtur quod ad justificationem impii non requiratur motus liberi arbitrii in peccatum.

1. Sola charitas sufficit ad deletionem peccati, secundum illud Prov. 10. *Universa delicta operit charitas.* Ergo ad justificationem impii non requiritur motus liberi arbitrii in peccatum.

Conseq. probatur, quia objectum charitatis non est peccatum.

2. Qui in interiora tendit, non debet ad posteriora respicere. Sed per justificationem homo tendit ad anteriora, idest ad justitiam. Ergo ad justificationem non est necessarius motus liberi arbitrii in peccatum præteritum, quod est quoddam posterius, idest retrorsum, respectu ejus qui justificatur.

Maior probatur, quia Apostolus dicit ad Phil. 3. *Quæ quidem retro sunt* (idest peccata præterita) *obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora* (idest ad justitiam) *extendens meipsum*, etc.

3. Si ad justificationem impii necessarius esset motus liberi arbitrii detestantis peccatum, sequeretur quod de omnibus peccatis cogitare deberet, et singula detestari. Sed hoc est inconveniens. Ergo ad justificationem impii non requiritur motus liberi arbitrii contra peccatum.

Maior conditionalis probatur, quia cum non remittatur unum peccatum sine alio (impium est enim sperare dimidiam veniam á Deo) si impius debet justificari, omnia peccata debet detestari.

Minor prob. Tum quia requireretur magnum tempus ad hujusmodi cogitationem: tum quia peccatorum quorum homo est oblitus, veniam habere non posset.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Psal. 31. dicitur: «Dixi, confitebor «adversum me injustitiam meam Domi«no, et tu remisisti impietatem peccati «mei.»

Determinatio.

Conclusio. In justificatione impii oportet quod sit duplex motus liberi arbitrii. Unus, quo per desiderium tendat in Dei justitiam: alius quo detestetur peccatum.

Probatur. Omne quod movetur de uno extremo ad aliud, sive de uno termino ad alium terminum, oportet ut se habeat ad utrumque terminorum, ut sci-

licet recedat á termino á quo, et accedat ad terminum ad quem, ut in motu corporum apparet. Sed justificatio est quidam motus humanæ mentis ab uno termino, scilicet á peccato, ad alium terminum, scilicet ad justitiam, ut dictum est articulo 1. hujus quæstionis. Ergo mens humana debet per liberum arbitrium se habere ad utrumque horum terminorum, ut scilicet recedat á peccato, tamquam á termino á quo, et accedat ad justitiam tamquam ad terminum ad quem. Sed accessus et recessus in motu liberi arbitrii accipitur secundum detestationem et desiderium. Ergo oportet ut in justificatione impii sit hic duplex motus liberi arbitrii, scilicet quo per desiderium tendat in Deum, et quo per detestationem recedat á peccato.

Subsumptum probatur ex Augustino dicente tract. 46. super Joannem, dum exponitur illud, «mercenarius autem fugit. Affectiones nostræ motus animo»rum sunt, lætitia, animi diffusio, timor «animi fuga est: progrederis animo cum «appetis, fugis animo cum metuis.»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. consequentia. Ad probationem dicitur, quod quia ad eamdem virtutem pertinet prosequi unum oppositorum, et fugere aliud, ideo ad charitatem non solum pertinet Deum diligere, sed etiam detestari peccata per quæ anima á Deo separatur.

Ad 2. Dicitur ad maiorem quod ad posteriora, idest ad peccata, non debet homo regredi per amorem, sed quantum ad hoc, debet eorum oblivisci, juxta sententiam Apostoli, ut ad ea non afficiatur: debet tamen eorum recordari per considerationem, ut ea detestetur: sic enim ab eis recedit.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod homo debet detestari singula peccata quæ commisit, quorum tamen memoriam habet; ex tali enim consideratione quæ non in instanti justificationis, sed ante fieri debet, fit in anima quidam motus detestantis universaliter omnia peccata commissa, inter quæ etiam includuntur peccata oblivioni tradita, quia homo in illo statu est ita dispositus, ut etiam de his, quæ non meminit, contereretur, si memoriæ adessent: et iste motus concurrit ad justificationem. Nec ex hoc sequitur aliquod inconveniens: non primum quidem, quia iste motus fit ante justificationem: non secundum, quia qui universaliter omnia detestatur peccata, detestatur etiam oblita virtualiter.

ARTICULUS VI.

Utrum remissio peccatorum debeat numerari inter ea quæ requiruntur ad justificationem impii.

Pro negativa.—Videtur quod remissio peccatorum non debeat numerari inter ea quæ requiruntur ad justificationem impii.

1. Substantia rei non connumeratur his quæ ad rem requiruntur. Sed remissio peccatorum est ipsa justificationis substantia. Ergo remissio peccatorum non debet connumerari his quæ ad justificationem requiruntur.

Maior prob. Nam homo non connumeratur animæ et corpori.

Minor habita est art. 1. hujus quæstionis.

2. Idem non debet connumerari sibi ipsi. Sed remissio culpæ, et gratiæ infusio sunt idem. Ergo remissio culpæ non debet connumerari infusioni gratiæ.

Maior prob., quia unum multitudini opponitur.

Minor, quia illuminatio et tenebrarum expulsio idem sunt.

3. Effectus non debet connumerari suæ causæ. Sed remissio peccatorum consequitur ad motum liberi arbitrii in Deum et in peccatum, sicut effectus ad causam. Ergo remissio peccatorum non debet connumerari aliis quæ requiruntur justificationem impii.

Maior prob., quia ea, quæ connumerantur quasi ad invicem condivisa, sunt simul natura; quod non est de causa, et

effecto, qui ad causam sequitur, et est ea posterior.

Minor prob., quia per fidem, et contritionem remittuntur peccata: unde motus in Deum per fidem, et motus in peccatum per contritionem sunt causa remissionis peccatorum.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Finis debet connumerari inter ea, quæ pertinent ad rem. Sed remissio peccatorum est finis in justificatione impii. Ergo remissio peccatorum debet enumerari inter ea, quæ requiruntur ad justificationem.

Maior prob., quia finis est potissimum in unoquoque.

Minor prob., quia Isaiæ 27. dicitur: *iste est omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus.*

Determinatio.

Conclusio. Remissio peccatorum debet numerari inter alia, quæ requiruntur ad justificationem impii. Quæ sunt, gratiæ infusio motus liberi arbitrii in Deum per fidem et motus liberi arbitrii in peccatum, et tandem ipsa culpæ remissio.

Prob. Consummatio motus debet connumerari his, quæ ad motum requiruntur. Sed remissio culpæ est consummatio motus justificationis. Ergo remissio culpæ debet connumerari aliis requisitis ad justificationem.

Maior prob., quia consummatio motus est terminus motus, unde debet connumerari aliis pertinentibus ad motum.

Minor manifest. Et quod justificatio sit quidam motus, habitum est ar. 1. hujus q. Quod vero remissio culpæ sit consummatio hujus motus, qui est justificatio, ostenditur. In quolibet enim motu, quo aliquid ab altero movetur, tria requiruntur. Primo requiritur motio moventis. Secundo motus mobilis. Tertio consummatio motus, sive perventio ad finem. Quæ inveniuntur etiam in motu justificationis. Ex parte enim motionis divinæ accipitur gratiæ infusio. Ex parte liberi arbitrii moti accipiuntur duo motus ipsius liberi arbitrii scilicet ille, quo recedit á termino á quo, idest á peccato, et accedit ad terminum ad quem, idest ad gratiam. Consummatio vero, sive perventio ad finem hujus motus est remissio culpæ. In hoc enim justificatio consummatur. Nam ex hoc quod gratia infunditur, sequitur secundum naturam remissio peccati: sicut ex illuminatione sequitur tenebrarum destructio.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod aliqua possunt requiri ad rem dupliciter. Uno modo, ut intrinseca rei, ut sunt anima, et corpus in homine: anima enim et corpus hominis pertinent ad hominis substantiam.

Quædam vero extrinsece: ut ad productionem hominis requiritur conjunctio maris et fœminæ, quod semen alteretur, et corpus formetur, et quod anima creetur, et corpori infundatur, et his similia.

Tunc dicitur ad maiorem, quod substantia rei non debet connumerari his quæ pertinent ad substantiam rei; potest tamen connumerari aliis extrinsece requisitis ad rei substantiam: licet enim homo non debeat connumerari animæ et corpori, potest tamen connumerari aliis requisitis ad hominis productionem.

Et ad minorem dicitur, quod remissio peccatorum, quæ pertinet ad justificationem impii, eo modo quo est terminus dans speciem motui, dicitur esse ipse motus. Licet enim in justificatione, quæ fit per modum mutationis simplicis, puta quando fuit justificatus primus homo in sui productione, vel angelus, ultimus justificationis terminus dans speciem motui, sit gratia, tamen in justificatione impii, ultimum est expulsio peccati, quæ dat speciem justificationi. Hic igitur terminus justificationis, qui dat speciem huic motui, connumeratur non ipsi justificationi, sed aliis extrinsece prærequisitis ad ipsam justificationem.

Ad 2. Dicitur, quod gratiæ infusio, et culpæ remissio, dupliciter considerari

possunt. Uno modo secundum substantiam actus, et hoc modo sunt idem: eodem enim actu Deus largitur gratiam, et remittit culpam. Alio modo possunt considerari ex parte objectorum, et sic differunt secundum differentiam culpæ quæ tollitur, et gratiæ quæ infunditur: aliud est enim infundere gratiam, et aliud remittere culpam. Sicut in rebus naturalibus, licet idem motus sit corruptio formæ embrionis, et generatio animæ vegetativæ, tamen ex parte objectorum differunt, quia aliud est generare, et aliud est corrumpere.

Ad minorem igitur dicitur quod infusio gratiæ, et remissio culpæ sunt idem ex parte motus, non autem ex parte objectorum, et ideo unum alteri potest connumerari.

Ad 3. Dicitur, quod connumeratio plurium simul est duplex. Quædam est secundum divisionem generis in species: et in tali connumeratione oportet ut connumerata sint simul. Sicut quando dividitur animal per suas species, animal non connumeratur speciebus, sed species tantum dividentes genus simul connumerantur. Alia est connumeratio secundum differentiam eorum quæ requiruntur ad complementum alicuius. Puta in domo connumerantur simul fundamentum, parietes, tectum, et aliæ partes domus. Et in hac connumeratione unum connumeratorum potest esse altero prius. Ad maiorem igitur dicitur quod in primo modo enumerationis causa non debet effectui connumerari: secus est autem in secundo. Et ad probationem dicitur quod est vera de connumeratione, quæ est secundum divisionem generis in species. Et quia connumeratio præsens est eorum quæ requiruntur ad justificationem, ideo unum enumeratum potest esse altero prius: et causa potest suo effectui connumerari.

ARTICULUS VII.

Utrum justificatio impii fiat in instanti.

Pro negativa.=Videtur quod justificatio impii non fiat in instanti, sed successive.

1. Quod exigit deliberationem consilii, non potest fieri in instanti. Sed justificatio impii exigit deliberationem consilii. Ergo justificatio impii non fit in instanti.

Maior, prob., quia deliberatio discursum quemdam importat, qui successionum quamdam habet.

Minor prob., quia ad justificationem requiritur actus liberi arbitrii qui est eligere; eligere autem deliberationem consilii præexigit, ut dictum est q. 13. ar. 1.

2. Quod exigit actualem considerationem multorum, non fit in instanti. Sed justificatio impii exigit actualem considerationem multorum. Ergo justificatio impii non fit in instanti, sed successive.

Maior prob., quia intelligere multa simul in actu, est impossibile, ut dictum est 1. par. q. 85. ar. 4. Unde illud quod exigit actualem considerationem plurium rerum, non fit in instanti, sed successive.

Minor probatur, quia ad justificationem impii requiritur motus liberi arbitrii in Deum, et in peccatum, in ut dictum est, qui motus non fit absque actuali consideratione. Unde cum intellectus non possit simul considerare Deum et peccatum, et motus liberi arbitrii non fiat nisi in id, quod actu consideratur, sequitur quod hic motus liberi arbitrii in diversa fiat in tempore.

3. Illud, ad quod requiritur gratiæ infusio, non fit in instanti. Sed ad justificationem requiritur gratiæ infusio, ut dictum est. Ergo justificatio non fit in instanti.

Maior prob. Infusio formæ suscipientis magis et minus, non fit in instanti sed successive. Sed gratia est forma, quæ suscipit magis et minus, ut dictum est q. 112. art. 4. Ergo infusio gratiæ non fit in instanti, sed succe sive.

Maior huius prob., quia forma sus-

cipiens magis et minus, successive recipitur, non subito, ut patet de albedine et nigredine.

4. Illud quod exigit motum liberi arbitrii meritorium, non potest fieri in instanti, sed fit successive. Sed ad justificationem requiritur motus liberi arbitrii meritorius, ut dicetur q. seq. art. 2. Ergo justificatio non fit in instanti, sed successive.

Maior prob., quia cum quis prius debeat consequi formam, quam possit operari per formam illam: et gratia sit principium meriti, prius debet gratia infundi, deinde meritoria operari. Unde in justificatione, prius debet infundi gratia, deinde liberum arbitrium gratia juadtum movetur in Deum, deinde in peccatum, et sic justificatio fit successive.

5. Instans in quo remittitur culpa, est aliud ab instanti in quo infunditur gratia. Ergo justificatio non fit in instanti, sed successive.

Antec. prob., quia si instans in quo remittitur culpa, et in quo infunditur gratia, non essent diversa instantia, sed solum unum, sequeretur quod contraria, idest culpa et gratia, in eodem essent simul, quod est impossibile.

Conseq. prob., quia inter duo instantia necessario cadit tempus medium, ut dicitur 6. Physic. tex. 2.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Illud quod fit per gratiam Spiritus Sancti, fit subito. Sed justificatio fit per gratiam Spiritus Sancti justificantis. Ergo justificatio fit subito, et non successive.

Maior probatur, quia Spiritus Sanctus subito advenit mentibus hominum, secundum illud Act. 2. *Factus est repente de cœlo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis.* Ubi dicit Glossa Ambrosii in Lucam, quod *nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia.*

Determinatio.

Conclusio. Justificatio impii fit á Deo in instanti.

Probatur. Infusio gratiæ fit in instanti. Sed justificatio impii tota consistit originaliter in infusione gratiæ, per eam enim liberum arbitrium movetur, et culpa remittitur. Ergo justificatio impii fit in instanti.

Maior probatur. Impressio formæ ab agente non requirente aliam dispositionem in subjecto cui debet formam imprimere, præter eam quam ipse facit, et non indigente tempore ad disponendum subjectum, fit in instanti. Sed infusio gratiæ est ab agente, qui non requirit aliam dispositionem in subjecto cui gratiam imprimit, præter eam quam ipse facit, et qui potest subito subjectum disponere ad gratiam recipiendam. Ergo infusio gratiæ fit in instanti.

Maior hujus manifestatur. Quod enim aliqua forma non subito imprimatur in aliquo subjecto, contingit ex hoc quod subjectum non est dispositum, et agens indiget tempore ad hoc ut subjectum disponat. Et ideo videmus quod statim cum materia est disposita per alterationem præcedentem, forma substantialis acquiritur materiæ. Et eadem ratione, quia diaphanum est secundum se dispositum ad lumen recipiendum, subito illuminatur á corpore lucido in actu. Impressio igitur formæ quæ est ab agente qui potest subito disponere, subjectum potest subito et in instanti fieri.

Minor hujus manifestatur. Et quoad priorem partem quæ est, quod infusio gratiæ est ab agente qui non requirit in subjecto gratiæ aliam dispositionem præter eam quam ipse facit, manifesta est ex dictis quæst. præced. art. 2. ubi dictum est, quod Deus qui gratiam infundit non requirit in subjecto aliam dispositionem præter eam quam ipse facit, quam dispositionem aliquando facit subito, aliquando paulatim, ut eadem quæstione et art. ad 2. dictum est.

Quo vero ad aliam partem ejusdem minoris, quæ est, quod Deus subito possit

subjectum gratiæ, scilicet liberum arbitrium, disponere, ostenditur.

Agens infinitæ virtutis potest subito disponere quamcumque materiam ad receptionem cujuscumque formæ, et multo magis liberum arbitrium, cujus motus cundum naturam potest esse instantaneus. Sed Deus, qui est gratiæ auctor, est infinitæ virtutis. Ergo Deus potest quamcumque creatam materiam subito disponere ad receptionem formæ, et multo magis liberum arbitrium ad receptionem gratiæ.

Maior hujus manifestatur. Quod enim agens naturale non subito possit disponere materiam, contingit ex hoc quod est aliqua proportio ejus quod in materia resistit virtuti agentis: et propter hoc videmus quod quanto virtus agentis est fortior, tanto citius materia disponitur. Agens igitur infinitam habens virtutem, subito materiam disponere potest.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod aliquem actum requirere præcedentem deliberationem, dupliciter contingit. Uno modo per se, ita ut talis actus non possit fieri sine tali præcedente deliberatione: alio modo per accidens. Et iterum ad actum aliquem esse requisitam præcedentem deliberationem, potest dupliciter intelligi. Uno modo, ut requiratur tamquam pertinens ad substantiam actus: alio modo, tamquam via ad actum.

Ad maiorem igitur dicitur, quod si aliquid requirat præcedentem deliberationem, necessario et semper, et quod talis deliberatio pertineat ad substantiam ejus, quod fit; talis actus non potest esse in instanti, ratione dicta in arguendo.

Si autem hujusmodi deliberatio non sit necessario requisita, sed solum per accidens, et non pertineat ad substantiam actus producendi; maior est falsa: ad introductionem enim formæ substantialis in materia exigitur præcedens dispositio successiva ut via ad ipsam introductionem formæ et tamen forma in instanti introducitur in materia.

Tunc ad minorem dicitur, quod ad infusionem gratiæ non requiritur necessario deliberatio præcedens: motus enim liberi arbitrii qui ad justificationem concurrit, est consensus ad detestandum peccatum et ad accedendum ad Deum, qui consensus subito fit.

Sed quando hujusmodi deliberatio concurrit ad ipsam justificationem, non pertinet ad substantiam actus justificationis, sed est via ad justificationem, sicut motus localis corporis illuminantis est via ad ipsam illuminationem.

Ad 2. Dicitur, quod intelligere et considerare multa simul, potest dupliciter intelligi. Uno modo, ut considerentur multa simul ut multa, ita ut unum ad aliud non ordinatur, vel ut sub uno non contineantur, et sic impossibile est multa simul intelligere et considerare, ut dictum est prima parte quæst. 85. art. 4. Alio modo, ut intelligantur et considerentur plura per modum unius, quatenus vel sub uno continentur, vel ad invicem, et ad unum ordinentur.

Ad maiorem dicitur, quod illud ad quod requiritur actualis consideratio multorum, ut multa sunt, vera est ipsa maior: non enim possumus multa, ut multa simul intelligere et considerare. Sed tunc negatur minor. Nam ad justificationem requiritur quidem motus liberi arbitrii ad detestandum peccatum, et ad accedendum ad Deum; sed unum horum ad alterum ordinatur: detestatio enim peccati ordinatur ad accessum ad Deum; propter hoc enim homo detestatur peccatum, quia peccatum est contra Deum cui vult adhærere, et ideo simul liberum arbitrium detestatur peccatum, et Deo adhæret, sicut corpus simul recedit á termino á quo, et accedit ad terminum ad quem.

Si vero maior intelligatur de actuali consideratione plurium, ut plura sunt, falsa est: et adprobationem jam dictum

quod non possumus intelligere plura ut plura, sed tamen intelligere et considerare plura, ut unum sunt aliquo modo, non inconvenit.

Ad 3. Negatur maior. Ad probationem negatur etiam maior. Ad cujus probationem negatur assumptum: suscipere enim magis et minus non est ratio, quod forma non simul possit recipi. Nam lumen suscipit magis et minus, et tamen potest secundum aliquem gradum subito et instanti recipi. Sed vera ratio quare una forma successive recipiatur, est, quia subjectum non est dispositum, et agens non potest subito disponere, ut in corpore dictum est.

Ad 4. Negatur maior. Ad probationem negatur assumptum, quoad id quod dicit esse necessarium prius recipere formam: deinde operari secundum illam formam; hoc enim falsum est: in eodem enim instanti in quo forma acquiritur, incipit res operari secundum formam illam: sicut ignis statim generatus sursum movetur: et si ejus motus esset instantaneus, in eodem instanti compleretur. Et quia motus liberi arbitrii est instantaneus, ideo non oportet ut impii justificatio sit successiva.

Ad 5. Negatur antec. Ad probationem dicitur, quod non est dare ultimum instans, in quo homo est sub culpa, sed per totum aliquod tempus est sub culpa, et in ultimo instanti illius temporis est sub gratia.

Pro quo est sciendum quod successio duorum oppositorum in eodem subjecto, aliter est consideranda in his quæ subjacent tempori, et aliter in his quæ sunt supra tempus.

In his enim quæ subjacent tempori, non est dare ultimum instans, in quo forma prior subjecto inest. Est autem dare ultimum tempus, in quo materia erat sub priori forma, et primum instans, in quo forma subsequens inest materiæ, vel subjecto.

Cujus ratio est quia in tempore non potest accipi ante unum instans aliud instans præcedens immediate, eo quod instantia non consequenter se habeant in tempore, sicut nec puncta in linea, ut probatur in 6. Physic. Sed tempus terminatur ad instans, et ideo in toto tempore præcedenti, quo aliquid movetur ad unam formam, subest formæ oppositæ, et ultimo instanti illius temporis, quod est primum instans sequentis temporis, habet formam quæ est terminus motus.

Sed in his quæ sunt supra tempus aliter se habet. Si qua enim successio sit ibi affectuum, vel intellectualium conceptionum, puta in angelis, talis successio non mensuratur tempore continuo, sed tempore discreto, sicut et ipsa quæ mensurantur, non sunt continua, ut in prima parte quæst. 53. art. 2. et 3. habitum est. Unde in talibus est dandum ultimum instans, in quo primum fuit, et primum instans, in quo est id quod sequitur. Nec oportet esse tempus medium quia non est ibi continuitas temporis, quæ hoc requirebat.

Mens autem humana quæ justificatur, secundum se quidem est supra tempus, sed per accidens subditur tempori, in quantum scilicet intelligit cum continuo et tempore, secundum phantasmata, in quibus species intelligibiles considerat, ut dictum est prima parte quæst. 85. art. 1. et 2.

Et ideo judicandum est de ejus mutatione secundum conditionem motuum temporalium, ut scilicet dicamus, quod non est dare ultimum instans, in quo culpa infuit, sed ultimum tempus: est autem dare primum instans, in quo gratia inest, in toto autem tempore præcedenti inerat culpa.

ARTICULUS VIII.

Utrum gratiæ infusio sit prima ordine naturæ, inter ea quæ requiruntur ad justificationem impii.

Pro negativa.=Videtur quod gratiæ

infusio non sit prima inter ea, quæ requiruntur ad justificationem impii.

1. Recedere á malo prius est secundum naturam, quam accedere ad bonum. Sed remissio culpæ pertinet ad recessum á malo; infusio vero gratiæ pertinet ad prosecutionem boni. Ergo remissio culpæ prior est, quam infusio gratiæ.

Maior prob., quia in Psal. 30. dicitur: *Declina á malo, et fac bonum.*

2. Dispositio naturaliter præcedit formam ad quam disponit. Sed motus liberi arbitrii est quædam dispositio ad susceptionem gratiæ. Ergo motus liberi arbitrii naturaliter præcedit infusionem gratiæ.

3. Remotio ejus quod impedit motum, et motus ipse, priora sunt quam id quod sequitur ex motu. Sed culpa impedit motum liberi arbitrii in Deum. Ergo remissio culpæ præcedit motum liberi arbitrii in Deum, et infusionem gratiæ quæ hunc motum sequitur.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Causa naturaliter prior est suo effectu. Sed infusio gratiæ est causa omnium aliorum, quæ requiruntur ad justificationem impii. Ergo infusio gratiæ præcedit secundum naturam omnia quæ requiruntur ad justificationem impii.

Minor probatur ex his quæ dicta sunt art. præced.

Determinatio.

Distinctio. Infusionem gratiæ esse priorem inter ea quæ requiruntur ad justificationem, potest dupliciter intelligi. Uno modo secundum tempus. Alio modo secundum naturam.

1.ª Conclusio. Infusio gratiæ non est prior aliis requisitis ad justificationem, secundum tempus.

Probatur. Eorum quæ requiruntur ad id quod non est successivum, sed instantaneum, unum non est prius altero. Sed justificatio non est successiva, sed instantanea, ut art. præced. dictum est. Ergo eorum quæ requiruntur ad justificationem impii, unum non est prius altero, sed omnia sunt simul.

2.ª Conclusio. Eorum quæ requiruntur ad justificationem impii, ordine naturæ, unum est prius altero: inter quæ primum est gratiæ infusio; secundum est motus liberi arbitrii in Deum; tertium est motus liberi arbitrii in detestationem peccati; quartum est remissio culpæ.

Probatur. In quolibet motu primum naturaliter est motio moventis: secundum est dispositio materiæ, sive motus mobilis; ultimum vero est finis, vel terminus motus. Sed justificatio est quidam motus á culpa ad justitiam, ut dictum est. Ergo in justificatione prior est motio Dei moventis, quæ est gratiæ infusio, deinde est motus mobilis, scilicet motus, liberi arbitrii in Deum et in peccatum, et ultimo est finis, vel terminus motus qui est remissio culpæ.

Secundo prob. specialiter concl. quoad illam partem, quod motus liberi arbitrii in Deum sit prior motu ejusdem liberi arbitrii in peccatum.

Ille qui justificatur, propter hoc detestatur peccatum, quia est contra Deum. Ergo motus liberi arbitrii in Deum præcedit motum liberi arbitrii in peccatum, cum motus liberi arbitrii in Deum sit ratio, et causa liberi arbitrii in peccatum.

Aliter. Motus liberi arbitrii in Deum est causa, et ratio motus liberi arbitrii in peccatum. Ergo motus liberi arbitrii in Deum est prius, quam motus ejusdem liberi arbitrii in peccatum.

Prob. antec., quia propter hoc ille qui justificatur detestatur peccatum, quia est contra Deum.

Conseq. prob., quia causa et ratio alicujus præcedit id cujus est ratio et causa.

Tertio prob., specialiter conclusio quoad ultimam partem, scilicet quod remissio culpæ sit ultima inter hæc quatuor requisita ad justificationem hac ratione.

Tota transmutatio quæ fit in justificatione, ordinatur ad remissionem culpæ, tamquam ad finem, ut dictum est art. 1. hujus quæst. Ergo remissio culpæ est ultima inter ea quæ requiruntur ad justificationem impii.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur dupliciter. Primo, ad maiorem quod recessus á termino, et accessus ad terminum dupliciter considerari possunt. Uno modo, ex parte mobilis, et sic naturaliter recessus á termino á quo, præcedit accessum ad terminum ad quem. Prius enim est in subjecto mobili oppositum, quod abjicitur, quam id quod per motum mobile assequitur. In aqua enim quæ transmutatur de frigido in calidum, prius est frigiditas quæ abjicitur, quam calor qui introducitur.

Alio modo considerantur recessus et accessus ex parte agentis, et hoc modo é converso se habent. Agens enim per formam quae in eo praexistit, agit ad removendum contrarium; sicut sol per suam lucem agit ad removendum tenebras. Et ideo ex parte solis, prius est illuminare, quam tenebras removere. Ex parte vero aeris illuminandi, prius est purgari á tenebris ordine naturae, quam consequi lumen: licet utrumque sit simul tempore. Igitur ex parte Dei prius est infusio gratiae, quam remissio culpae. Ex parte vero hominis prius est liberari á culpa, quam consecutio gratiae justificantis.

Maior igitur propositio est vera ex parte ejus qui movetur; non autem ex parte moventis.

Dicitur secundo negando minorem: nam infusio gratiæ non est terminus ad quem justificationis, sed est causa recessus á culpa, et adeptionis justitiæ. Et quia causa naturaliter præcedit suum effectum, ideo gratiæ infusio præcedit recessum á malo, et accessum ad bonum.

Pro quo est sciendum, quod secundum quod justificatio est motus quidam, habet terminos á quo, et ad quem. Terminus á quo, est culpa: et terminus ad quem est justitia metaphorice dicta, scilicet dispositio recta interior, secundum quam homo recte disponitur in seipso, ut subdatur Deo secundum sui partem superiorem, et vires inferiores subdantur rationi.

Deus igitur per suam gratiam removet hominem á culpa, et perducit ipsum ad justitiam, et ideo gratia præcedit, tum recessum á peccato, tum consecutionem justitiæ, tamquam causa suos effectus. Et si justificatio fieret absque motu liberi arbitrii essent solum tria in justificatione, scilicet infusio gratiæ, consecutio justitiæ, et recessus á culpa: hic enim esset ordo ex parte Dei moventis. Ex parte vero justificati, prius esset recessus á culpa quam consecutio justitiæ: et gratia movens esset prior recessu á culpa, et accessu ad justitiam, utpote quæ est causa.

Sed quia justificatio in adultis non fit sine motu liberi arbitrii ideo ordo naturæ ex parte Dei moventis est. Primo motio divina per gratiam. Secundo consecutio justitiæ. Tertio motus liberi arbitrii in Deum. Quarto motus liberi arbitrii in peccatum. Et quinto est remissio culpæ.

Ex parte vero hominis justificati: primo, est gratia Dei movens: hæc enim semper præcedit. Secundo, est remissio culpæ. Tertio, est motus liberi arbitrii in detestationem peccati. Quarto, est motus liberi arbitrii in Deum. Et quinto, est consecutio justitiæ. Supponitur igitur in minori unum falsum, scilicet quod infusio gratiæ sit terminus ad quem justificationis, quod tamen non est verum. Infusio enim gratiæ non est terminus ad quem justificationis, sed est causa motiva hominis á statu peccati ad statum justitiæ. Unde ad justificationem requiruntur quinque, scilicet gratiæ infusio; consecutio justitiæ; remissio culpæ;

motus liberi arbitrii in Deum ; et motus liberi arbitrii in peccatum.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod dispositio subjecti præcedit naturaliter susceptionem formæ: prius enim ordine naturæ subjectum disponitur, quam consequatur formam. Tamen ipsamet subjecti dispositio sequitur actionem agentis disponentis subjectum. Unde prius est actio agentis disponentis materiam, deinde est dispositio materiæ, et ultimo est consecutio formæ ad quam subjectum disponitur. Sic in proposito. Prius est divina motio, quæ est per gratiam, deinde sequitur motus liberi arbitrii, et tandem est consecutio justitiæ. Dispositio igitur naturaliter præcedit formam, idest consecutionem formæ, ad quam disponit; tamen dispositio subjecti sequitur actionem disponentis: sicut in calefactione aquæ potest apparere, quod dicimus. Dispositio enim aquæ ad calorem, præcedit formam caloris introducendi in ipsam aquam, et ad quam disponitur: tamen ipsa dispositio aquæ est post actionem et calorem ignis disponentis aquam ad suscipiendum calorem. Sic in proposito motus liberi arbitrii in Deum, et in peccatum præcedit quidem justitiam, ad quam liberum arbitrium disponitur, tamen sequitur gratiæ infusionem, per quam Deus liberum arbitrium ad justitiam disponit.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod est vera in motibus exterioribus, non autem in motibus animi. In motibus enim exterioribus prius oportet removere impedimenta motus, deinde sequitur motus, et tandem acquiritur terminus motus. In motibus autem interioribus contrarium accidit. Prius enim in intentione est finis, sive terminus motus, deinde est motus ipse: quod si sit aliquod impedimentum, tandem intenditur remotio, licet in executione contrarium fiat. Prius enim removetur impedimentum, deinde sequitur motus, et tandem pervenitur ad terminum. Et quia justificatio est quidam motus interior animi, et liberi arbitrii propterea prius movetur liberum arbitrium in Deum tamquam in finem, quam ad removendum impedimentum peccati.

ARTICULUS IX.

Utrum justificatio impii sit maximum opus Dei.

Pro negativa.==Videtur quod justificatio impii non sit maximum opus Dei.

1. Illud per quod quis consequitur gratiam patriæ, majus est quam illud, per quod consequitur gratiam viæ. Sed per glorificationem homo consequitur gratiam patriæ, et per justificationem consequitur gratiam viæ. Ergo glorificatio maius quid est, quam justificatio.

Maior probatur, quia gratia patriæ maior est, quam gratia viæ.

2. Illud quod ordinatur ad bonum universale maius est quam illud quod ordinatur ad bonum particulare. Sed creatio cœli et terræ ordinatur ad bonum universale. Justificatio vero ordinatur solum ad particulare bonum unius. Ergo creatio cœli et terræ maius opus est quam justificatio.

Maior prob., quia bonum universi maius est, quam bonum unius hominis, ut dicitur 1. Ethicor. c. 2.

Minor prob., quia creatio cœli et terræ ordinatur ad bonum totius universi, justificatio vero ordinatur solum ad bonum hominis, qui justificatur.

3. Actio, per quam ex nihilo aliquid fit, et ad quam nihil cooperatur agenti, maior est quam actio, per quam ex aliquo aliquid fit, et ad quam nullum aliud agens potest cooperari agenti. Sed creatio est operatio, per quam ex nihilo aliquid fit, et ad quam nullum aliud agens potest cooperari creanti; justificatio vero est actio, per quam ex aliquo alqiuid fit, scilicet ex impio justus: et ad quam homo cooperatur per motum liberi arbitrii ut ex dictis patet. Ergo creatio maius opus est, quam justificatio.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

In Psal. 144. dicitur. *Miserationes ejus super omnia opera ejus.* In collecta etiam Dominicæ 8. post. oct. Trinit. dicitur, *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime, et miserando manifestas.* Aug. quoque tract. 72. in Joan. ex ponens illud Joan. 14. *maiora horum faciet*, dicit. *Maius opus est, ut ex impio justus fiat, quam creare cœlum et terram.*

Determinatio.

1.ª *Distinctio.* Opus aliquod potest dici magnum dupliciter. Uno modo absolute; sicut dicitur mons magnus. Alio modo secundum proportionem, sicut granum milii potest dici magnum respectu alicuius minoris grani; et mons potest dici parvus respectu montis maioris.

1.ª Conclusio. Creatio est maximum Dei opus, ex parte modi agendi.

Hanc conclus. prob. tertium argumentum factum pro negativa.

2.ª Conclusio. Justificatio ex parte rei factæ est maius opus, quam creare cœlum et terram.

Probatur. Actio quæ terminatur ad bonum æternum, maior est ex parte ejus quod fit, quam actio quæ terminatur ad bonum mutabilis naturæ. Sed justificatio impii terminatur ad bonum æternum, quod est bonum participationis divinæ: creatio vero terminatur ad bonum quod est mutabilis naturæ. Ergo justificatio ex parte ejus, quod fit, maior est quam creatio cœli et terræ.

Et confirmatur hæc ratio et conclusio. Quia cum August. loco citato dixisset: «Maius est quod ex impio justus fiat, «quam creare cœlum et terram,» subjungit: «cœlum enim et terra transibit, «prædestinatorum autem salus perma«nebit.»

3.ª Conclusio. Opus glorificationis, secundum quantitatem absolutam ejus, quod fit, maius opus est, quam justificatio.

Hanc concl. prob., primum argumentum factum pro negativa: est enim absolute maius bonum gratiæ patriæ, quam viæ.

4.ª Conclusio. Justificationis opus secundum quantitatem proportionalem ejus quod fit, maius opus est, quam sit opus glorificationis.

Manifest. Quia plus excedit donum gratiæ dignitatem impii, qui erat dignus pœna, quam donum gloriæ dignitatem justi, qui ex hoc ipso, quod est justificatus, est dignus gloria.

Et confirmatur ratio, et conclusio. Quia Augustinus eodem loco dicit. «Ju«dicet qui potest, utrum maius sit, jus«tos angelos creare, quam impios justifica«re: certe si æqualis est utrumque poten«tiæ, hoc maioris est misericordiæ.»

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Jam dictum est, concludere quod opus glorificationis ex parte facti, secundum quantitatem absolutam, est maius quam sit opus justificationis: cum quo stat, ut justificatio, ex parte facti, secundum proportionem sit maius opus.

Ad 2. Dicitur ad maiorem, quod est vera, quando bonum universale et particulare sunt ejusdem generis, vel ordinis, puta quod tam universale, quam particulare, sint bona creata naturalia, vel supernaturalia. Bonum enim naturale universale melius est, quam bonum naturale particulare. Non autem est vera, quando non sunt ejusdem ordinis. Si enim universale bonum sit naturale, particulare vero supernaturale, et divinum potius est particulare bonum, quam universale. Tunc ad minorem dicitur, quod bonum, ad quod terminatur creatio, bonum est universale quidem, sed naturale: gratia vero est supernaturale bonum. Et ideo bonum gratiæ unius maius est, quam bonum naturæ totius universi.

Ad 3. Jam dictum est, quod probat primam conclusionem: concludit enim quod creatio, ex parte modi operandi, sit maximum Dei opus.

ARTICULUS X.

Utrum justificatio impii sit miraculosa.

Pro affirmativa.=Videtur quod justificatio impii sit opus miraculosum.

1. Quod est maius opus, quam sint opera miraculosa, est opus miraculosum. Sed justificatio impii est maius opus, quam opera miraculosa. Ergo justificatio impii est opus miraculosum.

Maior prob., quia opera miraculosa sunt maiora non miraculosis. Unde opus, quod est maius operibus miraculosis, est magis miraculosum.

Minor prob. Ex authoritate inducta in artic. præced. pro affirmativa ex August. et etiam in corpore.

2. Motio voluntatis contra propriam ejus inclinationem est opus miraculosum. Sed justificatio est motio voluntatis contra ejus inclinationem. Ergo justificatio est opus miraculosum.

Maior prob. á simili in naturalibus. Quando enim Deus aliquid operatur in rebus naturalibus contra inclinationem naturæ, est opus miraculosum: ut quando illuminat cœcum, vel suscitat mortuum. Pari ergo ratione, quando operatur aliquid in voluntate contra ejus inclinationem, erit opus miraculosum.

Minor prob., quia voluntas impii ex se tendit in malum, et per justificationem movetur in bonum.

3. Quod aliquis subito sine studio sapientiam assequatur á Deo, est opus miraculosum. Ergo quod aliquis á Deo gratiam consequatur, est miraculosum.

Conseq. prob., quia sicut sapientia est donum Dei, ita et justitia. Unde si miraculosum est quod Deus infundat sapientiam, ita miraculosum erit quod Deus infundat gratiam.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Opera miraculosa sunt supra potentiam naturalem. Sed justificatio impii non est supra potentiam naturalem. Ergo justificatio impii non est opus miraculosum.

Minor prob. quia Aug. dicit in lib. de præd. SS. c. 5. «Posse habere fidem «sicut posse habere charitatem, naturæ «est hominum, habere autem fidem, que«madmodum habere charitatem, gatiæ «est fidelium.»

Determinatio.

Distinctio. In operibus miraculosis tria inveniri consueverunt. Primum est ex parte potentiæ agentis. Ut scilicet sola divina virtute possint fieri et ideo sunt simpliciter mira, quasi habentia causam occultam, ut dictum est prima parte q. 105. art. 7. et 8. quæst. 110. artic. 4. Secundum est, ut forma inducta sit supra naturalem potentiam talis materiæ. Sicut suscitatio mortui dicitur opus miraculosum, quia vita est supra naturalem potentiam talis corporis. Tertium est, ut fiat præter solitum, et consuetum ordinem causandi effectum. Sicut cum aliquis infirmus sanitatem perfectam assequitur subito, præter solitum cursum sanationis quæ sit á natura, vel arte, est opus miraculosum.

1.ª Conclusio. Justificatio, ex parte potentiæ agentis, est opus miraculosum.

Prob. Ea quæ sola virtute divina possunt fieri, sunt opera miraculosa. Sed justificatio impii sola virtute divina potest fieri. Ergo justificatio impii, ex parte agentis est opus miraculosum. Et secundum hunc modum creatio mundi, et universaliter omne opus, quod á solo Deo fieri potest, miraculosum dicitur.

2.ª Conclusio. Justificatio impii, ex parte subjecti, non est opus miraculosum.

Prob. Introductio formæ in subjecto, quod est naturaliter capax formæ quæ introducitur, non est opus miraculosum ex parte subjecti. Sed justificatio est infusio gratiæ in anima, quæ naturaliter est capax gratiæ. Ergo justificatio ex hac parte non est opus miraculosum.

Minor prob., quia anima rationalis, ex hoc ipso quod est facta ad Dei ima-

ginem, est gratiæ capax, ut ex authoritate August. inducta patet.

Tertia conclusio. Justificatio, ex parte modi quo fit, aliquando non est miraculosa, et aliquando est miraculosa.

Manifestatur. Communis et consuetus cursus, quo fit justificatio, est ut Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum: primo quidem conversione imperfecta, ut postmodum ad perfectam deveniat, quia *charitas inchoata meretur augeri, ut ita mereatur perfici*, ut Augustinus dicit tractatione quinta in Epistola Jo. Quandoque vero tam vehementer Deus animam movet, ut statim quamdam perfectionem justitiæ assequatur. Si igitur justificatio fiat secundum consuetum modum, scilicet movendo de imperfecto ad perfectum paulatim, non est miraculosa ex hac parte. Si vero fiat præter consuetum modum, idest subito sit perfecta, est miraculosa. Et sic facta fuit conversio divi Pauli: facta enim fuit subito, adhibita etiam exterius miraculosa prostratione, et ideo conversio D. Pauli in Ecclesia celebriter commemoratur tamquam miraculosa.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod aliquod opus esse altero maius, potest dupliciter intelligi. Uno modo, quia id quod per tale opus fit, est maius: secundum quem modum suscitatio mortui est minus opus, quam justificatio. Quia per suscitationem mortui fit vita naturalis corporis, per justificationem autem fit vita supernaturalis animæ. Alio modo, ex parte modi producendi effectum, quia scilicet effectus unius producitur secundum consuetum modum; effectus vero alterius præter consuetum modum: et sic potest dici, quod conversio Pauli maius quid sit, quam conversio judæorum et gentilium per prædicationem Apostolorum. Tunc ad formam dicitur ad maiorem, quod opus maius, opere miraculoso, est miraculosum, si tamen sit maius, non solum ex parte rei factæ, sed etiam ex modo faciendi: si autem sit maius solum ex parte rei factæ, non est necesse ut sit tam miraculosum, sicut aliud quod est maius ex parte modi faciendi. Et ad minorem dicitur, quod justificatio facta secundum consuetum modum (si enim præter consuetum modum fiat, est miraculosa) est maior quam alia opera miraculosa, puta quam illuminatio cæci nati, ex parte rei factæ, cum per ipsum fiat bonum supernaturale; sed tamen est minor, ex parte modi, quia fit secundum consuetum modum, ut dictum est.

Ad 2. Negatur maior. Ad prob. dicitur, quod non quandocumque res naturalis movetur contra suam inclinationem, est opus miraculosum, alioquin miraculosum, esset quod aqua calefieret, et quod lapis sursum projiceretur; sed tunc tale opus est miraculosum, quando fit præter ordinem et facultatem propriae causae, quae nata est hoc facere. Et quia justificationem nullus potest facere, nisi Deus, ideo justificatio impii, quantum est ex parte causae, non est miraculosa, nisi fiat praeter consuetum modum, ut in corpore dictum est.

Ad 3. Nec conseq. Ad prob. dicitur, quod non est eadem ratio de dono scientiæ, et de dono gratiæ. Sapientiam enim et scientiam homo natus est acquirere á Deo per proprium ingenium, et studium, et ideo quando præter hunc modum homo efficitur sciens, vel sapiens, est miraculosum. Gratiam autem non potest homo acquirere per suam operationem, sed Deo operante, et ideo acquisitio gratiæ á Deo non est miraculosa, nisi fiat præter consuetum modum, ut dictum est.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI

EX PRÆCED. 113.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, et concilio: quod justificatio impii est remissio peccatorum. A scripturis quidem, ut cum Glossa ponitur *in arg. cont.* Item per illud Lucæ 18. " Deus propitius esto mihi peccatori. Descendit hic justificatus in domum suam. » Ibi enim exponitur ly *justificatus*, idest á peccato mundatus. Nam et literæ circumstantia expositionem ipsam subministrat; dum post humilem peccatorum propriorum recognitionem, atque pro ipsorum remissione deprecationem, statim Publicanum fuisse justificatum annunciat. Ac si patenter dixerit, De peccatis suis veniam Publicanus humiliter postulabat, et justificatus est, idest remissionem peccatorum á Domino impetravit. Sic etiam se intellexisse ly *justificatus*, monstravit B. Aug. ibi in Homil. his verbis. " Quid miraris, si Deus ignoscit, quando peccator agnoscit. » A concil. autem Trid. innuitur sess. 6. cap. 3. 4. Pro hoc beneficio Apostolus gratias non semper agere hortatur Patri; qui " dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, et eripuit de potestate tenebrarum, transtulit in regnum filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem, et remissionem peccatorum. Quibus verbis justificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum salvatorem nostrum. » Ubi simul habes, et á scriptura Colos. 1. idipsum in principio appendicis dictum insinuatum fuisse. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Lutheri* dicentis; quod sola fides justificat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Rom. 3. " Justificati gratis per gratiam ipsius. » Item á Concilio Trid. sess. 6. cap. 7. " Hanc dispositionem, seu præparationem justificatio ipsa consequitur: quæ non est sola peccatorum remissio; sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, et donorum. » Et can. 9. "Si quis dixerit: sola fide impium justificari; ita, ut intelligat, nihil aliud requiri, etc. Anathema sit. » Nec obstat, quin his merito damnetur *Lutherus*, illud ejusdem dictum, scilicet, quod fides non potest esse sine charitate, et quod fides sine operibus non est fides. Nam istud etiam dogma est hæreticum: et consequenter damnationem prænarratæ hæresis auget, non tollit. Unde et hoc, tamquam hæresim reprobat idem concilium sess. eadem, can. 27. " Si quis dixerit: amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva: aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum: Anathema sit. » *Tertio* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem tamquam radicitus interimas hæresim *Lutheri* dicentis: liberum arbitrium hominis nullam habere in suis operationibus activitatem; non agere, sed pati. Contrarium enim hujus sentit S. Doctor in conclusione per ly *liberi arbitrii ad donum gratiæ acceptandum*, idest, non solum ad illud passive suscipiendum, sed etiam ad illud actione quadam voluntaria, idest devoto assensu acceptandum, et quodammodo complexandum. *Secundo* vides: quomodo per rationem ostendas, merito damnari á Concil. Trid. sess. 6. cap. 5. " Ita, ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens: quippe qui et abjicere illam potest: neque, » etc. Et cap. 7. " Quæ scilicet justificatio est, et sanctificatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ. » Et can. 4. " Si quis dixerit: liberum hominis arbitrium á Deo motum, et excitatum, nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quoad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet: neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino

agere, mereque passive se habere: anathema sit. » Item merito damnari per hoc, quod dicitur Apost. 3. " Ego sto ad ostium, et pulso: si quis aperuerit mihi, intrabo. » Nota in ly *si quis aperuerit*, activitatem assensus liberi arbitrii. Item per dictum Jo. 6. *omnis, qui*, etc. ut cum discursu ponitur *in arg. cont.* Pro quo vide etiam q. 112. art. 2. speciatim in resp. ad 2. Item merito damnari á 1. par. q. 82. a. 2. et q. 83. a. 1. 2. cum Eluc. Item á veritatibus aureis super totam legem veterem, Gen. 1. conc. 4. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 4. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Pelagii* dicentis; Jusificari nos non ex fide Chriti, sed ex nostris conatibus, non ex misericordia Dei propter Christum, sed ex merito nostro, et ex propriis operibus, et viribus naturalibus veram, ac solidam coram Deo jusiitiam parari. Item hæresim *quorumdam* dicentium; quod fides, qua justificamur, est sola fiducia cordis de promissa misericordia per Christum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, eam merito damnari á Concil. Trid. sess. 6. c. 5. ut nunc sup. ad 3. Item ibid. cap. 8. Cum Apostol. dicit: " hominem justificari per fidem, et gratis; ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ chatholicæ consensus tenuit, et expressit. Ut scilicet fidem ideo justificari dicamur; quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo: gratis autem justificari dicimur: quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sivefides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. Item ad Tit. 3. Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. » Ubi Apostolus figurate loquitur, scilicet, per figuram illam, quæ minus dicit, plus significans. Hoc est in proposito isto: Non solum ex meritis nostris salvati non sumus per primam justificationem, sed etiam contra merita nostra. Si enim sanguis Abel semel effussus á Cain clamabat vindictam contra Cain , Gen. 4. quanto magis tot, tantaque nostra peccata, antequam justificaremur, clamabant vindictam contra nos? Qualem vindictam? ut non justificaremur á Deo; sed ut ab ipso in æternum damnaremur, et hoc ipsum clamabant quotidie, et continue. Secundum ergo et suam misericordiam affatu in proposito impossibilem, et contra merita nostra, ut testantur innumerabilia peccata nostra, Deus nos justificando salvos fecit. Hic est sensus Apostoli. Item merito damnari á conci. Trid. sess. 6. can. 12. " Si quis dixerit: fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur; anathema sit. » Item ab Hebr. 11. *Fides est substantia sperandarum*, etc. ut declaratur 2. 2. q. 4. art. 1. sed et ibid. q. 1. art. 8. 10. et q. 9. art. 9. Item merito damnari á dictis supra art. n. 580. 82. circa. Item a. 2. 2. art. n. 648. cum Eluc. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et concilio insinuatum; quod ad justificationem impii requiritur motus liberi arbitrii contra peccatum. A scripturis quidem, ut Psal. 31. *Dixi*, etc. secundum quod est *in arg. cont.* A concilio autem Trid. sess. 6. c. 6. " Illumque tamquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium, et detestationem. » Vide ibid. c. 14. " Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multo aliam esse á baptismali. » etc. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 6. habes *primo :* quomodo per rationem interimas hæresim *Lutheri*, pro quanto videtur ex suis his dictis subjunctis tenere, quod remissio culpæ mortalis non sit connumeranda requisitis ad justificationem. Dicit enim ipse *Lutherus duo* incompatibilia simul, quorum si utrumvis dederis, alterum destrui oportet. *Primum* est, quod omnis homo certus est de sua justitia, et scit, se habere gratiam. *Secundum* est, quod nemo est certus, se non peccare semper mortaliter propter occltissimum superbiæ vitium. Ex his enim sequitur, quod ipse *Lutherus* peccati omnis

mortalis remissionem negabat esse computandam inter necessario requisita ad justificationem. Item hæresim *Antosiandrinorum* dicentium: hominem imputative justificari, idest non re ipsa, sed verbo tantum justum pronunciari. Quod est dicere in proposita materia, quod nec gratiæ infusio, nec peccatorum remissio connumeranda sunt ad justificationem. Pro tanto igitur adducitur hic, sicut et illa *Lutheri*: ne egrediamur terminos articuli. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari *ex Isaiæ* 21. prout cum applicato discursu ponitur *in arg. cont.* Item á Rom. 3. " Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo propter remissionem præcedentium delictorum. » Item á dictis art. 1. app. Item á concilio Trid. sess. 6. cap. 7. " In impii justificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia infusa accipit homo per Christum, cui inseritur, fidem, spem, et charitatem. » Item á dictis supra art. num. 600. app. et 587. app. Vide Roffensem contra *Lutherum lib. assertionis Lutheranæ confutatio*, art. 31. 35. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 7. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, et concilio insinuatum, quod justificatio impii fit in instanti. A scripturis quidem, ut Actuum 9. *Subito circumfulsit eum lux de Cœlo*, etc. Per hanc enim extrinsecus factam instantaneam mutationem designata est interior translatio de culpa ad gratiam facta in instanti. Vide quæst. 112. ar. 2. ad 2. Item ab Actu 2. *Factus est repente*, etc. ut *in arg. cont.* Ibi tamen id ostenditur solum, quod gratiæ infusio fit in instanti, quoniam Apostoli tunc non sunt translati de culpa mortali ad justitiam (ut patet) et pro tanto solum in hoc argum. adducitur, quandoquidem tota justificatio impii in gratiæ infusione consistit originaliter, ut in corp. princ. A concilio autem Trid. sess. 6. cap. 7. *In ipsa impii justificatione hæc omnia simul*, etc. ut art. 6. appen. Nota ly *simul*. Non enim possent tempore simul fieri, nisi in instanti. Vide resp. ad 4. et 5. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 8. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatum á scripturis, quod infusio gratiæ est prima ordine naturali inter illa alia tria, quæ requiruntur ad justificationem. Ut per illud, quod dicitur Ephes. 1. " Gratia salvati estis per fidem, et Ps. 118. Dilexi mandata tua, propterea omnem viam iniquam odio habui. Et Isaiæ 43. Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas. » Per hæc enim, cum demonstrent, quod Deus per gratiam suam, et liberum nostrum arbitrium movet ad se, per fidem movet, teste Apostolo et idipsum movet contra peccatum per odium, teste psalmo, et remittit nobis culpam, teste Isaia, commonstrare intelliguntur, quod gratiæ Dei infusio est formalis causa istorum, et consequenter scripturæ per hæc, si scholasticam linguam inducant in proposito, dicunt: Gratiæ infusio ordine naturali est prior, quam motus liberi arbitrii per fidem erga Deum, et quam motus ejusdem per odium contra peccatum, et quam remissio culpæ. Nam causa, ut sic est prior naturaliter suo effectu: ut patet. *Secundo* vides: etc.

Ex art. 9. habes *primo*: quomodo per rationem et ostendas, et recte intelligas, merito insinuatum esse á scripturis, Ecclesia, Augustino, et Concilio: quod justificatio impii est maximum opus Dei. A scripturis quidem, ut Psal. 144. *Miserationes*, etc. ut *in arg. cont.* Ab ecclesia vero, ut in collecta Domin. 10. post. 8. Trin. *Deus, qui omnipotentiam*, etc. ut *in arg. eod.* A D. Aug. etiam, ut *in ibid.* A concilio autem Trid. per hoc, quod tam magnas causas, ingentiaque facta, circa justificationem impii assignat sess. 6. c. 7. " Hujus justificationis causæ sunt. Finalis quidem, gloria Dei, et Christi, ac vita æterna. Efficiens vero misericors Deus, qui nos gratuito abluit, et sanctificat, signans, et unguens Spiritu Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ. Meritoria autem dilectissimus unigenitus tuus, Dominus noster Jesus Christus, qui, cum essemus inimici propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno Crucis nobis justificationem meruit; et pro nobis Deo patri satisfecit. Instrumentalis item, sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli umquam contingit justificatio. Demum unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, quia

videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur, et sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque secundum suam mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem, et cooperationem. Cum enim nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur, in hac impii justificatione, ejusdem sanctissimæ passionis merito, per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret. Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul accipit homo, fidem, spem, et charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat, et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit, neque vitam æternam præstare potest. » Ex quibus patet, quam abundantissime insinuari intentum articuli præsentis. Ubi tamen concilium assignat baptismi sacramentum pro causa instrumentali loco ejus, si sermo contingat fieri de justificatione lapsorum post baptismum, pone sacramentum pœnitentiæ edoctus ab eodem concilio ibid. cap. 14. et sess. 14 c. 1. Et, ubi assignat de merito Christi ne inde erres cum sibi ipsis in sola fide blandientibus: sed vigilanter ex eodem concilio notabis ibi ly " cooperationem, et dictum tuum c. 11. Nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans, fide sola se hæredem esse constitutum, hæreditamque consecuturum: etiamsi Christo non compatiatur, ut et glorificetur. » *Secundo* vides: etc.

Ex art. 10. habes *primo* : quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse á scripturis, et Ecclesia, quod justificatio impii non est miraculosa. A scripturis quidem, ut Gen. 1. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam.* Eo enim ipso quod anima nostra est ad imaginem Dei, capax est Dei per gratiam: ideoque capax justificationis. Cum igitur opera miraculosa sint supra potentiam naturalem, ut patet 1. q. 105. ar. 7. dum scriptura ostendit ibi, quod opus justificationis non est supra naturalem capacitatem animæ, eo intelligitur ostendisse, quod justificationis opus non est miraculosum. Maxime autem prædictam expositionem Genesis corroborat B. Augustinus adductus *in arg. cont.* Cujus auctoritatem hanc vide interpretatam á Sancto Doctore nostro 2. 2. q. 10. ar. 1. ad primum, et applica per te. Ab Ecclesia vero idem insinuatur. Ex hoc enim, quod nec de Matth., nec de Maria Magdalena, nec de Thoma Dydimo, nec similibus, qui fuerunt ex reatu culpæ justificati non celebrat conversiones, et illam Pauli celebrat ut patet 25. die januarii, acutis scholasticis relinquit intelligendum: quod ordinarie loquendo justificatio impii non est miraculosa. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, etc.

QUÆSTIO CENTESIMA DECIMA QUARTA,

DE MERITO, QUOD EST EFFECTUS GRATIÆ COOPERANTIS IN DECEM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de merito, quod est effectus gratiæ cooperantis.

Et circa hoc quæruntur decem.

Primo, utrum homo possit aliquid mereri á Deo.

Secundo, utrum aliquis sine gratia possit mereri vitam æternam.

Tertio, utrum aliquis per gratiam possit mereri vitam æternam ex condigno.

Quarto, utrum gratia sit principium merendi, mediante charitate principaliter.

Quinto, utrum homo possit sibi mereri primam gratiam.

Sexto, utrum homo possit eam mereri alii.

Septimo, utrum possit sibi aliquis mereri reparationem post lapsum.

Octavo, utrum possit sibi aliquis mereri augmentum gratiæ, vel charitatis.

Nono, utrum possit sibi mereri finalem perseverantiam.

Decimo, utrum bona temporalia cadant sub merito.

ARTICULUS I.

Utrum homo possit aliquid mereri á Deo.

Pro negativa.=Videtur quod homo non possit aliquid mereri á Deo.

1. Qui reddit alicui, quod debet ei, non meretur aliquid ab eo. Sed homo per bona opera, quæ facit, reddit Deo quod debet, immo non potest recompensare Deo, quæ debet, quin semper amplius ei debeat, ut Phil. dicit 8. Ethic. cap. ult. et Luc. 17. dicitur. *Cum omnia quæ præcepta sunt, feceritis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* Ergo homo non potest aliquid mereri á Deo.

2. Ex eo, quod aliquis sibi proficit, nihil videtur mereri apud eum, cui nihil proficit. Sed homo bene operando sibi proficit vel alteri homini, non autem Deo. Ergo homo non potest aliquid á Deo mereri.

Minor quoad ultimam partem prob. ex eo, quod dicitur Job. 35. *Si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?*

3. Quicumque apud aliquem aliquid meretur, constituit sibi eum debitorem. Sed homo non constituit sibi per sua opera Deum debitorem. Ergo homo non potest aliquid á Deo mereri.

Maior prob., quia debitum est, ut aliquis merenti mercedem rependat.

Minor prob., quia Deus nulli est debitor, secundum illud Rom. 10. *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?*

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Ille, cujus operi est merces á Deo, potest aliquid mereri á Deo. Sed operi hominis est merces á Deo. Ergo homo potest aliquid mereri á Deo.

Maior prob., quia merces dicitur, quod pro merito redditur.

Minor prob., quia Jer. 31. dicitur. *Est merces operi tuo.*

Determinatio.

Conclusio. Homo non potest simpliciter aliquid á Deo mereri, secundum absolutam rationem meriti.

Prob. Inter eum, qui meretur ab aliquo aliquid, quod habet absolutam rationem meriti, et eum á quo illud meretur, debet esse æqualitas simpliciter. Sed inter hominem, et Deum non potest esse æqualitas simpliciter. Ergo homo non potest aliquid á Deo, secundum absolutam rationem meriti, mereri.

Maior probatur. Quod pertinet ad justitiam simpliciter, debet esse inter æquales. Sed meritum secundum absolutam rationem meriti, pertinet ad justitiam simpliciter. Ergo inter eum qui meretur, secundum absolutam rationem meriti, et eum á quo meretur, debet esse æqualitas simpliciter.

Maior hujus prob., quia justitia *est æqualitas quædam*, ut patet per Phil. 5. Ethic. c. 2. 3. 4. et ideo justitia simpliciter est inter eos, qui sunt æquales. Inter eos autem, inter quos nos est simpliciter æqualitas, non est simpliciter justitia, sed quidam justitiæ modus. Sicut dicitur esse hoc modo justitiam inter patrem et filium, dominum et servum. Unde Phil. in eodem lib. c. 6. dicit, quod est quoddam jus paternum, et dominativum. Ad hoc igitur, quod inter aliquos sit justitia secundum veram rationem justitiæ, exigitur quod sint æquales. Unde illud quod pertinet ad justitiam, debet esse inter æquales.

Minor hujus ostenditur. Nam meritum, et merces, sive præmium ad idem referuntur. Merces enim dicitur quæ recompensatur alicui pro labore, sive pro merito: et est præmium, sive merces quoddam pretium operis meritorii. Unde sicut reddere justum pretium pro re accepta ab aliquo, est actus justitiæ, ita recompensare mercedem operis, vel laboris est actus justitiæ. Pertinet igitur meritum, sicut et præmium ad justitiam, quæ erat minor probanda.

Minor principalis, scilicet quod inter Deum, et hominem non sit æqualitas simpliciter, manifestatur. Nam Deus et homo in infinitum distant.

Vel aliter prob. Concl. Inter quos est meritum secundum veram, et propriam rationem meriti, debet inter eos esse justitia secundum veram rationem justitiæ. Sed inter Deum et hominem non potest esse justitia secundum veram, et propriam rationem justitiæ. Ergo inter Deum et hominem non potest esse meritum, secundum propriam rationem meriti.

Maior manifest. Quia meritum secundum propriam rationem meriti, pertinet ad justitiam, sicut et merces; tam enim merces, quam meritum ad justitiam referuntur: est enim merces quasi prætium meriti.

Minor prob. Justitia, secundum veram, et propriam rationem justitiæ, est inter æquales: est enim justitia æqualitas. Sed Deus et homo non sunt æquales, cum in infinitum distent. Ergo inter Deum et hominem non potest esse propria ratio justitiæ.

Et adhuc manifest. hæc minor. Quia justitia quæ est inter eos, qui non sunt æquales, non dicitur justitia simpliciter, sed tantum secundum quemdam modum, ut patet per Phil. 5. Ethic. cap. 6. ubi dicit, quod jus paternum, quod scilicet est inter patrem et filium dominativum, quod est inter dominum et servum, non habent rationem justi simpliciter, sed solum quodammodo.

2.ª Conclusio. Homo potest mereri aliquid á Deo, secundum præsuppositionem divinæ ordinationis.

Manifestatur. Inter Deum et hominem potest esse justitia, non quidem secundum æqualitatem simpliciter, sed secundum proportionem quamdam, in quantum uterque operatur secundum modum suum. Unde sicut modus, et mensura humanæ virtutis est homini á Deo, ita conveniens est, ut homo consequatur á Deo per suam operationem, quasi mercedem, id ad quod ei operandi, virtutem deputavit. Sicut etiam res naturales hoc consequuntur per proprios motus et operationes, ad quod á Deo sunt ordinatæ; quamvis differenter hoc contingat in homine, et in aliis creaturis infra hominem. Creatura enim seipsam movet ad agendum per liberum arbitrium, et ideo sua opera habere possunt rationem meriti, quod non est in aliis animalibus.

Homo igitur meretur aliquid à Deo, quatenus per virtutem sibi datam á Deo operatur, et consequitur id ad quod Deus ipsum ordinavit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Cum enim actus justitiæ, quo quis reddit debitum, sit meritorius, quando homo propria voluntate facit illud, quod debet, meretur. Quamvis igitur omnia homo Deo debeat; tamen dum facit, quod debet, meretur aliquid á Deo, non quidem secundum absolutam rationem meriti, sed quia Deus bene operantibus mercedem constituit.

Ad 2. Negatur maior de eo, qui in opere alterius, non quærit aliquem profectum, aut utilitatem sibi, sed solum gloriam, in opere ejus qui operatur. Tunc ad minorem subsumendam dicitur, quod Deus ex bonis nostris non quærit utilitatem, sed gloriam idest manifestationem suæ bonitatis, quod etiam ipse Deus ex propriis operibus quærit. Ex hoc autem quod cum colimus, nihil ei accrescit, sed potius nobis aliquid accrescit, tamen meremur in quantum propter ejus gloriam operamur.

Ad 3. Dicitur ad maiorem, quod est vera de eo, qui meretur secundum propriam meriti rationem, non autem de eo, qui meretur ex præsupposita liberalitate, et ordinatione ejus, apud quem meretur. Et quia actio nostra non habet rationem meriti, nisi ex præsuppositione divinæ ordinationis, qua decrevit recte operantibus mercedem dare, non sequitur quod Deus efficiatur simpliciter

debitor nobis, sed sibi ipsi, in quantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur.

ARTICULUS II.

Utrum aliquis sine gratia possit mereri vitam æternam.

Pro affirmativa. = Videtur quod aliquis sine gratia possit mereri vitam æternam.

1. Illud ad quod homo á Deo ordinatur secundum suam naturam, potest mereri absque gratia. Sed homo ordinatur á Deo ad vitam æternam secundum suam naturam. Ergo homo potest mereri vitam æternam sine gratia.

Maior prob., quia illud homo á Deo meretur, ad quod divinitus ordinatur, ut dictum est art. præced.

Minor probatur. quia homo naturaliter appetit esse beatus.

2. Homo cum gratia potest aliquo modo mereri vitam æternam. Ergo multo magis eam mereri potest sine gratia.

Conseq. prob. Qui facit opus minus debitum, magis meretur, quam qui facit opus magis debitum. Sed homo sine gratia facit opus minus debitum, quam homo qui est in gratia. Ergo si homo cum gratia meretur, multo magis homo sine gratia mereri potest.

Maior prob., quia idem opus quanto est minus debitum, tanto est magis meritorium.

Minor prob. Opus ejus qui minora recepit beneficia, est minus debitum. Sed qui non est in gratia, minora recepit beneficia á Deo, scilicet sola bona naturalia, quam ille qui est in gratia, qui recipit etiam donum supernaturale. Ergo qui non est in gratia, sed per sua naturalia operatur, facit opus minus debitum.

3. Unus homo potest apud alium mereri, etiam si numquam suam gratiam ante habuerit. Ergo multo magis homo absque gratia poterit vitam æternam á Deo mereri.

Consequentia probatur, quia misericordia, et liberalitas Dei in infinitum excedit misericordiam, et liberalitatem humanam.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Rom. 9. dicitur. *Gratia Dei vita æterna.*

Determinatio.

Distinctio. Homo sine gratia in duplici statu considerari potest. In statu naturæ integræ, qualis fuit in Adam ante peccatum; et in statu naturæ corruptæ, sicut est in nobis ante reparationem gratiæ.

1.ª Conclusio. Homo in statu naturæ integræ non potest mereri vitam æternam per sua naturalia absque gratia.

Prob. Actus ejus qui potest mereri vitam æternam, sunt divitus ordinati ad vitam æternam. Sed actus hominis in puris naturalibus existentis, non sunt divinitus ordinati ad vitam æternam. Ergo homo in puris naturalibus existens non potest mereri vitam æternam.

Maior prob., quia meritum hominis dependet ex præordinatione divina. Unde actus, qui ordinantur divinitus ad merendum æternam vitam, sunt meritorii, qui vero non ordinantur ad ipsam, non sunt meritorii.

Minor prob. Ad illud quod excedit proportionem humanæ naturæ, etiam in statu integro consideratæ, non ordinantur humani actus divinitus. Sed vita æterna est quoddam bonum excedens proportionem cuiuscumque naturæ creatæ, et per consequens proportionem naturæ humanæ, etiam in sua integritate consideratæ. Ergo actus hominis, etiam in statu naturæ integræ, non ordinantur divinitus ad vitam æternam, absque superaddito dono supernaturali gratiæ.

Maior hujus prob., quia nullius rei actus ordinatur divinitus ad aliquid excedens proportionem suæ virtutis, et hoc quia est ex institutione divinæ providentiæ, ut nihil agat ultra suam virtutem.

Minor hujus prob., quia beatitudo æterna excedit etiam cognitionem in-

tellectus creati, secundum illud 1. Cor. 2. «Nec oculus vidit, nec auris audivit «nec in cor hominis ascendit, etc.»

Et brevius prob. conclusio. Actus hominis in puris naturalibus existentis non ordinantur divinitus absque gratia ad merendum vitam æternam. Ergo homo in puris naturalibus existens non potent mereri vitam æternam sine gratia.

Conseq. prob., quia meritum dependet ex Dei ordinatione, ut dictum est art. præced.

Antec. prob., quia per divinam providentiam non ordinantur actus creaturæ ad ea, quæ excedunt proportionem principii ipsorum actuum, qualis est vita æterna, quæ excedit etiam cognitionem creatam, secundum illud Apost. citati.

2.ª Conclusio. Homo in statu naturæ lapsæ non potest sine gratia mereri vitam æternam.

Prob. Nullus in statu peccati existens potest mereri vitam æternam, nisi prius reconcilietur Deo, dimisso peccato. Ergo homo in statu naturæ lapsæ non potest mereri vitam æternam sine gratia.

Antec. prob., quia peccatum est quædam Dei offensa, et ideo non potest quis á Deo aliquid mereri, nisi dimissa offensa.

Conseq. prob., quia remissio peccati, et offensæ Dei non fit sine gratia: peccatori enim non debetur vita, sed mors, secundum illud Rom. 6. *stipendia peccati mors.*

Corol. Homo igitur, in statu naturæ integræ existens, non potest mereri vitam æternam sine gratia, propter unam rationem, quia ejus actus non ordinantur divinitus ad vitam æternam, cum sit supra suam naturam. Homo vero, in statu naturæ corruptæ, non solum propter hanc rationem, non potest sine gratia mereri vitam æternam sed ulterius non potest mereri, propter impedimentum peccati. Unde gratia, in homine existente in statu naturæ integræ, unum tantum facit: elevat enim hominem ad divinorum participationem. In homine vero, existente in statu naturæ lapsæ facit duo: primo sanat, et reconciliat hominem Deo; deinde elevat eum ad meritorie operandum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod hominem esse ordinatum á Deo secundum suam naturam ad aliquid, potest dupliciter intelligi.

Uno modo, ut illud consequatur secundum propriam virtutem. Alio modo, ut illud non consequatur nisi per superadditam virtutem.

Primo modo, homo ordinatur ad naturalem beatitudinem.

Secundo vero modo, ordinatur ad supernaturalem beatitudinem.

Maior est vera de eo, ad quod homo ordinatur secundum primum modum, non autem de eo, ad quod ordinatur secundo modo. Tunc ad minorem dicitur, quod homo est quidem ordinatus á Deo ad beatitudinem vitæ æternæ consequendam, non propria virtute, sed per auxilium gratiæ; et sic ejus actus potest esse meritorius vitæ æternæ. Dicitur autem homo naturaliter ordinari á Deo ad vitam æternam; non quia habeat naturalem inclinationem ad ipsam, ut sic, sed quia talis finis naturaliter homo est capax.

Ad prob. minoris alias dictum est quod homo naturaliter appetit beatitudinem in communi, non autem beatitudinem supernaturalem in particulari, cum naturaliter eam non possit cognoscere.

Ad 2. Negatur conseq. Ad maiorem probationis, dicitur quod est vera, cæteris paribus. Si enim sint duo opera, quorum utrumque sit meritorium, quod est minus debitum, est magis meritorium. Sed si unum ipsorum non sit meritorium, etiamsi sit minus debitum, nullo modo erit meritorium. Puta servare virginitatem est opus magis meritorium, quam honorare parentes, quia cum utrumque opus sit meritorium, et virginitas est mi-

nus debita, est opus magis meritorium, virginitatem servare, quam parentes honorare. Sed si quis faciat unum opus quod non habeat rationem meriti, etiam si nullo modo sit debitum, non erit per hoc meritorium. Magis enim meritorium opus est, non occidere, sive honorare parentes, quam procedere ad bellum, et mori in bello, quando non fit pro fide tuenda: quia quamvis ire ad bellum, sit minus debitum, tamen quia ex se non est meritorium, non potest dici magis meritorium, quam opus debitum. Quia igitur opus humanum absque gratia non est meritorium, ideo ex hoc quod non est debitum, non potest dici magis meritorium. Et per hoc patet responsio ad probationem ejusdem maioris. Idem enim opus non debitum si tamen sit meritorium, est magis meritorium, quam opus debitum. Secus est autem, si opus minus debitum non sit ex se meritorium.

Ad 3. Dicitur dupliciter, secundum duplicem rationem in corpore positam, ad probandas conclusiones. Et juxta primam rationem, qua dicebatur quod homo non potest mereri, quia ejus actus non ordinatur ad aliquid supra suam naturam absque gratia, negando consequentiam. Non enim est eadem ratio de merito apud homines, et apud Deum. Homo enim non habet virtutem merendi ab alio homine, et ideo homo unus potest ab alio, absque eo quod habuerit prius, ejus gratiam mereri: cum gratia illius non sit sibi causa merendi apud ipsum. Homo autem habet á Deo virtutem merendi, ut dictum est, et cum hæc virtus merendi apud Deum sit per gratiam, non potest homo, etiam in statu naturæ integræ, mereri absque gratia.

Et ad probationem dicitur, quod quamvis sit maior misericordia Dei, quam hominis; tamen, cum homo non possit mereri absque Deo dante virtutem merendi, sequitur quod homini merenti apud Deum sit necessaria gratia: et in hoc apparet maior Dei misericordia, et liberalitas, ut non solum det præmium merenti, sed prius dat virtutem merendi.

Secundum vero aliam rationem, loquendo scilicet de homine in statu naturæ lapsæ, dicitur ad antecedens, quod nec unus homo, qui alium offendit, potest apud offensum mereri, nisi prius recipiatur in gratiam ejus per condonationem offensæ. Unde absolute loquendo de homine offendente, est par ratio de merito apud Deum, et apud homines. Sicut enim homo, qui alium offendit, non meretur nisi per remissionem offensæ, sic nec homo apud Deum: et quia remissio offensæ fit per gratiam, ideo indiget homo peccator gratia sanante, et gratum faciente ad hoc, ut mereri possit vitam æternam á Deo.

ARTICULUS III.

Utrum homo in gratia constitutus possit mereri vitam æternam ex condigno.

Pro negativa. = Videtur quod homo in gratia constitutus non possit mereri vitam æternam ex condigno.

1. *Passionis hujus temporis non sunt condignæ ad futuram gloriam*, quæ revelabitur in nobis, ut dicitur Rom. 8. Ergo per nulla alia opera potest homo mereri vitam æternam ex condigno.

Conseq. prob., quia inter alia opera meritoria maxime videntur esse meritoriæ sanctorum passiones.

2. Qui perducitur ad vitam æternam, non ex meritis, sed ex sola Dei miseratione, non meretur eam ex condigno. Sed homo in gratia existens perducitur ad vitam æternam, non ex meritis, sed ex sola Dei miseratione. Ergo homo in gratia existens non meretur vitam æternam ex condigno.

Minor prob., quia super illud Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna*, dicit Glossa. *Posset recte dicere, stipendium justitiæ vita æterna, sed maluit dicere gratia Dei vita æterna, ut intelligeremus Deum ad æternam vitam pro sua misericordia nos perducere, non meritis nostris.*

3. Actus ejus, qui meretur aliquid ex condigno, æquantur vitæ æternæ. Sed nullus actus hominis, etiam in gratia existentis, in hac vita potest æquari vita æternæ. Ergo homo non potest mereri vitam æternam ex condigno.

Maior prob., quia illud meritum videtur esse condignum, quod æquatur mercedi.

Minor prob., quia vita æterna cognitionem, et desiderium nostrum, charitatem, et dilectionem vitæ, sicut et naturam excedit.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Illud quod redditur homini secundum justum judicium, est merces condigna. Sed vita æterna redditur homini secundum justum judicium. Ergo vita æterna est merces hominis condigna.

Minor prob., quia 2. Tim. 4. dicitur: *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa justus judex.*

Determinatio.

Distinctio. Opus meritorium hominis dupliciter considerari potest. Uno modo secundum quod procedit á libero arbitrio nostro. Alio modo, secundum quod procedit á gratia Spiritus Sancti.

1.ª Conclusio. Opus bonum hominis, secundum suam substantiam, et secundum quod procedit ex libero arbitrio hominis, non est meritorium vitæ æternæ ex condigno.

Prob. Opus quod est maxime inæquale vitæ æternæ, non potest esse meritorium vitæ æternæ ex condigno. Sed opus bonum hominis, secundum suam substantiam, et secundum quod procedit á libero arbitrio hominis, est maxime inæquale vitæ æternæ. Ergo opus hominis, secundum suam substantiam, et secundum quod procedit ex libero arbitrio non potest esse meritorium vitæ æternæ ex condigno.

Maior prob., quia in merito ex condigno, meritum debet æquali mercedi.

2.ª Conclusio. Opus bonum hominis, secundum suam substantiam, et secundum quod est ex ejus libero arbitrio potest esse meritorium vitæ æternæ de congruo.

Manifestatur, quia inter opus meritorium hominis, secundum suam substantiam, ut est ex libero arbitrio, et vitam æternam est quædam æqualitas proportionis; videtur enim congruum ut homini operanti secundum suam virtutem, Deus recompenset secundum excellentiam suæ virtutis.

3.ª Conclusio. Opus meritorium hominis, secundum quod procedit ex gratia Spiritus Sancti, est meritorium vitæ æternæ ex condigno.

Manifest. Quia sic valor meriti attenditur secundum virtutem Spiritus Sancti moventis in vitam æternam, secundum illud Joan. 4. «Fiet in eo fons «aquæ salientis in vitam æternam.» Attenditur etiam prætium operis secundum dignitatem gratiæ, per quam homo consors factus divinæ naturæ, adoptatur in filium Dei, cui debetur hæreditas ex ipso jure adoptionis secundum illud Rom. 8. *Si filii, et hæredes.*

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad antec. quod passiones hujus temporis dupliciter considerari possunt. Uno modo secundum suam substantiam, secundum quod procedunt á libero arbitrio. Alio modo, secundum quod sunt á virtute Spiritus Sancti. Si considerentur primo modo, non sunt condignæ ad futuram gloriam, et sic de eis locutus est Apost. loco cit. in arg. Si vero de eis loquamur secundo modo, sunt meritoriæ de condigno æternæ vitæ, ut dictum est.

Ad 2. Dicitur, quod consecutio vitæ æternæ habet duplicem causam, scilicet primam, et subsequentem. Causa prima est Dei misericordia. Causa subsequens est meritum nostrum. Qui igitur perducitur ad vitam æternam ex sola Dei miseratione absque ullo suo merito, non mere-

tur eam ex condigno. Sed si perducatur ad vitam æternam ex Dei miseratione, tamquam ex causa prima, et ex meritis, tamquam ex causa subsequenti, ex condigno eam meretur. Tunc ad formam argumenti negatur minor. Homo enim existens in gratia perducitur ad vitam æternam, ex Dei quidem miseratione, tamquam ex causa prima; sed ex meritis, tamquam ex causa subsequenti.

Ad prob. dicitur, quod Glossa illa intelligitur quantum ad causam primam perveniendi ad vitam æternam: et sensus est, quod nos perducimur ad æternam vitam ex Dei miseratione, et non ex meritis, tamquam ex causa principali, cum quo tamen stat, ut etiam ex meritis, tamquam ex causa subsequenti, et ex condigno, eam, qui est in gratia, consequatur.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod gratia Spiritus Sancti, quam in præsenti habemus, etsi non sit æqualis gloriæ actu, est tamen æqualis in virtute: sicut semen arborum, etsi actu sit minus arbore, tamen virtute continet totam arborem. Unde sicut in semine est virtus, ex qua arbor producitur, sic per gratiam inhabitat in nobis Spiritus Sanctus, qui est sufficiens causa vitæ æternæ. Unde 2. Cor. 1. dicitur: «gratia pignus hæreditatis nostræ.»

ARTICULUS IV.

Utrum gratia sit principium meriti principalius per charitatem, quam per alias virtutes.

Pro negativa.=Videtur quod gratia non sit principium meriti principalius per charitatem, quam per alias virtutes.

1. Virtutes, quæ sunt principium operis, sunt principium merendi. Sed quælibet virtus est principium alicujus operis. Ergo quælibet virtus, et non sola charitas, est principium merendi.

Maior prob., quia merces debetur operi, juxta illud Matth. 20. *Voca operarios, et redde illis mercedem.*

Minor prob., quia virtus est habitus operationis, ut dictum est q. 55. ar. 2.

2. Virtus, quæ minuit laborem, non est magis principium merendi, quam alia virtus. Sed charitas minuit laborem. Ergo charitas non est magis principium merendi, quam sint aliæ virtutes.

Maior prob., quia 1. Cor. 3. dicitur: «unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum proprium laborem.»

Minor prob., quia August. dicit in lib. de verb. Dom. serm. 9. quod «omnia sæva, et immania, facilia, et quasi «nulla facit amor.» Unde videtur quod charitas potius diminuat meritum, quam quod sit merendi principium.

3. Illa virtus, cujus actus sunt maxime meritorii, videtur maxime esse principium merendi. Sed actus fidei, et patientiæ, sive fortitudinis sunt maxime meritorii: ut patet de martyribus, qui pro fide patienter, et fortiter usque ad mortem certaverunt. Ergo virtutes fidei, et patientiæ, sive fortitudinis videntur maxime principium merendi.

PRO AFFIRMATIVA.

Argumentum sed contra.

Virtus, cui promittitur Dei manifestatio, est maxime principium merendi, Sed charitati promittitur Dei manifestatio. Ergo charitas est maxime principium merendi.

Maior prob., quia in manifesta Dei cognitione consistit vita æterna, secundum illud Joan. 17. «Hæc est vita æter«na, ut cognoscant te solum verum Deum,» etc.

Minor prob., quia Joan. 14. dicitur. *Si quis diligit me,* (quod fit per charitatem) *diligetur á patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum.*

Determinatio.

Distinctio. Humanus actus habet rationem merendi ex duobus. Primo quidem, et principaliter ex divina ordinatione, secundum quod actus dicitur esse meritorius illius boni, ad quod homo divinitus ordinatur. Secundo vero, ex par-

te liberi arbitrii in quantum scilicet homo habet præ cæteris creaturis ut per se agat, quatenus voluntarie agit. Duo igitur requiruntur ad hoc, ut actus sit meritorius. Primo quod sit á Deo ordinatus ad mercedem æternæ vitæ. Secundo, ut sit voluntarius.

1.ª Conclusio. Gratia est principium meriti humani actus, secundum quod est ordinatus á Deo ad æternam vitam principaliter per charitatem, et secundario per alias virtutes.

Prob. primo quoad priorem partem sic. Illa virtus, cujus proprius actus est movere humanam mentem ad fruitionem divini boni, est principale principium meriti actus humani, secundum quod est á Deo ad vitam æternam præordinatus. Sed charitatis proprius actus est movere humanam mentem ad fruitionem divini boni. Ergo charitas est principale principium meriti humani actus, quatenus est á Deo ad vitam æternam ordinatus.

Maior prob., quia vita æterna in Dei fruitione consistit. Unde virtus, quæ est principale principium motus humanæ mentis in hanc fruitionem, erit principale principium meriti, secundum quod humanus actus est meritorius ex divina ordinatione.

Altera pars probatur. Virtutes, quarum actus per charitatem ordinantur ad divinam fruitionem, sunt principium meriti secundario. Sed aliarum virtutum actus ordinantur ad ultimum finem, et ad æternam vitam per charitatem. Ergo aliæ virtutes sunt secundarium principium meriti humani actus.

Minor probatur, quia aliarum virtutum actus, quatenus ad Deum ordinantur, imperantur á charitate.

2.ª Conclusio. Charitas est principale principium meriti actus humani, secundum quod est ex libero arbitrio et voluntarius.

Prob. Illud per quod, quod facimus maxime voluntarie facimus, est principale principium meriti, secundum quod ad meritum concurrit voluntarium. Sed per charitatem maxime voluntarie facimus illud quod facimus. Ergo charitas est principale principium meriti, secundum quod ad rationem meriti concurrit voluntarium, sive liberum arbitrium.

Minor prob., quia quod ex amore facimus, maxime voluntarie facimus.

Quia igitur charitas est quæ primo movet mentem humanam in divinam fruitionem, et etiam facit ut maxime voluntarie faciamus, quæ facimus; ideo est principale principium meriti. Et quia aliæ virtutes non ordinantur ad divinam fruitionem, nisi per charitatem; ideo aliæ virtutes sunt secundarium principium meriti.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad maiorem quod ad hoc ut virtus sit principium merendi, non sufficit ut sit principium cujuscumque operis, sed operis quod in Deum ordinetur. Quod si actus virtutis immediate, et principaliter in ultimum finem ordinetur, erit virtus principale principium meriti. Si autem ejus actus sit ab actu alterius virtutis in finem ordinatus, erit principium meriti secundario. Tunc ad minorem dicitur, quod quælibet virtus est quidem principium operis, sed tamen sola charitas habet actum immediate circa ultimum finem, utpote cuius objectum est ultimus finis. Ideo actus charitatis præcipue est meritorius; actus vero aliarum virtutum, utpote quæ habent pro objecto ea quæ sunt ad finem, ut alias dictum est, propterea ordinantur ad ultimum finem per actum charitatis. Unde charitas principaliter, et aliæ virtutes secundario sunt principium meriti.

Ad 2. Dicitur, quod aliquod opus potest esse laboriosum, et difficile dupliciter. Uno modo, ex magnitudine operis, et sic martyrium difficilius, et laboriosius opus est, quam dare eleemosynam, vel ieiunare. Alio modo, ex defectu operantis: secundum quem modum difficilius

est alicui discolo abstinere á ludo, vel audire concionem, quam bono religioso ieiunare et assidue orare. Magnitudo laboris, quæ est ex magnitudine operis, pertinet ad augmentum meriti; qui enim opera magis difficilia, et laboriosa facit, magis meretur. Labor autem, qui est ex parte operantis, non solum non auget meritum, sed potius tollit rationem meriti; provenit enim hic labor ex eo quod operans non prompta voluntate operatur. Tunc ad maiorem dicitur quod est vera de labore, qui est ex magnitudine operis. Quod enim tollit laborem, qui est ex magnitudine operis, non est principium meriti, quia talis labor est de ratione meriti, non autem est vera de eo quod tollit laborem, qui est ex indispositione operantis; talis enim labor meritum tollit. Si quis enim non prompte ieiunet, non tantum meretur, ut ille qui prompte ieiunat. Et ad minorem dicitur quod charitas non tollit laborem, qui est ex magnitudine operis, immo facit aggredi opera maxima: *operatur enim magna si est*, inquit Greg. in hom. 30. in Evang. Pent. Sed tollit laborem, qui est ex indispositione operantis, dum ipsum promptum reddit ad bona opera exercenda, quod non tollit meritum, ut dictum est.

Ad 3. Dicitur ad minorem, quod actus fidei et fortitudinis non sunt meritorii nisi per charitatem: fidei enim actus meritorii sunt, quando fides per dilectionem operatur, ut dicitur ad Gal. 5. Et etiam actus patientiæ, et fortitudinis non sunt meritorii, nisi sint ex charitate. Unde Apost. 1. Cor. 13. dicit. *Si habuero omnem fidem, et si tradidero corpus meum, ità ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

ARTICULUS V.

Utrum homo possit sibi mereri primam gratiam.

Pro affirmativa.=Videtur quod homo possit sibi mereri primam gratiam.

1. Qui potest sibi mereri justificationem, potest sibi mereri primam gratiam. Sed homo potest sibi mereri justificationem. Ergo homo potest sibi mereri primam gratiam.

Maior prob., quia homo justificatur per primam gratiam. Unde qui sibi meretur justificationem, meretur sibi et primam gratiam.

Minor prob., quia August. dicit in præfá. Psal. 31. *Fides meretur justificationem.*

2. Deus non dat gratiam nisi dignis. Ergo aliquis ex condigno potest mereri primam gratiam.

Consequentia probatur. Quia non dicitur aliquis dignus aliquo dono, nisi qui ipsum ex condigno promeruerit.

3. Apud homines aliquis potest mereri donum jam acceptum. Ergo multo magis primam gratiam jam susceptam potest homo promereri á Deo per subsequentia opera.

Antecedens probatur, quia qui equum accepit á domino, meretur ipsum bene utendo eo in servitio domini.

Consequentia prob. Quia Deus liberalior est, quam homo.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Illud meretur homo quod imputatur sibi secundum debitum, quasi merces operum. Sed gratia non potest imputari homini secundum debitum. Ergo gratiam non potest homo mereri.

Minor probatur, quia ratio gratiæ repugnat mercedi operum, secundum illud Rom. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.*

Determinatio.

Distinctio. Gratia potest considerari dupliciter uno modo, ut est donum quoddam, quod gratis á Deo homini datur: alio modo, ut est quædam participatio divinæ naturæ.

1.ª Conclusio. Gratia secundum quod

est donum gratis datum, nullo modo cadit sub merito.

Prob. Quia omne meritum repugnat gratiæ. Ut enim Apost. Rom. 11. dicit *Si gratia jam non ex operibus.*

2.ª Conclusio. Gratia secundum quod est res quædam, nullo modo potest cadere sub merito ejus, qui non habet gratiam.

Prob. dupliciter. Primo gratia excedit naturam ejus, qui non habet gratiam. Ergo gratia non cadit sub merito ejus, qui non habet gratiam.

Prob. secundo. Qui habet impedimentum promerendi gratiam non potest gratiam mereri. Sed qui non habet gratiam, habet impedimentum promerendi gratiam, scilicet peccatum. Ergo qui non habet gratiam, non potest mereri gratiam.

3.ª Conclusio. Qui habet gratiam, non potest mereri gratiam, quam jam habet.

Prob. Terminus operis non potest esse ejusdem operis principium. Sed gratia, quam quis habet, est principium operis meritorii; id autem quod quis meretur, est terminus operis. Ergo gratia habita non potest cadere sub merito habentis gratiam.

Corol. Ex quo sequitur quod si is, qui est in gratia aliud gratuitum donum mereatur, puta maiorem participationem divinæ naturæ, virtute præcedentis gratiæ, quod illud non sit prima gratia.

4.ª Conclusio. Nullus potest sibi mereri primam gratiam.

Hæc concl. sequitur manifeste ex dictis. Nam gratia, secundum quod est gratuitum Dei donum, nullo modo cadit sub merito; ut vero est res quædam, non cadit sub merito non habentis gratiam, sed solum potest cadere sub merito habentis jam gratiam, qui cum non possit mereri gratiam, quam habet, sequitur evidenter quod prima gratia, neque ut est donum, neque ut est res potest cadere sub merito.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur minor. Ad probationem dicitur, quod ut habetur lib. 1. retract. cap. 23. ipse Aug. aliquando in hoc fuit deceptus, quod credidit initium fidei esse ex nobis, sed consummationem nobis dari ex Deo, quod ipse ibidem retractat. Et ad hunc sensum videtur pertinere id quod dixit, quod fides justificat. Sed si supponamus (ut veritas rei habet) quod initium fidei sit in nobis á Deo, jam ipse actus fidei consequitur ipsam gratiam primam, et ideo actus fidei non potest esse meritorius primæ gratiæ. Igitur homo justificatur per fidem, non quasi fides mereatur justificationem, sed quia dum justificatur, credit; eo quod motus fidei requiratur ad justificationem impii, ut dictum est q. præced. ar. 4.

Ad 2. Negatur consequentia. Deus enim non dat gratiam nisi dignis, non ita quod prius digni fuerint; sed quia eos per gratiam ipse facit dignos, qui solus potest facere mundum de immundo conceptum semine. Ad probationem dicitur, quod qui recipit gratiam, est dignus, quia á Deo, qui dat gratiam, fit dignus.

Ad 3. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de gratia hominis, et Dei. Gratia enim hominis non est causa operum omnium, quæ agit is, qui habet hominis gratiam: et ideo potest unus homo, qui nondum habet alterius gratiam, facere aliquid, per quod ipsam mereatur. Gratia autem Dei est principium omnium operum, quæ meritorie operari potest homo, ut ex dictis patet, et ideo impossibile est ut aliquis mereri possit aliquid á Deo, nisi mediante gratia Dei prius habita: et in hoc apparet maior Dei misericordia, et liberalitas, quod cum non possimus meritorie operari sine ipso, confert principium operandi, et dat mercedem operis meritorii.

ARTICULUS VI.

Utrum homo possit alteri mereri primam gratiam.

Pro affirmativa. = Videtur quod homo possit alteri mereri primam gratiam.

1. Qui potest alteri mereri interiorem sanationem, potest mereri alteri primam gratiam. Sed unus homo potest alteri mereri interiorem sanationem. Ergo unus homo potest alteri mereri primam gratiam.

Maior prob., quia interior sanatio hominis est per primam gratiam.

Minor prob., quia super illud Matth. 9. *Videns Jesus fidem illorum* etc. dicit Glos Ordin. «Quantum valet apud Deum «fides propria, apud quem sic valuit alie«na, ut intus, et extra sanaret homi«nem.»

2. Qui potest mereri alteri salutem, potest ei mereri primam gratiam. Sed unus homo potest mereri alteri salutem Ergo unus homo potest alteri mereri primam gratiam.

Maior prob., quia salus hominis non potest esse nisi per gratiam.

Minor prob., quia Jacob. ult. dicitur. *Orate pro invicem, ut salvemini.* Ergo unus potest mereri alteri salutem.

Conseq. hæc prob. Quia orationes justorum non sunt vacuæ, sed efficaces: ut enim ibidem subditur, *Multum valet deprecatio justi assidua.*

3. Qui meretur alicui recipi in æterna tabernacula, meretur ei primam gratiam. Sed quis potest mereri alteri, recipi in æterna tabernacula. Ergo unus potest mereri alteri primam gratiam.

Maior prob. Quia nullus recipitur in æterna tabernacula, nisi per gratiam, per quam solam aliquis meretur vitam æternam.

Minor prob. quia Luc. 16. dicitur: *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis*, idest dare eleemosynam, *ut cum defeceritis, recipiant vos*, scilicet pauperes per suas præces, *in æterna tabernacula.*

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Jier. 15. dicitur. *Si steterit Moyses, et Samuel coram me* (qui tamen fuerunt maximi meriti apud Deum) *non erit anima mea ad populum istum.* Ergo nullus potest mereri alteri primam gratiam.

Determinatio.

Distinctio. Opus nostrum habet rationem meriti ex duobus, ut dictum est. Primo quidem, ex vi motionis divinæ: et sic meretur aliquis ex condigno. Alio modo, secundum quod procedit ex liberio arbitrio in quantum voluntarie aliquid facimus: et ex hac parte est meritum congrui, quia congruum est ut dum homo bene utitur sua virtute, Deus secundum superexcellentem suam virtutem superexcellenter operetur.

1.ª Conclusio. Merito condigni nullus potest alteri mereri primam gratiam, nisi solus Christus.

Hæc concl. habet duas partes. Prima est quod nullus potest mereri alteri primam gratiam. Altera est quod Christus potest alteri mereri primam gratiam.

Prob. primo, quoad priorem partem. Qui non movetur á Deo per donum, gratiæ, nisi ut ipse ad vitam perveniat, non potest alteri mereri primam gratiam. Sed unusquisque nostrum movetur á Deo per donum gratiæ, solum ut ipse ad vitam æternam perveniat. Ergo nullus nostrum potest alteri primam gratiam mereri.

Altera pars probatur. Qui movetur á Deo per donum gratiæ, non solum ut ipse ad gloriam perveniat, sed etiam ut alios ad vitam æternam perducat, potest aliis mereri primam gratiam. Sed Christi anima mota est á Deo per gratiam, non solum ut ipse perveniret ad gloriam vitæ æternæ, sed etiam ut alios in eam adduceret, in quantum est caput Ecclesiæ, et auctor salutis humanæ, secundum illud Heb. 2. «Qui multos «filios in gloriam adduxerat, auctorem «salutis, etc. Ergo Christus meruit nobis primam gratiam.

2.ª Conclusio. Merito congrui potest qui est constitutus in gratia, mereri alteri primam gratiam.

Manifestatur: quia enim homo in gra-

tia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est secundum amicitiæ proportionem, ut Deus impleat voluntatem hominis in gratia existentis ad salvationem alterius: etsi quandoque non sequatur effectus salutis in eo, cui quis in gratia constitutus salutem petit, est propter impedimentum peccati, quod invenitur in eo, pro quo petitur salus.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod unus homo per fidem potest alteri mereri interiorem sanationem, et per consequens primam gratiam meritò congrui, sed non merito condigni, ut dictum est.

Ad 2. Dicitur ad minorem, quod aliquis potest mereri alteri salutem de congruo, non de condigno.

Ad probationem dicitur, quod impetratio orationis innititur divinæ misericordiæ, meritum autem condigni innititur justitiæ, et ideo multa orando impetrat homo ex divina misericordia, quæ tamen non meretur secundum justitiam, secundum illud Dan. 9. «Neque enim in »justificationibus nostris prosternimus »preces ante faciem tuam, sed in mi«serationibus tuis multis.»

Ad 3. Dicitur ad minorem, et ad ejus probationem, quod pauperes eleemosynas recipientis dicuntur recipere alios in æterna tabernacula, vel impetrando eis veniam orando; vel merendo, per alia bona opera de congruo, eis, á quibus recipiunt eleemosynas; vel tandem quia per ipsa opera misericordiæ, quæ quis in pauperes exercet, meretur recipi in æterna tabernacula.

ARTICULUS VII.

Utrum homo possit sibi mereri reparationem post lapsum.

Pro affirmativa.=Videtur quod homo possit sibi mereri reparationem post lapsum.

1. Illud, quod juste á Deo petitur, videtur homo posse mereri. Sed reparatio post lapsum juste á Deo petitur. Ergo reparationem post lapsum potest homo sibi mereri.

Minor prob., quia nihil justius á Deo petitur, quam reparatio post lapsum, ut Aug. dicit, secundum illud Psalmi 70. *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me Domine.*

2. Homo potest aliquo modo mereri alteri reparationem post lapsum, sicut et primam gratiam. Ergo multo magis sibi mereri potest ut reparetur post lapsum.

Conseq. prob., quia homini multo magis sibi opera sua prossunt, quam alteri.

3. Qui sibi mereri potest vitam æternam, potest mereri reparationem post lapsum. Sed homo, qui aliquando fuit in gratia, meruit sibi per bona opera vitam æternam. Ergo homo potest sibi mereri reparationem post lapsum.

Maior prob., quia non potest quis ad vitam æternam pervenire, nisi reparetur per gratiam. Si igitur homo, dum esset in gratia, meruit vitam æternam, post lapsum potest sibi mereri reparationem, ut vitam æternam, quam prius meruerat, consequi valeat.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Homini in peccatum lapso, nihil valebunt præcedentia merita, ad hoc ut resurgat. Ergo homo non potest sibi mereri reparationem post lapsum.

Antec. prob. quia Ezech. 18. dicitur: *Si averterit se justus á justitia sua, et fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.*

Determinatio.

Conclusio. Nullus, etiam in gratia existens potest sibi mereri reparationem post lapsum futurum, neque merito condigni, neque merito congrui.

Probatur, quoad utramque partem, et quoad primam. Motio divinæ gratiæ, á qua dependet ratio meriti, interrumpitur in homine lapso per peccatum, in quo labitur. Ergo homo beneficia, quæ

postmodum á Deo consequitur, quibus reparatur, non cadunt sub merito tamquam motione prioris gratiæ, quæ motio ad hæc beneficia non se extendit.

Quoad secundam prob. Meritum congrui, quo quis alteri primam gratiam meretur, impeditur ne consequatur effectum, propter impedimentum peccati in eo, cui quis meretur. Ergo multo magis impeditur talis meriti efficacia per impedimentum quod est, et in eo, qui meretur, et in eo, cui meretur: hic enim utrumque in unam personam concurrit. Nullo igitur modo potest sibi quis mereri reparationem post lapsum.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur, quod potest dici justum dupliciter. Uno modo, quia innititur justitiæ. Alio modo, quia tendit ad justum. Tunc ad maiorem dicitur, quod id, quod juste á Deo petitur, quia innititur justitiæ, potest petens mereri. Si vero juste petatur solum quia in justum tendit, non cadit sub merito. Ad minorem igitur dicitur quod reparationem post lapsum juste homo á Deo petit, non quod ejus petitio aut oratio innitatur justitia, sed quia ad justitiam ejus petitio ordinatur, et innititur solum hujusmodi petitio, et oratio divinæ misericordiæ.

Ad 2. Negatur conseq. Ad prob. dicitur, quod homini prossunt magis opera sua, quam alterius, si non adsit impedimentum. Quando enim aliquis pro alio petit reparationem, potest esse impedimentum, saltem ex parte petentis, et merentis. Sed quando quis petit propriam reparationem, ex parte utriusque est impedimentum, quia scilicet is qui petit, et is pro quo petitur, scilicet idemmet, est in statu peccati.

Ad 3. quorumdam responsio.

Ad 3. Quidam dixerunt quod nullus in gratia existens, meretur absolute vitam æternam, nisi per actum finalis gratiæ, scilicet sub conditione, si perseveret. Unde negabant absolute minorem.

Reprobatio.

Sed hoc irrationabiliter dicitur, quia quandoque actus ultimæ gratiæ est minus meritorius, quam præcedentes propter ægritudinis oppressionem: unde si per præcedentes actus gratiæ non meretur homo vitam æternam, multo minus per illum ultimum actum eam mereri poterit.

Vera responsio.

Dicitur igitur, concedendo ipsam minorem: quilibet enim actus charitatis meretur absolute vitam æternam. Sed quia per peccatum sequens ponitur impedimentum præcedenti merito, non sequitur effectus ejus: sicut causæ naturales non sortiuntur aliquando effectus propter supervenientia impedimenta. Negatur igitur absolute maior; potest enim quis mereri sibi vitam æternam, et non reparationem post lapsum, ratione dicta in corpore.

ARTICULUS VIII.

Utrum homo possit mereri augmentum, gratiæ, vel charitatis.

Pro negativa.—Videtur quod homo non possit mereri augmentum gratiæ, vel charitatis.

1. Si homo posset mereri augmentum gratiæ, vel charitatis, sequitur quod gratia augmentata non posset ulterius expectare aliud præmium: quod est inconveniens.

Conseq. prob., quia cum aliquis acceperit præmium quod meruit, non debetur ei alia merces, sicut de quibusdam dicitur Matth. 6. *Receperunt mercedem suam.* Unde si quis mereretur augmentum gratiæ, reciperet mercedem, scilicet gratiam maiorem, et sic non deberetur ei præmium vitæ æternæ.

2. Principium meriti est gratia, vel charitas, ut dictum est art. 2. et 4. Ergo nullus potest maiorem gratiam mereri, quam habeat.

Conseq. prob., quia nihil agit ultra suam speciem.

3. Si augmentum gratiæ, vel charitatis cadit sub merito, sequetur quod per quemlibet actum charitate informatum aliquis mereretur augmentum charitatis: quod tamen est falsum.

Conseq. prob., quia illud quod cadit sub merito meretur homo per quemlibet actum á gratia, vel charitate procedentem. Sicut per quemlibet talem actum meretur homo vitam æternam.

Falsitas consequentis ostenditur. Si homo per quemlibet actum charitate informatum mereretur augmentum gratiæ vel charitatis, sequeretur quod per quemlibet actum meritorium, gratia, vel charitas augeretur; quod etiam est falsum.

Conseq. hæc prob., quia id quod homo á Deo meretur, infallibiliter consequitur, nisi impediatur per peccatum sequens: dicitur enim 2. Tim. 1. *Scio cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare.* Si igitur homo quolibet actu gratia informato meretur: sequitur quod in quolibet actu gratia augeatur: quod est falsum.

Falsitas consequentis hujus ostenditur, quia actus charitatis quandoque non sunt ita ferventes, ut sufficiant ad charitatis augmentum.

Vel aliter formatur hoc argumentum. Si augmentum charitatis caderet sub merito, sequeretur quod in quolibet actu charitate informato homo haberet augmentum gratiæ, vel charitatis; quod tamen est falsum.

Conseq. prob., quia si augmentum charitatis caderet sub merito, homo ipsum mereretur in quolibet actu charitate informato, sicut in qualibet tali actu vitam æternam meretur. Et cum Deus infallibiliter det homini merenti, quod meretur, ut patet ex 2. Tim. 1. sequitur quod in quolibet actu recipiat homo á Deo augmentum gratiæ.

Falsitas autem consequentis ostenditur quia non quilibet actus, etiam charitate informatus, est tanti fervoris, ut sufficiat ad charitatis augmentum.

PRO AFFIRMATIVÁ.

Argumentum sed contra.

Charitas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, ut dicit Aug. tract. 5. super Epist. Joan. Ergo augmentum charitatis cadit sub merito.

Determinatio.

Conclusio. Augmentum gratiæ cadit sub merito condigni.

Probatur. Illud ad quod motio gratiæ se extendit, cadit sub merito condigni, ut art. 6. et 7. dictum est. Sed ad augmentum gratiæ et charitatis, motio gratiæ se extendit. Ergo augmentum gratiæ cadit sub merito condigni.

Minor prob. Ad progressum motus charitatis, vel gratiæ se extendit motio gratiæ. Sed augmentum gratiæ est progressus motus gratiæ. Ergo ad augmentum charitatis se extendit motus gratiæ.

Maior hujus prob., quia motio moventis non solum se extendit ad ultimum terminum motus, sed etiam ad totum progressum in motu.

Minor hujus prob. Nam motio gratiæ habet pro ultimo termino vitam æternam, progressus hujus motus est augmentum charitatis, juxta illud Prov. 4. *Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit* (per augmentum charitatis) *usque ad perfectum diem*, qui est dies gloriæ.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod cum præmium sit terminus meriti, sicut est duplex terminus in quolibet motu, scilicet ultimus qui habet rationem solum termini, et medius, qui potest habere rationem termini, respectu præcedentis partis motus, et rationem principii respectu sequentis motus: ita duplex est præmium in motione gratiæ, scilicet vita æterna quæ habet rationem ultimi termini, et augmentum gratiæ, quod habet rationem medii: est enim terminus præcedentis meriti, et principium meriti sequentis, quousque ad ul-

timum terminum æternæ vitæ perveniatur. Ad authoritatem autem Scripturæ inductam ex Matth. 9. dicitur, quod Dominus loquitur de his qui bona opera faciunt propter temporale præmium constituentes ipsum quasi ultimum finem: tales enim cum non tendant ad vitam æternam, eam non consequuntur, sed recipiendo temporalem favorem, recipiunt mercedem suam, quam ut ultimum finem operum intendunt.

Ad 2. Neg. conseq. Ad probationem dicitur, quod augmentum gratiæ non est supra virtutem gratiæ præcedentis, sed solum supra quantitatem. Unde gratia præcedens non agit supra id, quod est supra suam speciem et virtutem, sed supra id quod est maius secundum quantitatem, et hoc non est inconveniens, quia semen quod est minoris quantitatis, quam planta, producit plantam quæ est in semine secundum virtutem.

Ad 3. Dicitur ad priorem formam, negando falsitatem consequentis. Meretur enim homo per quemlibet actum charitate formatum, augmentum charitatis, sicut gratiæ consummationem, quæ est vita æterna.

Ad prob. Negatur conseq., meretur enim homo per quemlibet actum gratuitum augmentum, sed tamen non semper statim tale augmentum recipit, sicut nec statim recipit æternam vitam, sed suo tempore, cum scilicet aliquis fuerit sufficienter dispositus ad gratiæ augmentum.

Ad aliam formam neg. conseq. Ad prob. dicitur, quod per quemlibet actum charitate formatum meretur augmentum gratiæ, quod tamen non in quolibet actu consequitur, sed quando fuerit sufficienter dispositus. Sicut etiam in quolibet actu charitate formato meretur vitam æternam, quam tamen non statim recipit, sed tempore debito.

ARTICULUS IX.

Utrum homo possit perseverantiam mereri.

Pro affirmativa.=Videtur quod aliquis possit perseverantiam mereri.

1. Illud quod homo obtinet petendo, potest cadere sub merito habentis gratiam. Sed homo obtinet perseverantiam petendo. Ergo homo potest mereri perseverantiam.

Minor prob., quia alioquin frustra peteretur á Deo in petitionibus orationis Dominicæ, ut August. exponit in lib. de bono persever. c. 2.

2. Homo potest mereri non posse peccare. Ergo multo magis potest mereri non peccare, quod est perseverare in bono.

Antecedens probatur, quia homo potest mereri vitam æternam, de cujus ratione est non posse peccare.

Conseq. prob., quia non posse peccare maius est, quam non peccare. Si igitur illud cadit sub merito, multo magis hoc sub merito cadere potest.

3. Homo potest mereri augmentum gratiæ quam habet, ut artic. præced. dictum est. Ergo multo magis potest mereri perseverantiam.

Consequentia probatur, quia maius est augmentum gratiæ, quam perseverantia in gratia, quam quis habet.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Omne, quod quis meretur, á Deo consequitur, nisi impediatur per peccatum. Sed perseverantiam non consequuntur omnes, qui habent opera meritoria, etiam nullo opposito impedimento. Ergo perseverantia non cadit sub merito.

Quod si negatur minor, quia hoc est propter impedimentum peccati, dicitur quod hoc verum non est, quia hoc ipsum, quod est peccare, opponitur perseverantiæ, ita quod si aliquis perseverantiam mereretur, Deus non permitteret cadere ipsum in peccatum.

Determinatio.

Distinctio. Dupliciter aliquis potest obtinere á Deo perseverantiam in bono. Uno modo, per hoc quod liberum arbitrium determinatur ad bonum per gratiam

consummatam: et hæc est perseverantia, quæ erit in gloria. Alio modo, ex parte motionis divinæ, quæ hominem inclinat in bonum usque in finem, et hæc est perseverantia viæ.

1.ª Conclusio. Perseverantia patriæ cadit sub merito.

Prob. Terminus ultimus divinæ gratuitæ motionis cadit sub merito, ut dictum est art. præced. Sed perseverantia patriæ pertinet ad ultimum terminum divinæ gratuitæ motionis, scilicet æternæ beatitudinis. Ergo perseverantia patriæ cadit sub merito.

2.ª Conclusio. Perseverantia viæ non cadit sub merito, sed ipsam Deus gratis largitur cuicumque largitur.

Prob. Quod pertinet ad principium meriti, non cadit sub merito, ut dictum est de prima gratia, quæ quia est principium omnis meriti, sub merito non cadit. Sed perseverantia viæ pertinet ad principium meriti; dependet enim solum ex divina motione, quæ est principium omnis meriti. Ergo perseverantia viæ cadit sub merito; sed si quis eam á Deo accipit, gratis, et absque ullo merito accipit.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Negatur maior. Multa enim impetramus orando, quæ tamen non meremur: nam Deus audit peccatores veniam petentes, quam tamen non merentur. Ut patet per August. tract. 44. in Joan. super illud, *Scimus, quia peccatores Deus non audit.* Alioquin frustra dixisset Publicanus, *Deus propitius esto mihi peccatori.* Et similiter aliquis orando impetrare potest perseverantiæ donum sibi, vel alteri, quod tamen non meretur. Non ergo frustra petitur, etiam si non cadat sub merito.

Ad 2. Negatur conseq. Non enim est eadem ratio de eo quod est non posse peccare, quod pertinet ad perseverantiam patriæ, et de eo quod est non peccare, quod pertinet ad perseverantiam viæ. Illud enim cadit sub merito, quia comparatur ad gratuitam motionem, et ad motum liberi arbitrii meritorium, ut terminus. Hæc vero comparatur ad eumdem motum, ut principium meriti. Et quia terminus meriti cadit sub merito, non autem principium; ideo illa perseverantia cadit sub merito, non autem ista.

Ad prob. dicitur, quod etsi non posse peccare maius sit, quam non peccare; tamen non posse peccare pertinet ad terminum meritoriæ motionis, non peccare vero pertinet ad principium meriti: et ideo primum cadit sub merito, non autem secundum, ut dictum est.

Ad 3. Negatur conseq. Ad prob. dicitur quod licet gratiæ augmentum maius quid sit, quam perseverantia in gratia, quam quis habet, tamen quia gratiæ augmentum est terminus, licet non ultimus divinæ motionis, ideo cadit sub merito; perseverare vero in gratia, quæ habetur, pertinet ad principium meriti, ut dictum est. Et ideo augmentum gratiæ cadit sub merito, non autem perseverare in gratia, quam quis habet in via.

ARTICULUS X.

Utrum temporalia bona cadant sub merito.

Pro affirmativa.=Videtur quod temporalia bona cadant sub merito.

1. Illud, quod promittitur aliquibus. ut præmium justitiæ, cadit sub merito. Sed temporalia bona promissa sunt in lege veteri, ut præmium justitiæ, ut patet Deut. 28. Ergo bona temporalia cadunt sub merito.

2. Illud quod Deus retribuit alicui, pro servitio sibi facto, cadit sub merito. Sed bona temporalia retribuuntur á Deo aliquibus, pro servitio sibi facto. Ergo bona temporalia cadunt sub merito.

Minor prob. quia Exod. 1. dicitur. *Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit illis domos,* ubi dicit Glos. Greg. 18. l. mor. quod *Benignitatis earum merces potuit in æterna retribui: sed*

culpa mendacii terrenam retributionem accipit. Et Ezech. 29. dicitur. *Rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum, et merces non est reddita ei.* Et postea subdit: *erit merces exercitui illius, et dedi ei terram Egypti, pro eo quod lavoraverit mihi.*

3. Propter demeritum peccati aliqui puniuntur á Deo temporalibus pœnis, sicut patet de Sodomitis Gen. 19. Ergo propter meritum aliqui debent temporaliter renumerari.

Conseq. prob., quia sicut se habet malum ad demeritum, ita se habet bonum ad meritum. Unde sicut malum temporale cadit sub demerito, ita bonum temporale debet cadere sub merito.

PRO NEGATIVA.

Argumentum sed contra.

Ea, quæ similiter se habent ad bonos et ad malos, non cadunt sub merito. Sed bona temporalia similiter se habent ad omnes, et bonos et malos. Ergo bona temporalia non cadunt sub merito.

Minor prob., quia Eccles. 9. dicitur: *Universa æque eveniunt justo, et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas, et sacrificia contemnenti.*

Determinatio.

1.ª *Distinctio.* Aliquid cadere sub merito potest dupliciter intelligi. Uno modo, ut cadat sub merito simpliciter. Alio modo, ut cadat sub merito secundum quid.

Manifestatur hæc dist. Nam quod sub merito cadit est præmium, vel merces, et habet rationem boni. Bonum autem hominis est duplex. Quoddam est bonum hominis simpliciter. Et quoddam est bonum hominis secundum quid. Bonum hominis simpliciter est ultimus finis ejus, secundum illud Psal. 74. *Mihi autem adhærere Deo bonum est*: et per consequens omnia bona ducentia ad hunc finem sunt bona simpliciter hominis. Bonum autem hominis non simpliciter. Sed secundum quid, est, quod est ei bonum, ut nunc, vel quod ei est secundum quid bonum. Bonum igitur hominis simpliciter cadit sub merito simpliciter. Bonum vero hominis secundum quid cadit sub merito secundum quid.

2.ª *Distinctio.* Temporalia bona dupliciter considerari possunt. Uno modo, ut sunt utilia ad opera virtutum, quibus perducimur in vitam æternam. Alio modo considerantur secundum se. Primo modo considerata, pertinent ad bonum hominis simpliciter. Secundo vero modo, pertinent ad bonum hominis secundum quid.

1.ª Conclusio. Bona temporalia secundum quod sunt utilia ad opera virtutum, quibus in gloriam perducimur, cadunt sub merito simpliciter.

Prob. Quæ pertinent ad bonum hominis simpliciter, cadunt directe, et simpliciter sub merito. Sed bona temporalia, secundum quod sunt utilia ad opera virtutum, per quæ ad æternam vitam pervenimus, pertinent ad bonum hominis simpliciter: ut sunt augmentum gratiæ, et omnia illa quibus homo adjuvatur post primam gratiam, ad perveniendum ad beatitudinem. Ergo bona temporalia, ut deserviunt operibus virtutum cadunt simpliciter, et directe sub merito.

Coroll. Et propterea Deus tantum dat viris justis de bonis temporalibus, et etiam de malis, quantum eis expedit ad perveniendum in vitam æternam. Unde Psal. 33. dicitur: *Timentes Dominum non minuenter omni bono*, scilicet ad salutem necessario. Et Psal. 36. dicitur. *Non vidi justum derelictum*, scilicet in his, quæ sunt sibi ad salutem necessaria.

2.ª Conclusio. Bona temporalia, secundum se considerata, non cadunt sub merito simpliciter, sed solum secundum quid.

Prob. Quæ cadunt sub merito simpliciter, sunt bona hominis simpliciter, et non tantum secundum quid. Sed bona

temporalia, secundum se considerata, non sunt bona hominis simpliciter, sed tantum secundum quid. Ergo bona temporalia non cadunt sub merito simpliciter, sed solum secundum quid.

Declaratur secunda pars conclusionis, quomodo scilicet bona temporalia sic considerata, cadant sub merito secundum quid. Dicuntur enim hæc bona cadere sub merito secundum quid, quatenus homines moventur á Deo ad aliqua temporaliter agenda, puta ad bellandum, vel ad mercaturas exercendum, in quibus suum intentum, Deo favente, consequuntur. Unde sicut vita æterna habet simpliciter rationem mercedis per relationem ad motionem divinam, qua homo ad æternam vitam movetur; sic temporalia bona habent rationem mercedis, quatenus voluntas hominis movetur ad hæc temporalia bona prosequenda. Unde victoria Judith habuit rationem mercedis, quatenus ejus voluntas á Deo mota fuit, ad trucidandum Holofernem. Et victoria Regis Babylonis, et Titi habuerunt rationem mercedis, quatenus á Deo moti fuerunt ad puniendum populum Hebræorum, primo de idololatria, et postea de occissione Christi, quamvis ipsi in hoc non habuerint hanc rectam intentionem.

AD ARGUMENTA.

Ad 1. Dicitur ad minorem, quod *illa temporalia promissa fuerint figura spiritualium bonorum, quæ in nobis implentur. Carnalis enim populus promissis præsentis vitæ inhærebat, et illorum non tantum lingua, sed etiam vita prophetica fuit*, ut August. dicit lib. 4. contra Faust. c. 2.

Ad 2. Dicitur ad minorem, et ad eius prob. quod illæ retributiones dicuntur esse divinitus factæ secundum comparationem ad divinam motionem, non autem secundum respectum ad malitiam voluntatis illorum. Præcipue quantum ad Regem Babylonis, qui non impugnavit Tyrum quasi volens Deo servire, sed potius, ut sibi Dominum usurparet. Tamen quia á Deo movebatur ad puniendos Tyrios, mercedem dicitur accipisse. Similiter etiam obstetrices, licet habuerint bonam voluntatem, quantum ad liberationem puerorum, non tamen fuit recta voluntas, quantum ad hoc, quod mendacium confinxerunt; sed quia á Deo ad liberationem puerorum movebantur, mercedem acceperunt, ut ædificarent sibi domos.

Ad 3. Dicitur ad anteced. quod propter demeritum puniuntur mali temporalibus pœnis, quatenus per ea non adjuvantur ad consecutionem vitæ æternæ. Unde hujusmodi punitio, quamvis sit per temporalia mala, pertinet tamen ad spiritualem pœnam. Justi autem his pœnis temporalibus adjuvantur ad æternam vitam consequendam: habent enim rationem medicinæ, ut dictum est quæst. 85. art. 7. et 8.

Breviter igitur dicitur ad anteced. quod propter demeritum mala puniuntur á Deo pœnis temporalibus, quatenus ordinantur ad spirituale malum, scilicet ad privationem vitæ æternæ, quatenus non adjuvantur ad ejus consecutionem. Unde sicut bona temporalia, quatenus ordinantur ad consecutionem æternæ vitæ, cadunt sub merito; ita pœnæ temporales, quatenus ad privationem æternæ vitæ ordinantur, sub demerito cadunt.

AD ARGUMENTUM
PRO NEGATIVA.

Ad argumentum pro negativa dicitur, ad minorem, et ad ejus probationem, quod omnia temporalia æquæ eveniunt bonis, et malis, quantum ad substantiam bonorum, vel malorum, non autem quantum ad finem.

Boni enim (non autem mali) per hujusmodi temporalia bona, vel mala, perducuntur ad beatitudinem. Ad quam nos perducere dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui eam nobis suo sanguine promeruit.

UTILITAS PRO ECCLESIA S. DEI,

EX PRÆCED. 114.ª QUÆSTIONE.

Ex art. 1. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim quorumdam *Novatorum* dicentium: merita humana non æstimari apud Deum. Contra hanc enim directe facit articulus iste, dum per conclusionnem docet, Deum ex immensa pietate sua talem ordinationem fecisse, ex qua patentissime constet, quod ipse magnopere æstimat merita humana. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Matth. 20. "Conventione facta cum operariis, dixit procuratori suo, voca operarios, et redde illis mercedem.» Meritum enim, et merces ad idem referuntur, ut dicit text. cor. Ergo scriptura per ly *mercedem*, monstrat, quod operarii meruerunt: sicut per ly *redde illis* commonstrat, quod æstimantur, seu magnifiunt merita humana apud Deum. Nec mirum, quoniam talia merita sunt dona sua, et dona sua non magnifieri á Deo, impossibile est. Ibi etiam ostenditur, quod meritum hominis, nonnisi secundum præsuppositionem divinæ ordinations est, quoniam, antequam de merito in mercede incluso ulla menutio fieret, præsuppositum fuit ly *conventione facta*. Quod autem conventionem talem faceret cum operariis, qui totum, quod erant, ipsius Domini erant, fuit ex ineffabili sua bonitate, quam admiratus vehementer Job patrem familias ipsum sic alloquebatur c. 14. "Homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, etc. Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, et adducece tecum in judicium?» Aperuit enim oculos suos super hujuscemodi hominem miseriis undique plenum, quando conduxit, et misit operarios in vineam suam. Adduxit autem eum secum in judicium, quando conventionem fecit cum illis, quibus et juxta suam conventionem reddi mercedem statuit. Item merito hæresim illam damnari à concilio Trid. sess. 6. cap. 16. "Bonis operibus in sacris literis usque adeo tribuitur, ut etiam, qui uni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus eum non esse mercede carituram: et Apostolus testetur, id, quod in præsenti est momentaneum, et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis. Et can. 25. Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo, per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo, et signa justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam: Anathema sit: *et hoc esse operum meritum declarat* can. 32. Si quis dixerit, ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ; Anathema sit.» Item á dictis supra art. nu. 134. Item á veritatibus aureis super totam legem veterem Gen. 18. concl. 5. et Exo. 32. concl. 3. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 2. habes *primo*: quomodo per ration m directam, et indirectam, quod semper in similibus appendicibus intelligitur, interimas hæresim *Pelagii* dicentis: Hominem posse mereri vitam æternam absque gratiæ Dei auxilio. Articulus enim præsens á fortiori reprobat ipsam; dum et hominem pro statu innocentiæ sumptum, dummodo in puris naturalibus absque habituali gratia consideretur, non potuisse vitam æternam mereri, determinat. *Secundo* habes; quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari á Matth. 9. "Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.» Et simul secundum concil. sess. 6. ca. 2. "Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere, ac vitam æternam promereri possit, quasi quod per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægre tamen, et difficulter possit; Anathema sit.» Item á dictis supra art. n. 7. 580. 581. et 2. 2. art. n. 670. cum Eluc. Item á veritatibus aureis super totam legem veterem, Lev. 18. concl. 1. et Deut. 6. concl. 4. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 3. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Lutheri*, dicentis, nullum esse meritum hominis ad gloriam assequendam. Item dicentis, fiduciam gloriæ nullo pacto collocandam esse in nostris operibus. *Secundo* vides: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari a 2. Timoth. 4. *In reliquo*, etc. secundum

quod cum discursu adducitur *in arg. cont.* Item, et abundanter ab Hebr. 6. "Abundate in omni opere bono scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. Non enim injustus est Deus, ecce, quod dixi ly abundanter, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.» Item ab Hebr. 10. "Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.» In his enim verbis Hebr. 6. et 10. Apostolus de mercede, quæ est vita æterna, loquitur: secundum quod exponit S. Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione Scripturarum sanctarum, ut ait Concil. Trid. sess. 4. decret. 2. Nam ipsa Ecclesia in eodem sacro concilio legitime repræsentata, postquam auctoritates Apostoli ad Hebr. præmissas ibi sessione 6. cap. 16. adduxit, immediate inferendo subnectit: "Atque ideo bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, et tamquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, et meritis fideliter reddenda.» Ex quibus etiam accommodatissime declaratur, et confirmatur conclusio 2. art. pr. ultra quod per eamdem, et hic, et ibi narratæ hæreses condemnantur. Item ab eod. ibidem: "Nihil justificatis amplius deesse credendum est: quod minus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, et vitam æternam, suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, vere promeruisse censeantur: cum Christus Salvator noster dicat, si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam » Nota ly *vere promeruisse*, et ex textu articuli recognosce, quod meritum congrui non est proprie vere meritum, sed hoc vere esse, spectat ad meritum condigni. Item ibid. can. 32. " Si quis dixerit, justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum fiunt, non vere mereri vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum: Anathema sit.» Item á veritatibus aureis super totam legem veterem, Gen. 17. concl. 5. et c. 18. concl. 4. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 4. habes *primo:* quomodo per rationem ostendas, merito esse á scripturis, Gregor. et Aug. insinuatum, quod principalitas merendi est penes charitatem. A scripturis quidem, secundum quod cum discursu ponuntur *in arg. cont.* Item Gen. 4. *Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus:* Hoc est: Meruit respici á Deo Abel magis ex charitatis devotione, quam ex æterna oblatione. Ubi vide veritates aureas super totam legem veterem, concl. 1. 3. A D. Greg. autem hom. super Matth. 4. "Ad vocem Dominicam uterque iste piscator quid, et quantum dimisit, qui pene nihil habuit? Sed hac in re, fratres charissimi, affectum debemus potius pensare, quam censum. Exteriora enim nostra Domino, quantumlibet parva, sufficiunt. Cor namque et non substantiam pensat, nec perpendit, quantum in ejus sacrificiis, sed ex quanto proferatur.» A D. Aug. item hom. super Joan. 10. "Si linguis hominum loquar, et Angelorum, charitatem autem non habeam, etc. Ecce venitur ad passionem, ecce venitur et ad sanguinis effusionem, venitur et ad corporum incensionem, et tamen nihil prodest, quia charitas deest: Adde charitatem, prosunt omnia, detrahe charitatem, nihil prosunt cætera. Quale bonum est charitas ista, fratres? Quid præciosius, quid luminosius, quid firmius, quid securius, quid utilius?» *Secundo* vides: quomodo ex iis, etc.

Ex art. 5. habes *primo*: quomodo per rationem tamquam in radice interimas hæresim *Pelagii* dicentis, quod initium boni operis est ex nobis, licet consummatio sit ex Deo. Nam, si initium esset ex nobis, posset homo mereri justificationem, idest primam gratiam, quando hac primo justificatur. Cum igitur articulus hic declaret efficacissime, quod homo non potest promereri primam gratiam, oppugnare, et expugnare radicitus cointelligitur superbam insaniam hanc *Pelagianam*, scilicet quod initium boni operis sit ex nobis. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illam

merito damnari á *Rom.* 4. Secundum quod adducitur cum discursu in *in arg. cont.* Item Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius*, Si gratis: ergo nihil initii boni in nobis præfuit ad promerendam ipsam gratiam, qua primo justificatos nos fuisse, dicit. Item á Concil. Trid. sess. 6. cap. 8. " Cum Apostolus dicit, hominem justificari gratis: ideo dicimus gratis justificari, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera ipsam justificationis gratiam promerentur. Si enim gratia est, jam non ex operibus. Alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia.» Item et quidem abundantissime, condemnatur á Concilio Arausicano cano. 22. Nemo habet de suo, nisi mendacium, et peccatum. » Dixi ly *abundantissime*, quia ad illam hæresim insaniæ plenam, atque tumoris, propulsandam non tantum dicit concilium, quod nullum boni operis initium, vel parvissimum fuerit prius in nobis (quod ad propositum suffecisset) sed etiam addit, quod contrarium cujuscumque initii boni fuit in nobis, et ideo, ut fuerit de nostro, et universaliter nihil sit in nobis de nostro, nisi illud cuiusvis boni contrarium, scilicet mendacium, et peccatum. Item á 2. Corinth. 3. "Non sumus sufficientes cogitare aliquid á nobis, quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.» Nota ly *á nobis quasi ex nobis*, idest, quasi de nostro, ut exposuit nunc concilium. Nota ly *cogitare* ly *aliquid*, ly *omnis sufficientia*, idest, quantumcumque parva, quantumcumque initialis etiam ad cogitandum quid minimum boni. Repete concilium, tamquam hujus legitimam interpretationem. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, etc.

Ex art. 6. habes *primo* : quomodo per rationem ostendas, et recte intelligas, merito insinuatum esse á scripturis, et Ecclesia, quod aliquis potest, et non potest mereri alteri primam gratiam, á scripturis quidem, quod possit, ut act. 7. " Positis genibus clamavit magna voce, dicens; Domine, ne statuas illis hoc peccatum.» Unde illud dictum exponens D. August. in quodam serm. dicit. " Si martyr Stephanus non sic orasset: Ecclesia Paulum non haberet, sed ideo de terra erectus est Paulus, quia in terram inclinatus exauditus est Stephanus. Ab Ecclesia item insinuatur, quod possit per illud, quod de S. Monica matre Augustini dicit. "Hujus mater devotissima, quem carne prius pepererat mundo, charitatis visceribus postmodum multo semine lachrymarum genuit Christo. » Hæc illa in Offic. oct. S. August. A scripturis vero, quod non possit: per hoc insinuatur in Ezech. 14. " Si fuerint tres viri justi in medio ejus Noe, Daniel, et Job, nec filios, nec filias liberabunt sed ipsi soli justitia sua liberabunt animas suas. *Item per illud Genes.* 19. » Habes hic quempiam tuorum generum, aut filios, aut filias? Omnes, qui tui sunt, educ de urbe hac. Egressus itaque Loth locutus est ad generos suos, et dixit: Surgite, et egredimini de loco isto: quia delebit Dominus civitatem hanc. Et visus est eis, quasi ludens loqui.» Patet enim hic perspicacibus theologis : et quod Loth congrui merito liberavit, quantum in se fuit, suos generos de incendio (ut importatur per ly *omnes, qui tui sunt, educ de urbe hac*) et nihilominus quod illi alii apposuerunt impedimentum, ne liberatio ad seipsos transiret (per ly *visus est eis, quasi ludens loqui.*) Per quæ, tamquam in figura, conspiciunt scholastici: veram esse conclusionis *secundæ* utramque partem ab articulo positæ. *Secundo* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina præsens angelica vicissim declaretur, atque confirmetur.

Ex art. 7. habes *primo:* quomodo per rationem interimas, tamquam in radice sua comite, hæresim *quorumdam* dicentium: quod justificationis gratia nonnisi in prædestinatis ad vitam æternam datur. Ex qua postmodum et aliam pariunt, scilicet quod justificatus tenetur ad certo credendum, se esse de numero prædestinatorum. Radix enim comes hæresis *primæ* erat, cum á gratia aliquos viderent cadere, quod in gratia ipsimet constituti reparationem post lapsum futurum meruissent et consequenter quod talibus non posset denegari actualis reparatio, utpote prius per merita, quotiescumque lapsi fuissent. Et sic, ex hoc præsupposito falso, sequebatur; quod omnis qui semel gratiam habuisset, erat finaliter á quocumque lapsu de necessitate reparandus, et in vita æterna collocandus; id, quod est in sensu, gratiam nonnisi præ-

destinatis ad vitam æternam dari: ad quod ex concomitantia sequitur, omnem in gratia constitutum esse de numero prædestinatorum: et teneri ad credendum pro certo, se esse de tali numero. Vide, quod phantasmata noctis, atque tenebrarum (hæreticos dico) lucidissimus Ecclesiæ sanctæ Doctor uno suo articulo evanescere faciat: dum prædictæ illorum radicis infectæ oppositum efficacibus rationibus decernit, scilicet, quod nullus sibi mereri ullo modo potest reparationem post lapsum futurum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari ab *Ezech.* 18. secundum quod cum discursu, tamquam ad radicem prædictæ hæresis securim ponendo, adducitur *in arg. cont.* Item á Concil. *Trid.* sess. 6. cap. 12.» Nemo, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinattonis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero prædestinatorum quasi verum esset, quod justificatus aut amplius peccare non possit, aut, si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat. Nam nisi ex speciali revelatione, sciri non potest, quos Deus sibi elegerit. *Et can.* 115. Si quis dixerit: hominem renatum, et justificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero prædestinatorum: Anathema sit. *Et can.* 17. Si quis, justificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere, dixerit; Anathema sit. Quæ, sicut et alia ubique, applicare singillatim, prout opus fuerit ad revincendas hæreses pro tempore narratas, tuum est officium. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis etc.

Ex art. 8. habes *primo:* quomodo per rationem interimas hæresim *Melancthonis* dicentis: Opera nostra non mereri præmia spiritualia, sed tantum corporalia. Item aliorum *quorumdam* dicentium, quod Deus nihil tribuit hominibus propter justitiam et aequitatem cordis nostri. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnari á dictis sup. *articulorum num.* 134. Item ab *Additionum Elucidationibus articulorum nu.* 435. Item á veritatibus aureis super totam legem veterem, *Genes.* 18. *concl.* 5. *et Exod.* 32. *concl.* 3. Item á D. Augustino, ut ponitur *in arg. cont.* Item á Concilio *Trident.* sess. 6. can. 14. "Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsam fructus solummodo, et signa justificationis acceptae non autem ipsius augendae causam: Anathema sit *Et canon.* 14. Si quis justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum: Anathema sit.» *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis doctrina praesens etc.

Ex art. 9. habes *primo:* quomodo per rationem tamquam in radice interimas haeresim *Joviniani* (ut refert *Alfonsus de Castro*) dicentis, quod justificatus semel per gratiam non potest amplius illam amittere. Sed et haereses quorumdam praerecitatas *art.* 7. *app.* Harum enim haeresum velamen quoddam habere poterant ii, et de hoc velamine fallaciter jactari, quod scilicet existens in gratia meretur sibiipsi perseverantiam. Quod si verum fuisset: jam illis justificatis á Deo collata fuisset perseverantia (ut colligitur ex *arg. cont.*) et sic numquam á gratia cecidissent, et ad patriam prædestinatorum pervenissent. Cum itaque haec, scilicet et in gratia constitutum numquam illam amittere, et gratiam solis praedestinatis dari, sint falsa: relinquitur, ut et id, unde sequuntur, scilicet, quod ii perseverantiam mereri possint, sit falsum. Hoc ergo nunc facit articulus praesens (ut tetigimus) videlicet, quod in sua ipsarum radice subvertit hæreses illas: dum perseverantiam viae sub merito non posse cadere monstrat. *Secundo* habes: quomodo illas, pro quanto perseverantiae merito inniti videntur, ostendas per rationem jure damnari ab Apost. 3. "tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.» Quod exponens B. Aug. dicit: "Alius non est accepturus, nisi iste perdiderit.» Item á Job. 34. "Contere multos, et innumerabiles» (scilicet permissive, 1. q. 23. art. 6. ad 1.) "et stare faciet alios pro eis.» Item á Job. 6. "Nonne duodecim vos elegi, et unus ex vobis diabolus est?» Ubi patet, quod aliqui eliguntur ad gratiam, qui tamen non eliguntur ad gloriam: qui et dicuntur electi

secundum quid, non autem electi simpliciter. Item Ps. 58. 68. *Deleantur de libro viventium.* Hoc enim dicitur de ibi scriptis secundum quid, idest, secundum praesentem gratiam, à qua, dum postmodum excidunt, dicuntnr inde deleri. Item á Conc. Trid. sess. 6. c. 13. "De perseverantiae munere, quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet, et eum, qui cadit, restituere, nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur: tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, et reponere omnes debent. Deus enim (nisi ipsi illius gratiae defuerint) sicut caepit opus bonum: ita perficiet, operans velle, et perficere: et infra. Formidare enim debent, scientes, quod in spem gloriae, et nondum in gloriam renati sunt, de pugna, quae superest cum carne, cum mundo, cum diabolo. In quo victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent dicenti: Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus: si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. *Ubi nota ly* quod aliunde haberi non potest, *ly* nemo sibi certi aliquid, *ly* formidare debent, quod nondum in gloriam. *Ly* victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia, etc. Item ibi, canon. 16. Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum absoluta, et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc speciali revelatione didicerit: anathema sit: Et can. 23. Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, et gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur, et peccat, numquam fuisse vere justificatum; aut contra, posse in tota vita sua peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia: anathema sit.» Ubi nota ly "justificatum non posse vitare peccata in tota vita, nisi ex speciali dono, seu privilegio.» Item á dictis art. 7. appen. prout proportionaliter huc applicari possunt: quod lectori acuto faciendum relinquitur. Item á dictis 1. p. q. 23. ar. 1. et 82. a. q. cum Eluc. Item á veritatibus aureis super totam legem veterem, Num. 13. concl. 4. Item supra in hac 1. 2. art. num. 356. *Tertio* vides: etc.

Ex art. 10. habes *primo:* quomodo per rationem, tamquam ex abundanti, interimas hæreses illas *quorumdam* in idem, scilicet ad tollendum liberum arbitrium, et merita humana, tendentium, atque ideo dicentium: Meritis hominum nihil penitus tribuendum esse. Item: Merita humana non aestimari apud Deum. Vidisti enim hic, ut caetera omittamus: quanti Deus aestimaverit meritum, etiam modo dicto obliquum regis Babylon. et quod multum satis tribuendum esse meritis humanis, monstravit in facto obstetricum. Quod et melius perpendes, si adjunxeris huic textui veritates aureas, Exo. loco citato in ad 2. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari á Luc. 10. *dignus est operarius mercede sua.* Loquitur enim ibi de rebus temporalibus, ut patet in contex. Item á Marc. 10. "Nemo est, qui reliquerit domum, fratres, etc. propter me, qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, domos, fratres, etc. cum persecutionibus, et in saeculo futuro vitam aeternam.» Vide hic: quod etiam persecutiones temporales cadunt sub merito, in bonum justorum. Item á veritatibus aureis super totam legem veterem, Gen. 18. conc. 5. et cap. 30. concl. 3. Item Exo. 32. conc. 3. *Tertio* vides: quomodo ex iis bene pensatis, et applicatis declaretur, atque confirmetur vicissim doctrina praesens angelici, et S. Eccl. Doctoris.

FINIS

TOMI QUINTI, SEU HUJUS TERTII VOLUMINIS COMPLECTENTIS QUÆSTIONES PRIMÆ SECUNDÆ PARTIS Á NONAGESIMA USQUE AD CENTESIMAM DECIMAM QUARTAM, OMNES INCLUSIVE:

Ad laudem et gloriam Sanctissimæ et individuæ Trinitatis, Beatissimæ Mariæ Matris Domini nostri Jesu Christi, Sancti Thomæ Aquinatis et omnium Sanctorum. Die 21 Decembris anni 1611. ætatis anno 41. et mens. 11. Mantuæ in Ædibus Sanctissimæ Inquisitionis.

APPENDIX.

Ad tractatum de Gratia

Pro maiori D. Thomae doctrinae intelligentia.

DISSERTATIO PRIMA.

DE VARIIS CIRCA GRATIAM ET LIBERUM ARBITRIUM ERRORIBUS.

DE PELAGIANISMO.

CAPUT I.

in sex articulos distributum.

ARTICULUS I.

De origine, parentibus ac magistris hæresis pelagianæ.

Primam hujus hæresis originem ad Luciferum, vel Adamum nonnulli referunt, ideoque illos primos hæresis Pelagianæ Patriarchas apellant. Primum enim Luciferi peccatum fuit superbia, qua summum bonum per seipsum propriasque vires obtinere, spreto Dei auxilio, præsumpsit, quod ad Pelagianorum errorem pertinet. Unde Bernardus serm. 3. de verbis Isaiæ: *qui sedere præsumpsit, seipso voluit esse contentus.* Et Gregorius Magnus lib. 34. moral. cap. 18. *Relicto eo cui debuit inhærere principio, suum sibi appetiit quodammodo esse principium.* Similiter Adamus appetiit similitudinem Dei, non quantum ad omnimodam æquiparantiam Deitatis, sed quantum ad propriam operandi potestatem, ut scilicet virtute propriæ naturæ beatitudinem consequeretur; ideoque tam bene Protopelagianus, quam Protoparens, non immerito appellari potest. Unde Augustinus Psalm. 68. ait ipsum voluisse rapere, et veluti furari divinitatem, et perdidisse felicitatem. Hinc aliqui non incongrue observant, adeo plausibilem, et naturæ corruptæ consentaneam esse Pelagianam hæresim, ut omnes fere homines, naturali ferme instinctu, nisi fide corrigantur, Pelagiani sint; quia nimirum invisceratæ nobis, et ab Adamo in posteros omnes tranfusæ superbiæ, Pelagiana hæresis omnino adulatur.

Alii ad Simonem Magum hujus hæresis originem referunt; ille enim in disputationibus cum D. Petro Apostolorum Principe, initio nascentis Ecclesiæ habitis, ex efficacia divinæ voluntatis et gratiæ, eversionem liberi arbitrii sequi contendebat, ut S. Clemens libro 3. recognitionum refert. Scribit etiam Clemens Alexandrinus, qui floruit anno 204. libro 5. Stromatum, Basilidem, Valentinum, et Martionem, asseruisse hominem per naturæ vires posse credere, bene operari, et salvari, quæ est ipsissima Pelagianorum hæresis.

Tres præcipui fuere Pelagianæ hæresis præformatores: Origenes scilicet, Rufinus et Theodorus Mopsuestenus. De Origene id constat ex Sancto Hier. epist. ad Ctesiphontem, ubi Pelagium his verbis alloquitur: *Doctrina tua Origenis ramusculus est.* Ibidem Origenem vocat *Pelagiani erroris principem.* Rufinum quoque Pelagio prælusisse asserit ibidem sanctus Hieronymus et in præfatione lib. 1. in Jeremiam, ubi Rufinum sub nomine Grunnii indicans, eum Pelagii præ-

cursorem dissertis verbis appellat: *Quod non videns*, inquit, *præcursor ejus Grunnius olim nisus est carpere*. Idem de Rufino tradunt Anastasius epist. ad Joannem Jerosolymit. Marius Mercator in præfatione subnotationum in scripta Juliani, et ipse etiam S. Aug. lib. de peccat. orig. cap. 4, ubi testatur Rufinum, Cœlestii magistrum, ipsum *docuisse negare traducem originalis peccati*.

Quis sit ille Rufinus, an ille Aquileiensis, adeo famosus propter graves ipsum inter et sanctum Hieron. contentiones: an alter natione Syrus, disputant critici. Marii Mercatoris editor Garnerius contendit illum Rufinum Syrum fuisse, et ab alio Aquileiensi plane distinctum. Eminentissimus Card. Norisius è contra in Hist. Pelag. lib. 1. cap. 2. Natalis Alexander Histor. Eccles. secul. 4, cap. 4, art. 32; Petavius lib. de hæresi Pelag. cap. 1, n. 5, et cæteri vulgo existimant Rufinum illum esse Aquileiensem. Quam controversiam nos aliis dirimendam relinquimus.

Quod autem Theodorum Mopsuestenum episcopum spectat, ipsum negasse peccatum originale, atque ita Pelagio præivisse, aperte testatur Marius Mercator tum loco mox laudato, tum etiam in Commonitorio his verbis: «Quæstio »contra catholicam fidem apud nonnullos »Syrorum, et præcipue in Cilicia á Theo»doro quondam episcopo oppidi Mop»suesteni jamdudum mota, nunc usque »penes paucos eorum occulte traditur: »nec ea palam profertur, sed ab ipsis qui »de ea cornicantur, velut Catholicis, in»tra ecclesiam retinetur: progenitores »videlicet humani generis Adam et Evam »mortales á Deo creatos, nec quemquam »posterorum sua prævaricatione trans»gressos læsisse, sed sibi tantum nocuis»se, se mandati reos apud Deum fecisse, »alterum penitus nullum.»

Ex horum ergo fece ac cineribus, ut virulenta vipera, prosilivit pelagiana hæresis, et obstetricante manu Diaboli, eductus est coluber ille tortuosus, qui totum gratiæ Dei spiritum morsu venenoso extinguere conatus est.

ARTICULUS II.

De Pelagio, ejusque discipulis.

Fuit autem Pelagius natione Britannus, ut asserit D. Augustinus epist. 106. ad Bonifacium; unde S. Prosper carmine de ingratis, sic illum describit.

Dogma quod antiqui satiatus felle Draconis,
Pestifero vomuit coluber sermone Britannus.

Professione vero fuit Monachus, ut testatur in primis S. Chrisostomus epistol. 4. ad Olympiadem, ubi sic dicit: *de Pelagio Monacho magno dolore affectus sum*, et Augustinus libro de hæresibus, hæresi 88. et libro 2. de peccat. meritis et remiss. cap. 16. et Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 314. quæ est de Pelagio Monacho. Eumque fuisse ex illis qui in Ægypto morabantur, refert Cardinalis Baronius ad annum 411.

Illum fuisse ingenio præstanti et acuto, eloquioque facundum, sæpe affirmat D. Augustinus, et patet ex ejus epistola ad Demetriadem Virginem, adversus quam S. Augustinus aliam, licet videlicet centessimam quadragessimam tertiam, scripsit ad Julianam matrem Demetriadis, in qua sic ait: «Satis enim «dici non potest quantum cupiamus in «eorum hominum scriptis, quæ propter «acrimoniam, atque facundiam, legun«tur á plurimis, apertam confessionem «illius gratiæ reperiri.»

Demum eum adeo fuisse probum et religiosum, ut pro sancto, et in virtutibus christianis eximie provecto haberetur testatur idem Augustinus lib. 3. de peccat. meritis cap. 1. his verbis: «Post paucissimos dies legi Pelagii quæ«dam scripta, viri, ut audio, sancti, et «non parvo provectu christiani.» Et cap. 3. vocat illum *egregie christianum*. Item lib. 2. retract. cap. 33. affirmat Pela-

gii vitam á multis prædicatam. Verum hæc de Pelagio scripsit S. Doctor, dum pelle ovina vestitus, suum occultabat errorem: postquam autem belluina ejus ferocitas cognita fuit, ipsum pestiferum hæreticum appellat. Nam in eodem capite subdit: «Pelagii ipsius nomen non «sine laude aliqua posui, quia vita ejus «á multis prædicabatur, et ejus illa re- «dargui quæ in suis scriptis non ex per- «sona sua posuit, sed quid ab aliis di- «ceretur exposuit, quæ tamen postea «jam hæreticus pertinacissima animosi- «tate defendit.» Isidorus quoque Pelusiota epistola supra citata, post exploratos attentius Pelagii mores, illum ait fuisse vagabundum, ex uno monasterio ad aliud subinde migrantem perscrutandi, et explorandi mensas omnium causa: «Tibi (inquit) annorum turba canitiem «invexit, et tamen rigidum atque infle- «xum animum habes, ex alio monasterio «ad aliud subinde migrans, atque om- «nium mensas perscrutans et explorans. «Quamobrem si carnium nidor, atque ob- «soniorum condimentum tibi curæ est, «iis qui Magistratus gerunt potius blan- «dire, atque urbium caminos vestiga; ne- «que enim homines Eremitæ facultates «eas habent, ut te quemadmodum tibi gra- «tum est excipere valeant.» Idipsum testatur Orosius in Apologia, ubi de Pelagio loquens, ipsum Monoculum appellat, et cutem suam paulo magis curasse, quam Monachum deceret, affirmat. Et certe non potuit inimicus gratiæ Christi, ventris non esse amicus, et male blandas carnis delicias effuse quærens non potuit inquam, escis carnalibus non inhiare, qui gratia Dei non curabat stabilire cor, illa enim é cruce Christi et vulneribus ejus efluxa, amorem crucis, et deliciarum ac voluptatum contemptum inspirat.

Suæ hæreseos nactus est Pelagius patronum et assertorem fervidum et effrontem Cœlestium, cujus patria ignoratur. Nobili genere natum dicit Marius Mercator. Is perversitati Pelagianæ propagandæ tantam navavit operam, ut hujus sectatores etiam Cœlestiani appellarentur. Alter insignis hujus hæreseos fautor et propugnator fuit Julianus, patria et Episcopatu Eclanensis, Marmoris seu Marmorii Episcopi Capuani ex legitimo matrimonio ante Episcopatum filius, qui Pelagianismi á Zozimo damnati aperte et acriter defensionem suscepit. Is fuerat prius Augustino charissimus, ut testatur S. Doctor Epist. 101. Hi tres fuere præcipui architecti et fautores Pelagianismi.

Suos errores disseminare cœpit Pelagius circa an. 405. 1. per discipulos et mulierculas, ut moris est apud hæreticos, ut ostendit Hieron. Ep. ad Ctesiphontem, deinde per seipsum. Romæ degens edidit tres libros de Trinitate, et Commentaria in Epistolas S. Pauli; in quibus non agnoscit traductionem peccati originalis, nisi imitatione. Scripsit duas Epistolas ad Paulinum et Constantinum Episcopos: primam an. 405. in qua videtur constituere gratiam in solo arbitrio: alteram an. 408. in qua præter liberum arbitrium aliquam gratiam admittit. Ex Aug. l. 1. de grat. Christi c. 35. Ibidem contingit, quod cum quidam Episcopus, præsente Pelagio, referret hæc verba Aug. ex lib. Confess. *Da quod jubes, et jube quod vis*: his ita commotus fuit Pelagius, ut vix non litigaret cum isto Episcopo. Ex August. lib. de dono presev. c. 20.

Gothis Italiam vastantibus, secessit Roma Pelagius cum suo Achate Cœlestio in Siciliam; ineunte an. 409. Anno 411. relicta Sicilia profecti sunt Hipponem, hinc Carthaginem, ubi an. 412. Cœlestius cum apertius negaret peccatum originale, in Synodo ibidem congregata anathemate perculsus est, et urbe pulsus in Asiam se transtulit, Pelagius in Palæstinam. Illic Hæresiarcha, Joannis Jerosolymitani patrocinio fretus, et ascitis pluribus discipulis, suos errores

latius et audatius sparsit. Anno 413. scripsit ad Virginem Demetriadem epistolam adulationibus et erroribus refertam. Anno 415. duo Episcopi Galli, Eros et Lazarus, in Palæstinam appulsi accusarunt erroris Pelagium. Congregata est Synodus Diospoli, cui præfuit Eulogius Cæsariensis; in ea citatus et interrogatus Pelagius quædam accusationis capita negavit, ad alia subdole et æquivocationibus respondit, ita ut Episcopi nihil fraudis suspicati, et intelligentes gratiam, quam admittebat Pelagius esse eam gratiam, quam intelligit Ecclesia Catholica, hæresi damnata, Pelagium innocentem errore facti pronuntiarunt, absentibus accusatoribus propter unius ægritudinem. Ex Aug. lib. de gestis Pelagii c. 1. Hanc Synodum approbare renuit Innocentius I. ex ejus ep. inter Augustinianas 96. eamque *miserabilem* vocat Hieron. Ep. 79. non quod errorem probaverit, sed quod Pelagius Patribus illuserit.

Anno 416. Orosius Hispanus ex Palestina advenit Carthaginem, et illic congregatis Præsulibus ob quædam Ecclesiæ negotia obtulit litteras Erotis et Lazari, accusatorum Pelagii, Patres, iis lectis et recensitis, quæ contra Cœlestium in priori Synodo acta fuerant, Pelagium et Cœlestium damnarunt. Idem eodem anno præstitit Synodus Milevitana 61. Episcoporum. Utraque Synodus gestorum relationem misit Innocentio I. ut ipse Sedis Apostolicæ authoritate firmaret. Anno 417. Innocentius, congregato Romæ Concilio, errorem damnavit et Auctores Anathemati subjecit, nisi resipiscerent. Hac occasione dixit Augustinus serm. 2. de verbis Apost. c. 10. «Jam de hac causa duo Concilia «missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde «etiam rescripta venerunt, causa finita «est: error utinam aliquando finiatur.»

His commotus Pelagius ad solitas artes confugit, litteras Apologeticas dolo plenas, et ambiguam fidei professionem Innocentio per Cœlestium destinavit. Antequam is Romam adveniret, moritur Innocentius. Zozimus ejus successor, dolosis litteris et ambigua fidei professione Pelagii et Cœlestii, et eorum ficta protestatione adhærendi Decretis Innocentii, et corrigendi, quidquid sancta Sedes corrigendum judicaret, primum deceptus, Cœlestium benigne excepit, illius et Pelagii fidem commendavit; non tamen eos Communioni restituit, nec ab Hæreseos nota absolvit, donec de totius causæ statu certior fieret ab Africanis, quorum judicium nimium præceps suspicabatur, et ad quos ideo duriores litteras dedit, quod præpropere Eroti et Lazaro crediderint. At, responsis Africanorum melius instructus, et fraude detecta diem dixit Cœlestio, ut Synodo, quam Romæ coegerat, se sisteret. Verum ille aufugit, et se examini subtraxit. In eum itaque et Pelagium condemnationis sententiam pronuntiavit Zozimus, qua, errore deposito, perpetuæ pœnitentiæ subjiciebantur; quod si detrectarent, á Communione Fidelium arcebantur. Scripsit insuper Zozimus universis Episcopis epistolam, quæ appellatur *Tractatoria*, in qua Conciliorum Africanorum Decreta adversus Pelagium et Cœlestium approbat, et sui Prædecessoris Innocentii in eosdem sententiam confirmat. Eamdem *Tractatoriam* misit ad Honorium Imperatorem Ravennæ degentem, petens ab ipso, ut Cœlestius et omnes Pelagiani urbe expellerentur, et ubique haberentur Hæretici; quod lubens præstitit Honorius edicto dato an. 418. et altero an. 419. quo ultimo insuper sanxit, ut Episcopi, qui *Tractatoriæ* Zozimi non subscriberent, á suis sedibus ejicerentur. Annuere universi, exceptis novemdecim, inter quos eminebat Julianus Eclanensis, qui, exemplo huc usque in Ecclesia inaudito, appellaverunt ad Concilium generale. Honorii vestigiis inhærentes ejus Successores, Constantius, Valentinianus,

Theodosius junior idem sanxerunt; ita ut Pelagiani Roma, Constantinopoli, Epheso, Palæstina, et ferme undequaque expulsi, Nestorianis in aliquod sublevamen et patrocinium se junxerint, cum quibus una damnati fuerunt in Concilio OEcumenico Ephesino an. 431. á quo tempore delabi cœperunt, et pauci huc illuc dispersi in Occidente remanserunt.

ARTICULUS III.

De erroribus Pelagianorum.

Ad tria potissimum capita revocari possunt Pelagianorum errores. Primum spectat peccatum originale; secundum, liberi arbitrii vires; tertium tandem, gratiæ naturam, existentiam ac necessitatem.

Errores Pelagianorum circa peccatum originale.—Hi præcipue fuere Pelagianorum errores circa præsens caput. Primum ac capitale ipsorum dogma, et veluti cæterorum omnium basis, testibus S. Prospero Carm. de Ingrat. et Mario Mercat. in Commonit. istud fuit, «Adamum mortalem factum fuisse, qui sive «peccaret, sive non peccaret, moriturus «esset.» Secundum, «peccatum Adami «ipsum solum lœsisse, et non genus humanum.... Et illum reum et obnoxium «fieri, qui hunc propria voluntate, non «nascendo, sed peccando fuerit imitatus.» Tertium, «infantes qui nunc nascuntur, «in eo statu esse, in quo fuit Adam ante «prævaricationem.» Quartum, «infantes, «etiamsi non baptizentur, habere vitam «æternam.» Quintum, «concupiscentiam et «libidinem (etiam in præsenti hypothesi) «non esse malas; ignorantiam et difficul«tatem, sine quibus nullus homo nasci«tur, mortem, cæterasque humanæ vitæ «miserias, non esse pœnam peccati; pri«mordia, non supplicia, jam esse natu«ræ.» Sextum, «Baptismum non esse ne«cessarium parvulis ad peccati remissio«nem, et ad vitam æternam, sed ut sanc«tificarentur in Christo, ut adoptarentur «in filios, ut regni cœlestis hæredes fie«rent.» Scilicet Pelagiani victi hac Christi sententia, Joan. 3: «Nisi quis renatus «fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non «potest introire in regnum Dei,» distinxere inter regnum cœlorum et vitam æternam; hanc parvulis sine Baptismo decendentibus promittebant; illud vero, non nisi baptizatis tribui fatebantur.

De his Pelagii et Cœlestii erroribus testantur S. Prosper et Marius Mercator locis mox citatis, necnon S. Aug. lib. de Peccat. origin. cap. 2, 3, etc.; lib. de gestis Pelagii, cap. 34, 35, et passim lib. contra Julianum.

Qua porro ratione ex illo primo Pelagii errore de Adami mortalitate, tamquam ex una tenui radice reliqui omnes originem duxerint, docte ac solide explicat Marii Commentator dissert. 7, cap. 1, 2, etc., idque ex SS. Aug. et Prospero, Mario Mercat., etc., confirmat.

Errores pelagianorum circa vires liberi arbitrii. 1° In eo errarunt quod liberum arbitrium æque sanum, æque validum, æque perfectum ad bonum operandum, in Adami posteris propugnarent, ac in Adamo ipso. Hinc Julianus, apud S. Aug. lib. de natura et Grat. cap. 19, asserebat, « ad operandum justi« titiam liberum arbitrium et post pec« cata tam plenum esse, quam fuit ante « peccata.» 2° Contendebant hominem propriis liberi arbitrii viribus ad eam justitiæ perfectionem pervenire posse, ut absque inordinatis passionum motibus, et sine illo prorsus peccato viveret. Ita colligitur ex SS. Hieron. dialogo adversus pelagianos, et Aug. lib. 2. de Peccat. Meritis. 3° Propugnabat Julianus absque gratia in infidelibus propriis naturæ viribus haberi posse virtutes perfecte ac simpliciter veras, imo et virtutum abundantiam, quibus nempe Infideles simpliciter ac perfecte boni et justi sint ac dicantur. Errores hos sæpius Juliano exprobrat S. Aug. præsertim, lib. 4 contra ipsum cap. 3. Sunt et alii circa vires liberi arbitrii Pelagianorum er-

rores qui ad recensitos commode reduci possunt.

Errasse pelagianos in exponenda libertatis natura, cum eam in activa voluntatis indifferentia reponerent, affirmat Jans. lib. 2. de hæres. Pelag. cap. 1. Verum in eo turpiter hallucinatur: nusquam enim Pelagianos damnat S. Aug. quod indifferentiam libertati essentialem assererent: imo eorum dogma de natura liberi arbitrii catholicum esse diserte agnoscit S. Doctor lib. 2. de Nupt. et Concup. cap. 13, his verbis: «Liberum itaque in hominibus esse arbi«trium.... utique dicimus; non hinc estis «Cælestiani et Pelagiani; liberum autem «esse quemquam ad agendum bonum «sine adjutorio Dei... hoc vos dicitis; hinc «estis Cælestiani et Pelagiani.» Non ergo errabant Pelagiani quod indifferentiam ad utrumlibet libertati essentialem esse sentirent; imo, quemadmodum observat Natalis Alexand. Hist. Eccles. sec. 5, cap. 3, art. 3. «error est asse«rere quod erraverint Pelagiani libertate arbitrii in indifferentia ad utrum«libet constituentes.»

Errores Pelagianorum circa gratiam. Cum primum hæresim promulgavit Pelagius, nullam omnino gratiam admisit, sed naturam solam, et ingenitas liberi arbitrii vires sufficere propugnavit ad omnia Dei mandata observanda, tentationes superandas, pravas extirpandas consuetudines, et ad quamdam imperturbationem, seu, ut vocant, passionum impassibilitatem et impeccantiam, ad ipsam denique vitam æternam assequendam. Ita sensisse Pelagium in primordiis suæ hæreseos constat ex S. Hier. epist. ad Ctesiph., Orosio in Apologia, et S. Aug. passim in primis operibus adversus Pelagianos conscriptis. Ad hæc doctrinæ monstra exhorruere Catholici, quemadmodum testatur S. Aug. serm. 26, alias 11, de Verbis Apost. cap. 7, his verbis. «Disputantes (Pelagiani) con«tra gratiam Dei pro libero arbitrio fe«cerunt auribus piis et catholicis of«fensionem. Cœperunt horreri, cœperunt «ut certa pernicies devitari.» Ut autem publicam hanc invidiam et offensionem Catholicorum declinarent, variis subterfugiis et æquivocationibus errorem suum dissimulare tentarunt, quod ibidem observat S. D. Verum hujusce erroris arcana propius exploranti manifestum videbitur, idem perversum dogma ab ipsis constanter retentum fuisse ad Julianum usque, qui errorem Pelagianorum aliquatenus temperare visus est. Præstat impræsentiarum paucis recensere varia hæc effugia quibus Catholicis illudere conati sunt Pelagiani.

Primum effugium. 1° igitur cum Pelagiani omnium Catholicorum invidiam et offensionem in se concitassent, eo quod assererent hominem absque gratiæ adjutorio esse posse sine peccato, statim reposuere se nullatenus negare necessitatem gratiæ; verum gratiæ nomine subdoli inteligebant *ipsam naturam et liberum arbitrium*, seu boni malique facultatem, quam homo absque ullis suis meritis á Deo in creatione gratis accepit, et pro qua gratias ipsi referre tenetur. Qua de re S. Augustinus citato serm. 11 de Verbis Apost. Pelagium sic ratiocinantem inducit: «Hoc ipso quia «liberum hominis arbitrium defendo...., «contra gratiam Dei non disputo.... Ho«minem quis creavit? Deus. Quis ei li«berum arbitrium dedit? Deus. Si ergo «Deus hominem creavit, et homini Deus «liberum donavit arbitrium, quidquid po«test homo de libero arbitrio, cujus gra«tiæ debetur, nisi ejus qui eum condi«dit cum libero arbitrio? Ad quæ festive regerebat S. Aug.: «Videte, fratres «mei, quomodo illam generalem Dei gra«tiam prædicent qua creatus est homo.., «Videte acumen, sed vitreum; quasi lu«cet vanitate, sed frangitur veritate.»

Pari fraude ac subterfugio possibilitatem non pecandi gratiæ adscribebat Pelagius, naturam ipsam nomine gratiæ

subdole intelligens. Ita diserte testatur S. Aug. lib. de Nat. et Grat. cap. 51: «Ipsa non peccandi possibilitas, *inquit*, «non tam in arbitrii potestate, quam in «naturæ necessitate est. Quidquid in «naturæ necessitate positum est, ad na«turæ pertinere non dubitatur aucto«rem, utique Deum. Quomodo ergo «absque Dei gratia dici existimatur, «quod ad Deum proprie pertinere mons«tratur?„ Ad quæ reponit S. Aug.: "Expressa est sententia quæ latebat, "non est quemadmodum posset abscondi. "Ideo gratiæ Dei tribuit non peccandi "possibilitatem, quia ejus naturæ Deus "est auctor, cui possibilitatem non pec"candi inseparabiliter insitam dicit.„

Secundum effugium. 2.° Cum vehementius Pelagiani á catholicis urgerentur, ut gratiam á natura et libero arbitrio distinctam agnoscerent, non recusarunt, sed nomine gratiæ, *legem atque doctrinam* subdole ac fallaciter intelligebant. Ita etiam testatur S. Aug. lib. de Spiritu et Litt. cap. 2. his verbis; «Cum »urgeri cæperint, quomodo id præsumant »asserere fieri sine ope divina, repri»munt se, nec hanc vocem audent emit»tere, quoniam vident quam sit impia et »non ferenda. Sed ajunt, ideo ista sine »ope divina non fieri, quia et hominem »Deus creavit cum libero voluntatis ar»bitrio, et dando præcepta ipse docet »quemadmodum homini sit videndum; et »in eo utique adjuvat, quod docendo au»fert ignorantiam, ut sciat homo in ope»ribus suis quid evitare, et quid appetere »debeat.» Hanc Pelagianorum fraudem ac versutiam sæpius memorat ac ipsis objicit S. Aug. præsertim vero integro ferme libro de grat. Christi.

Unum hic observandum nimirum præsentem Pelagianorum hæresim in eo præcisse positam fuisse, quod hanc solam et nudam legis doctrinam existimarent veram esse Christi gratiam, eamque ex sese sufficere homini tum ut declinet á malo, tum ut faciat bonum. At non in eo errabant, uti perperam contendit Jansenius lib. 5. de hæresi Pelag. cap. 5, quod assererent legem eo concilio datam fuisse, non tantum ut proderetur peccatum, sed etiam ut caveretur: hoc posterius tamquam erroneum in Pelagianis criminatur Jansenius citato loco, et fusius lib. 1. de Grat. Christi, á cap. 8. usque ad 16; et lib. 3. cap. 5. 6. et 7. ubi docet legem eo fine Judæis á Deo datam fuisse, non ut facilius peccata vitarent, vel ut adjuvante gratia eam servarent, sed ut peccata multiplicarentur, atque sua multitudine et magnitudine humanam frangerent superbiam; "lex "enim, inquit, reddit justitiam difficiliorem, et quasi muro interposito im"possibilem.»

Tertium effugium. 3.° Cum rursus Pelagiani premerentur á catholicis hanc legis et docrinæ gratiam non sufficere, atque exinde sequi inutilem fuisse ac otiosam Christi mortem, quod multis probat S. Aug. lib. de natura et grat. cap. 2. 40. 53. etc. et lib. de grat. Christi, cap. 3. ut 10. et telum istud declinarent, tertium gratiæ genus excogitaverunt, nimirum *Christi Domini exemplum et imitationem*, afferentes quod sicuti Adamus primus obfuit nobis exemplo malo; ita Christus, Adamus secundus, profuit nobis exemplo bono. Ita refert S. Aug. lib. de grat. Christi cap. 2. "Solent, inquit, dicere nobis in eo Chris"tum ad non peccandum præbuisse adju"torium, quia pie ipse justeque vivendo "reliquit exemplum.„ Et c. 14. "Gra"tiam Christi constituit Pelagius, non in "virtutis ejus auxilio, sed in imitationis "exemplo;„ quod ibidem reprehendit ac insectatur S. doctor. Unde lib. 2. Operis imperfect. cap. 146. sic habet: "Hoc est occultum et horrendum virus "hæresis vestræ, ut velitis gratiam Chris"ti in exemplo ejus esse, non in dono "ejus; dicentes quia per ejus imitatio"nem fiunt justi, non per subministra"tionem Spiritus Sancti.„

In hac exemplorum Christi gratia, mirum quantam vim et efficaciam ad operandum bonum collocarent Pelagiani, quantumque ex ea præsidii ad errores suos occultandos repeterent. Hujusce gratiæ prætextu, incunctanter pronuntiabant, teste S. Aug. lib. de Grat. Christi citato mox cap. 2. "per singula momenta, per singulos actus necessariam "nobis esse hujusmodi gratiam, id est, "ut in omni conversatione nostra intueamur divinæ conversationis exemplum.,, Istam porro exemplorum Christi gratiam, reipsa á lege et doctrina non esse distinctam ibidem demonstrat, cap. 41. S. Aug.

Quartum effugium. 4.° Cum autem suam adhuc sententiam ab orthodoxis improbari cernerent Pelagiani, præter liberum arbitrium, legem seu doctrinam, ac exemplum Christi, aliud commenti sunt gratiæ genus, nempe *gratiam remissionis peccatorum*, ut in plerisque locis testis est S. Aug. præsertim vero lib. de gra. et lib. arb. cap. 13. "Dicunt enim, inquit, gratiam Dei quæ data est per fidem Jesu Christi, quæ neque est lex, neque natura, ad hoc tantum valere, ut peccata præterita dimittantur non ut futura vitentur, vel repugnantia superentur.,, Hanc porro solam gratuitam esse, nec meritis retribui affirmabant Pelagiani, teste S. Aug. eodem in libro cap. 6. "Dicunt hanc "esse solam non secundum merita nostra "gratiam, qua homini peccata dimittuntur; illam vero, quæ datur in fine, id "est, æternam vitam, meritis nostris "præcedentibus reddi.,, Quoniam autem sensu remissionem peccatorum gratuitam existimaverint Pelagiani, non adeo est exploratum; nam contrarium potius docuisse videntur; siquidem palmare istud erat eorum pronunciatum, *gratiam secundum merita dari*, ne alioqui injustus et personarum acceptor Deus haberetur; præterea peccatorum remissionem non gratis tribui, sed ex meritis, disserte affirmavit Pelagius, quod in concilio Diospolitano ex ipsius libris ei objectum est ultimo et duodecimo loco. Existimat Petavius lib. de hæres. Pelag. cap. 3. idcirco remissionem peccatorum sine meritis dari asseruisse Pelagium, non quod nulla eam præcederent liberi arbitrii merita, sed quod ista ipsa merita, si deesset fides, quam naturalibus viribus proposita sibi evangelica doctrina præbere hominem Pelagius censebat, remissionem illam assequi non possent. Itaque in sententia Pelagianorum, remissio peccatorum et ex meritis et sine meritis obvenire dici potuit. Ex meritis quidem, quatenus concedebatur remissio propriis viribus credenti et resipiscenti: absque meritis autem, quatenus fides cujus merito remissio peccatorum retribuitur, necessario supponit tum liberum arbitrium, quod gratuitum est Dei beneficium, tum legem et doctrinam evangelicam quæ per se nullo nostro prævio merito divinitus est constituta.

An vero illa gratia remissionis peccatorum juxta Pelagium posita esset in nuda peccatorum condonatione, an autem in aliqua gratia proprie dicta et interiori, atque hominem interius sanctificante, constabit ex dicendis postmodum. art. 5. Porro Pelagiani contendebant gratiam remissionis peccatorum valere dumtaxat adversus præcedentia peccata; exemplum vero Christi adversus futura; et utrumque fructum esse passionis ac meritorum Christi contendebant. Id totum constat ex laudatis antea S. Aug. testimoniis.

Quintum effugium. 5° Tandem Pelagius præter naturam et liberum arbitrium, legem ac doctrinam forinsecus insonantem, exemplum Christi, ac demum remissionem peccatorum, admisit interiorem illustrationis et illuminationis gratiam. Ita Card. d'Aguirre, Salmaticenses, Petavius, Frassen, aliique passim theologi locis cap. sequenti citandis. Id certum videtur 1° verbis ip-

siusmet Pelagii apud S. Aug. lib. de Grat. Christi cap. 7: "Quam gratiam, "inquiebat hæresiarcha, non ut putas, in "lege tantummodo, sed et in Dei adju- "torio confitemur... Adjuvat enim nos "Deus per doctrinam et revelationem "suam, dum cordis nostri oculos ape- "rit; dum nobis ne præsentibus occupe- "mur, futura demonstrat; dum diaboli "pandit insidias; dum nos multiformi et "ineffabili dono gratiæ cælestis illumi- "nat.,, Et cap. 10, sic iterum Pelagius inducitur loquens: "Operatur Deus in "nobis velle quod bonum est, velle quod "sanctum est, dum nos terrenis cupidi- "tatibus deditos, et mutorum more ani- "malium præsentia tantummodo diligen- "tes, futuræ gloriæ magnitudine et præ- "miorum pollicitatione succendit, dum "revelatione sapientiæ, in desiderium "Dei stupentem suscitat voluntatem, "dum nobis suadet omne quod bonum "est.,, Quibus verbis clare ostenditur Pelagium interiorem illustrationis gratiam agnovisse; namque aperire cordis oculos, multiplici et ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminare, sapientiam revelare, etc., haud dubie interiorem illustrationem indigitant; atqui Pelagius hujusmodi gratiam admisit; ergo, etc. 2° Eodem in lib., cap. 24, manifeste supponit S. Aug. Pelagianos libenter agnovisse revelationes á Deo in cordibus productas: «Fatentur, inquit S. Doc- "tor, non in lege atque doctrina inso- "nante forinsecus, sed interna, et oc- "culta, mirabili ac ineffabili potestate "operari Deum in cordibus hominum, "non solum veras revelationes,, (quas nempe ultro admisisse Pelagianos indicat S. Aug.), «sed etiam bonas voluntates». 3° Ibidem cap. 41, de Pelagio ita loquitur S. doctor: "Ipsas quoque ora- "tiones ad nihil aliud adhibendas opi- "natur nisi ut nobis doctrina etiam di- "vina revelatione aperiatur, non ut ad- "juvetur mens hominis, ut id quod fa- "ciendum esse didicerit, etiam dilectione "et actione perficiat.,, Audis Pelagium agnovisse legem ac doctrinam revelatione aperiri; porro revelatio hujusmodi interior est profecto illustrationis gratia; ergo, etc.

Porro (quod observa), gratia interioris illuminationis seu illustrationis duobus modis spectari potest: vel ex parte objecti dumtaxat quod intellectui clarius proponitur solis suis propriis viribus credendum; vel ex parte ipsiusmet intellectus, qui ad credendum divina opitulante et adjuvante gratia determinatur. Pelagium priori saltem sensu admisisse gratiam interioris illustrationis evidenter demonstrant adducta mox S. Aug. testimonia, vixque Deo eo potest esse ulla inter theologos difficultas. Ne- "mo negat, inquit Suarez tract. de Gra- "tia, prolegom. 5, cap. 3, admisisse Pe- "lagium revelationem divinam fidei, tam "externam quam internam, quatenus se "tenet ex parte objecti.,, An autem Pelagius etiam internam ex parte potentiæ gratiam illustrationis admiserit, quæ scilicet intellectum juvaret ac corroboraret ad credendum, dicemus art. sequenti.

Dices: S. Aug. lib. de Grat. Christi cap. 7, relatis mox adductis Pelagii verbis, quibus gratiæ necessitatem magnifice videbatur commendare, statim subjungit S. D.: "In his omnibus non re- "cessit Pelagius á commendatione legis "et doctrinæ. *Et cap.* 10: Quid mani- "festius, nihil aliud eum dicere gratiam, "qua Deus operatur in nobis velle quod "bonum est, quam legem atque doctri- "nam?,, Falsum est ergo Pelagium, præter externam legis et doctrinæ propositionem, admisisse interiorem illustrationis gratiam. Respondeo negando conseq.; neque enim locis citatis inficiatur S. Aug. Pelagium admisisse interiorem, saltem ex parte objecti, illustrations gratiam; sed hoc unum vult, gratiam illam pelagianam ad legem et doctrinam merito revocari, quod veris-

simum est. Namque munus et officium legis et doctrinæ est docere, illuminare, ostendere quid faciendum sit; non autem vires subministrare ad illud perficiendum, ut fuse prosequitur S. Aug. toto lib. de Grat. Christi; atqui revelatio interior ex parte dumtaxat objecti quod intellectui propriis viribus relicto clarius proponitur, tantummodo docet, illuminat, ostendit, non autem spiritum et virtutem infundit, seu minime juvat et corroborat intellectum ad assentiendum; ergo interior hujusmodi illustratio recte revocatur ad legem et doctrinam; ac proinde etsi Pelagius talem gratiam admiserit, merito tamen asseruit S. Aug. ipsum non recessisse á commendatione legis et doctrinæ.

Hanc esse S. Aug. mentem manifeste colligitur ex citato cap. 10 lib. de Grat. Christi, ubi post. verba in object. citata, sic statim subjungit: "In lege nam-"que et doctrina futuræ gloriæ atque "premiorum promittitur magnitudo. Ad "doctrinam pertinet etiam quod sapien-"tia revelatur.

Hæc sunt certa et indubitata apud omnes theologos, sed quædam inter illos versantur controversiæ sequenti art. discutiendæ.

ARTICULUS IV.

Utrum Pelagius veram et internam voluntatis gratiam aliquando tandem agnoverit.

Ante responsionem aliqua notanda judicamus.

1.° Duplicem distinguendam esse gratiam interiorem. Una ad intellectum, altera ad voluntatem pertinet. Prior est mentis illustratio seu illuminatio, per quam interius menti proponuntur ac revelantur quæ credenda sunt fidei nostræ mysteria. Hæcque, uti antea observavimus, spectari potest, vel ex parte tantum objecti quod intellectui clarius proponitur solis suis propriis viribus credendum, vel ex parte ipsius intellectus, qui ad credendum divina opitulante et adjuvante gratia determinatur. Posterior est motio seu excitatio Dei, qua elevatur voluntas ac corroboratur, atque ad actus veræ pietatis incitatur.

Utramque hanc illustrationis et voluntatis gratiam ad omne bonum ac salutiferum opus, plane necessariam esse docet fides catholica; unde S. Aug. lib. de Grat. Christi cap. 12: *qua gratia agitur*, inquit, "non solum ut facienda "noverimus, verum etiam ut cognita fa-"ciamus; nec solum ut diligenda creda-"mus, verum etiam ut credita diliga-"mus."

2.° Cum eodem S. Aug. lib. de Gratia Christi cap. 3, 4, 5, etc., Pelagium, ut majori arte errorem suum involveret ac Catholicis fucum faceret, tria hæc sedulo distinxisse: nimirum possibilitatem, voluntatem et actionem. Audiatur S. doctor: «Cum tria distinguat» (inquit cap. 3), "possibilitatem, voluntatem, et ac-"tionem: possibilitatem scilicet, qua po-"test homo esse justus; voluntatem, qua "vult esse justus, actionem, qua justus "est; horum trium primum, id est pos-"sibilitatem, datam confitetur á Creato-"re naturæ, nec esse in nostra potesta-"te, sed etiam nos habere etiamsi no-"limus; duo vero reliqua, id est, volun-"tatem et actionem, nostra esse asserit, "atque ita nobis tribuit, ut non nisi á "nobis esse contendat." Idem repetit cap. 4 et 5.

3.° Pelagium iterum distinxisse inter possibilitatem et adjutorium possibilitatis. *Possibilitatem* in natura, adjutorium vero possibilitatis in lege et doctrina reponebat. Audiatur idem S. doctor cap. 4, Pelagii verba excribens: "Nos tria "ista distinguimus.... Primo loco pos-"se statuimus, secundo velle, tertio es-"se. Posse in natura, velle in arbitrio, "esse in affectu locamus. Primum illud, "id est posse, ad Deum proprie pertinet "qui illud creaturæ suæ contulit; duo ve-"ro reliqua, hoc est velle et esse, ad "hominem referenda sunt, quia de ar-

"bitrii fonte descendunt. Ergo in volun-"tate et opere bono laus hominis est: "imo et hominis, et Dei, qui ipsius ope-"ris possibilitatem dedit, quique ipsam "possibilitatem gratiæ suæ semper ad-"juvat auxilio."

4.° Adjutorium illud possibilitatis, qualecumque sit, non fuisse in mente Pelagii, absolute ac simpliciter necessarium, sed tantum secundum quid, et ad facilius dumtaxat agendum. Ita testatur S. Aug. lib. de Grat. Christi, cap. 26: *gratiam Dei* inquit, "sic confiteatur, qui "vult veraciter confiteri, ut omnino nihil "boni sine illa, quod ad pietatem perti-"net, veramque justitiam, fieri posse "non dubitet. Non quomodo iste" (Pelagius) "qui cum dicit, propterea dari "gratiam, ut quod á Deo præcipitur fa-"cilius impleatur quid de illa sentiat sa-"tis ostendit, scilicet, quod etiam sine "illa, etsi minus facile, fieri tamen, "quod divinitus præcipitur, potest." Idem refert S. D. cap. 2. et 29. ejusdem libri.

5.° Pelagium, quodcumque tandem gratiæ auxilium admiserit, docuisse illud gratuitum, non esse, sed humanis meritis rependi. *Quamlibet sentiat gratiam*, inquit S. Aug. lib. de Grat. Christi cap. 31, *ipsis christianis secundum merita dari dicit.*

Notandum ultimo, duo hic, cum Jansenio lib. 5. de hæres. Pelag. cap. 29, sedulo consideranda esse tempora: primum ante condemnationem hæreseos Pelagianæ sub Zozimo anno 418; alterum á damnatione deinceps, usque ad Semipelagianismi exordia. Has epochas accurate secernendas diximus, ex illa quippe distinctione dicendis non modica lux affulgebit.

1.ª Conclusio. Pelagius tandem aliquando agnovit veram et internam revelationis gratiam, tum ex parte objecti melius propositi, tum ex parte potentiæ, seu intellectus ad credendum divinitus adjuti.

Probatur ex his omnibus sancti Augustini testimoniis quæ circa finem capitis præcedentis retulimus, recensendo quintum Pelagii effugium circa gratiam; et ex his quæ mox referemus ad probandam sequentem conclusionem: ex iis enim patet Pelagium admisisse, 1.° *revelationes á lege et doctrina distinctas*, lib. de Grat. Christi cap. 7; 2.° *Revelationes veras et internas*, ibidem cap. 11 et. 14; 3.° *Revelationes supernaturales ac divinas*, quibus scilicet á Spiritu Sancto lex atque doctrina revelatur; 4.° Denique *revelationes quibus Deus cordis nostri oculos aperit, nosque multiformi ac ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat.* Atqui hæc omnia designant veram et internam illustrationis gratiam, tum ex parte objecti, tum etiam ex parte potentiæ; ergo Pelagius admisit, etc.

Duo autem circa illas revelationes sunt annotanda. Primum, quod Pelagius eas non admisit ut vere ac simpliciter necessarias, sed ut necessarias secundum quid dumtaxat. Ita sensisse Pelagium testatur sanctus Augustinus lib. de Grat. Christi cap. 40., ubi de ipso loquens, sic habet: "manifestum est ita eum velle "nos adjuvari gratia Spiritus Sancti, non "quia sine illo, non possumus resistere "tentatori, sed ut FACILIUS resistamus." Et cap. 41.: "quamvis et ipsam viam "contendat etiam sola inveniri posse na-"tura, sed FACILIUS, si adjuvet gratia." Idem sæpius repetit S. doctor eodem in libro cap. 25, 27, 28, et præsertim 29, ubi adductis hisce Pelagii verbis: "ut "quod per liberum homines facere ju-"bentur arbitrium, facilius possint im-"plere per gratiam;" statim subjungit: "tolle FACILIUS, et non solum plenus, "verum etiam sanus est sensus." Secundum, quod cum prædictæ revelationes juxta Pelagium vires non suministrarent voluntati, sed meræ legis munia obirent, hinc de illis inquiebat S. Aug. lib. de Gratia Christi cap. 7: "In his omnibus

"non recessit á comendatione legis atque "doctrinæ."

2.ª Conclusio. Pelagius ante condemnationem suæ hæreseos factam sub Zozimo, veram et internam voluntatis gratiam nusquam admisit ad bonum opus, sive inchoandum, sive etiam complendum ac perficiendum.

Relictis S. Aug. testimoniis, quæ apud theologos videri possunt, probatur 1.° sic. Eam rejiciebat Pelagius gratiam, de qua tam gravis ac diuturna ipsum inter et S. Aug. exarsit controversia, quamque ab ipso ex publica Ecclesiæ fide exigebat sanctus Augustinus; atqui tota ista contentio unice spectabat gratiam voluntatis et actionis, istam ab ipso ex Ecclesiæ fide Augustinus exigebat; ergo etc. *Nos* (inquiebat S. D. præmens Pelagium lib. de Gratia Christi, cap. 10) "volumus eam gratiam, iste "aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ "magnitudo non solum promittitur, ve"rum etiam creditur et speratur; nec "solum revelatur sapientia, verum et "amatur... hanc debet Pelagius gratiam "confiteri, si vult non solum vocari, ve"rum etiam esse Christianus."

Probatur 2.°, ex ipsismet Pelagiani systematis visceribus. Scilicet quemadmodum testatur sanctus Aug. lib. de gestis Pelag. cap. ultimo, præcipuum ac palmare Pelagianorum dogma, et cæterorum omnium quasi basis ac fundamentum, istud erat, "Adam et Evam "mortales á Deo creatos esse, nec quem"quam posterorum sua prævaricatione "læsisse, sed sibi tantum nocuisse." Hinc autem inferebant, 1.° nullum dari peccatum originale; 2.° nullam proinde in voluntate relictam ex peccato originali infirmitatem; 3.° liberum arbitrium æque sanum, æque validum, æque perfectum in Adami posteris, ac in Adamo ipso. Ex his manifeste sequitur necessum non esse ut voluntas per gratiam in se receptam, ad bonum operandum moveretur ac corroboraretur, sed sufficere, sicuti et in Adamo, meram illustrationem intellectus. Rationem hanc attingit S. Aug. lib. de gratia Christi, cap. 28, et alibi passim.

Probatur 3.° ex hoc gravissimo et altius infixo præjudicio, quo teste S. Aug. loco mox citato, et lib. de peccat. orig. cap. 11, laborabat Pelagius "non "esse liberum arbitrium, si Dei indi"get auxilio, quoniam in propria vo"luntate cujusque est facere aliquid vel "non facere." Scilicet concipere ille non poterat qua ratione stare posset libertas cum necessitate illius gratiæ quæ voluntatem prævenit, et sine qua voluntas nihil potest. Veram ergo et internam voluntatatis gratiam non admiserunt Pelagiani.

3.ª Conclusio. Post decretum Zozimi Julianus hæresim Pelagianam utcumque temperavit, internam voluntatis gratiam admittendo, at triplici infectam vitio.

Probatur prima pars, scilicet Julianum post damnationem hæresis Pelagianæ factam sub Zozimo, gratiam voluntatis tandem admisisse. 1.° Id constat ex libris ad Bonifacium qui primi sunt adversus Julianum exarati anno circiter 420; scilicet tum in his libris, tum in posterioribus suis lucubrationibus adversus Pelagianos, totus in eo versatur S. Aug. ut adstruat, non quidem existentiam et necessitatem gratiæ voluntatis præcise, quod perpetuo ante inculcaverat in prioribus suis contra Pelagium operibus, sed necessitatem gratiæ, quæ omnia merita, et ipsum initium bonorum operum præveniat, quæque proinde secundum merita nostra non detur. Sic lib. 1. ad Bonif. cap. 14. lib. 2. cap. 5. et 6. lib. 4. cap. 6. et cap. 11. ubi sic loquitur S. doctor; "Dicunt Pelagiani "ab homine incipere meritum per libe"rum arbitrium cui Deus subsequens "gratiæ retribuat adjumentum." Atque hinc toties Juliano exprobat, hanc Pelagii propositionem in concilio Palæstino

damnatam, ab ipso renovari, nempe *gratiam Dei secundum merita nostra dari*. Hæc sane tam diversa agendi ratio S. Aug. aperto indicio est, cum Juliano controversiam fuisse, non circa naturam et substantiam gratiæ, sed circa ejus dumtaxat gratuitatem, atque ad initium bonorum operum necessitatem.

Probatur secunda pars, nempe gratiam voluntatis á Juliano admissam multiplici vitio infectam fuisse. Primum vitium istud erat, quod gratiam illam, non quidem ad inchoanda, sed ad complenda dumtaxat et perficienda bona opera, necessarium judicaret. Hanc fuisse Juliani aliorumque Pelagianorum mentem testis est S. Aug. lib. ad Bonifacium, cap. 8. "Isti volunt in homine ab ipso "homine incipere cupiditatem boni, ut "hujus cæpti meritum etiam perficien- "di gratia consequatur." Et lib. 4. contra Julian. cap. 30. "Cum ergo divini- "tus adjuvatur homo, non tantum ad ca- "pessendam perfectionem adjuvatur, "quod ipse posuisti, utique volens in- "telligi, eum per se incipere sine gratia, "quod perficit gratia." Clara sunt hæc et aperta; in mente Juliani, teste S. Aug. "homo per se incipit sine gratia; in ho- "mine ab ipso homine incipit boni cu- "piditas." Non ergo ad initium boni operis gratiam necessariam esse existimabat Julianus. Alterum vitium: gratia voluntatis quam Julianus aliique Pelagiani admittebant, secundum quid dumtaxat seu ad facilius, non autem simpliciter et absolute necessaria erat ad perficienda bona opera. Equidem lib. 2. ad Bonifac. cap. 8. dubius et anceps videtur S. Aug. an Julianus, aliique recentiores Pelagiani ita senserint: "For- "tassis ergo, inquit, ipsi eo modo sal- "tem servans locum gratiæ, ut sine illa "putent hominem posse habere boni, "sed imperfecti cupiditatem: perfecti "autem non facilius per illam posse, sed "nisi per illam omnino non posse." At deinceps affirmate loquitur, huncque errorem Juliano non semel exprobat S. doctor: "Vestrum autem dogma," ait lib. 6. contra Julianum, cap. 24. "id "persuadere conatur.....ut etsi opus sit, "necesse tamen non sit ad Christum pro "æterna salute transire, eo quod...com- "modior via sit, non quod alia esse non "possit." Et lib. 2. Operis imperfect., cap. 198. "Quærentibus á vobis, quare "mortuus sit Christus, si natura vel lex "efficit justos: respondetis, ut hoc ipsum "facilius fieret; quasi posset, quamvis "difficilius, fieri tamen, sive per natu- "ram, sive per legem." Tertium tandem vitium gratiæ recensiorum Pelagianorum in eo erat quod assererent eam secundum merita nostra dari, quod testatur S. Aug. lib. 1. contra Julian. cap. 3. 4. 19. et alibi sæpissime; "Hæc est "quippe, inquit, intentio qua gratiam "destruere moliuntur, ut eam dari se- "cundum merita nostra contendant."

Quæres hic, utrum Pelagius rejecerit omnem concursum, sive prævium, sive simultaneum, ad actiones tum naturales, tum supernaturales. De concursu prævio nulla difficultas; fatentur siquidem omnes hunc á Pelagio non fuisse admissum. At circa concursum simultaneum dissentiunt theologi. Alii affirmant admisisse, alii negant. Secunda ista opinio nobis videtur probabilior.

Probatur, 1.° ex S. Hieron. epist. ad Ctesiphontem, in qua Pelagium sic loquentem inducit: "Si voluero curvare "digitum, movere manum, sedere, sta- "re, ambulare... semper mihi auxilium "Dei necessarium erit?" Et lib. 1. adversus Pelagium, ista ipsius verba refert: "Si in singulis rebus quas gerimus, "Dei utendum est adjutorio... ergo lo- "qui, ambulare, flere, ridere, et cætera "hujuscemodi, nisi Deus juverit, non po- "terimus?" Cui respondet S. Doctor: "Audi, ingrate, imo sacrilege....ipsum "liberum, ut dicimus, arbitrium Dei in- "nititur auxilio, illiusque per singula "ope indiget; sed id vultis, ut qui semel

"habet liberum arbitrium, Deo adjutore "non egeat;" ergo, etc.

2. Idem evincitur ex S. Aug. lib. de Gestis Pelagii cap. 18, ubi ista Pelagii verba refert: "Non est liberum arbi- "trium, si Dei indiget auxilio, quoniam "in propria voluntate habet unusquisque "aut facere aliquid, aut non facere. Ideo ergo, ut videbatur Pelagio, non indiget liberum arbitrium Dei auxilio, quia habet absolute in sua potestate facere aut non facere; ergo, etc.

3. Tandem idem colligitur ex citato sæpius palmari Pelagianorum principio: Liberum non est arbitrium, si Dei indiget auxilio; atqui supposito quovis concursu liberum arbitrium Dei indigeret auxilio; ergo, etc. Porro, si generatim concursum rejiciebat Pelagius eum sane non admittebat pro actionibus supernaturalibus. Et vero concursus ille vera est voluntatis gratia; at supra probavimus nusquam Pelagium agnovisse necessitatem gratiæ voluntatis; ergo: etc. Tandem quæ probant momenta Pelagium non admisisse gratiam voluntatis, demonstrant pariter ipsum non agnovisse necessitatem concursus etiam simultanei.

ARTICULUS V.

Utrum Pelagiani admisserint gratiam habitualem et virtutes infusas.

Præmittendum est hic breviter 1.° gratiam interiorem aliam esse habitualem, qua nempe justi sumus, filii Dei adoptivi, et hæredes regni cœlestis; aliam actualem, qua movemur ad bonum. Et hæc duplex distinguitur, ut bene notatum est in principio præcedentis articuli.

2.° Affirmat Jansenius lib. 5. de hæresi Pelag. Negant alii. Alii distinguunt inter gratiam habitualem et virtutes infusas. Istas quidem á Pelagianis fuisse rejectas, non vero gratiam habitualem per quam peccata delentur. Nos vero dicimus cum sequenti conclusione.

Conclusio. Pelagiani nec gratiam interius sanctificantem seu habitualem, nec virtutes supernaturales infusas agnovere.

Prob. 1.° ex S. Aug. lib. de Grat. Christi, cap. 30: *Istam*, inquit, "gra- "tiam qua justificamur, id est, qua cha- "ritas Dei diffunditur in cordibus nostris "per Spiritum Sanctum qui datus est "nobis, in Pelagii et Cœlestii scriptis, "quæcumque legere potui, nusquam eos "inveni, quemadmodum confitenda est "confiteri. Prorsus nusquam eos adverti, "sicut agnoscendi sunt, agnoscere filios "promissionis, de quibus dicit Aposto- "lus:" "*Non ii qui filii carnis, hi filii "Dei.*" Unde sic arguo: Gratia per quam filii Dei et filii promissionis constituimur, est gratia habitualis: filii enim Dei fimus et justi, «per occultissimam» ut loquitur S. Aug. lib. 1. de Peccat. meritis et remiss. cap. 9, «Spiritus sui gra- «tiam, quam latenter infundit et parvu- «lis.» Atqui talem gratiam nusquam admisit Pelagius; ergo, etc.

2.° Non semel advertit S. Aug. Pelagianos contendisse «remissionis gratiam «ad hoc tantum valere, ut peccata præ- «terita dimittantur, non ut futura præ- «caveantur;» quæ quidem propositio damnata est in concilio Milevit. can. 3; et cap. 2 lib. de Gratia Christi testatur idem S. doctor, Pelagianos coactos agnoscere gratiam ad præcavenda peccata, eam in recordatione remissionis peccatorum et exempli Christi consideratione reposuisse, non in aliqua subministratione virtutis. Ex quibus ista colligo: Si Pelagiani veram habitualem gratiam admisissent, hæc, utpote habitus interior et permanens, ad præcavenda peccata valuisset, nec in sola exteriori consideratione et recordatione fuisset posita; atqui contrarium asseruere Pelagiani; ergo veram gratiam habitualem non admiserunt.

3.° Quemadmodum ratiocinatur Suarez loco mox citato, gratia habitualis et dona infusa conferuntur propter actus supernaturales, sicut virtutes et habitus

naturales dantur propter operationes naturales; atqui Pelagius non agnovit actus supernaturales; siquidem omnes virtutum actus asseruit fieri posse per vires proprias liberi arbitrii; ergo, etc. Et vero in Adamo innocente nullum supernaturale donum agnovit Pelagius: ergo verisimile idem sensisse de Adæ filiis. Denique nusquam admisit actualem internam voluntatis gratiam, uti antea probavimus; ergo nec habitualem.

Dices 1.°: Pelagiani omnes effectus tribuerunt gratiæ Christi quos in gratiam habitualem refundimus. 1.° Ipsam desiderabant ad abstersionem et remissionem peccatorum. Lib. de Gratia Christi et alibi sæpe. 2.° Ad naturæ instaurationem, innovationem, restaurationem. Ita Pelagius in Epist. ad Demetriadem. 3.° Ad justificationem et sanctificationem in Christo; aiebat enim Pelagius «non ideo parvulos baptizari, ut «remissionem accipiant peccatorum, sed «ut sanctificentur in Christo.» Ita se Carthagine audivisse testatur S. Aug. lib. de Peccat. meritis et remiss. cap. 6. 4.° Ad adoptionem; hinc S. Aug. lib. 2 ad Bonifacium cap. 6, Pelagianos sic alloquitur: «Regenerationis lavacro adoptari «ex filiis hominum in filios Dei non ne«gatis, imo etiam prædicatis.» 5.° Ut templum Dei homines fierent, et hæredes regni cœlestis. *Ideo parvuli baptizantur*, inquit Pelagius apud S. Aug. lib. 1 de Peccat. meritis et remiss. cap. 10, «ut «creentur in Christo, et ipsius regni cœ«lorum participes fiant eo modo filii et «hæredes Dei, cohæredes autem Christi.» Atqui insignes illi multiplicesque effectus aperte demonstrant Pelagianos gratiam habitualem divinitus infusam agnovisse: ergo, etc. Respondeo isthæc quidem verba sensum catholicum præ se ferre, sed apud fraudulentos hæreticos Pelagianos, gravissima latentis erroris suspicione laborare. Scilicet asserebant peccata dimitti, homines instaurari, renovari, adoptari in filios Dei, hæredes fieri regni Dei, etc., non quidem per infusionem charitatis et aliorum donorum supernaturalium, sed per simplicem et externam peccatorum non imputationem seu condonationem, per simplicem et externum Dei favorem, quo ad regnum cœlorum destinantur: eo fere modo quo sola principis voluntate seu destinatione nonnulli ad certa quædam officia deputantur, absque ulla ipsis intus communicata virtute. Fallaciam hanc detegit S. Aug. citato cap. 38 libri de Grat. Christi; relatis enim hisce Pelagii verbis, «nos instau«rari per Christi gratiam, et in melio«rem hominem renasci;» subjungit S. doctor: «Videte quemadmodum et hic «aliis quidem verbis, sed tamen in remis«sione peccatorum et in exemplo Christi «adjutorium gratiæ constituerit.» Et lib. 6 contra Julianum cap. 23. *Tu*, inquit, «á vestro dogmate non recedis, quo pu«tatis gratiam Dei per Jesum Christum «sic in sola peccatorum remissione ver«sari, ut non adjuves ad vitanda pecca«ta... diffundendo charitatem in cordi«bus nostris per Spiritum Sanctum qui «ab illo datus est nobis.»

Cæterum quæ diximus, Pelagianos non admisisse gratiam habitualem, intelligenda sunt dumtaxat de Pelagio ejusque discipulis ad tempora usque Latî sub Zozimo decreti; neque enim ita clare liquet quid censuerit Julianus circa præsentem quæstionem, atque hinc adversum nos nullatenus militant Jansenii argumenta ex libris S. Aug. contra Julianum editis, aliisque posterioribus deprompta.

ARTICULUS VI.

De qua gratiæ specie contentio fuerit S. Augustinum inter et Pelagianos.

Relictis variis sententiis, quæ videri possunt apud auctores, nostram aperiet sequens

Conclusio. Gratia de qua potissimum contra Pelagianos agebat S. Aug. non erat habitualis, sed actualis.

Probatur 1.° Gratia quæ requiritur ad singulos pietatis actus, etiam justifi-

cationi prævios; quæ homini perfectissime justificato necessaria est ut possit recte vivere, sicut candor lucis oculo plenissime sano necessarius est ut possit videre; quæ præter baptismatis gratiam datur ut quotidianum Dei adjutorium, ad superandas diaboli insidias et carnis concupiscentias necessarium, non est gratia habitualis, sed actualis; talis autem est gratia de qua potissimum disputatum fuit Augustinum inter et Pelagianos, quod ex disertis S. D. textibus manifestum fit. *Ea gratia*, inquit lib. de Grat. Christi cap. 19. «necessarium est ut ad«juvetur homo, sine qua boni aliquid fa«cere non potest.» Lib. de Nat. et Grat. cap. 26: «Sicut oculus plenissime sanus, «nisi candore lucis adjutus non potest «cernere, sic homo etiam perfectissime «justificatus, nisi æterna luce justitiæ di«vinitus adjuvetur, recte non potest vi«vere.» Et sanctus Cœlestinus in epist. ad episcopos Galliæ cap. 7: *Nemo*, ait, «nisi baptismatis gratia renovatus ido«neus est ad superandas diaboli insidias, «et vincendas carnis concupiscentias, nisi «per quotidianum Dei adjutorium per«severantiam bonæ conversationis acci«piat.» Ergo de gratia actuali potissimum agebatur contra Pelagianos.

Dicet forte aliquis, S. Aug. disputasse contra Pelagianos de gratia habituali, quia agit adversus ipsos de gratia qua justificamur et sanctificamur, quæ quidem est gratia habitualis; at hæc ratio omnino infirma est et inefficax. Triplici enim modo, ut observat Angelicus doctor, homo dici potest justificari, 1.° *dispositive*, cum tendit et præparat se ad justitiam: 2.° *formaliter*., cum in justitia et sanctitate habituali actu constituitu; 3.° *effective*, cum ex justitia agit, seu fructus justitiæ operatur. Sanctificatio dispositiva effectus est gratiæ actualis; formalis est effectus habitualis: effectiva tandem, et actualis gratiæ est et habitualis. Sanctus porro Aug. loquitur non tantum de gratia, qua formaliter, sed potissimum de illa qua dispositive et effective justificamur, proinde de gratia actuali disputavit contra Pelagianos; quod constat; ex eodem S. Aug. lib de Grat. Christi, cap. 47. «Si ergo «consenserit nobis (Pelagius)..... etiam «ipsam voluntatem et actionem divinitus «adjuvari, et sic adjuvari, ut sine alio «adjutorio nihil bene velimus, et aga«mus, eamque esse gratiam per Jesum «Christum... nihil de adjutorio gratiæ, «quantum arbitror, intra nos controver«siæ relinquetur.»

CAPUT II.

In sex articulos distributum.

De pelagianæ hæreseos impugnatoribus.

Hæresis Pelagiana debellata fuit variis conciliorum decretis; Summorum Ponficum constitutionibus; dogmaticis SS. Patrum scriptis; edictis imperatorum in ipsos hæresiarchas latis; de his ergo sigillatim aliquid dicemus.

ARTICULUS I.

De Conciliis in causa Pelagianorum celebratis.

Viginti tria saltem congregata sunt Concilia adversus hæresim Pelagianam ante celebrationem ephesinæ Synodi Œcumenicæ. Quæ quidem concilia sigillatim retulit et doctissimis observationibus locupletavit Mercatoris Commentator Parisinus. Siquis, quæ in illis gesta sunt, desiderat, adeat præfatum Commentatorem.

Quia vero de illis non pauca diximus in cap. 1. art. 2. et indicabimus art. seq. brevitatis causa juvat nunc hic tantum exhibere distinctam synodorum synopsim, quæ contra Pelagianos celebratæ sunt.

Prima Synodus celebrata fuit anno 412, Carthagine, in causa Cœlestii.

Secunda, Jerosolymis sub Joanne episcopo, anno 415, mense julio in causa Pelagii.

Tertia, Diospoli eodem anno mense decembri.

Quarta, Carthagine anno 416, circa tempus autumni.

Quinta, Milevi eodem anno circa finem octobris.

Sexta, iterum Carthagine sub finem ejusdem anni á 5 episcopis.

Septima, Synodus Romana prima sub Innocent. anno 417.

Octava, Synodus Constantinopolitana sub Attico contra Cœlestium eodem anno.

Nona, Synodus Antiochena sub Theodoro contra Pelagium eodem tempore.

Decima, Synodus Romana secunda sub Zozimo, in causa Cœlestii, circa initium Septembris ejusdem anni 417.

Undecima, Synodus Africana prima contra Pelagianos tempore Zozimi, ineunte novembri ejusdem anni 417.

Duodecima, Synodus Romana tertia sub Zozimo, circa medium aprilis 418.

Decimatertia, Synodus Africana secunda Kalendis maii ejusdem anni 418.

Decimaquarta, Synodus Africana tertia eodem anno tempore autumnali.

Decimaquinta, Synodus quarta Africana anno 419.

Decimasexta, Synodus in Cilicia adversus Julianum anno 423.

Decimaseptima, Synodus Constantinopolitana, in causa episcoporum ex Italia ejectorum propter hæresim Pelagianam, anno 424.

Decimaoctava, Synodus Romana quarta sub S. Cœlestino, anno 425.

Decimanona, Synodus Africana quinta, in causa Leporii, eodem anno.

Vigesima, Synodus Gallicana, cujus tempus, locus et præses incerti; eam Arelate præside Patroclo Arelatensi episcopoa hbitam fuisse circa annum 427, conjicit Marii Mercatoris interpres.

Vigesimaprima, Anglicana Verolamii anno 429, qua in synodo sanctissimi duo antistites Galli Germanus Antissiodorensis et Lupus trecentis, Pelagianos, qui ad fidem impugnandam convenerant, debellarunt atque convicerunt.

Vigesimasecunda, Synodus Romana quinta sub S. Cœlestino circa annum 430.

Vigesimatertia, Synodus ephesina generalis anno 431.

Ex iis patet quam numerosa sit series conciliorum, quæ annorum novemdecim spatio habita sunt.

ARTICULUS II.

De Constitutionibus summorum pontificum contra Pelagianos.

Plurimi summi pontificis Pelagianam hæresim suis Constitutionibus profligavere; præcipui sunt SS. Innocentius, Zozimus, Bonifacius, Cœlestinus, Sixtus et Leo Magnus, de quibus hæc habet Gelasius ad Honorium Dalmatiæ episcopum: «An forte nescitis hanc hæresim» (Pelagianam) «ab apostolica dudum Sede «per beatæ memoriæ Innocentium, ac «deinde Zozimum, Bonifacium, Cœlesti«num, Sixtum, Leonem, continuis et in«cessabilibus sententiis fuisse prostra«tam?» De præcipuis horumce pontificum decretis jam paucis dicendum.

1.° Innocentius papa, ut supra observavimus, acceptis tribus epistolis concilii Carthaginensis, concilii Milevitani, et quinque episcoporum, totidem ex synodo romana ad Africanos præsules ipso anno 417, mense januario rescripsit dogmaticas epistolas; in his damnata hæresi Pelagiana, anathemate percussi sunt illius auctores ac sectatores.

Circa istud apostolicæ Sedis judicium, omitti certe non debent præclara hæc S. Aug. verba: «Jam, ait S. doc. erm. 131 «de Verbis Apost. n. 10, de hac causa «duo concilia missa sunt ad Sedem apos«tolicam; inde etiam rescripta venerunt; «causa finita est; utinam aliquando fi«niatur error!» Concio hæc, ut observant Doctiss. Benedictini in præfatione tomi 10 Operum S. Aug., habita est paucis á lato Innocentio decreto mensibus nono scilicet Kalendas octobris die Dominico, qui dies in annum 417 incidebat. Hoc S. pontificis decreto, sæpius in Julianum utitur S. Aug. Sic lib. 3 contra Julia-

num n. 5: «Vestra vero, inquit, apud «competens judicium communium episcoporum modo causa finita est, nec amplius agendum, nisi ut prolatam hac de re sententiam cum pace sequamini; quod «si nolueritis, á turbulenta inquietudine «cohibeamini.» Idem repetit S. doctor lib. 4. contra Julianum cap. ultimo.

2.° Zozimus, Innocentii successor, anno 418, eosdem Pelagianos decretoria tandem sententia damnat. Circa hanc Zozimi sententiam, quam tractoriam vocant, nonnulla hic veniunt observanda. Primum, tractoriam hanc prolixam fuisse epistolam, quæ totam Pelagii Cœlestiique causam, excerptasque ex ipsorum libris sententias contineret, atque in ea Pelagiana dogmata cum suis auctoribus damnabantur. Id habemus ex S. Aug. lib. de Peccat. orig. cap. 21, et ex epist. 190, alias 157. Secundum eamdem tractoriam ad omnes totius christiani orbis episcopos missam fuisse, et ab iisdem subscriptam. Ita testantur plerique 5 seculi scriptores. S. Aug. epist. 190 ad Optatum, alias 157: "Hæresis novæ, inquit, vel auctores, vel certe acerrimi "notissimique suasores, cum Pelagius et "Cœlestius extitissent, conciliorum Episcopalium vigilantia, in adjutorio Salvatoris, qui suam tuetur Ecclesiam, "etiam á duobus veneralibus antistitibus "Apostolicæ Sedis, papa Innocentio et "papa Zozimo, nisi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto christiano orbe "damnati sunt, de quibus exempla recentium scripturarum, sive quæ specialiter ad Afros, sive quæ universaliter ad omnes episcopos de memorata "Sede manarunt, ne forte ad vestram "fraternitatem nondum pervenerint, vobis curavimus mitti." Et Epist. 215, alias 57, ad Valentinum: "Item quod "Zozimo de Africano concilio scriptum "est eiusque rescriptum ad universos "totius orbis episcopos missum," S. Prosper lib. contra Collatorem cap. 1: "Catholica acies, inquit, non patitur respirare quos vicit, et in quorum exci"dium unam cunctorum sacerdotum ma"nu sententiam scripsit." Ibidem cap. 21: "Africanorum conciliorum decretis "papa Zozimus sententiæ suæ robur annexuit, et ad impiorum detruncatio"nem gladio Petri dextras omnium armavit antistitum." Et Carmine de Ingratis, cap. 9:

.....Nempe hæc damnata fateris
Conciliis, mundique manu.

Auctor appendicis ad epistolam S. Cœlestini ad episcopos Galliæ: "In quam "nos sententiam dirigit beatæ recordationis papæ Zozimi regularis auctoritas, cum scribens ad totius orbis Episcopos ait: *Vos autem instinctu Dei,*» etc.

Marius Mercator in Commonit. ad Theodosium cap. 1. "A prædicto Zozimo, inquit, scriptis amplissimis vel "longissimis prædamnatus est (Cœlestius), in quibus et ipsa capitula, de "quibus accusatus fuerat continentur, et "omnis causa, tam de Cœlestio, quam de "Pelagio videtur esse narrata, quorum "scriptorum et nos hic habemus exemplaria, et ad orientales Ecclesias, Ægipti "diœcesim, et Constantinopolim, et Thessalonicam, et Jerosolymam, similia eademque scripta ad episcopos transmissa "esse suggerimus." Ibidem cap. 3; "Quæ omnia supra scripta capitula con"tinet illa beatæ memoriæ episcopi Zozimi epistola, quæ tractoria dicitur, "qua Cœlestius Pelagiusque damnati "sunt, quæ et Constantinopolim, et per "totum orbem missa, subscriptionibus "SS. Patrum est roborata," etc.

Tertium, prædicto Zozimi decreto, episcopi omnes, exceptis octodecim, quorum dux erat Julianus, subscripsere, qui idcirco depositi sunt. Ita declarat Marius Mercator citato cap. 3. Commonit. ubi post verba mox relata statim subjungit: "Cui (tractoriæ) Julianus et "reliqui complices ejus subscribere de"trectantes, consentaneosque se nolentes iisdem Patribus facere, non solum

"imperialibus legibus, sed et sacerdo-"talibus statutis depositi, atque exauc-"torati, ex omni Italia deturbati sunt." Idem habetur ex S. Prospero lib. contra Collatorem cap. 1, his verbis: "Ca-"tholica acies non patitur respirare quos "vicit.... pulsi pontificio et communio-"ne privati, querantur de felicitate nos-"træ victoriæ, et arment in nos linguas "suas, qui exulare á veritate, quam ci-"ves esse Ecclesiæ maluerunt."

Existimant nonnulli cum Norisio lib. 1. hist. Pelag. cap. 11, tractoriam Zozimi á decreto Innocentii in eo tantum fuisse diversam, quod istud pressius, illa latius doctrinam catholicam contineret. "Innocentius papa, inquit Gennadius "lib. de scriptoribus ecclesiast., cap. "43, scripsit decretum occidentalium et "orientalium Ecclesiarum adversus Pe-"lagianos datum, quod postea successor "ejus Zozimus latius promulgavit." Idem indicant SS. Aug. lib. de Peccat. orig. cap. 7, et Prosper contra Collatorem, cap. 10.

3.° Bonifacius papa infensissimus fuit hæresis Pelagianæ hostis, et acerrimus fidei catholicæ propugnator, de quo S. Prosper lib. contra Collat. ita scribit: "Sanctæ memoriæ Bonifacius..... contra "inimicos gratiæ Dei, non solum apos-"tolicis, sed etiam regiis utebatur edic-"tis; et quando idem cum esset doctis-"simus, adversus libros Pelagianorum "beati Augustini episcopi responsa pos-"cebat..."

4.° Idem de Cœlestino papa testatur S. Prosper citato libro contra Collat. cap. 41, ubi de sanctissimo pontifice sic loquitur: "Per hunc virum etiam orien-"tales Ecclesiæ gemina peste purgatæ "sunt quando Cyrillo Alexandrinæ ur-"bis antistiti, gloriosissimo fidei catho-"licæ defensori; ad execrandam Nesto-"rianam impietatem apostolico auxilia-"tus est gladio, quo etiam Pelagiani, "dum cognatis confederantur erroribus, "iterum prosternerentur."

5.° Sixtus, qui in sede apostolica S. Cœlestino sucessit, pariter adversus Pelagianos causam catholicam egregie propugnavit; et Julianum, Pelagianum, qui ad Eclanensem episcopatum, ex quo fuerat olim dejectus, et in Romanæ Ecclesiæ communionem simulata pœnitentia irrepere tentabat, constanter rejecit. Ita declarat S. Prosper in Chronico.

7.° Tandem S. Leo Epist. ad episcopum Aquileiensem 6. alias 86. quæ est de Pelagianis, hæresim hanc iterato anathemate confodit, atque Pelagianos in communionem recipiendos non esse declarat, nisi prius erroris et auctorum ipsius damnationi expresse subscripserint: »Damnent, inquit, apertis professionibus »sui superbi erroris auctores, et quidquid »in doctrina eorum universalis Ecclesia »exhorruit, detestentur; omniaque de-»creta synodalia quæ ad excisionem hu-»jusce hæreseos apostolicæ sedis confir-»mavit auctoritas, amplecti se et in om-»nibus approbare, plenis et apertis, ac »propria manu subscriptis protestationi-»bus eloquantur. Nihil in verbis eorum »obscurum, nihil inveniatur ambiguum.» Rursus ibidem: «Omnes, sive presbyte-»ri, sive diaconi, sive cujuscumque or-»dinis clerici, qui de Pelagianorum Cæ-»lestianorumque consortio... quorum si »quisquam salubribus præceptis obedire »detrectarit, sive ille clericus, sive sit »laicus, ab Ecclesiæ societate pellatur, ne »perditor animæ suæ, saluti insidietur »alienæ.»

Et in Epist. ad Septimium 7. alias 85. »Saluberrimum est, inquit, et spiritualis »medicinæ utilitate plenissimum, ut sive »presbyteri, sive diaconi, sive alii cujus-»libet ordinis clerici qui se correctos vi-»deri volunt, errorem suum, et ipsos er-»roris auctores damnari á se sine ambi-»guitate fateantur.»

ARTICULUS III.

De dogmaticis SS. Patrum libris adversus Pelagianos.

Celebriores fidei catholicæ adversus

hæresim Pelagianam defensores sunt, SS. Hieronymus et Augustinus; Orosius, Sixtus et Marius Mercator; nam Prosper et Hilarius contra solos fere Semipelagianos scripsere. Juvat hic paucis texere catalogum præcipuorum operum quæ quatuor ex his fidei vindicibus adversus Pelagianos edidere, rejecta ad calcem totius dissertationis exacta et chronologica operum S. Aug. contra eosdem hæreticos analysi: hæc enim, utpote gravioris momenti, fusiorem postulat stylum.

§ 1. *De scriptis S. Hieronymi contra Pelagianos.*

Primus fidei contra Pelagianos defensor laudandus venit S. Hieronymus. Scripsit autem contra Pelagianos, 1.° epistolam ad Marcellinum de origine animarum, versus annum 411. In ea porro quinque referuntur opiniones circa originem animarum, nempe quod vel in corpora labantur é cœlo, ubi præextiterint; vel ex divina substantia tamquam particulæ defluant, vel ex thesauro educantur ubi olim conditæ, vel á Deo quotidie fiant, vel sint ex traduce. Priores duas explodit ut hæreticas, tertiam rejicit tamquam *ecclesiasticorum nonnullorum stultam persuassionem;* quartam amplectitur ut suam; quintam *maximæ parti Occidentalium tribuit.*

2.° Scripsit S. Hier. contra Pelagianos epistolam ad Ctesiphontem anno circiter 413. In hac epistola disputat S. doctor adversus librum Pelagii *de Natura*, ejusque has potisssimum sententias impugnat, quibus ille pronuntiabat, *posse hominem sine peccato esse, si velit;* deinde, *liberum destrui arbitrium, si alterius ope indiget;* postremo, *facilia Dei esse mandata.* Sub finem ejusdem epistolæ Pelagium hortatur Hieronymus, ut publice prædicet quod secreto discipulis loquitur: *Nam Ecclesiæ victoria est*, inquit, *vos aperte dicere quod sentitis.*

3.° Idem S. doctor anno 415, tres Dialogorum libros conscripsit contra Pelagianos. In iis Atticum et Critobulum inducit secum invicem disceptantes; hic Pelagianam hæresim propugnat, ille catholicæ fidei causam tuetur. Præcipuus S. doctoris scopus in hisce libris in eo versatur, ut *tes apadejes* id est, imperturbationem Pelagianorum impugnet, et divinæ gratiæ necessitatem commendet.

4.° Scripsit insuper de re Pelagiana præfationes quatuor ad libros suos Commentariorum in Jeremiam; hæ præfationes plurimum continent historiæ, atque ex his facile est intelligere quis fuerit causæ Pelagianæ status in Palestina ab adventu Pelagii ad synodum Diospolitanam.

5.° Tandem tres alias epistolas de causa Pelagiana edidit S. Hier.; prima ad Alypium et Aug. 202, paulo ante mortem S. Hier. scripta est, nimirum anno 419, sub finem; altera, 195, ad Aug.; tertia, ad eumdem Aug. 123. Tres illæ epistolæ declarant rei Pelagianæ in Palestina statum á Synodo Diospolitana usque ad annum 419.

§ 2. *De Orosii scriptis adversus Pelagianos.*

Paulus Orosius celebris Hispaniarum presbyter SS. Hieronymo et Aug. amicissimus, post Hierosolymitanam synodum, in qua Pelagianum dogma strenue confutavit, agentibus iisdem Pelagianis á Joanne Hieroslymitano male exceptus est, et Ecclesia ad quam propter Encæniorum solemnitatem advenerat, expulsus, quasi per summam blasphemiam asseruisset, «hominem nequidem cum Dei «adjutorio, posse esse sine peccato, et «mandata Dei observare.» Ut hanc á se calumniam propulsaret Orosius, Apologiam edidit quæ inscribitur: *Apologeticus contra Pelagium de arbitrii libertate.*

In duas porro distribuitur partes; altera historica, altera dogmatica. Illa res gestas in conventu Jerosolymitano refert, et scribendi causam; ista Pelagianos errores egregie confutat, nec immerito videri potest quoddam quasi compendium

doctrinæ ab Hier. et Aug. traditæ. Hanc conscripsit Apologiam Orosius anno Christi 415, ante synodum Diospolitanam.

Sunt qui cum Jansenio prædictam Orosio adjudicent epistolam; verum ii non satis advertunt Apologeticum hunc magnam habere ab Aug. auctoritatem, certamque fidem. Legantur quæ habet S. doctor de gestis Palæstinis cap. 11, 14 et 16. Vide etiam Commentatorem Marii dissert. 6, cap. 3, et Natalem Alexand. Hist. Eccles. secul. 5, cap. 3, art. 6, parag. 2.

§ 3. *De Sixto, presbitero romano.*

Sixtus, illustris romanæ Ecclesiæ presbyter, qui Cœlestino I in Sede apostolica successit, inter eos etiam numeratur qui adversus Pelagianam hæresim scripsere. Ipsi sex hypognosticon, id est, subnotationum libros adscribit eruditus Marii Mercatoris interpres Garnerius. Id variis momentis conjicit prædictus auctor, quæ apud eumdem videri possunt dissert. 6 de Scriptis adversus hæresim Pelagianam, cap. 4.

§ 4. *De Mario Mercatore.*

Fortissimum illum fuisse fidei catholicæ adversus Pelagianos vindicem, demostrant quæ nunc supersunt ejusdem opera; ea in unum collegit ac doctissimis dissertationibus adornavit eruditus Garnerius. Duo celebriora sunt ipsius opera, *Commonitorium* scilicet Theodosio imperatori oblatum, anno circiter 429, et liber *Subnotationum* in postremos Juliani libros, qui probabilius creditur scriptus sub finem anni 431, quo tempore celebrata fuit Ephesina synodus. Utrumque opus plurima sane eximia complectitur, tum ad historiam, tum ad dogmata Pelagii et Cœlestii penitius dignoscenda.

Commonitorii quinque sunt partes. Prima complectitur causam Cœlestii, ibique refert quomodo acta fuerit Carthagine, Constantinopoli et Romæ; in secunda ex indubitatis Pelagii libris dogmata Pelagiana deteguntur; in tertia Pelagii et Cœlestii condemnatio recensetur, sive quæ á duobus summis Pontificibus Innocentio et Zozimo, sivè quæ á Patribus Diospolitanis lata est; in quarta declaratur eamdem fuisse utriusque hæretici sententiam, atque ita unius condemnationem ad alterum pertinere; in quinta denique convenitur Julianus, nimirum ut resipiscentium exemplo ad Ecclesiam rediret.

Liber Subnotationum in duas partes distribuitur; prima nomen Commonitorii ad lectorem accepit, quia præfationis loco est: altera Subnotationum ad verba Juliani, estque ipsummet opus. Prima complectitur potissimum quæ ad historiam spectant; secunda quæ ad dogmata.

Eidem Mercatori libros hypognosticon adscribunt nonnulli; verum immerito; multa etenim contrarium suadent, stylus præsertim et dicendi ratio, quæ in hypognostico diversa est ab ea quæ in aliis Mercatoris indubitatis opusculis deprehenditur. Hujus incerta est patria.

In iis quæ ad hæresim Pelagianam spectant, summi profecto ponderis unicuique cordato haberi debet Mercatoris testimonium; nam, inquit laudatus mox ipsius Commentator, quæ tria solent fidem auctoribus conciliare, ea mirum in modum ipsum commendant. 1.° Scripsit de Pelagio, Cœlestio et Juliano, quæ partim vidit, partim etiam gessit. 2.° Scripta edidit eo tempore, quo poterat ab omnibus falsitatis argui, si quid alienum á vero retulisset. 3.° Quæ scripsit probatioribus veterum monumentis omnino sunt consona.

His adde, quod ad commendationem Mercatoris plurimum conducit, de quæstione difficillima ab ipso se doceri postulat ipsemet Augustinus citato libro de octo quæst.: «Quod attinet, inquit, quæs. »3, ad quæstionem resurrectionis... inquisitio diligentior adhibenda est; et si »quid absolutum ac definitum excogita-

»re potueris, peto mihi mittere non gra»veris; ego enim plus amo discere, quam » docere,» etc.

ARTICULUS IV.

De imperatorum edictis adversus Pelagianos.

Non solum synodorum decretis, Constitutionibus summorum pontificum, ac dogmaticis sanctorum Patrum scriptis prostrati sunt Pelagiani, verum etiam christianorum imperatorum legibus. Ita testantur S. Aug. lib. de peccato orig. cap. 17. "In auctores, inquit, nefandi "erroris episcopalia concilia, et apostoli"ca Sedes, universaque romana Ecclesia, "romanumque imperium, quod Deo pro"pitio christianum est, rectissime fuit "commotum, donec resipiscant de dia"boli laqueis.» S. Prosper lib. contra Collatorem: "Sanctæ memoriæ Bonifa"cius, inquit, piissimorum imperatorum "catholica devotione gaudebat, et con"tra inimicos gratiæ Dei, non solum "apostolicis, sed etiam regiis utebatur "edictis.» Idem testatur Marius Mercator in Commonit. cap. 3.

Quinque autem potissimum fuere imperatorum adversus Pelagianos Constitutiones, seu edicta, quæ quidem, ut observat Possidius in vita Sancti Augus., *Ecclesiæ Dei catholicæ judicium secuta sunt.* Prima adversus Pelagianos Constitutio Ravennæ data est ab Honorio imperatore anno 118. die 30 aprilis. Hac lege imperator statuit Pelagium et Cœlestium ex urbe pellendos, eorum vero sectatores ubicumque et á quocumque sive clerico, sive laico, legitime accusatos et convictos, facultatum spoliatione, perpetuoque exilio mulctandos esse. Ad Constitutionis hujusce executionem, præfecti prætorio, Junius quartus, Palladius Orientis, Monaxius Occidentis, Agricola Galliarum, jussionem dederunt in singulis suarum præfecturarum diœcesibus una cum lege principis promulgandam.

Imperatoriam hanc legem proprie rescriptum esse, non nudam Constitutionem minime postulatam, intelligitur ex his S. Aug. verbis lib. 3, contra Julianum cap. 1.°: *Sane, ut dicis, si pro vobis potius ab imperatore responsum est.* Id certum; á quo autem petita fuerit illa, non ita constat; eam rogante Zozimo datam, viri quidam eruditi opinantur; alii vero existimant illam Africanorum precibus fuisse concessam, antequam Pelagianos damnaret Zozimus, idque declarare videtur antiquus codex canonum Ecclesiæ romanæ hacce inscriptione: *Sacrum rescriptum acceptis synodi suprascriptæ gestis.* Præcedit autem illic synodus Carthaginensis anni 418, quæ quidem cum die prima maii celebrata sit, uno die posterior est rescripto; verum, uti observant doctiss. Benedictini n. 18, citatæ præfationis, facili errore synodus anni 418 cum ea quæ anno 417 habita erat, confundi potuit.

Altera adversus Pelagianos ab eodem Honorio imperatore data est Constitutio anno 419, 5 Idus junii. In ea primo confirmat Honorius latam á se Constitutionem anno superiore contra Pelagium et Cœlestium. 2.° Statuit, quisquis ut eos, ubicumque terrarum agerent, sciens non denuntiaret aut expelleret, ipsemet in exilium pelleretur. 3.° Decernit, juxta Zozimi Tractoriam, ut Pelagii atque Cœlestii damnationi omnes subscriberent episcopi, sub iis pœnis, ut recusantes dignitate sua exuantur, expellantur é suis urbibus, et á communione in perpetuum resecentur. Ita piissimus imperator pontificum et conciliorum decreta observari curabat.

An autem posterior hæc Honorii Constitutio Valerii Comitis instantiæ, promoventibus Alypio et S. Augustino, referenda sit; an potius curis ac precibus Bonifacii romani jam episcopi, certo definiri non potest. Hanc diligentiæ Zozimi adscribendam probabile judicant eruditi auctores laudatæ mox præfationis n. 21, idque innuere videtur S. Prosper

lib. contra Collatorem cap. 21, ubi asserit Zozimum summo studio gratiæ Christi adversarios; cum auctoritate sua apostolica, tum edictis imperatorum, debellasse.

Novam in Pelagianos Constitutionem anno 421 tulit Constantius, sub idem tempus ab Honorio in consortium imperii vocatus. Ea in Constitutione, Cœlestium aliosque Pelagianos, qui sese urbi denuo insinuaverant, rursus Roma expelli mandavit, ita ut ne intra centesimum quidem ab urbe lapidem commorari sinerentur. Edictum illud non ad annum 420, ut volunt Baronius, et Usserius, referendum esse, sed ad annum 421, recte demonstrant Norisius lib. 1 Hist. Pelag. cap. 20, et Garnerius part. 1 Marii Mercat. dissert. 3.

Quartam contra eosdem Pelagianos Constitutionem edidit Valentinianus III, anno 425. Huic ferendæ legi occasionem dedere tumultuantes in Gallicanis regionibus Pelagiani; jubet imperator episcopos Pelagiana dogmata sequentes per Patroclum Arelatensem episcopum conveniri, «et nisi intra viginti dies ex «conventionis tempore.... errata correxerint, Gallicanis regionibus expelli, «atque in eorum locum sacerdotium fi«delius subrogari;» id est, catholicos subrogari antistites.

Tandem anno 430, Theodosius junior Orientis imperator, cui paulo ante Marius Mercator Commonitorium contra Pelagianos obtulerat, Honorii, Constantii et Valentiniani, imperatorum Occidentis, zelum ac exemplum secutus, Cœlestium, Julianum, cæterosque Pelagianos regia urbe ejecit. Ita testatur idem Marius in titulo Commonit. De his Constitutionibus imperatoriis hæc habet Gelasius epist. 7: *Pelagium, Cœlestium, Julianum*, cæterosque complures oratoriæ facundiæ *viros, cæterosque* (Pelagianos)... *probavimus fuisse convictos, et tam ecclesiasticis constitutis, quam imperialibus percussos fuisse præceptis.*

ARTICULUS V.

De subscritionibus in causa Pelagianorum exactis.

Ex dictis hucusque patet, in Pelagiani erroris excidium supremas duas potestates, ecclesiasticam et imperatoriam conspirasse, illam in synodorum et summorum pontificum decretis, istam in sanctionibus Ecclesiæ judicium secutis. Porro, ad efficaciter obtinendum quod utraque potestate fuerat constitutum, imperata est, testibus SS. Aug. et Prospero, Possidio, Mercat., etc., subscriptio Ecclesiæ decretis Pelagium et Cœlestium, eorumque sequaces damnantis. De hisce subscriptionibus præstat nonnulla paucis inquirere, ex quibus tum dictis, tum dicendis in præsenti causa non modica lux effulgebit.

Quæres itaque 1.°, quæ fuerit, et á quo præscripta formula fidei, cui subscribendum foret in causa Pelagianorum.—Respondeo formulam illam fuisse Zozimi *Tractoriam* ad universos totius orbis episcopos directam. Ita declarant SS. Aug. et Prosper, Mercator, et alii supra art. 2. citati. Quemadmodum ergo in Euthychiana causa non alia fuit formula fidei, quam Epistola S. Leonis ad Flavianum de Incarnatione, ita nec in Pelagiana fuit alia subscribenda præter Zozimi Tractoriam, quæ idcirco in append. ad Epist. ad episcopos Galliæ, appellatur *regularis auctoritas*.

Quæres 2.°, an tantum dogmatum, an etiam auctorum damnatio exacta sit in hac causa.—Respondeo certum esse, non solum dogmatum, sed etiam auctorum Pelagii, Cælestiique damnationem subscribendam fuisse. Ita communi consensu testantur SS. Aug. et Prosper, Mercator, aliique omnes seculi quinti autores, qui de causa Pelagiana scripserunt. Augustini, Prosperi et Mercatoris testimonia hanc in rem retulimus citato mox articulo 2 hujusce capitis; cætera videri possunt apud Parissinum Marii

Commentatorem prima parte dissert. 4, cap. 4.

Porro (quod observa), id quod olim dicebatur, subscribere damnationi dogmatum et auctorum, nihil aliud fuit, quam propositiones damnare in eo ipso sensu, quo á suis auctoribus assertæ sunt, id est, in sensu obvio, proprio et naturali, aut, ut aiunt, Ecclesiæ in iisdem propositionibus connexa duo, quæ *jus* et *factum* vocant, damnanti consentire.

Quæres. 3.°, quibus imperata sit subscriptio, an solis episcopis, an etiam aliis de clero, imo et aliquando laicis.— Respondeo 1.°, imperatam fuisse episcopis; ita testantur Julianus apud S. Aug. lib. 4 ad Bonif. cap. ultimo; «De «simplicibus episcopis, sine congregatio«ne synodi, in locis suis sedentibus ex«torta subscriptio est;» Honorius imperator in edicto ad Aurelium, *ad quorumdam episcoporum pertinaciam*, etc.; Marius Mercat. in Commonit. *Julianus et reliqui complices*, etc.

Respondeo 2.°, imperatam quoque fuisse presbyteris, cæterisque de clero. Id manifeste probat exprobratio romanis clericis á Juliano facta nomine octodecim episcoporum, cujus meminit S. Aug. lib. 2 ad Bonifac. cap. 3, his verbis, «Quin etiam romanos clericos arguunt: «scribentes eos jussionis terrore percul«sos non erubuisse crimen prævaricatio«nis admittere, ut contra priorem sen«tentiam, qua gestis catholico dogmati af«fuerant, postea pronuntiarent malam «esse hominis naturam.» Jussio porro illa, uti non obscure indicant sanctus Prosper, Possidius et Marius antea citati, ipsissima fuit Zozimi Tractoria, per quam subscriptionem omnibus imperabat, per se quidem episcopis majorum sedium, per ipsos vero, minoribus, et per minores toti singularum Ecclesiarum clero.

Respondeo 3.°, laicis pariter imperatam fuisse subscriptionem, probatur ex eo quod excommunicationis pœna statuta sit in laicos qui subscribere detrectarent, uti constat ex testimoniis Patrum Ephesinorum et S. Leonis, sequenti quæsito referendis. Idem colligitur ex isto celebri sancti Prosperi pronuntiato, carmine de Ingratis cap. 7:

....*Nempe hæc damnata fateris*
Conciliis, mundique manu.

Quæres 4.°, quæ pœna imposita fuerit subscribere detrectantibus. — Respondeo 1.°, episcopis, presbyteris, cæterisque clericis subscribere recusantibus, impositam fuisse pœnam depositionis, expulsionis é suis civitatibus, imo et excommunicationis. Istud constat 1.°, ex canonibus 1, 2 et 4 concilii Ephes. act. 7, in quibus prædictæ pœnæ statuuntur, et in præfatione horumce canonum, sic habent Patres Ephesini: «Qui Nestorii «et Cœlestii sequi sententias, ex eo ma«nifeste sunt deprehensi, quod Nesto«rium nobiscum condemnare noluerunt; «quos sancta synodus communi decreto» AB OMNI ECCLESIASTICA COMMUNIONE ALIENOS ESSE STATUIT, ET OMNEM SACERDOTII SANCTIONEM ILLIS ADEMIT, «per «quam aliquibus vel nocere, vel prodesse «poterunt.» Constat 2.°, ex Epist. S. Cœlestini ad Nestorium rescribentis: «Hos quoque hæreticos, de quibus nos, «velut eorum quæ gesta sunt, nescius «consulere voluisti, SEDIBUS SUIS INJUSTA DICENTES EXPULIT JUSTA DAMNATIO. Constat 3.°, ex Epist. S. Leonis ad Nicetam episcopum Aquileiensem 6, alias 36, et ex Commonit. Marii, etc., quæ testimonia consule art. 2 hujusce capitis.

Respondeo 3.°, laicis subscribere recusantibus statutam fuisse excommunicationis pœnam. Ita declarant Patres Ephesini act. 7, can. 7, his verbis: «Sancta synodus decrevit» (Nestorianos aut Pelagianos), «si quidem episcopi aut «clerici fuerint, eos omnino á proprio ca«dere gradu;» SI VERO LAICI, EXCOMMUNICATOS ESSE. Idem statuit S. Leo citata mox Epist. 6 ad episcopum Aquileiensem.

Quæres. 5.°, qua auctoritate sancita fuerit lex subscribendi, an sacerdotali sola, an etiam imperiali.—Respondeo subscribendi legem utraque auctoritate, sacerdotali primum, deinde imperiali sancitam fuisse. Prima pars constat ex dictis: Zozimus enim, ut antea vidimus, decretoria sua epistola in Pelagianos ab universis episcopis non modo ut Pelagiana dogmata cum suis auctoribus damnarent, petebat, sed etiam ut eorum proscriptionem subscriptionibus ipsi suis comprobarent. Idem etiam postea edixit Honorius imperator data ad Aurelium Carthaginensem episcopum Constitutione, cujus verba paulo ante art. 4 retulimus.

Secunda vero pars, nimirum sacerdotali primum auctoritate sancitam fuisse subscribendi legem, clare colligitur 1.° ex Possidio qui id diserte docet in vita S. Aug. cap. 18, his verbis: «Illi tantæ «Sedis antistites (Innocentius et Zozimus) «suis diversis temporibus eosdem (Pela«gianos) notantes, atque á membris Ec«clesiæ præcidentes, datis litteris ad «Africanas Orientisque et Occidentis Ec«clesias, eos anathematizandos et devi«tandos ab omnibus Catholicis censue«runt, et hoc tale de illis Ecclesiæ Dei «catholicæ prolatum judicium etiam piis«simus imperator Honorius audiens ac «sequens, eos legibus damnatos inter hæ«reticos haberi debere constituit.» 2.° Idem testantur ejusdem ævi scriptores, S. Prosper lib. contra Collator. cap. 41; Marius Mercat. in Commonit. parte 2; S. Cœlestinus Epist. ad Patres Ephesinos, quæ refertur 3 part. concilii Ephes. Cap. 20; Gelasius Epist. 5 ad Honorium Dalmatiæ episcopum, et Epist. 7. 3.° Edictum Honorii imperatoris ad Aurelium Carthaginensem, quo primum subscriptiones exegit, plusquam anno integro posterius est Zozimi Tractoria, quæ, ut loquitur Mercator, per totum orbem missa subscriptionibus SS. Patrum est roborata; hæc enim mense aprili an. 418 á Zozimo lata est, Honorii vero ad Aurelium Constitutio data fuit 5 Idus junii anno 419, Monaxio et Plinta Coss.

ARTICULUS VI.

Compendiosa proponitur series chronologica operum S. Aug. adversus hæresim Pelagianam.

Catholicum adversus Pelagianos bellum duce potissimum S. Aug. confectum est; teste S. Prospero lib. contra Collatorem cap. 10: «Viginti amplius annis,» inquit, «contra inimicos gratiæ Dei ca«tholica acies hujus viri» (Augustini) «ductu pugnat et vincit.» Hinc Hormisdas de S. D. loquens, sic habet: «Quid «Romana asseverat Ecclesia de libero «arbitrio et gratia Dei, ex variis Augus«tini libris, et maxime ad Hilarium et «Prosperum cognosci potest.» Juvat ergo ad Pelagianos errores detegendos, et catholica dogmata ipsis opposita penitus scrutanda, paulo diligentius in opera S. doctoris adversus hancce hæresim exarata inquirere.

Primum quod adversus Pelagianos exaravit opus, fuere libri tres ad Marcellinum, «de peccatorum meritis et re«missione,» anno 412 editi. Libro 1, Adamum, nisi peccasset, non fuisse moriturum, ejusque posteros reos nasci peccati originalis, et ad ejus remissionem baptizari demonstrant. Lib. 2, probat nullum prorsus, excepto uno mediatore Christo, et B. M. Virgine (eam quippe excipit S. D. lib. de Natura et Grat. cap. 36) vel esse, vel fuisse, vel futurum hominem ab omni peccato immunem. In 3, Pelagii argumenta contra peccatum originale refellit. Eodem anno 412, aliud opus contra Pelagianos *de spiritu et littera* itidem Marcellino nuncupavit. Eo in libro 1.°, ostendit innumera, quæ nusquam extitere, tamen maxime esse possibilia; legem sine gratia ad peccata vitanda non sufficere, quod probat his Apostoli verbis: *Littera occidit, spiritus autem vivificat*; quæ ibidem exponit, et sæpius urget; eaque de causa huic libro de *spiritu et littera* titulum

fecit S. doctor. 3.° Tandem gratiæ divinæ fidem esse deputandam. Ad eumdem annum referenda est epist. ad Honoratum de grat. novi Testamenti.

Anno 413, S. Aug. adversus Pelagianos sermonem habuit, qui inter ipsius de verbis Apostoli sermones decimus quartus numeratur. In eo de baptismo parvulorum et peccato originali disserit, Pelagianorum effugia et cavillationes circa utrumque caput, excutit ac redarguit.

Anno 414, edidit librum *de perfectione justitiæ*. In eo docet perfectionem illam, plenitudinemque justitiæ, qua homo sine ullo prorsus peccato sit, nec sine gratia possibilem per vires naturæ, nec usquam esse præsentis hujus vitæ. Dissolvit ibidem brevibus responsis, quæ in contrarium opponebantur in libro, qui dicebatur esse Cœlestii, ad se misso ab Eutropio et Paulo episcopis Hispanis. De quo vide Marii interpretem Garnerium dissert. 6, cap. 2, in primam partem ejusdem Marii.

Anno 415, Timasius et Jacobus nobiles adolescentes Pelagianis dogmatibus studiosissime addicti, Pelagii librum quo naturam hominis contra gratiam Dei defendebat, ad S. Aug. transmiserunt cui S. doctor respondit edito libro *de natura et gratia* ad eosdem nuncupato. Eo in libro primum statuit quid de natura et gratia certum sit et exploratum; naturam scilicet inculpabilem et sanam primitus conditam, Adæ prævaricationis peccato infectam fuisse, eamque gratiæ adjutorio á lege et libero arbitrio prorsus distincto indigere, quo et ab ira Dei redimatur, et ad opera pietatis perficienda idonea reddatur; tum Pelagii naturæ vires plus æquo extollentis librum, datis ad singula capita responsis, confutat; demum respondet SS. Patrum sententiis, quibus ad errorum suorum patrocinium abutebatur Pelagius. Eodem anno S. doct. duas scripsit ad S. Hieron. epistolas; alteram (166) de origine animarum, alteram (167) de textu Jacobi; *Qui offenderit in uno, factus est omnium reus.*

Anno 416, dedit S. Aug. epistolam ad Joannem Jerosolymitanum, ipsum monens fraterna charitate, ne permitteret sibi á Pelagio illudi: deinde suum offerens librum *de natura et gratia* ipsum rogat ut gesta synodi Diospolitanæ in Africam transmitteret. Extat inter Augustinianas epistolas 179.

Anno 417, librum de gestis Pelagii ad Aurelium Carthaginensem conscripsit S. doctor. In eo synodi Diospolitanæ gesta recenset; ostendit Pelagium Patribus Palestinis turpiter illusisse; tandem demonstrat synodi sententia sic fuisse absolutum, ut ipsa hæresis propter quam in judicium vocatus est, incunctanter damnata fuerit. Liber ille scriptus fuit ab Aug. sub initium hujusce anni; et circa finem ejusdem anni, damnata jam ab Innocentio hæresi Pelagiana, sermonem secundum nunc 131 de verbis Apostoli habuit, de quo diximus supra.

Anno 418, duos ad Albinam, Pinianum et Melaniam contra Pelagium et Cœlestium libros edidit S. doctor, unum *de grat. Christi*, alterum *de peccato originali*. In primo, Pelagium gratiæ confessione fucum facere ostendit, ipsiusque varias artes ac dolos aperit. Probat 1.° Pelagium gratiam Christi nomine tenus adstruere, cum illam á libero arbitrio, lege aut doctrina evangelica, et exemplo Christi minime distinguat, 2.° Juxta eumdem gratiam secundum merita hominum dari. 3.° Ad id solum juvare ut præcepta facilius possint impleri. In secundo libro ostendit S. D. Pelagium in quæstione de peccato originali eadem sentire cum Cœlestio, qui Carthagine primum, deinde Romæ episcopalibus judiciis damnatus est; quæstionem hanc non de earum numero esse, ut effutiebant Pelagiani, in quibus præter fidei periculum errare contingit; tandem confutat eos qui originalis peccati dogmate

nuptiarum bonitati detrahi, Deoque ipsi injuriam fieri contendebant.

Eodem anno scripsit S. doctor, 1.° duas ad Sixtum romanum presbyterum, et postea summum pontificem, de re Pelagiana epistolas: prima 191, brevior est; altera 194, alias 105, prolixior, et totius doctrinæ catholicæ adversus Pelagianos veluti compendium. 2.° Epistolam ad Paulinum Nolæ episcopum 186; in ea multa et præclara de prædistinatione disputat. 3.° Epistolam 190, ad Optatum *de origine animarum*.

Anno 419, circa initium, librum primum *de nuptiis et concupiscentia* scripsit ad Valerium comitem. In eo bonitatem nuptiarum defendit; explicat quomodo concupiscentia in baptizatis maneat actu, non reatu; Pelagianos, carnis concupiscentiam, velut naturale bonum laudantes, SS. Patrum auctoritate refellit.

Anno 420, S. Aug. Juliani argutias et vitiligationes adversus priorem suum librum de nuptiis et concupiscentia, quatuor libris comprehensas, edito altero ejusdem argumenti libro confutavit. Catholicum dogma de originali peccato ab impia Manichæorum doctrina toto cœlo distare demonstrat. Eodem anno S. D. quatuor libris ad Papam Bonifacium scriptis, refellit duas Pelagianorum epistolas. Prima est Cœlestii ad clericos Romæ positos; secunda est Juliani nomine octodecim episcoporum ad Rufum Thessalonicensem missa. Illa primo libro, ista reliquis tribus confutatur. His in libris objecta Pelagianorum, eorumque in Ecclesiæ doctrinam calumnias refellit, catholica de originali reatu et gratia Christi dogmata propugnat, Ecclesiam, Manichæos inter et Pelagianos, media via incedere ostendit. Ad eumdem annum referendi sunt quatuor libri S. Aug. *de origine animarum*, in quibus Vincentii Victoris circa animarum originem placita et paradoxa confutat, eaque ad undecim errorum capita revocat. Eo tandem anno scripta juxta Garnerium epis. ad Vitalem 218, alias 107. In ea gratiæ necessitatem et gratuitatem fortiter vindicat, atque duodecim regulas ad fidem Ecclesiæ pertinentes circa quæstionem de gratia proponit.

Anno 421, sex *contra Julianum* libros edidit S. doctor. Duo priores libri positi sunt in retundenda Juliani calumnia Catholicos Manichæismi incusantis; posteriores quatuor totidem Juliani libris adversus primum Augustini, *de nuptiis et concupiscentia*, respondent. Tanto studio, tantaque diligentia elucubrati isti libri, ut modestissimus juxta et doctissimus auctor illos recensens lib. 2. Retractationum cap. 6, vocet *magnum atque elaboratum opus*. Ad eumdem annum pertinet liber *de fide, spe, charitate*, seu Enchiridion ad Laurentium; appellatur á nonnullis, *Augustinianæ doctrinæ specimen*; in eo extant nonnulla exquisita et luculentissima adversus Pelagianos. In tres divinduntur partes prima, quæ credenda sunt docet, servato symboli ordine. Secunda tractat de iis quæ pertinent ad spem. Tertia agit de charitate.

Anno 424, editus est ab Augustino liber *de gratia et libero arbitrio*, ad componendas controversias Adrumeti motas de quibus alibi. Eo in libro sanctus doctor gratiæ et liberi arbitri concordiam exponit, gratiamque nec ex meritis bonorum operum, nec ex meritis bonæ voluntatis dari demonstrat. Duas simul cum libro misit epistolas 214 et 215 ad Valentinum Monasterii Abbatem.

Anno 425, occasione libri *de gratia et libero arbitrio*, elucubravit sanctus doctor librum *de corrept. et grat.*; quanti fieri debeat opus istud, ostendit argumenti dignitas. Primum aperit quænam sit catholica fides de gratia: tum ostendit usum ac necessitatem præcepti correptionis et orationis; ex inde perseverantiam in bono magnum esse Dei munus demonstrat, eosque divina in æternum damnatione dignos esse, qui ex bona in malam vitam sua voluntate mutati

sunt; "quoniam, inquit, dici potest, ho-"mo, in eo quod audieras et tenueras, "in eo perseverares, si velles;» postea prolixe ac luculentissime explicat discrimen quod gratiam inter Angelis et Adamo innocenti concessam, ac medicinalem Christi hujusce status intercedit; ad extremum concludit, nec gratia prohiberi correptionem, nec correptione negari gratiam.

Anno 426 aut 27, duos retractationum libros edidit S. doctor. In primo retractantur libri quos scripsit nondum episcopus. In secundo retractantur libri quos post episcopatum conscripsit.

Anno 428, scripti sunt contra secundam Juliani responsionem libri sex vulgo dicti; *Opus imperfectum*, quia nimirum ex octo libris quibus constabat secunda hæc Juliani responsio, sex dumtaxat primis respondet S. D. scilicet idem opus morte occupatus imperfectum relinquere coactus est, quemadmodum tradunt Possidius Indicis sui cap. 4, et Prosper in Chronico, singuli sex hujus operis libri singulos sex priores Juliani libros, cum Agustini ad loca singula responsis ob oculos ponunt. In his minutatim excutit ac confutat quæcumque Julianus *vagabunda loquacitate* octo libris opposuerat adversus unum posteriorem S. Aug. librum *de nuptiis et concupiscentia*.

Anno 429, de Semipelagianorum erroribus per epistolas SS. Prosperi et Hilarii certior factus, S. Augustinus duobus libris eisdem Prospero et Hilario inscriptis prædictos errores confutavit, scilicet libro «de prædestinatione Sanctorum et de dono perseverantiæ.» In iis potissimum docet, non solum incrementum, sed ipsum quoque initium fidei, ac in ea perseverantiam donum Dei esse.

Eodem anno liber de hæresibus ad QuodvultDeum Carthaginensem diaconum elaboratus est. Circa istum librum istud venit diligenter annotandum, eo in opere omnium Augustini postremo, sanctum doctorem Pelagii errores ad ista quinque capita revocasse. Nempe 1.° gratiam Dei, sine qua fieri non possunt mandata á natura, lege atque doctrina non esse diversam; 2.° eam ex meritis dari, et ad facilius agendum; 3.° hominem posse ad tantum perfectionis gradum in vita mortali pervenire, ut non indigeat dicere Deo: *Dimitte nobis debita nostra*; 4.° parvulos non baptizari ad tollendum peccatum originale; 5.° Adamum sive peccasset, sive non peccasset, fuisse moriturum. Ex hac observatione constat his quinque capitibus contineri totum Pelagianismum, á quo proinde, vel ipso judice S. Aug., immunis censendus est quisquis errores hos proscripserit, et opposita quinque dogmata propugnaverit.

Atque hæc de Augustini libris, compendiosius quidem, quam forte nonnulli exoptarent, sed satis copiose, ut nobis videtur, pro loco et tempore. Qui plura volet adeat Garnerium prima parte Marii dissert. 6., cap. 2. ubi ordinem chronologicum operum S. Aug. fusius prosequitur; Patres Benedict. in sua erudita editione operum Sancti Augustini tom. 10. tum in præfatione, tum initio cujusque libri; Natalem Alex. in Synopsi hist. seculi 5. cap. 3. art. 6. paragrapho 3. et alios.

DISSERTATIO II.

DE HÆRESI SEMIPELAGIANA.

Capta fuit vulpes illa astutissima Pelagianorum videlicet nefanda pravitas, quæ Christi vineam demoliebatur: sed alias post se vulpeculas reliquit malitiæ suæ æmulas: teterrima hæc hydra nova capita extulit, dum Semipelagianorum infaustam sobolem Pelagii hæresis parturivit. Unde explicatis Pelagianorum erroribus in materia de gratia, et libero arbitrio, consequens est, ut dogmata Semipelagianæ hæresis declaremus: quæ Pelagiani erroris particula dici potest, sicut

Pelagii hæresis, *Origenis ramusculus*, á D. Hieronymo appellata est.

Verum cum occasione scriptorum D. Aug. contra Pelagianos tres errores circa gratiam et prædestinationem orti fuissent, duo in Africa inter se oppositi, et unus in Gallia, ut non obscure significat Prosper in epis. ad Augustinum, hanc dissertationem in duo capita dividemus. Itaque sit

CAPUT I.

In duos articulos distributum.

ARTICULUS I.

De Monachis Adrumetinis.

Aliquanto post damnatos á Zozimo summo Pontifice postque ejectos Occidente Pelagianos, exorta sunt inter Monachos Adrumetinos dissidia super quæstione de gratia et libero arbitrio. En origo et explicatio hujus dissidii.

Adrumetum civitas erat in Byzacena Africæ provincia, seu regno Tunetensi celebris. Hanc prope urbem cœnobium incolebatur à monachis sub Valentini regimine, inter quos Florus quidam patria Uzalensis numerabatur. Hic cum in patriam iter suscepisset ibi celeberrimam S. Augustini epistolam ad Sixtum, quæ est inter Augustinianas 105., excripsit, et Adrumetum ad fratres suos transmisit. Hanc Adrumetini monachi perlegerunt, et ex mala ejus intelligentia, utpote quia sensum illius non assequebantur, turbati fuerunt, graves in cœnobio contentiones et dissidia excitavére, totumque Monasterium duas in partes, et in contraria scissum. Pars una, duce *Floro*, dicebat «gratiam Dei ita á «S. Augustino prædicari, ut tolleret li«bertatem, et correctionis necessitatem.» Pars altera pro arbitrii libertate strenue pugnans, *gratiæ negabat efficaciam*.

Valentinus Monasterii abbas his tumultibus incassum mederi conatus, consentit tandem duos monachos *Cresconium et Felicem* Hipponem proficissi, ut S. Aug. adirent et consulerent. Hi contentionis statum, qua turbatum fuit monasterium S. D. exposuerunt. Docuit monachos Augustinus, eisque suam ad Sixtum epistolam exposuit; scripsit etiam, et per eos misit ad Valentinum duas epistolas totidemque libros, unum nempe de *gratia et libero arbitrio*, alterum de *correctione et gratia*, quibus per gratiam non tolli libertatem, nec correctionis necessitatem manifeste declarat, sicque extinctus fuit dissidentium partium calor, et finitus in Africa Adrumetinorum Monachorum error, seu eorum pelagianæ labis infectio, pacatum Monasterium, pacati monachi, et veritati per Augustinum explicatæ acquievére omnes, ac proinde non contumaces, non rebelles, non hæretici dicendi, sed instructi per Augustinum redeuntes ab errore Monachi. Ita testatur ipsemet Aug. lib. 2. retract. cap. 66. his verbis: «Propter «eos qui cum defenditur Dei gratia, pu«tant auferri liberum arbitrium, scripsi «librum de gratia et libero arbitrio. Ad «eos autem scripsi Monachos Adrumeti«nos, in quorum monasterio de hac re «cœperat contentio, ita ut me consulere «eorum aliqui cogerentur. Rursus ad eos «scripsi alterum librum, quem de cor«reptione et gratia prænotavi, cum mihi «nuntiatum esset, dixisse ibi quemdam, «neminem corripiendum, si Dei præcepta «non facit, sed pro illo ut faciat tantum «modo orandum.»

ARTICULUS II.

De Prædestinatianis.

Prædestinatiani dicuntur nonnulli, sub Honorio Imp. et *Innocentio I.* Rom. Pont. suborti in Africa, ut creditur, hæretici, circa annum 415 qui ex male intellectis S. Augustini *de gratia et prædestinatione* Libris, inferebant *bona opera nihil prodesse reprobis, nec mala nocere prædestinatis;* unde á sua doctrina nomen consecuti, Prædestinati, sive *Prædestinatiani* vocati, licet incerti loci, incertique auctoris hæretici; imo fabulosam omnino illorum hæresim putant è recentioribus nonnulli, quam tamen

primitos ab Adrumetinis ortam Monachis verius asserunt alii, statimque sopitam ab Augustino, ad illos misso *de correctione et gratia* libro; sed à *Lucidio* quodam Presbytero circa annum 475. infeliciter revocatam et auctam, post S. Augustini obitum; iterumque duobus in Conciliis iisdem temporibus habitis, *Arelatensi* nimirum uno, et *Lugdunensi* altero proscriptam, rursusque sæculo 9. à *Gottescalcho*, viro natione Germano, et professione Ord S. Bened. Orbaciensis Abbatiæ Monacho recoctam, et iterum pariter á duobus Conciliis aliis, *Moguntino* scilicet et *Carisiaco* damnatam, et merito damnatam (licet iis non obstantibus, sæculo retro proxime lapso per *Lutherum* renovatam, et per *Calvinum*, Calvinique sectarios ad nostra usque tempora propagatam,) cum hæc tam perversa doctrina bonos á bonis operibus avertens, et malos ad mala provocans, manifeste repugnet doctrinæ Christi, dicentis, Math. cap. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; et adversatur Petro Epist. 2. c. 1. v. 10. manifeste clamanti: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.*

CAPUT II
DE SEMIPELAGIANISMO
In quatuor articulos divisum.

ARTICULUS I.

¿ *Quinam fuerint Semipelagiani, et eorum auctores, seu sectatores præcipui.*

Perlatis in Galliam exaratis á S. Aug. adversus Pelagianos libris, ac præsertim epist. ad Sixtum, lib. de Grat. et Lib. Arb., libro de corrept. et Gratia, commoti fuere, teste S. Prospero epist. ad S. Aug., Galli quidam episcopi et presbyteri in Lugdunensi et Arelatensi potissimum provincia, atque in errores Pelagianis affines impegerunt; unde dicti sunt Semipelagiani, quasi á partito ac dimidiato, quem propugnabant, Pelagii errore; dicti etiam reliquiæ Pelagianorum quod ex eorum cineribus excitati, partem aliquam jam prostrati erroris superstitem facerent; dicti quoque Massilienses, ab urbe Massiliensi, ubi frequentiores consistebant.

Semipelagiani habiti non sunt ut hæretici ante synodum Arausic. secundam sub Felice IV, celebratam anno 529; imó ante illud tempus ipsos tamquam viros egregios audiisse, pietatis eruditionis, ac ingenii laude conspicuos testantur SS. Aug. et Prosper. S. Aug. lib. de dono Persever. cap. ultimo et lib. de Prædest. SS. c. 1. eos, *fratres ac dilectores suos et Pelagianæ hæreseos impugnatores* apellat. S. Prosper. epist. ad S. Aug. et lib. contra Collatorem eos vocat, *Catholicos, sanctos spectandæ auctoritatis viros.*

Auctores seu sectatores.

Vitalis Cathaginensis, ad quem D. Augustinus epistolam 107. scripsit, videtur Semipelagianismum inchoasse in Africa, et veluti Semipelagianorum Præcursorem fuisse. Dixit enim initium fidei et bonæ voluntatis esse in nobis ex nobis, et ex libero arbitrio, non vero ex motione gratiæ procedere, ut in eadem epistola S. Doctor declarat, his verbis: « Si ea quæ de te audio vera sint, initium « fidei, uti etiam initium bonæ, hoc est « piæ voluntatis, non vis esse donum Dei, « sed ex nobis nos habere contendis ut « credere incipiamus, cætera autem reli« giosæ vitæ bona, Deum per gratiam « suam, jam ex fide petentibus, quæren« tibus, pulsantibus, donare consentis. » Ecce quomodo Vitalis initia fidei et bonæ voluntatis dicebat esse ex nobis, cætera vero opera ex gratia Dei. Quem errorem fortiter ac nervose confutat ibidem Augustinus, argumento desumpto ex orationibus fidelium, qui orant Deum, ut infidelium mentes ad fidem convertat, et faciat eos ex nolentibus volentes, et ex repugnantibus consentientes, et gratias illi agunt, cum eos ad fidem convertit. Unde feliciter Vitalem ab illo errore revocavit, et Semipeliagianismum

in Africa nascentem, penitus extinxit, et in suo veluti fonte præfocavit.

Joannes Cassianus, Collator dictus ob libros Collationum Patrum; in quibus et præsertim collatione 13. quæ est Cheremonis Abbatis, errorem aperte docuit. Qua patria sit oriundus, incertum est; alii Scytham, alii Gallum dicunt: utut sit, monasticam vitam adolescens professus est, et peregratis Palæstinæ et Ægipti Cœnobiis Constantinopolim appulit, ubi á S. Joanne Chrysosthomo Diaconus ordinatus est; quo defuncto, venit in Gallias, et Massiliæ substitit. Non obstat, quod aliquando loqui videatur catholice; ea enim est sors et fraus Hæreticorum contraria scribere: idque Cassiano exprobrat S. Prosper lib. cont. Collat. Faustus ex Lirinensi Abbate Episcopus Rhegiensis ex Collationibus Cassiani cum quibusdam aliis Monachis errorem hausit, ejusque fuit acerrimus Defensor in lib. de grat. et lib. arbit. quem edidit contra Prædestinatianos. Gennadius Presbyter Massiliensis in libro de viris illustribus huic causæ et errori palam patrocinatus est. His accessit quidam Vincentius, cujus objectionibus respondet S. Prosper. An fuerit celebris Vincentius Lirinensis, auctor Commonitorii adversus prophanas novitates, an quidam alius, disputant Auctores. Vasquez Semi-Pelagianis annumerat magnum Chrysosthomum; sed injuria, cum veritatem contrariam aperte doceat in variis operibus, præsertim homil. 1. de Adam et Eva. Ab hac etiam injuria, seu potius calumnia recte Chrysostomum vindicat Sixtus Senensis, lib. 5. Bibliothecæ annotat 101. ubi ait Joannem OEcolampadium, Lutheranæ hæresis professorem, hunc errorem ei primo imposuisse; pluraque adducit hujus Sancti Doctoris testimonia, quibus aperte gratiam prævenientem admittit, ac docet nostræ fidei et salutis exordia, á gratia, non vero á nuda natura procedere. Istud, quod habet tomo 1. homil. de Adam et Eva, celebre est: «Omnium bonorum affectuum «atque operum, et omnium studiorum, «omniumque virtutum, quibus ab initio «fidei ad Deum tenditur Deum profiteamur «Authorem, et non dubitemus ab ipsius «gratia omnia hominum merita prove«nire, per quam etiam fit ut aliquid bo«ni et velle incipiamus et facere.» Plura alia possent adduci Chysostomi testimonia, sed illud sufficit pro defensione hujus sancti Doctoris, quem Anastasius 7. Hexam. *Christi fluvium* appellavit: Theodoretus Dialog. 1. *Magnum orbis lumen, admiratione dignissimum Doctorem*: Isidorus Pelusiota lib. 2. Epist. 42. *Ecclesiarum omnium oculum*: et denique Innocentius I. Epist. 30. *Mellitam Constantinopolitanæ Ecclesiæ linguam*. Cæterum observandum est, plures Auctores excusare ab hæresi formali Cassianum, Faustum, Gennadium, et eorum contemporaneos; quia eorum error nondum tunc ab Ecclesia fuerat aperte damnatus, quod non est improbabile, ut patet supra; et quidem Cassianus et Faustus cultu Sanctorum in suis Provinciis decorantur.

ARTICULUS II.

De Semipelagianorum erroribus.

Semipelagiani, ut ex dictis patet, in aliquibus á Pelagio recedentes, in aliquibus tamen ei adhærebant. Admittebant enim contra Pelagium peccatum originale, et necessitatem gratiæ ad opera salutis; ad eam cum illo negabant ad initium salutis, et perseverantiam; et circa hæc duo vertebatur tota eorum hæresis, quæ ad hæc tria præcipua capita reduci potest.

Primo docebant, Prædestinationem sive ad gratiam, sive ad gloriam non esse gratuitam, sed Deum æquali affectu omnes homines, tam reprobos quam prædestinatos, prosequi et omnibus æqualiter gratiam et gloriam offerre; ita ut illi gratiam habeant, qui ex se illi consentiunt, seu eam apprehendunt; et gloriam, qui in accepta gratia ex se perse-

verant; Deum autem ab æterno ad gratiam prædestinasse, quos prævidit esse consensuros, et ea bene usuros, et ad gloriam, quos pariter præscivit in ea ex se perseveraturos. Et cum premerentur exemplo parvulorum, quorum aliqui sine proprio merito prædestinantur ad Baptismum et ad Regnum, alii sine proprio demerito prædestinantur ad mortem: respondebant, Deum uti præscientia futurorum conditionatorum, quæ nunc appellatur scientia media, et tales prædestinare ad vitam vel ad mortem, quales futuros illos in annis maioribus, si ad adultam ætatem servarentur, scientia divina præviderit. Ita refert Prosper in Ep. ad Aug. Hinc asserebant numerum Prædestinatorum non esse certum, sed quosdam in hunc ordinem in dies adscribi, quosdam expungi: Christum æqualiter esse mortuum pro omnibus, et æqualiter mortis suæ pretium omnibus dispensasse, ita ut nihil plus beneficii reciperent vasa misericordiæ, quam vasa iræ.

Secundo. Quamvis admitterent necessitatem gratiæ ad opera salutis, illam tamen denegabant ad initium salutis: illud autem initium reponebant in quodam affectu credulitatis, in pulsatione, petitione, seu desiderio salutis, vel etiam in ipso consensu gratiæ oblatæ. Hæc enim non annumerabant inter opera salutis, sicut, inquiebant, desiderare aut petere Medicum, se credere Medico, non sunt opera sanitatis. Hunc utrumque errorem sequentibus rationibus defendebant: 1. Quia, licet agnoscerent vires arbitrii per Peccatum Originale esse debilitatas, non tamen esse penitus extinctas: unde, sicut in primo statu gratia juvabat operantem, in statu naturæ lapsæ juvat volentem, seu consentientem. 2. Quia alioquin Deus esset injustus acceptor personarum, si absque aliquo prævio merito vel dispositione alteri daret gratiam, alteri denegaret. 3. Quia hanc prædestinationem gratuitam, et hanc victricem gratiam, quam requirebat Aug. tam ad initium, quam ad opera salutis, existimabant excidium libertatis, inducere fatalem necessitatem, tollere utilitatem correptionis et orationis, et ad desperationem adigere.

Tertio. Circa perseverantiam idem docebant, quod circa initium salutis, ad eam nempe non requiri gratiam, sed esse ex nobis: quia perseverantiam non reponebant in aliquo actu, quo justus perseverare vellet (hic enim actus est perfectæ virtutis, et opus salutis, quale illi nolebant fieri sine adjutorio gratiæ;) sed in ea reponebant perseverantiam, ut quis cooperanti Deo suum consensum constanter præberet. Unde initium salutis et perseverantia juxta Semi-Pelagianos in eo coincidebat, quod cum primo incipimus Deo consentire, sit initium salutis; cum vero in illo consensu jam præstito usque ad finem vitæ permanemus, sit perseverantia. Hæc omnia constant ex Epistolis Prosperi et Hilarii ad Aug.

ARTICULUS III.

An, et qualem gratiam Semipelagiani admiserint ad initium fidei et salutis.

Præsens quæstio valde intricata videtur. Cum enim Semipelagiani, ut observat S. Prosper cap. 5. contra Collat., sibi contradicerent, et modo loquerentur ut catholici, modo ut pelagiani; imo plerique faterentur se nihil invenire, quod placeret, sed tantum displicere modum Augustini, haud facile est attingere præcise quid senserint; et hinc in varias opiniones abierunt theologi. Relictis variis hisce opinionibus, nostram aperiemus mentem, sed prius aliqua præmittenda judicamus:

Primo, Semipelagianis omnibus summopere displicuisse Augustini gratiam victricem præviam, et discretionem electorum secundum propositum absque præscientia meritorum.

Secundo, Semipelagianos ad initium fidei admisisse gratias illustrantes intel-

lectum, et moraliter atque objective moventes voluntatem, non solum exteriores, sed etiam interiores; verum non aliam gratiam in voluntate, qua intime et immediate afficitur et juvatur ad bonum opus.

Tertio, Semipelagianos diversimode intellexisse initium fidei et salutis. Quidam illud reponebant in actibus formatis, scilicet in ipso actu fidei, vel in petitione, et inquisitione gratiæ et salutis, quos tamen actus præambulos non reputabant opera salutis; sicut petere seu quærere medicum, illum desiderare, seipsum illi credere, inquiebant, non sunt opera curationis et sanitatis. Quidam vero, argumentis catholicorum agitati, á Pelagio magis recedentes, per initium fidei, seu salutis non intelligebant actum formatum fidei, aut alium aliquem actum bonum præambulum, sed ita illud extenuabant, ut ad qualecumque initium bonæ voluntatis, hoc est, ad solum consensum et acceptationem gratiæ oblatæ tandem reducerent. Vocabant enim liberum arbitrium initialem gratiam, seu gratiam Creatoris. Porro, si quidam tantum ex semipelagianis Pelagio viciniores reponebant initium fidei in istis actibus formatis præambulis; sequitur, fuisse alios á Pelagio remotiores, qui illud reponebant in qualicumque initio bonæ voluntatis, idest, in ipsa sola acceptatione gratiæ oblata. Prædicta omnia colliguntur ex SS. Prospero et Hilario ad Augustinum.

Quarto, gratiam posse considerari dupliciter: 1.° ut oblatam. 2.° ut collatam voluntati. Item gratiam actualem, qualiscumque sit, non posse recipi in voluntate, nisi in ea aliquem motum seu affectum causet; est enim gratia actualis motio; non est autem motio moventis sine motu mobilis.

Remanet ergo quæstio, utrum semipelagiani admiserint ad initium fidei gratiam prævenientem voluntatem ipsam intus afficientem, indifferenter tamen et sic, ut voluntas posset ipsi dissentire vel consentire. His præmissis:

1.ª Conclusio. Semipelagiani omnes negaverunt ad initium fidei necessitatem gratiæ prævenientis indifferentis reipsa collatæ voluntati.

Prob. primo; ex S. Augustino lib. de prædest. SS., in quo totus est ut probet semipelagianos negasse initium fidei donum Dei esse. Sic habet cap. 2.: «Nunc »eis respondendum esse video, qui divi»na testimonia, quæ de hac re adhibui»mus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus »ex nobis quidem nos habere ipsam fi»dem, sed incrementum ejus ex Deo; »tamquam fides non ab ipso donetur no»bis, sed ab ipso tantum augeatur in no»bis, eo merito quo cœpit á nobis.» Pergit S. D.: «Non ergo receditur ab »ea sententia, quam Pelagius ipse in ju»dicio Palæstino damnare compulsus est» (gratiam Dei secundum merita nostra dari) «si non pertinet ad Dei gratiam »quod credere cæpimus; ac per hoc ini»tium fidei nostræ priores damus Deo, »ut retribuatur nobis.» et num. 5. Apostoli verbis: «Non sumus sufficientes co»gitare aliquid ex nobis... sed sufficien»tia nostra ex Deo est:» subdit: «Atten»dant hic et verba ista perpendant, qui »putant ex nobis esse fidei cæptum, et »ex Deo fidei supplementum:» ex his sic arguo: Illi negabant necessitatem gratiæ interioris ad initium fidei, qui asserebant 1.° initium fidei non esse á Deo, sed á nobis ipsis; 2.° gratiam quæ dat incrementum fidei, ob merita præcedentis bonæ voluntatis concedi; 3.° in negotiis salutis priores partes non gratiæ, sed libero arbitrio adscribendas esse. Atqui ita est de semipelagianis, judice ipsomet S. Aug. locis citatis; ergo etc. Atque hinc est quod S. D. ibidem asserat semipelagianos non recedere á damnata Pelagii doctrina, *gratiam secundum merita dari*; quod etiam advertit, ipsisque exprobrat S. Prosper lib. contra Collatorem c. 3.

Prob. secundo. Relictis aliis argumen- ex SS. Prosp. et Hilar. desumptis, quæ apud auctores videri licet; assertum probamus ex ipso systemate semipelagianorum, et ex notione gratiæ actualis collatæ.

Gratia actualis interior collata voluntati, ad initium salutis quantumvis supponatur indifferens et pendula ab arbitrio, repugnat capitali errori semipelagianorum: ergo. Prob. ant. Capitalis error semipelagianorum erat, quod initium fidei et salutis esset ex nobis, et non ex Deo, et quod collatio gratiæ salutem operantis non præcederet, sed sequeretur obedientiam nostram, juxta illud Fausti 1. 2. de Grat. et lib. arbit. c. 9. *Nisi fuerit obedientiæ præmissæ devotio, gratiæ vilescit oblatio.* Atqui, si admisissent ad initium fidei et ante consensum voluntatis gratiam interiorem qualemcumque collatam intrincese voluntati, jam initium fidei non esset ex nobis, sed ex Deo et gratia; non sequeretur obedientiam nostram, sed obedientia gratiam: ergo. Prob. minor. Gratia actualis interior, qualiscumque sit, collata intus voluntati eam movet, et aliquid in ea operatur, scilicet pios motus et affectus; cum enim sit motio Dei, non est motio moventis sine motu mobilis. Atqui illi pii motus et affectus sunt initia conversionis et salutis; ergo.

Prob. Tertio. Concipi non potest gratia actualis in voluntate recepta, quæ sit indifferens et pendula ab ejus nutu, qualem supponitur semipelagianos admisisse; ergo: Prob. art. Omnis actualis gratia voluntati intrinseca, cum sit motio, ut iterum repetam, motio, et motio ad bonum, voluntatem determinate movet ad bonum, sicque non est indifferens et determinabilis á voluntate, sed é contra ex sua essentiali ratione est determinans voluntatem: ergo. Equidem si Deus ante consensum nostrum jam aliquem gratiæ motum impressit voluntati, impossibile est hunc motum indiferentem et suspensum intelligere, cum sit actualis tendentia ad bonum, cujus effectus formalis est voluntatem actu inclinatam ad istud bonum constituere. Et hoc proprium est gratiæ actualis, de qua loquimur, non autem de habituali.

2.ª Conclusio. Semipelagiani nullam admisserunt necessitatem gratiæ interioris ad perseverandum in fide.

Prob. 1. Omnibus argumentis superiori conclusione adductis; cum enim in confesso sit apud omnes eamdem fuisse Semipelagianorum sententiam circa perseverantiam in fide, ac circa initium ejusdem fidei; profecto quæ evincunt ipsos negasse gratiam interiorem ad initium fidei, simul idem demonstrant de perseverantia in fide. Prob. 2.° ex SS. Prosp. et Hilar. in suis ad S. Aug. epistolis; necnon ex S. Aug. lib. de Præd. SS. in quo sæpissime insinuat S. D. et nonnumquam aperte docet, perseverantiam in fide, secundum Massilienses, non esse donum Dei, sed á nobis ipsis. Prob. 3.° Ratio á priori cur Semipelagiani negaverint gratiam necessariam ad perseverandum in fide ea fuit, quia cum faterentur perseverantiam in bonis operibus esse donum Dei, voluerunt illud donum obtineri posse meritis perseverantiæ in fide quæ non esset donum Dei; neque enim, suis circa libertatem imbuti præjudiciis, concipere poterant quomodo perseverantiæ donum non noceret libertati, nisi illud penderet á meritis nostris naturalibus, et sine gratia elicitis.

Quæritur, ¿quam vim merendi gratiam tribuerent Semipelagiani initio fidei? R. tribuisse dumtaxat vim merendi ex congruo, non ex condigno, imo tamquam ex occasione tantum. Patet ex Fausto, qui, ut refert Gennadius in ejus vita, dicere solebat; «quidquid libertas «arbitrii pro labore piæ mercedis acqui- «sierit, non esse proprie meritum:» et ex Casiano qui lib. collat. c. 14. dicit: «Præsto est Deus ex occasione tantum

«modo nostræ voluntatis oblatæ ad hæc omnia conferenda.»

ARTICULUS IV.

De Semipelagianorum impugnatoribus.

Semipelagianorum errores Augustinus á S. Prospero et Hilario (quis fuit iste Hilarius, an Episcopus Arelatentis, an alius, dubium est) monitus, primus omnium confutavit sub finem vitæ duobus libris de prædest. Sanctorum et de dono persever. ipsis Prospero et Hilario inscriptis anno circiter 429. Mortuo Aug. et ideo invalescentibus Semi-Pelagianis, Prosper et Hilarius profecti sunt Romam ad Cœlestinum Papam, ut eos reprimeret. Is an. 432. ep. data ad Galliarum Episcopos S. Augustini doctrinam vindicavit adversus Semi-Pelagianorum calumnias, dicens inter cætera, quod *numquam hunc sinistræ suspicionis rumor aspersit.*

Annexa sunt huic epistolæ decem Capitula, quibus errores Semi-Pelagianorum proscribuntur. Hæc capitula esse Cœlestini, negant quidam Recentiores: attamen á Petro Diacono non multis post annis in libro de Incarnat. Christi, item á Cresconio et Dionysio Exiguo Cœlestino adscribuntur, atque ad omnibus antiquis sub ejus nomine citata fuere usque ad an. 1591. quo Editor Decretalium ad marginem apposuit, hæc fuisse á Prospero addita: quæ tamen adnotatio non habetur in vetustis Codicibus, præcipue in illo, qui in Vaticano asservatur, ut testatur Gonzalez, olim Collegii Romani Regens. Indeque redditur suspecta hæc adnotatio marginalis, quod adjecta sit tempore, quo fervebant disputationes de Auxiliis, anno scilicet 1591. Unde apparet, quod, si hæc Capitula non sint Cœlestini, saltem sunt ejus jussu vel approbatione scripta á S. Prospero, vel aliquo alio Doctore, hocque temperamento facilius ab hæresi excusantur primi Semi-Pelagianismi Auctores et Fautores in 5. autem ex his Capitulis legitur, quod «ita Deus in cor-«dibus hominum, atque in ipso libero «operatur arbitrio, ut sancta cogita-«tio, pium consilium, omnisque motus «bonæ voluntatis ex Deo sit.» Et in 7. quod «hoc auxilio Dei non aufertur libe-«rum arbitrium; sed liberatur.»

Anno 433 S. Prosper Cassianum impugnavit edito contra Collatorem libro, qui vix lucem aspexit, cum Semi-pelagiani quindecim propositiones absurdas et erroneas velut á S. Aug. assertas in vulgus sparserunt, quibus respondit S. Prosper Opusculo, quod inscripsit, *Responsiones ad capita Gallorum.*

Eodem fere tempore Presbyteris Genuensibus Camillo et Theodoro, quædam dubia circa Aug. Doctrinam patientibus, satisfecit Opusculo inscripto, *Responsiones ad Excerpta Genuentium.* Sub idem ferme tempus, idem S. Prosper Opusculo inscripto, *ad Capitula objectionum Vincentianarum Responsiones*, confutavit Indiculum, á quodam Vincentio editum sexdecim propositionum impiarum, quas Augustini Doctrinæ affingebat.

Auctor operis *de vocatione Gentium*, sive Prosper, sive alius, etiam Semi-Pelagianos expugnavit.

An. 494. Gelasius Papa in Synodo Romana Fausti et Cassiani libros damnavit; Sanctorum vero Aug. et Prosperi opera commendavit.

An. 520. Scythæ Monachi, inter quos eminebant Maxentius et Petrus Diaconus, et quia assertione hujus propositionis, *unus de Trinitate passus est carne*, tot turbas sub Hormisdæ Pontificatu excitarunt, etiam Fausti libros impugnarunt dato libello *de Incarnatione et Gratia* ad Episcopos Africanos in Sardinia exules. Hi Monachis respondernnt eorum fidem probantes, et Fausti doctrinam, tacito tamen ejus nomine, refellentes. Interea temporis Hormisdas Fausti libros, in Ep. ad Possessorem ex Africa Constantinopoli exulem data, nullius in Ecclesia auctoritatis esse declaravit.

An. Christi 522. Fausti libros, de quorum orthodoxia maxima tunc erat disputatio, ad eosdem Africanos Episcopos in Sardinia exules transmiserunt idem Scythæ Monachi, ut de illis sententiam dicerent. Hos ut Hæreticos damnarunt sancti Antistites an. 523. et S. Fulgentio contra Fausti errores scribendi provinciam imposuerunt. Is Ruspensis Episcopus cum aliis exul. 6. libros *De gratia et libero arbitrio* contra 2. libros Fausti elucubravit. Redux in suam Ecclesiam 3. libros *De veritate prædestinationis et gratiæ* adversus Fausti Sectatores conscripsit.

S. Cæsarius, ex Monacho Lirinensi primum Monasterii prope Arelatum Abbas, deinde Arelatensis Episcopus: librum *De gratia et libero arbitrio* adversus errores Fausti, et in Augustini Doctrinæ commendationem edidit.

Felicis III. Romani Pontificis opem adversus Semi-Pelagianos imploravit S. Præsul. Transmisit ad ipsum Felix quædam Capitula apud Sedem Apostolicam asservata, *De gratia et libero arbitrio*, ex S. Aug. operibus excerpta, quæ Cæsarius in Synodo 2. Arausicæ (Orange) occasione Dedicationis Ecclesiæ congregata an. 529. protulit, ex quibus confecti sunt 25. Canones in damnationem Semi-Pelagianismi.

Hanc damnationis sententiam confirmavit Bonifacius II. Felicis successor, ut constat ex ejus ep. ad Cæsarium data an. 530. in qua inter alia dicit: « quapropter, affectu congruo salutantes, supra scriptam confessionem vestram consentaneam Catholicis Patrum regulis approbamus. » Quo tandem ultimo ictu attrita est Hæresis Semi-Pelagiana. Hanc Synodum Arausicanam pariter confirmavere Synodus Valentina an. 840. et Trid. Sess. 6. cap. 1. 2. et 3. an. 1546. Hos canones Arausicanos, quibus continetur fides Ecclesiæ circa gratiam, diligenter perpendat Lector, Augustinianæ et Thomisticæ doctrinæ studiosus.

DISSERTATIO III.

DE WICLEFISTIS.

Paucis absolvemus hanc dissertationem unico capite in tres articulos diviso. In 1.° agemus de Wiclefo ejusque defensoribus. In 2.° de ipsius erroribus. in 3.° de hæreseos Wiclefi damnatione.

CAPUT UNICUM.

ARTICULUS I.

De Wiclefo ejusque defensoribus.

Wiclefo prælusit (ut opinantur multi) Thomas Bradwardinus; illius patrocinium suscepere præsertim Joannes Hus et Hieronimus de Praga: singulorum notitia exhibenda est.

1.° Thomas Bradwardinus, natione Anglus, professione monachus ordinis Minorum Oxoniensis doctor cognomine *profundus*, in eadem Universitate professor et cancellarius; posthac regis Eduardi III confessarius, semel et iterum in archiepiscopum Cantuariensem electus, tandem inauguratus, quadragesimo post inaugurationem die mortuus, floruit decimo quarto seculo. Vir erat eruditione, sed sine critica, ingenio acri, sed audaci præditus; imaginationis phantasmatibus plurimum delusus, *totum pene mundum post Pelagium abiisse* asserebat, quem ut á tam nefando revocaret errore, librum edidit *de causa Dei*, quem tamen judicio sanctæ romanæ Sedis suaque cætera opera subjecit.

2.° Wiclefus et ipse quoque Anglus, doctor et Oxoniensis professor, deinde de Luterwold diœcesis Lincolniensis rector, posthac collegii Cantuariensis Oxonii præfecturam suscepit, á qua tum archiepiscopus, tum Urbanus V, quem appellaverat, eum ejecerunt; hinc odii in Ecclesiam et errorum origo. Hæresi grassanti obstitit romanus pontifex, et illius jussu synodus Londinensis Wiclefi errores damnavit: ipse hoc in concilio cantavit palinodiam, cujus ope suam repetiit Ecclesiam, in qua supremum obiit diem an. 1387, vel, ut alii volunt, 1384.

3.° Mortuo Wiclefo, non ideo sopitus error, sed utraque potestate adversum illius discipulos insurgente, ipsi per Angliam latitarunt, aut ex ea aufugerunt; ex his unus cum magistri libris Bohemos petiit, illisque pessimum virus propinare cœpit. Tunc temporis florebat Joannes Hus eloquentia et moribus compositis celebris; primum errorem impugnavit, verum paulo post misserrime deceptus, quos igne cremandos censuerat libros, postea acriter defendit et explicuit. Censuris irretitus ab archiepiscopo, sanctam Sedem appellavit; confirmata á romano pontifice proprii prælati sententia, novo instrumento ad concilium œcumenicum provocavit, talique innixus appellatione censuras et latam interdicti sententiam sprevit.

In his temporum circumstantiis habitum fuit conc. Constantiense; illud audacter adiit Joannes Hus, doctrinam agnovit, eam contendit sanam, instructionem efflagitavit ut locum disputationi daret, obsequium promisit nusquam, nec animum retractationi paratum ostendit; unde convictus, et pertinax, judici seculari derelictus, pertinaciam et erroris flammis expiavit.

Eodem prorsus modo vitæ cursum consummavit Hieronymus de Praga, fidus Joannis Hus discipulus; accersitus quippe á concilio Constantiensi, errores quos tuebatur ejuravit primum, sed ad vomitum rediens, et in secundo lapsu pertinax, igne concrematus obiit.

Utroque Wiclefianæ hæreseos duce interempto: in varias discipuli divisi sunt sectas; tandemque Lutheranis et Calvinistis conjuncti, evanuit Wiclefistarum seu Hussitarum Ecclesia.

ARTICULUS II.

De Wiclefi erroribus.

Erravit Wiclefus contra Deum et Christum, contra Ecclesiam variosque illius ordines ac membra, contra sacramenta; omnium denique veterum et rigidiorum Prædestinatianorum impia dogmata renovavit, novisque blasphemiis cumulavit. Hoc ultimum errorum hujusce hæresiarchæ caput, quod præsentem materiam spectat, hic prosequemur; nonnulla tamen adjiciemus ut plenior habeatur notitia integri ipsius systematis; ex eo enim fonte hauserunt quotquot postmodum subsecuti sunt hæresiarchæ ac novatores.

Docet 1.°, Deum prædestinare singulas creaturas intellectuales ad quemlibet actum suum, etiam peccaminosum. 2.° Prædestinatione sua necessitatem suam absolutam ipsis inferre, sive ad bonum, sive ad malum. 3.° Eas tamen liberas esse, tum quia spontenee agunt, tum quia possent non agere si vellent, sed aliter velle non possunt. 4.° Sicut prædestinatus non potest á gratia excidere, sic præscius (id est reprobus) non potest in illa perseverare. 5.° Deum non potuisse primi hominis peccatum prohibere. 6.° Verbum divinum necessario carnem assumpsisse, satisfecisse, ac mortuum fuisse pro nobis. 7.° Quod priorum fons est et origo, Deum actu et necessario producere, tum ad intra, tum ad extra, quidquid potest producere. 8.° Mundum proinde, et quidquid in mundo existit, necessitate absoluta existere: quidquid autem non existit, omnino esse impossibile, Deumque fore aut impotentem aut invidum, si id quod producere potest minime produceret. 9.° Quemadmodum Deus necessario producit quidquid producere potest, ita etiam nihil annihilare potest. 10.° Quamquam Deus necessario producat quidquid producit, ipsum tamen liberum esse; ea ferme ratione qua Deus liber est in generatione Filii sui, quem Deus necessario ab æterno generat. Unde legitima harum omnium assertionum consequentia est, omnia prorsus, tam ex parte Dei quam ex parte creaturæ, fatali quadam ac absoluta necessitate evenire.

Hæc omnia errorum portenta docuisse Wiclefum constat ex variis ejus scriptis,

præsertim vero ex præcipuo ipsius opere *Trialogo* inscripto lib. 1, cap. 1, 10, 11, 13, et lib. 3, cap. 7. Idem tradunt Thomas Valdensis lib. 1, cap. 1 et sequent.; Joannes Cochlæus lib. 3 Hist. Hussitarum, et illustrissimus Bossuet lib. 11. Variationum, n. 152.

Ex his patet, uti annotat illustrissimus Bossuet, lib. 11 Variationum, n. 152, absurda perinde ac impia Wiclefi dogmata ad hæc duo summatim capita revocari posse: Primum, dura ac fatali quadam necessitate Deum perpetuo agi; secundum, quod ex altero sequitur, Deum causam esse et auctorem omnium criminum. Unde prædicti hæresiarchæ doctrina eo tandem tendit, ut talem introducat Deum, qualem vel ipsi athæi merito negarent; atque adeo insignis hujusce reformatoris religio ipsomet atheismo deterior est.

ARTICULUS III.

De hæreseos Wiclefi damnatione.

Wiclefi errores variis censuris confixi sunt. 1.° Judicio doctrinali Universitatum Pragensis, Oxoniensis et Parisiensis. Ita colligitur ex Cochlæo lib. 1 Hist. Hussitarum, et ex conc. Constant. sess. 8; quo autem præcise anno non omnino constat. 2.° Ea de causa tria habita sunt concilia; duo priora Londini annis 1382 et 1396; tertium vero Oxonii an. 1408; in iis synodicis decretis plures et præcipui damnati sunt Wiclefiani errores. Tres istæ synodi extant tom. 11 parte 2 Concil. edit. Labb. 3.° Joannes XXIII dogmata Wiclefi damnavit, librosque prohibuit anno 1413; synodale decretum reperire est in collect. concil. Labb. loco mox laudato 4.° Denique, ultimo ictu confossa est Wiclefiana hæresis in Concilio Constantiensi, sess. 8. Ibi sancta synodus articulos 45 Wiclefi damnat, «plures ut notorie hæreticos... alios «non catholicos, sed erroneos; alios scan«dalosos et blasphemos; quosdam piarum «aurium offensivos; nonnullos eorum te«merarios et seditiosos.»

Ducentos etiam sexaginta articulos á doctoribus Oxoniensibus notatos eadem sancta synodus ibidem proscripsit; imo habito prius accurato examine, lata sententia declaravit eumdem Wiclefum fuisse notorium hæreticum, pertinacem et in hæresi decessisse; ejusque dudum vita functi memoriam damnavit, atque illius ossa exhumari et extra Ecclesiam projici decrevit.

His omnibus censuris præiverat pontificium Greg. XI judicium an 1377, quo transmissis ad se 19 errorum Wiclefi capitibus, pontifex ipsos ex cardinalium consilio damnavit, litterasque dedit ad Angliæ regem, Londinensem episcopum et Oxoniensem academiam, quibus eos excitat ut omni quo possent studio emergentem hæresim profligarent. Extant hæc pontificis litteræ in Labbeana collect. Concil. loco antea citato.

DISSERTATIO IV.

DE LUTHERANIS.

CAPUT UNICUM

In tres articulos divisum.

Dicemus in 1.° de Luthero ejusque præcipuis defensoribus; in 2.° de ipsius erroribus; in 3.° de multiplici Lutheranæ hæreseos damnatione.

ARTICULUS I.

De Luthero, ejusque discipulis.

1.° Anno 1483 Islebii in Saxonie plebeis parentibus natus est Martinus Lutherus; humanioribus litteris imbutus, Erfordiam se contulit, ubi ordinem Eremitarum S. Aug. professus est. Inde Wittembergam translatus, post actus academicos lauream doctoralem consecutus est, ac theologiæ professor creatus anno 1413, ætatis vero suæ 35.

2.° Anno 1517, cum ab Alberto sanctæ romanæ Ecclesiæ cardinali et Moguntino archiepiscopo, Dominicanis præ Augustinianis provincia demandata fuisset promulgandi novas indulgentias, occasione imminentis Turcarum in Germa-

niam irruptionis, á Leone X concessas; id ægre admodum ferens Lutherus, primum adversus indulgentiarum dumtaxat abusum debacchari cœpit; deinde contra ipsarum substantiam; tum adversus justificationem, Sacramentorum efficaciam, aliaque plurima fidei dogmata. Interim litteras dedit ad S. Pontificem eximiæ humilitatis ac modestiæ speciem præ se ferentes; sic enim ipsum alloquitur: «Beatissime Pater prostratum me « pedibus tuæ B. offero cum omnibus « quæ sum et habeo... approba, reproba « ut placuerit, vocem tuam, vocem Chris- « ti, in te præsidentis et loquentis, ag- « noscam. »

3.° Anno 1518, in jus vocatus cardinali Cajetano summi pontificis in Germania legato, Augustam venit hæresiarcha: cumque ipsi in erroribus pertinaci censuras minaretur legatus, ad pontificem appellavit, clamque se Augusta subduxit; ac postea cum audiret processum suum Romæ continuandum fore, á summo pontifice ad futurum concilium generale appellavit, præmissa in appellationis instrumento solemni hac protestatione: « contra unam, sanctam et catho- « licam et apostolicam Ecclesiam, quam « totius orbis esse magistram et obtinere « primatum non ambigo, sanctæquæ Se- « dis apostolicæ auctoritatem, ac sanc- « tissimi Domini nostri papæ bene con- « sulti potestatem nihil dicere intendo. »

4.° Anno 1519, publicæ per multos dies Lipsiæ habitæ sunt concertationes Lutherum inter et celeberrimum Ekium, præsente Georgio Saxoniæ principe, constitutisque scribis ex utraque parte qui dicta exciperent. In his disputationibus Ekius egregiam de Luthero victoriam reportavit, qui multoties inter disputandum obmutuit. Hoc ipso anno Facultates Coloniensis et Lovaniensis quæ pro Ekii parte judicium tulerant, censuram edidere in plura Lutheri dogmata; in hos aliosque sibi arversantes catholicos doctores, variis et editis mordacibus libellis, acerrime insurrexit Lutherus. Etiam hoc anno cum expressa perfectæ submissionis attestatione ad Leonem X, scripsit: « Paternas, inquit, ac vere « Christi vicarias aures huic oviculæ tuæ « interim clementissime accomodare dig- « netur Beatitudo tua... Coram Deo et « tota creatura sua testor, me neque vo- « luisse, neque hodie velle, Ecclesiæ ro- « manæ ac Beatitudinis tuæ potestatem « ullo modo tangere; quin plenissime « confiteor hujus Ecclesiæ potestatem es- « se super omnia nec ei præferendum « quidquam sive in cœlo, sive in terra, « præter unum Jesum Christum Domi- « num omnium.

5.° Anno 1520, Ekius Romam perrexit ad Leonem pontificem; ipsique significavit quanta Ecclesiæ imminerent pericula, si grassantibus in Germania Lutheri erroribus non occurreretur. Quamobrem pontifex bullam edidit 17 Kalend. julii ejusdem anni, in qua quadraginta et unus ex ejus erroribus respective damnantur *tamquam respective hæretici*, *aut scandolosi*, *aut falsi*, *aut piarum aurium offensivi*, etc. Pontificio fulmine percussum se senties hæresiarcha, furore actus, á pontifice ut ab Antichristo provocavit ad concilium generale; libros omnes Juris canonici cum hac Leonis bulla incendit, libellumque apologeticum evulgabit atrocissimis calumniis refertum; nec destitit postea furens, variis scriptis in pontificem, cardinales, episcopos, cæterosque catholicos doctores furenter debacchari. Inter hujusmodi scripta eminet liber de captivitate Babylonica. Qui accuratum desiderat operum Lutheri indicem, consulat Cochlæum ad calcem operis ejusdem Cochlæi, *de actis et scriptis Lutheri*.

Quamplures sibi sectarios adscivit Lutherus, quos *Evangelicos* dici voluit, quique subinde in varias sectas divisi, in quinque classes possunt distribui.

Prima est Lutheranorum rigidiorum qui pura Lutheri sectantur dogmata.

Horum Antesignanus merito recensetur Matthias Flaccus Illiricus, centuriarum Magdeburgensium præcipuus editor. Inter regidiores Lutheranos numerari possunt Osiander, Brentius, Calixtus et alii.

Secunda est molliorum Lutheranorum, hoc est, eorum qui Lutheri placita in nonnullis emollire conati sunt. Horum dux est Melancthon qui Confessionem Augustanam composuit anno 1530, unde Confesionistæ et molles Lutherani dicti sunt qui eam sequuntur. Confessio hæc Augustana nihil aliud est, quam fidei professio á Luthero primum 27 articulis proposita, deinde á Melancthone 11 articulis emollita, amplificata et meliorem in formam redacta, sicque Carolo Quinto imperatori in commitiis Augustanis oblata á Germaniæ principibus, aliisque istis adhærentibus. Hi superiore anno 1529, in generalibus Spiræ comitiis, contra decretum quo præcipiebatur catholicæ religionis professio, protestati fuerant; unde et primum Protestantes dicti, et cæteri deinceps eis adhærentes.

Tertia est Sacramentariorum, qui á doctrina Lutheri circa Eucharistiam recedentes, profitentur in Eucharistia Christi corpus non esse nisi in signo. Horum primus creditur Carlostadius, diaconus Wittembergensis, cui sese adjunxere Zuinglius, OEcolampadius. Hi Calvinianam hæresim præformaverunt, de qua postmodum.

Quarta est Anabaptistarum, qui præter cætera Lutheri dogmata, docent baptisma parvulis nihil prodesse, eosque proinde si baptizati fuerint, iterum esse baptizandos, quando ad adultam ætatem pervenere. Hujus sectæ, in varias postea divisæ, auctor est anno 1522 Balthazar Pacimontanus, vel, ut probabilius credunt alii, Nicolaus Storkius.

Quinta tandem eorum est qui Adiaphoristæ, seu Indifferentes dicuntur, quales fuere de molliorum Confessionistarum classe Wittembergenses et Lipsenses theologi, qui nedum Ecclesiæ cæremonias, conciliorum constitutiones, sed etiam et *sacramenta omnia ad salutem indifferentia esse* contendebant, ita ut unicuique liberum esset pro bono pacis illis uti vel non uti.

ARTICULUS II.

De erroribus Lutheri.

Non statim suos omnes errores evomuit Lutherus, sed successione quadam, prout data est occasio illos publicandi. Ad quinque præsertim capita revocari possunt: 1.° circa prædestinationem; 2.° circa substantiam gratiæ; 3.° circa ipsius agendi modum; 4.° circa liberum arbitrium; 5.° denique circa justificationem.

§ 1. *Errores Lutheri circa prædestinationem.*

Asserit Deum decreto antecedenti, positivo, immutabili ac necessitatem imponente, alios prædestinare ad vitam, tum primam, tum secundam, id est, tum fidem justificantem, tum gloriam; alios vero prædestinare ad mortem, tum primam, tum secundam, id est, peccatum et pœnas æternas. Ex hoc autem irrevocabili decreto

Sequitur 1.° Deum velle solos electos salvos fieri; 2.° pro ipsis solis mortuum esse Christum; 3.° Deum esse causam et auctorem peccati.

Hos errores passim docet Lutherus, in primis lib. de servo Arbitrio, et in assert. trigesimi sexti art. Ex quo constat Prædestinatianorum errores ab ipso renovatos esse.

§ 2. *Errores circa substantiam gratiæ.*

Contendit Lutherus gratiam, sanctificationem aliaque dona primo homini in statu innocentiæ concessa, ipsi fuisse proprie et stricte naturalia, eo videlicet sensu, quod ipsi debita fuerint ratione justitiæ et misericordiæ divinæ, sintque partes, appendices naturæ et primordia naturalia. Ita Lutherus in cap. 3. Genes.: «Statuamus, inquit, justitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra ac-

«cederet, separatum á natura hominis, «sed fuisse vere naturalem; ut natura «Adæ esset diligere Deum, credere Deo, «agnoscere Deum. Hæc tam naturalia «fuere in Adamo, quam naturale est «quod oculi lumen recipiunt.» Ex hoc autem palmari principio, plurima sequuntur erronea consectaria, quæ ultro agnoscit Lutherus.

Sequitur 1.° hominem læsum fuisse in donis naturalibus. *Hæc probant*, inquit loco citato, «originalem justitiam esse «de natura hominis; ea autem per pec«catum amissa, non mansisse integra na«turalia, ut scholastici delirant.» 2.° Hominem naturaliter, instrinsece et substantialiter immutatum fuisse, atque ex justo, innocenti, sano et integro, per peccatum evasisse reum, infirmum, corruptum; ita ut nihil sit aliud nisi miseria, corruptio et peccatum. Ita Matth. Illiric. lib. de Essent. imag. Dei. Quod illustrat exemplo corporis viventis et mortui: Quemadmodum enim, inquit, ubi primum anima separatur á corpore, nihil aliud remanet nisi turpe ac fœtidum cadaver; ita anima post peccatum intrinsece et substantialiter corruptio est dumtaxat et peccatum. 3.° Concupiscentiam ipsosque concupiscentiæ motus, reipsa esse peccata, idque non solum in non regeneratis, sed etiam in renatis. Ita Luther. in Assert. art. 2, 3, 26, 27. 4.° Quemlibet justum in quibuscumque suis operibus, etiam ex objecto et ex fine bonis, semper et necessario peccare; tum quia in iis semper aliquid concupiscentiæ immiscetur, quæ ex dictis peccatum est; tum quia procedunt ab homine jam vitiato et corrupto per peccatum, ac proinde semper vitiosa sunt; eo fere modo, inquit Lutherus locis citatis, quo quilibet tibiæ curvæ, aut equi tripedis motus semper vitiosus est. 5.° Omnia peccata ex natura sua mortalia esse, ac proinde pœnis æternis digna; esse autem venialia ex benignitate dumtaxat et misericordia Dei; quatenus scilicet justis non imputantur. Ita Luther. in Assert. art. 27.

§ 3. *Errores circa modum agendi gratiæ.*

His capitibus continetur error Lutheri circa modum agendi, seu vim et efficaciam gratiæ. Docet 1.° per gratiam, voluntati necessitatem inferri, non eam quidem quæ coactionis ac violentiæ dicitur, sed eam quæ simplex vocatur; qua nempe voluntas ita ad unum invincibiliter et insuperabiliter determinatur, ut actus contrarius amplius non sit in ejus potestate: «Sequitur, inquit lib. de servo ar«bitrio, nos necessario operari... necessa«rio vero dico, non coacte, necessitate im«mutabilitatis, non coactionis. Hoc est, «homo cum vocat Spiritu Dei, non quidem «violentia, velut raptus obtorto collo no«lens facit malum; sed sponte et lubenti «voluntate facit. Hoc vocamus modo ne«cessitatem immutabilitatis, quod volun«tas sese mutare, et alio vertere non pos«sit. Rursus ex altera parte, si Deus in «nobis operatur, mutata et blande assi«bilata per Spiritum Dei voluntas; ite«rum mera lubentia et pronitate, ac spon«te sua vult et facit, non coacte, pro «natura voluntatis, quæ si cogeretur, «voluntas non esset, nam coactio potius «est, ut sic dicam, noluntas.» Nihil his verbis clarius exoptari potest. Atque hinc Bucerus insignis Lutheranus lib. de Concordia merito scribit: *Pax est Lutheranos inter et Catholicos, si sola coactio libertati repugnat.*

Docet 2.°, sub gratiæ impulsu voluntatem, utpote facultatem vitalem, vitaliter agere; nec instar lapidis se mere passive habere ad bonum materialiter sumptum, id est, ad physicum actus. Ita colligitur ex mox citatis Lutheri verbis; ait enim voluntatem, «Deo in nobis «operante, non cogi, sed velle et facere, «et amore bonum mera lubentia et pro«nitate ac sponte sua,» etc. Unde Kemnitius conqueritur oppositam sententiam Luthero falso imponi: «Exagitant illud,

« inquit parte prima Examinis conc. Trid. « ad sess. 6. quod Lutherus dicit homi- « nem ad conversionem habere se mere « passive... quasi plane otiosa sit et « iners voluntas, et tanquam bruta agi- « tatione percellatur, quod Luthero nun- « quam venit in mentem.... Non docuit « sine cogitatione mentis, et consensu « voluntatis fieri conversionem, sed hoc « unum voluit, Deum eos quos convertit, « trahere voluntatibus quas in ipsis ope- « ratus est, sicut Augustinus loquitur. » Itaque (quod observandum) Lutherus non præcise voluntati denegat actionem, determinationem et electionem; sed eam dumtaxat quatenus ex activa indifferentia nulli necessitati obnoxia proficisceretur.

Docet 3.° voluntatem Deo moventi et excitanti assentiendo, nihil vi propria et partiali virtute, quantumvis per gratiam elevata, cooperari respectu boni *formaliter* sumpti, quatenus nempe bonum est, sed circa illud mere passive se habere, seu agi, non agere; quandoquidem Deus tamquam totalis et adæquata causa, in ipsa et per ipsam voluntatem, totum quod bonum est operatur. Cujus quidem sententiæ ratio et causa á priori hæc est, quod in principiis Lutheri, ut antea observavimus, optima quæque viri etiam sanctissimi opera, inficiantur aliqua peccati labe, nempe propter vitium concupiscentiæ, quod semper optimis actionibus humanis adhærescit. Quapropter merito sinodus Trid. sess. 6. can. 4. anathema istud pronuntiat: « Si quis di- « xerit liberum hominis arbitrium á Deo « motum et excitatum, nihil cooperari « assentiendo Deo excitanti atque voca- « ti...neque posse dissentire, si velit; sed « velut inanime quoddam nihil omnino « agere, mereque passive se habere, ana- « thema sit. »

Docet 4.° vim et energiam gratiæ, ex victrice, superiori ac necessitante delectatione desumi, quod variis locis tradit hæresiarcha, ac præsertim citato mox lib. de servo Arbitrio: « Si Deus, inquit, « in nobis operatur, mutata et blande as- « sibilata per Spiritum Dei voluntas, ite- « rum mera lubentia et pronitate, ac « sponte sua vult et facit, non coacte. »

Docet 5.° non aliam in præsenti statu gratiam admittendam esse, quam efficacem, invincibilem et insuperabilem, cui voluntas reluctari non possit; vere ergo et proprie sufficientem, cui resistitur, omnino repudiat ille ac rejicit.

Dixi *vere et proprie sufficientem*; Lutherus enim perinde ac cæteri Protestantes, non negant motus supernaturales distinctos á gratia efficaci; verum motus illi debiles sunt et bonis operibus perficiendis impares. « Reformati, inquit « Ludovicus de Blanc in Thesibus Seda- « nens. pag. 548. qui negant omnes qui « non convertuntur, gratiam ad conver- « sionem sufficientem habere; non negant « tamen quin aliquo usque gratia Dei ope- « retur in multis qui sese in peccatis ob- « firmant, nec ad Deum per fidem et re- « cipiscentiam accedunt. » Gratiam porro illam, interiorem esse, ibidem tum suo, tum aliorum, quos appellat, testimonio probat prædictus auctor.

§ 4. *Errores circa liberum arbitrium.*

Ex dictis facile colligitur qui sint Lutheri errores circa liberum arbitrium. Censet 1.°, per peccatum voluntatem amisisse activam indifferentiam flectendi se ad partem alterutram, adeoque jam non esse in homine liberum arbitrium, sed esse dumtaxat vacuum sine re titulum. *Liberum arbitrium post peccatum, est res de solo titulo*, ait Lutherus in art. 35. Idem docet in Assert. ejusdem articuli. Conset 2.°, non dari in arbitrio libertatem á necessitate, sed tantum á coactione. Ita citato lib. de servo Arbitrio. Censet 3.°, necessitatem impositam voluntati esse invariabilem, eo sensu quod á voluntate mutari non possit, sed de facto esse mutabilem et variabilem, ita ut voluntas subjiciatur modo gratiæ, modo concupiscentiæ. Ita ibidem. Cen-

set 4.°, voluntatem mere pasive se habere, respectu boni *formaliter* sumpti, sensu antea exposito; imo et idem asserit certo quodam sensu, respectu boni materialiter spectati, quatenus nempe ad illud non libere et cum indifferentia seipsam determinat, sed invincibiliter et necessario determinatur, ita ut movente Deo ad opus bonum, in potestate non habeat voluntas humana, ut ab eo abstinere possit. Sic gratia prævenies vulgo dicitur, *motus qui fit in nobis sine nobis*, non quidem sine nobis vitaliter et active concurrentibus, sed sine nobis libere et ex indifferentia operantibus. Ita etiam dicebat Apostolus, se *non operari* motus indeliberatos concupiscentiæ, quia quamvis eos sufficienter produceret, libere tamen non producebat.

Lutherum hoc unum velle asserendo voluntatem se habere mere passive, constat 1.° ex citato antea textu libri de servo Arb. in quo expresse testatur voluntatem *velle, et voluntarie velle, agere, operari*. 2.° Ex Melancthone, Kemnitio, Zanchio, aliisque Lutheranis, qui id diserte asserunt; unde rigidam illam ac severam loquendi rationem abjecerunt, et confessi sunt hominem non passive tantum se habere. Verba Kemnitii antea laudavimus. 3.° Idem tradit Calvinus lib. 4 in Pighium, ubi asserit falsò imponi Luthero *liberum hominis arbitrium passive duntaxat se habere*. 4.° Card. Osius Bellarm. Stapleton. aliique controversistæ eodem sensu verba Lutheri exponunt. 5.° Denique id clare colligitur vel ex uno Dordracenæ synodi decreto, in quo sic decernitur: « Ad hoc ipsum opus « regenerationis habet se homo passive, « neque est in potestate voluntatis hu« manæ impedire Deum sic immediate re« generantem. » En quid sibi velint hæretici, dum mere passive se habere voluntatem asserunt: nempe, Dei regenerantis operationem non posse impedire; unde conc. Trid. sess. 6, cap. 5, hæreticorum ea de re doctrinam referens ac damnans, sic habet: « Ita ut tangente « Deo cor hominis per Spiritus Sancti « illuminationem, neque homo ipse nihil « omnino agat, inspirationem ipsam re« cipiens, quippe qui et illam abjicere « potest, » etc. Ubi probant patres Trid. hominem non se habere mere passive, quia inspirationem ita recipit, ut abjicere possit.

Censet 5.° hominem liberum esse quoad officia societatis civilis. Hinc art. 18 Confessionis Augustanæ conceptis verbis declaratur, « voluntatem habere li« bertatem ad efficiendam civilem justi« tiam, et diligendas res rationi subjec« tas. » Addebat Melancthon in Apologia ejusdem confessionis, *ad opera externa legis divinæ*.

§ 5. *Errores circa justificationem.*

Istud est præcipuum errorum Lutheranorum caput; impræsentiarum ista annotasse satis sit, 1.° Triplicis generis fidem distinguunt, nempe fidem historicam, fidem miraculorum, et fidem promissionum. Fidem historicam eam dicunt, qua firmiter credimus vera esse quæ in Scripturis continentur; de qua Hebræor. 11: *Fide credimus aptata esse secula verbo Dei*. Fidem miraculorum vocant, qua fiunt miracula, de qua primæ Corinth. 11. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam*, etc. Fidem promissionum, quæ versatur circa promissiones divinas de remissione peccatorum, et justitia per Christum consequenda, qualis est illa Marci ultimo: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*. Rursus fides promissionum, alia generalis, qua credimus promissam esse omnibus credentibus salutem; altera specialis, qua unusquisque promissionem divinam sibi applicans credit, sive potius certo confidit peccata omnia per Christum sibi esse dimissa. In hac firma persuasione et fiducia putant Lutherani consistere veram fidem christianam, theologicam, justificantem,

ita ut utraque alia fides proprie appellari non debeat fides. *Fides*, inquit Luther. serm. Dom. 1 quadrag., *est certa, altissimeque insidens divinæ bonitatis et gratiæ,... fiducia.* Hinc centuriatores, cum tradunt communem doctrinam suæ sectæ, cent. 1, lib. 1, cap. 4, ita fidem definiunt: *Fides est fiducia misericordiæ, propter Christum.*

Asserunt 2.°, per hanc fidem, seu firmam specialis misericordiæ fiduciam, et quidem *solam*, hominem justificari. *Fides*, inquit Luther. in cap. 2 ad Galat., «est formalis justitia, propter quam homo justificatur, non propter charitatem.» Et rursus ibid.: *Fides sine et ante charitatem justificat.* Idem etiam docet Melancthon in locis communibus.

Asserunt 3.° justificationem soli fidei esse adscribendam; non quidem per modum causæ formalis, aut efficientis physicæ vel meritoriæ, quasi aut ipsa sit justitia, aut eam impetrare vel promereri possit, sed solum relative, quia videlicet credendo aut potius confidendo accipit, quod Deus promittendo offert. Ita Kemnitius in Examine concilii Trid. sess. 6. Hinc Illyriciani et Wittembergenses in colloquio Altemburgensi convenerunt in eo, *quod fides non sit dicenda causa, sed merum organum justificationis.* Ex quo intelligitur Lutheranos qui gloriantur se omnia soli fidei adscribere, reipsa nihil omnino ei retribuere.

Asserunt 4.°, formalem nostræ justificationis causam non esse aliquid intrinsecum et nobis realiter inhærens, sed eam formaliter consistere vel in imputatione justitiæ Christi, ita Illyricus et plerique alii; vel in ipsa essentiali Dei justitia nos inhabitante, ita Osiander; vel in sola remissione, id est, non imputatione peccatorum, ita quidem alii cum Calvino lib. 3. Institut. cap 11. Hi omnes errores damnantur á Patribus Trid. sess. 6, de Justif. can 11, his verbis; «Si quis dixerit homines justificari... «excusa gratia et charitate, quæ in cor«dibus eorum per Spiritum Sanctum «diffundatur, quæ illis inhæreat... anat«hema sit»

Asserunt 5.°, unumquemque posse ac debere certum esse certititudine fidei divinæ, sibi remissa esse peccata, ac proinde vere justum esse. Ita Lutherus art. 11, Melancthon, Bucerus et alii. Quem errorem anathemate percellit synodus Trid. citata sess. 6. can. 13: «Si «quis dixerit omni homini ad remissio«nem peccatorum assequendam necessa«riam esse, ut credat certo, et absque «ulla hæsitatione propriæ infirmitatis et «indispositionis peccata sibi esse remis«sa, anathema sit.»

Asserunt 6.°, justificatos omnes æqualiter esse justos, cujus quidem erroris fundamentum est, quod una et eadem Christi justitia fide apprehensa, atque á Deo imputata omnes justificari doceant.

Asserunt 7.°, opera bona ad salutem necessaria non esse. *Bona opera*, inquit Luher. lib. de Libert. christiana, *non faciunt bonum virum, nec malum mala.* Et lib. de Captivit. Babyl.: *Nulla peccata possunt fidelem damnare, nisi sola incredulitas.* Eamdem operum necessitatem communibus votis negarunt Lutherani in Colloquio Vormatensi, ubi, teste Melancth. lib. 1, epist. 70, improbata fuit ista propositio: *Bona opera necessaria sunt ad salutem.* Hinc celebre istud apud Lutheranos pronuntiatum; videlicet, *sola fide justificari et salvari homines.*

Sunt inter ipsos qui dicant falso accusari suos, quod bonorum operum necessitatem negent. Ita Brentius, Kemitius et alii. Quin et in Colloquio Altemburgensi, non solum Saxonici, sed etiam Wittembergenses electorales in eo convenerunt, bona opera, esse ad salutem necessaria, non quidem *necessitate essentiæ*: ut ipsi loquuntur, quasi ipsa sint aut dici possint justificationis cau-

sa, sed *necessitate præsentiæ*, vel ut signa fidei, vel aliis de causis.

Cæterum, quidquid sit de variis Lutheranorum loquendi rationibus, cum proprius excutiuntur ipsorum principia, et pleraque scripta Lutheri, aliorumque insigniorum Lutheranorum, videntur omnino existimare posse hominem salvari etiamsi nulla bona opera faciat, nec divina mandata custodiat. Enimvero, uti antea annotavimus, perfectiora justorum opera, in Lutheranorum sententia, nonnisi nomine et secundum quid bona sunt, reipsa vero et simpliciter sunt peccata mortalia: ast quis dixerit opera quæ totidem sunt peccata ex natura sua mortalia, ad salutem prorsus esse necessaria? Præterea, si bona opera sunt peccata mortalia, et tamen propter fidem non imputantur, certe poterunt etiam mala opera propter fidem non imputari, ac per hoc non nocere; atque istud non obscure docet Luther. lib. de Captivit. Babyl., ubi ait, *omnia peccata in momento á fide absorberi.*

Asserunt 8.°, mandata Dei esse plane impossibilia homini, etiam justificato, quantalibet gratia instructo; atque inde colligunt nullam esse in nobis veram actualem justitiam, sed omnia justorum opera esse peccata mortalia ex natura sua. Ita Luther. in Assert. art. 2, 31, 32 et 36. Idem aperte scribit Melanch. in Locis comm. tit. de Peccato: «Conse«quitur itaque,» inquit, «omnium homi«num quantumvis laudabilia opera, pla«ne vitiosa esse, et morte digna peccata.»

Asserunt denique 9.°, bona justorum opera nullatenus esse meritoria vitæ et salutis æternæ. Addunt tamen ipsa placere Deo, atque quorumdam præmiorum temporalium et spiritualium in hac et altera vita meritoria esse, non quidem ex propria dignate, quasi reipsa sint justa et legi satisfaciant, sed ex fide et indulgentia Dei, quia nimirum Deus iis qui credunt sibi remissa esse peccata, indulgentia sua tegit operum fœditatem, et sic accipit, quasi justa essent. Ita Confessio August. et Apolog. ar. 20.

ARTICULUS III.

De multiplici Lutheranæ hæreseos damnatione.

Anno 1520, 17. Kalend. julii Leo X, S. pontifex, apostolico dogmate 35, Lutheri propositiones proscripsit «tamquam «respective hæreticas, aut scandalosas, «aut falsas, aut piarum aurium offensi«vas.» Eodem anno in Comitiis Wormatiensibus, promovente nuntio apostolico, Cæsar edictum tulit de consensu omnium sacri imperii principum, ordinum et statuum, quo Lutherum obstinatum schismaticum et hæreticum habendum esse declaravit, denuntiatis gravissimis pœnis in eos qui dicto aut facto hæresiarcham fovere præsumerent. Hæc narrat card. Palavicinus lib. 1, Hist. concil. Trid. cap. 27 et 28.

Anno 1528, duæ in Galliis celebratæ sunt synodi in causa Lutheranæ hæreseos; videlicet, Senonensis, præside cardinali de Prato; et bituricensis, præside Francisco Turnonio archiepiscopo; in iis Lutherana hæresis confixa est, variis de fide editis decretis. Damnati sunt etiam ac vetiti Lutheri et Lutheranorum libri.

Anno 1542, die 10 martii, sacra Facultas Parisensis 35 articulos Lutheranæ et Calvinianæ hæresibus oppositos, quasi formulam catholicæ doctrinæ edidit, omnesque sui ordinis doctores et baccalaureos ad subscricendum iis adstrinxit. De his synodus Narbonensis, habita an. 1551, sic statuit: « In lucem edi« ta sunt á dominis doctoribus Faculta« tis Sorbonæ Parisensis christianæ legis « axiomata die 10 martii an. 1542... « quæ tamquam vera, orhodoxa et chris« tianæ religioni consona recipimus; ea« quæ prædicari, et palam exponi in sa« crificio Missæ faciendo et concionibus «habendis, exacte jubemus.» Longe antea, an. scilicet 1521, die 15 aprilis, sa-

cra Facultas Lutheri assertiones prædamnaverat, « tanquam simplicis populi « seductrices, potestati Ecclesiæ et or- « ordini hierarchico impie derogantes, in « Spiritum Sanctum blasphemas, aperte « schismaticas et hæreticas.»

Anno 1545, Theologica Facultas Lovaniensis triginta duos edidit articulos contra Lutheranam hæresim, quos imperator Carolus V in omnibus inferioris Germaniæ provinciis promulgari curavit.

Denique œcumenica synodus Trid. cœpta die 13 decembris an. 1545, et absoluta die 4 decembris an. 1563, Lutheranam et Calvinianam hæresim solemni et decretorio judicio iterum confixit, habitis ea de re 25 sessionibus.

Varii etiam in eadem Lutheranorum causa, habiti principum imperii conventus, in quibus proscriptus est Lutherus, variisque modis cautum ne latius diffunderetur impia hæresis. Ita inprimis comitia Wormaticense an. 1521: Norembergense an. 1523; Ratisponense an. 1524; Spirense an. 1529; Augustanum an 1530. In iis comitiis principes protestantes fidei suæ Confessionem á Melancthone exaratam, Augustanam vulgo dictam, imperatori obtulerunt.

Ad compendiosam, quam in ista dissertatione proposuimus exhibere Lutheranismi synopsim, tria supersunt observanda. Primum. Intermisso ob varias temporis injurias concilii Trid. progressu, celebrata fuisse á Carolo V imperatore Augustæ comitia an. 1548. Iis in comitiis libellum promulgavit imperator, *Interim* nuncupatum, quod formulam doctrinæ et cæremoniarum in Germania tenendam interim præscriberet, donec de iis omnibus in concilio œcumenico pronuntiatum fuisset. Complectebatur hic libellus præcipua controversiarum capita, quæ tunc temporis agitabantur viginti sex articulis distributa. Catholicis perinde ac Protestantibus plerisque displicuit infaustus libellus; hunc improbavit S. pontifex, eumdem é Catholicis confutarunt Hosius card. Lindanus; ex hæreticis Philippus Melancthon, Joannes Calvinus.

Alterum hic annotandum, istud est: nempe, varias variis temporibus á Lutheranis editas fuisse fidei confessiones. Quatuor præcipue sunt: Augustana videlicet, Saxonica, Wittembergica, Bohemica. Confessio Augustana omnium Confessionum fidei Lutheranorum celeberrima est. Complectitur unum supra viginti articulos de ipsorum fide, septem vero de prætensis Ecclesiæ Romanæ abusibus; á Melancthone exarata fuit, qui postea ipsius apologiam edidit. In comitiis Augustæ Vindelicorum habitis an. 1530, ab aliquot Germaniæ principibus Carolo V oblata fuit. Sæpius recognita fuit et emendata; diverse extant illius editiones, Lipsiæ Wittembergæ, etc. quæ in nonnullis sibi invicem omnino adversantur. Saxonica etiam á Melancthone exarata fuit an 1551, eo scilicet fine, teste Sleidan. lib. 22, ut synodo Tridentinæ exhiberetur; huic tanquam Augustanæ Confessioni repetitæ, subscripserunt pastores et doctores Ecclesiarum Saxoniæ, Pomeraniæ, Poloniæ, etc. Viginti constat articulis. Wittembergica, teste eodem Sleidan., adornata est anno 1505, á Brentio, Lutheranorum post Melancthonem doctissimo, per legatos Christophori ducis Wittembergensis synodo Tridentinæ exhibenda. Hæc sicut et Saxonica Confessio, dicitur mera Augustanæ repetitio; ast in utraque plurima continentur Augustanæ Confessioni directe adversa. Triginta duobus digesta est articulis. Bohemica Confessio, quæ et Valdesium Confessio nuncupatur, á ministris Bohemiæ et Moraviæ circa annum Christi 1531 exarata fuit, atque á Luthero Melancthone et Academia Wittembergensi comprobata; tandem anno 1535, Ferdinando legi oblata á nobilibus regni Bohemiæ. 20 constat articulis.

Extant hæ omnes fidei Confessiones in libro Genevæ edito sub hoc titulo: *Corpus et syntagma Confessionum fidei*, etc.

Tertium hic observandum. Cum inter Lutheranos gravissima ferverent dissidia, circa plurima Confessionis Augustanæ capita, de necessitate videlicet bonorum operum ad salutem, de viribus liberi arbitrii, ac præsertim de Eucharistia; ad has lites componendas varii habiti sunt conventus, Bergæ primum, deinde Torgæ; tandem Septemviri Saxoniæ jussu, á sex præcipuis Lutheranæ factionis theologis, formula concordiæ in conventu Torgensi adornata est anno 1557, quæ formula *Liber concordiæ* solet appellari. Eo in libro, qui monumenta apud Lutheranos maxime authentica complectitur, omnes qui aliter sentirent, quam in eo præscriptum erat, pro hæreticis habendos esse decernitur. Huic subscripserunt Saxo et Brandeburgensis Septemviri, principes, comites et civitates pleræque Augustanæ Confessionis, ut constat ex catalogo, initio libri affixo. Multis tamen subinde scriptis, animadversionibus, censuris impugnatus est liber ille, non modo á Catholicis, verum etiam ab hæreticis, ut legere est apud Hospinianum, lib. cui titulus: *Concordia discors*, cap. 27, 28, etc.; é Catholicis librum concordiæ confutarunt Osius card. Lindanus, et Bellarminus in judicio de libro Concordiæ Lutheranorum, quod legitur ad calcem tomi tertii Controvers. ejusd. card.

DISSERTATIO V.

DE HÆRESI CALVINIANA.

CAPUT UNICUM

In quatuor articulos divisum.

Eumdem ferme in ista ac in præcedenti dissertatione ordinem sectabimur. Dicemus obiter in 1.° de Calvino: in 2.° de Calvini erroribus: in 3.° de Calvinistarum dissidiis: in 4.° de colloquiis et synodis in causa Calvinianæ hæreseos habitis.

ARTICULUS I.

De Calvino.

1.° Joannes Calvinus, á quo Calvinistæ, post Lutherum, omnium ætatis suæ hæresiarcharum facile princeps, Novioduni anno 1509, parentibus catholicis natus est.

2.° Lutetiam studiorum causa missus, in Marchiano collegio primum, deinde in Montisacuti gymnasio, humanioribus litteris et philosophiæ operam dedit.

3.° Peracto suorum studiorum decursu in patriam reversus est. Inde paulo post, ad jurisprudentiæ studium animum applicuit Aureliæ primum, deinde Biturigi, ubi cum Wolmaro, Lutherano occulto, amicitiam iniit, á quo novæ hæreseos principia didicit.

4.° Parisios rediens cum Lutheranis clandestinos conventus agentibus familiaritatem junxit, præsertim cum Nicolao Copo, Parisiensis academiæ rectore, novæ doctrinæ principiis afflato: cum autem Joannes Morinus rerum capitalium judex integerrimus in novatores, imprimis in Copum, ac in Calvinum ipsum inquireret, uterque clam secedere cogitur. Hic vero, scilicet Calvinus, variis mutatis sedibus in Galliis, cum Franciscus I, rex christianissimus, in Sacramentarios igne animadverteret, supplicii metu regno excessit, ac Basileam se recepit versus annum 1535.

5.° Ibi famosum perinde ac excitiosum edidit Institutionum opus, in capita primum, deinde in posterioribus editionibus in quatuor libros distributum. Opus illud ex Melancthonis, Brentii, OEcolampadii, aliorumque sectariorum libris magna ex parte exscriptum fuit, sed nova methodo, ac purioris latinitatis elegantia adornatum. Deinde in Italiam profectus est; ex Italia cito in Galliam regressus, rebus suis omnibus compositis, Genevam pervenit circa annum 1536, ibique domicilium fixit.

6.° An. 1537, á magistratu Genevensi, non concionator tantum, sed et theologiæ professor eligitur; tum plurima edidit opuscula pestiferis suis erroribus referta. Variis subinde exortis ac sedatis dissidiis Bernenses inter et Genevenses, tandem anno 1541, postquam colloquio Ratisponensi interfuit, omnem sectæ suæ disciplinam Genevæ constituit, probante senatu, legesque præscripsit, á quibus postea, discedere nec ipsis ministris, nec civibus licitum est.

7.° Eodem anno 1541, edidit Catechismum gallicé et latine, in quæstiones et responsiones distributum, quem plurimum semper fecerunt Calvinistæ; huic addidit precum ecclesiasticarum et administrandorum sacramentorum formulam. Anno 1542, mordaci libello quem *Antidotum* inscripsit, 25 articulos sacræ Facultatis Parisiensis contra Lutheranam hæresim confutare aggressus est. Anno 1546, alterum scripsit impium *Antidotum* adversus concilii Trid. sessiones septem jam celebratas, paulo ante virulentissima evulgaverat scholia in Pontificias litteras á Paulo III, ad Carolum V imperatorem, occasione *Interim* directas.

8.° Annis 1550 et 1551, acerrima exorta est, Calvinum inter et plerosque ministros Genevenses, contentio de prædestinatione. Ea occasione scripsit librum de æterna Dei Prædestinatione, et libellum de Scandalis. Anno 1552, Michaelem Servetum ad Magistratum defert Calvinus, ac vivum cremari procuravit ob assertas in SS. Trinitatem hæreses. Anno 1554, comministris omnibus subscribentibus, Serveti errores confutavit, atque hæreticos á magistratu jure gladii comprimendos demonstravit. Anno 1858, adversus Valentinum Gentilem, Lælium Socinum, et Georgium Blandratam, Trinitatis hostes egit. Anno 1562, totius suæ sectæ nomine Confessionem fidei edidit imperatori et Germaniæ principibus, in comitiis Francofurtensibus offerendam; in ea Confessione impiæ suæ doctrinæ virus paucis ac nitide exponit. Tandem anno 1564, ætatis vero 54, variis gravissimisque morbis vexatus, miserrime obiit, testibus Lindano id Dubit. Dialogo 2, Sanctheſio, Papirio, Bolseco et aliis.

ARTICULUS II.

De Calvini erroribus.

Supra recensitos Lutheri errores docuisse Calvinum, res est certior quam ut probatione indigeat; eos siquidem passim in suis operibus, præsertim in libris Institutionum christianæ religionis (ut vocat) conceptis verbis exprimit, idque perinde confitentur tum catholici, tum heterodoxi theologi. Legatur, si vacat, lib. 1 Instit. cap. 16. 17; lib. 2, cap. 1, 3, etc., in Antidoto conc. Trid. ad can. 4, sess. 6; lib. de æterna Dei Prædest.; lib. 5 et 6. de lib. Arb. contra Pighium, etc. In iis itaque erroribus iterum recensendis non immorabimur; consulantur quæ dicta sunt præcedenti dissertatione art. 2.

Verum tria sunt, circa justificationis gratiam, specialia Calvinistarum dogmata, uti annotat illustr. Bossuet lib. 9 Variat. n. 2, quæ hic, ex eodem doctiss. auctore, jam paucis sunt indicanda. Docent itaque 1.° fideles omnes posse ac debere certos esse certitudine fidei divinæ, non solum de præsenti gratia atque justitia, uti cessent Lutherani, sed etiam de sua perseverantia, prædestinatione ac electione ad gloriam. Ita Calvin. lib 3, cap. 2, parag. 16, ubi sic loquitur: «Vere fidelis non est, qui «solida persuasione... divinæ erga se «benevolentiæ promissionibus fretus, in«dubitatam salutis expectationem præ«sumit.» Ita etiam in Antidoto concil. Trid. ad caput 13 et 14, sess. 6. Idipsum definit synodus Dordrectana, quinto doctrinæ capite de Perseverant. SS. art. 9, his verbis: "De hac electorum "ad salutem custodia, vereque fidelium "in fide perseverantia, ipsi fideles certi

"esse possunt, et sunt pro mensura fi-"dei, qua certo credunt se esse perpe-"tuo mansuros vera et viva Ecclesiæ "membra, habere remissionem peccato-"rum, et vitam æternam." Ibidem inter rejectos Arminianorum errores art. 3 et 5, refertur eorum sententia qui hanc fidei certitudinem negant. Unde Calvinista juxta suæ sectæ principia, non magis de sua æterna salute dubitare potest, quam Lutheranus de sua præsenti justificatione. Et reipsa in celebri Confess. Frederici III, electoris Palatini, quæ refertur secunda parte collectionis confessionum fidei Eccles. reformat. sic legitur pag. 140: "De catholica Christi "Ecclesia, credo... me ejus cœtus vi-"vum membrum esse et perpetuo man-"surum." Et Paulo post: "Credo et "confiteor Deum Patrem, propter ple-"nissimam Christi Passionem, numquam "ullorum meorum peccatorum... me-"minisse; ita ut Dei judicium metuere "nequaquam habeam necesse." Et rursus: "Ego in christiana hac mea confes-"sione certo scio me servatum iri, et "hilari vultu ante tribunal Christi com-"pariturum." Et nativi sensus quos suopte ingenio inspirat doctrina calviniana.

Docent 2.°, fidem et justitiam propriam esse electorum, et semel vere acceptam non posse ulla ratione amitti; et qui ab ea excidere videntur, numquam eam revera habuisse. « Solos electos, in-«quit Calvin. lib. 3 Instit. cap. 2, pa-«rag. 11, semine incorruptibili Deus in «perpetuum regenerat; ut nusquam dis-«pereat semen vitæ in eorum cordibus «insitum.» Idem repetit ibid. paragr. 12, et in Antidoto conc. Trid. Idem etiam tradunt inter Calvinistas celeberrimi; tandem istud controversiæ caput contra Arminianos definivit Dordrectana synodus de Persever. SS. art. 4. et 5: «Vere fideles, inquit, in quibusdam ac-«tionibus particularibus á ductu gratiæ «suo vitio recedere, et á carnis concu-«piscentiis seduci, iisque obsequi pos-«sunt.... et in peccata etiam gravia et «atrocia abripi.... talibus autem enor-«mibus peccatis Deum valde offendunt, «reatum mortis incurrunt, conscientiam «gravissime vulnerant, sensum gratiæ «nonnumquam ad tempus amittunt.» Audis vere fideles, *gravibus*, *atrocibus*, *enormibus peccatis*, non *gratiam* ipsam, sed solummodo *gratiæ sensum* amittere, idque *nonnumquam* dumtaxat. Rursus ibid. art. 6, sic prosequitur synodus: «Deus ex immutabili electionis propo-«sito, Spiritum Sanctum etiam in tristi-«bus lapsibus á suis non prorsus aufert, «nec eo usque eos prolabi sinit, ut gra-«tia adoptionis ac justificationis statu «excidant, aut peccatum ad mortem, si-«ve in Spiritum Sanctum committant, «et ab eo penitus deserti, in exitium «æternum se præcipitent.» Vides iterum in mente synodi, vere fideles, etiam dum *gravia enormia* crimina committunt, *é gratia adoptionis ac justificationis statu non excidere*. Certe significantioribus verbis componi non potest Christus cum Belial, et gratia cum iniquitate.

De Calvinistarum doctrina circa præsens controversiæ caput olim strenue disputarunt eruditi duo Facultatis Parisiensis theologi: eorum discrepantes sententiæ ad concordiam facile adduci posse videntur, si asseratur Calvinianum dogma, totiusque sectæ fidem merito censeri, quod Calvinus, insigniores inter Calvinitas theologi, et synodus Dordrectana tradunt; quamvis nonnulli ejusdem sectæ auctores ab eo dogmate recesserint; unde in præsenti controversia, et in quibusdam aliis in quibus Calvinistæ et Lutherani variarunt, de ipsis merito dici potest, quod Tertullianus lib. de Præscript. cap. 42. de hæreticis generatim scribit: "Mentior si non "etiam á regulis suis variant inter se.... "Idem licuit Valentinianis quod Valen-"tino, idem Marcionitis quod Marcioni "de arbitrio suo fidem innovare." Et pauló post: "Denique penitus ins-

"pectæ hæreses omnes multis cum auc-"toribus suis dissentientes deprehen-"duntur." Idem habet Vincent. Lirinensis in Commonit.

In ista autem Calviniani dogmatis controversia, attendenda sunt, inquit illustr. Bossuetius loco antea laudato, duo præsertim palmaria Calvinistarum verba, *totaliter* et *finaliter*. Arminiani contendebant hominem justum posse fidem et justificationem amittere, sive *totaliter*, hoc est, é gratia adoptionis et justificationis statu penitus excidere; sive *finaliter*, hoc est, in perpetuum, ita ut, ante mortem non resipiscat; synodus é contra Dordrect. Calvini principiis firmiter inhærens, utrumque negat, et expresse definit justitiam semel acceptam esse prorsus inamissibilem; atque adeo justitiam non solum esse in solis electis, sed insuper in electis esse immobiliter; alii tandem quidam é Calvinistis, quibus præivisse videntur Petrus Martyr in caput 8 Epist. ad Rom. et Kemnitius in examine concil. Trid., docent posse justum labi et excidere á justitia; attamen fieri non posse, quin ante mortem non redeat ad fidem seu, quod idem est, posse á justitia excidere *totaliter*, sed non *finaliter*.

Itaque juxta professos Calvinistas, justitia reperitur in solis electis, iisque inest immobiliter; cum ipsa sit prorsus inamissibilis, sive *totaliter*, sive *finaliter*. Juxta paucos alios ex ipsis qui non ita tenaciter inhærent Calvini placitis, fides et justitia inest quidem solis electis, sed non immobiliter; ac proinde ad tempus *totaliter* amitti potest, sed non *finaliter*. Juxta tandem Arminianos, qui hac in parte Calvini sententiam prorsus deseruere, justitia reperiri potest in iis qui non sunt prædestinati, unde sive *totaliter*, sive *finaliter* amitti potest. Atque is est quintus Remonstratensium articulus, á synodo Dordrect. expresse confixus art. 4, 5, 6, antea laudatis, et insuper art. 7 et 8, in quibus loquens de gravibus et atrocibus criminibus quæ vere fideles quandoque committunt, sic habet: "In istis lapsibus conservat in il-"lis semen illud suum immortale, ne il-"lud pereat aut excutiatur..... sed ex "gratuita Dei misericordia id obtinent, "ut nec TOTALITÉR fide et gratia exci-"dant, nec FINALITER in lapsibus ma-"neant aut pereant." Nihil perfecto expressius his synodi verbis.

Docuit 3.° Calvinus tamquam manifestum justitiæ imputativæ consectarium, baptisma non esse medium ad salutem necessarium, uti contendebant Lutherani; fideliumque pueros sine baptismo decedentes salvari, quod sancti sint et Ecclesiæ membra, et in fœderis hæreditatem, statim ac geniti sunt, á Deo excipiantur. Ita aperte tradit lib. 4. Institut. cap. 15, parag. 20: "Quantum "damni invexerit dogma illud male ex-"positum, baptisma esse de necessitate "salutis, pauci animadvertunt..... unde "sequitur non ideo baptizari fidelium "liberos ut filii Dei tunc primum fiant, "sed solemni potius signo ideo recipi in "Ecclesiam, quia promissionis beneficio "jam ante ad Christi corpus pertine-"bant." Rursus ibidem: "Infantes nos-"tros, antequam nascantur, se adopta-"re in suos pronuntiat Deus, cum se "nobis in Deum fore promittit, semini-"que nostro post nos. Hoc verbo con-"tinetur eorum salus."

Atque ex eo postremo Calvini dogmate istud absurdum sequi observat illust. Bossuet lib. 9, Variat. n. 16, scilicet, omnes fidelis posteros prædestinatos esse. Ratio aperta est quia in principiis Calvini, justitia semel habita est prorsus inamissibilis, et qui eam semel habet, ab ea nec *totaliter*, nec *finaliter* excidere potest; si ergo pueri fidelium nascantur filii fœderis ac gratia adoptionis instructi, certò perseveraturi sunt, ac consequenter sunt de numero prædestinatorum.

ARTICULUS III.

De Calvinistarum dissidiis.

Calviniana factio pro natura et conditione cujuscumque hæreseos in varias sectas scissa est, quarum tres sunt præcipuæ.

Prima eorum omnium est qui pura Calvini sectantur dogmata, quales sunt 1.° Genevenses. 2.° Reformati in Gallia, in Palatinatu, Belgio, Helvetia. 3.° Presbyteriani, Puritani, Independentes in Anglia et Scotia. Presbyteriani, Puritani et Independentes, non dissentiunt in Confessione fidei; ast in ecclesiastico regimine, ut ita loquar, nonnihil á se invicem dissident. Etsi enim utrorumque cœtus regant presbyteri, attamen Puritani, qui se Calvinistas reformatos jactitant, maiorem præ se ferunt severitatem in externa disciplina, atque statas et solemnes Ecclesiæ ceremonias pertinacius repudiant; unde ipsis Puritanorum nomen datum. Independentes vero ab utrisque dissident, quod unamquamque particularem Ecclesiam sui juris faciant, nec alii ulli subjectam aut subordinatam contendant cum é contra tum Presbyteriani tum Puritani, juxta ea quæ sancita sunt cap. 5 disciplinæ Eccles. Reformat art. 13. Ecclesias particulares colloquiis, colloquia synodis provincialibus, has synodis nationalibus subjiciant, et qui eorum decretis obtemperare renuunt, ex Ecclesia ejiciendos pronuntiant.

Secunda est Anglo-Calvinianorum; nec mere Lutherani sunt nec Calviniani; sed hi proprie dicuntur qui adhærent congeriei errorum quos Cramner Lutheranus, dux Sommerset Zuinglianus, regina Elizabeth Calvinismo favens, schismati Henrici VIII addidere, servatis semper nonnullis ad hierarchiam pertinentibus; unde dicti sunt Episcopales. A Presbyterianis, Puritanis, ceterisque reformatis differunt tum in quibusdam dogmatibus, tum in disciplina; siquidem episcopos agnoscunt non solum ordine, sed et jurisdictione presbyteris jure divino superiores; crucem non modo honorant, sed ejus signum sacramentis et inprimis baptismo adhibent; quæ certe á doctrina et praxi Puritanorum prorsus aliena sunt; summum Ecclesiæ Anglicanæ gubernatorem et caput regem agnoscunt, cui plenitudinem potestatis ecclesiasticæ inesse contendunt. De quo consuli potest illustriss. Bossuet. lib. 7 et 10 Variat.

Tertia Arminianorum est; hi ortum duxerunt á Jacobo Arminio, ministro Amstelodamensi, qui postea creatus fuit theologiæ professor in Academia Lugdunensi Batavorum. Is multa fundamentalia Calvinianæ doctrinæ capita, circa materiam de prædestinatione, de gratia et libero arbitrio, de justificatione, disputationibus ac scriptis confutavit. Adversarium expertus est Gommarum ejusdem academiæ professorem et duriorum Calvini dogmatum propugnatorem acerrimum. Uterque suos habuit sectatores; hinc Leydensis primum academia, tota deinde Batavia varia in studia, partesque scissa est. Ad hos componendos motus decreta est synodus nationalis, quæ tandem Dordrechti habita est an. 1618. In hac celeberrima Reformatorum synodo damnata sunt quinque famosa doctrinæ Arminianorum capita, atque in eos lata est synodica sententia his verbis; "Synodus... prædictis citatis omni ec-"clesiastico munere interdicit, eosque "ab officiis suis abdicat... donec per se-"riam resipiscentiam, dictis, factis, stu-"diis contrariam abunde comprobatam, "Ecclesiæ satisfaciant.

Arminiani deinceps etiam Remonstratenses appellati sunt ob libellos supplices ordinibus Hollandiæ et synodo Dordrech. oblatos, in quibus sæpe Remonstratensium nomine se indigitant; dicti insuper molles Calvinistæ, ob emollitam Calviniorum dogmatum duritiem; Gommaristis vero ipsorum adversariis, Contraremonstratensium et rigidiorum

Calvinistarum nomen datum. Inter Arminianos eminent Arminius, Episcopius, Grotius, etc. inter Gommaristas autem Gommar, Scultet., Breytingerus, Hermannus, Polyander, etc.

ARTICULUS IV.

De colloquiis, synodis, et fidei professionibus in causa Calviniana habitis.

Duo habita sunt in Galliis celeberrima Colloquia, ad Calvinianos, si fieri posset, in unitatem Ecclesiæ revocandos. Primum anno 1561, Poissiaci indictum fuit ad diem 9 septembris. Huic aderant cum adolescente rege Carolo IX et regina matre, rege Navarræ, aliisque regi sanguinis principibus, sex cardinales, Burnonius, Turnonius, Castillionatus, Lotharingus, Armeniacus et Guisius; archiepiscopi et episcopi circiter quadraginta, selectique doctores, quos inter eminebant Claudius Espencæus et Claudius Sanctesius Parisienses theologi. Ex parte vero hæreticorum, Theodorus Beza, minister Genevensis, Petrus Vermilius, Martyr cognominatus, aliique numero tredecim, cum duobus et viginti Calvinianæ factionis deputatis. Prima sessione comministrorum nomine perorans Beza, in hanc impiam blasphemiam erupit, « tantum ab Eucharistia distare corpus « Christi, quantum supremum cœlum á « terra. » Ad Bezæ blasphemias præsulum cœtus cæterique omnes Catholici inhorruere, quod Turnonius card. Antistitum princeps, et Galliarum primas reginæ significavit, addens, statim á consessu discessuros fuisse, nisi eos regis reverentia continuisset. Secunda et tertia sess. habitis die 16 et 24. ejusdem mensis cardinales Turnonius, á Lotharingia, necnon Espencæus et Sanctesius Parisienses doctores erudite confutarunt quæcumque Beza, aliique Comministri de suæ doctrinæ capitibus prolixe disseruerant.

Actum deinceps, jubente regina, in privatis collationibus, de formula fidei circa Sacramentum Eucharistiæ. Post varias collationes á ministris ea de re habitis, in hanc tandem convenere formulam, quam refert Beza lib. 4 Hist. Eccles. Reform. p. 608. Ministrorum formulam obtulit regina præsulibus Poissiaci congregatis, et hi illam doctorum Parisiensium cœtui expendendam communicavere, qui doctrinali judicio hanc confixerunt, non modo " tamquam in- " sufficientem, sed etiam uti captiosam, " hæreticam, erroresque plurimos con- " tra SS. sacramenti Altaris institutio- " nem continentem. » Doctorum censuram præsules judiciaria auctoritate, summo consensu confirmarunt, cui judicio subcribere pugnaciter renuerunt Beza ipsiusque symmistæ; sicque 25 novembris solutum est colloquium, in quo veritas de hæricorum fraudibus et insidiis victrix extitit.

Alterum colloquium ad S. Germanum in Laya, jussu reginæ celebratum fuit; in eo selecti é sacra Facultate Parisiensi doctores, contra Bezam sociosque, invictis argumentis demonstrarunt imaginum usum, cultumque pium esse et omnino retinendum.

Quod spectat ad synodos in causa Calvinianorum habitas, viginti novem nationales in Galliis á Calvinistis celebratæ sunt, quarum hac in unum collecta et ex ordine digesta fuere duobus tomis ab Aymone theologo et jurisperito Eccl. Reform. Ex his synodis celebriores videntur, 1.° Parisiensis, habita an. 1559, die 26 maii. Hæc omnium prima est; in ea quadraginta disciplinæ capita ordinata sunt, ex quibus iterum expensis, mutatis ac correctis, subinde formatus est libellus ille, cui titulus: *La discipline des Eglises Reformées de France...* 2.° Rupellensis an. 1571, cui præfuit Theodorus Beza; in ea actum est de instauranda disciplina, ex superiorum bellorum occasione, collapsa... 3.° Vapincensis an. 1603; in ea damnata fuit Piscatoris doctrina circa justificationem ; conditus insuper fuit famosus ille fidei articulus,

quo definiebatur Papam esse Antichristum... 4.° Rupellensis an. 1607, in qua art. 9., expresso ac solemni omnium ministrorum consensu confirmata fuit, tamquam verissima ac in Scripturis fundata, mox recensita definitio synodi Vapincensis circa Antichristum... 5.° Carantoniensis an. 1620; in qua canones Dordrect, Gallice translati fuere, atque ab omnibus imperata subscriptio in hæc verba: "Je reçois, approuve et embrasse toute la doctrine enseignée au synode de Dordrect, comme entièrement conforme á la parole de Dieu, et Confession de foi de nos Eglises....." 6.° Altera Carantoniensis an. 1631; in ea emissum est famosum illud decretum quo Lutherani præsentiam realem agnoscentes, ad communionem admittuntur; atque expresse declaratur nihil in eorum doctrina esse quod idololatriam aut superstitionem redoleat. Sic loquitur synodus cap. 22, art. 1: "Attendu que les Eglises de la Confession d'Augsbourg conviennent avec les autres Reformées aux principes et points fondamentaux de la vraie religion, et qu'il n'y a en leur culte ni idolatrie ni superstition, pourrront, sans faire abjuration, être reçus á la sainte Table, etc."

Atque hæ sunt præcipuæ Calvinistarum synodi in Galliis habitæ. Quamplurimæ aliæ in cæteris regionibus celebratæ sunt, inter quas profecto celeberrima est synodus Nationalis Dordrectana. Indicta fuit anno 1618, ad dirimenda dissidia circa quinque supra memorata doctrinæ capita in Ecclesiis præsertim Belgicis controversa. Arminianos inter et Gommaristas. Prima sessio habita fuit 13 novembris; in ea et in 30 sequentibus motæ sunt quæstiones ad disciplinam spectantes; postmodum actum de doctrina... sessione 27, solemni protestatione significarunt Arminiani se Dordrectanam synodum pro legitimo controversiarum suarum judice non posse agnoscere, quod iidem in ea sederent adversarii et judices, qui nimirum dogmata, de quibus judicium expectabatur, pugnaciter defenderent. De hac protestatione rogatæ sunt sententiæ, ac unanimi consensu judicatum fuit nullam illius habendam esse rationem, quod scilicet, *minor et recentior pars, numerosiori et antiquiori parti necessario cedere deberet;* quod sane, inquit illustriss. Bossuet lib. 14 Variat. n. 71, decretorium erat contra Arminianos; verum eo non minus invicte oppugnabantur Gommaristæ, cum ipsissimum esset momentum quo premebantur Protestantes, dum Trid. concilii judicium detrectabant..... Sessione 136, quinque doctrinæ capita Remonstratensium sigillatim variis canonibus confixit synodus, atque genuinam Ecclesiarum Reformatarum doctrinam explicuit circa unumquodque ex illis doctrinæ capitibus..... Sessione 138, lata est in Armenianos synodica sententia qua ipsos tamquam *pervicaciæ reos et convictos ecclesiastico munere interdicit* (synodus) *donec Ecclesiæ satisfaciant, atque ad ejus communionem recipiantur....* Denique die 9 maii anni 1619, celebrata est ultima sessio, quæ fuit 154. Numerosissima fuit ista synodus, huicque subscripserunt quamplurium Ecclesiarum Reformatarum pastores et doctores; scilicet, ex magna Britannia, ex Palatinatu, ex Hessia, ex Helvetia, ex republica Genevensi, ex republica Bremensi, ex Ecclesiis Belgicis, ex Hollandia, ex Zelandia, ex provincia Ultrajectina, ex Frisia, ex Transilvania, etc. Proxime secuta synodus Nationalis Ecclesiarum Reform. Gallican. an. 1620, acta Dordrectana expresse confirmavit; adeo ut nihil apud Calvinista maioris momenti ac ponderis esse debeat Dordrectana synodo, tot ac tantis suarum Ecclesiarum munita suffragiis.

Tandem quod spectat ad Confessiones fidei Calvinistarum, nimis longum

foret eas sigillatim recensere; adeo variæ sunt ac multiplices; præcipuas dumtaxat hic indicabimus. Sex omnino sunt Helvetica, Gallicana, Anglicana, Scoticana, Belgica et Argentinensis.

Helvetica triplex est. Prima Basileæ edita anno 1532; brevior est, undecim dumtaxat constans articulis. Altera Basileæ iterum edita an. 1536; paulo prolixior est 27 constat articulis. A ministris Tigurinis et Bernensibus exarata fuit, offerenda concilio æcumenico quod passim affirmabatur brevi futurum. Inter ministros eminebat Bullingerus; iis sese adjunxerant Capito et Bucerus ministri Argentinenses qui Basileam recens advenerant, rogantes ut illa Confessio sic adornaretur, ut inter Ecclesias Reformatas sanciretur concordia. Tertia exarata fuit an. 1566, itidem Basileæ; longe prolixior est, et ut ipsi loquuntur, *accuratius conscripta*. In 30 capita distribuitur.

Gallicana Confessio fidei an. 1559 in synodo nationali Parisiensi edita fuit; atque nomine Ecclesiarum Galliæ, *Theodorus Beza* eam obtulit Carolo IX, in colloquio Poissiacensi anno 1561; confirmata fuit in synodo Rupellensi anno 1571. Summo in pretio habetur apud Calvinistas, illiusque exemplar cui illustriores ac nobiliores hujusce sectæ in Galliis asseclæ subscripserant, sedulo asservatur in archiviis Genevensibus. Quadraginta articulis digesta est.

Anglicana in synodo Londinensi edita fuit an. 1562 ad tollendam opinionum dissensionem et ad consensum in eorum religione firmandum. Quadraginta constat articulis; trigessimus septimus spectat auctoritatem ecclesiasticam, cujus plenitudinem regiæ majestati inesse contendunt. Ibidem addunt *Romanum Pontificem nullam habere jurisdictionem in regno Angliæ*. Hi articuli denuo confirmati fuere subscriptione episcoporum et cleri inferioris an 1571.

Scotica duplex. Prima anno 1568 scripta fuit et nomine ordinum regni et Parlamenti promulgata; altera exarata fuit an. 1581, sub hoc titulo: *Generalis confessio veræ et christianæ fidei, secundum Dei verbum, et acta nostrorum Parlamentorum*.

Belgica Confessio edita an 1561, in Belgii synodo confirmata anno 1579, in Dordrectana synodo recognita et iterum approbata fuit an 1619, *uti orthodoxa et verbo Dei consentiens*. Triginta septem complectitur articulos.

Polonica in synodo Czengerina, uno consensu exhibita et declarata; excusa fuit anno 1570.

Argentinensis Confessio fidei, sive, ut vocant, quatuor civitatum imperii, anno 1530 scripta fuit; in Comitiis Augustanis per legatos civitatum Argentorati, Constantiæ, Memmingæ et Lindaviæ, Carolo V imperatori exhibita fuit. Viginti tribus constat articulis. Mox recensitæ fidei confessiones sigillatim et ex integro recensentur in collectione confessionum fidei Protestantium, Genevæ excussa an. 1554, sub hoc titulo: *Corpus et syntagma Confessionum fidei*, etc.

Cæterum concilium Trid. sub Pio IV pontifice maximo absolutum, Calvinianam perinde ac Lutheranam hæresim confixit, debellavit, prostravitque, impia utriusque hæresiarchæ dogmata distinctis canonibus sigillatim et expresse anathematizando; videlicet, 33 canonibus, de justificatione; 13 de sacramentis in genere; 14 de Baptismo; 3 de Confirmatione; 11 de Eucharistia; 15 de Pœnitentia; 4 de Extrema-Unctione; 4 de Communione sub utraque specie; 9. de Sacrificio Missæ; 8 de Ordine; et 12 de Matrimonio.

DISSERTATIO VI.

DE BAJANISMO.

CAPUT UNICUM

In tres articulos divisum.

Quæ ad præsentem controversiam spectant breviter et accurate, quantum

fieri possit, pertractabimus unico capite, quod, ut cum ordine procedamus, distribuemus in tres articulos. In 1.° agemus de historia Baii. In 2.° de ejus propositionibus erroneis. In 3.° de Bullis in causa Baii.

ARTICULUS I.

De historia Baii.

Totius causæ Bajanæ hæc est historica Synopsis. Michael Baius an. 1513 natus fuit Melini in Territorio Athensi apud Belgas.

Anno 1550 laurea doctorali donatur in sacra facultate theologica Lovaniensi, quo tempore exorta fuit famosa illa de gratia disputatio inter Petrum de Soto, theologiæ Professorem in Universitate Dilingana, et Ruardum Tapperum Univ. Lovaniensis Cancellarium. Naturam gratiæ, ipsiusque agendi modum et distributionem potissimum spectabat isthæc disputatio; et hæc fuit, ut nonnulli observant, veluti prima radix et origo controversiæ Baianæ, quam postmodum, novis additis erroribus auxit Baius.

Anno 1552, mortuo Tridenti Hasselio, regius Sacrarum litterarum professor instituitur Baius; quod munus per integros ferme quadraginta annos exercuit; in quibus multa scripsit, in pluribus erronee; sua prava dogmata disseminare non desinens usque ad annum 1559.

An. 1560, exorta inter Minoritas Belgii contentione, circa multos articulos, quos Baius docere ferebatur, duo Guardiani Minoritarum octodecim ex illis selectos miserunt ad sacram Facultatem Parisiensem, enixe rogantes, ut suam de illis aperiret sententiam. Eorum votis annuit sacra Facultas, ac sua censura articulos illos confixit, et plerosque tamquam hæreticos notavit. Censuram hanc quibusdam notis dispunxit Baius.

An. 1561, multæ propositiones, quæ dicebantur esse Baii, oblatæ sunt Cardinali Granvellano, quas cum Baio tradisset, iste responsionem suam dicto Card. porrexit. Tunc vero jussu Pii IV. S. Pont. partibus hinc inde non sine animorum æstu dissidentibus silentio impositio, controversia visa est defervescere et tranquilitas restitui.

An. 1562, Baius tria edidit opuscula. Primum de *libero Arbitrio*; alterum de *Charitate, Justitia et Justificatione*; tertium *de Sacrificio*. His opusculis unice velle protestantes debellare simulabat; reipsa tamen in eis errorum suorum virus diffundit.

An. 1563 ineunte, Baius á Rege Catholico Philippo II Hispaniarum rege ad Concilium Tridentinum delegatur, ibique interfuit tribus ultimis sessionibus.

An 1564, é concilio Lovanium redux Baius prædicta tria opuscula, necnon libros de Merito operum; de prima hominis justitia, et de virtutibus impiorum; de Sacramentis in genere, ac de forma baptismi, typis mandari curavit; inde nova disidiorum seges.

Eodem anno, aliqui, non ex Minoritis tantum, sed et ex ipsa Lovaniensi Academia, multos articulos ex libris Baii extractos denunciarunt apud S. Pontificem Pium IV apostolicæ Sedis judicium circa ipsos rogantes. Interim é vivis excedit Pius IV, cui successit S. Pius V. Circa istud tempus, Academiæ Complutensis, Salmanticensis, et aliæ nonnullæ Italiæ suis censuris quosdam novæ doctrinæ Baii articulos confixerunt.

An. 1567, S. Pius V. Bulla *Ex omnibus afflictionibus* septuaginta sex propositiones damnavit, tacito nomine Baii, tum ne inde Baius exasperaretur, et ut ejus famæ consuleretur; tum quia non omnes propositiones sunt Baii, quamvis omnes vulgo dicantur Bajanæ. Eodem anno Morillonius Vicarius Generalis Cardinalis Granvellano Archiepiscopi Mechliniensis hanc Bullam legit et promulgavit coram stricta Facultate theologica Lovaniensi. Doctores congregati obe-

dientiam spoponderunt Bullæ, cuius Exemplar petiere, sed denegavit Morillonius; quia id erat ipsi prohibitum, eo quod SS. Pontifex speraret, absque ulteriori Bullæ divulgatione dissidium brevi componendum.

An. 1569, Baius dedit litteras SS. Pontifici, quibus conqueritur se nullum Bullæ transsumptum potuisse obtinere: simul Apologiam misit, in qua exponit plures propositiones damnatas sibi falso imponi, et eas ad mentem S. Aug. esse veras. SS. Pontifex, Apologia et propositionibus novo examine discussis, rescripsit Baio esse obediendum, ipsique et ceteris prædictarum propositionum defensoribus perpetuum pro earum assertione silentium imposuit. Breve Apostolicum Morillonius Baio reddidit, qui post aliquas instantias propositiones ejuravit et claram et apertam errorum suorum retractationem emisit Lovanii die 24 martii an. 1580.

Tunc Baius scripsit ad SS. Pontificem Gregor. XIII, qui, ut S. Pii V. successor, Constitutione *Provisionis nostræ* Bullam Pianam confirmaverat, jubendo eam recipi, et denuo propositiones damnaverat; cui SS. Pontifex rescripsit die 5. junii ejusdem an. 1580 Breve testimoniis benevolentiæ, ac paterni affectus plenum.

An. 1589 die 16 Sept. moritur Baius annos natus 77. Post ipsius mortem cum, occasione Libri Jansenii, quidam plures propositiones Bajanas defenderent, Urbanus VIII Bulla *In eminenti*, data 1641, confirmavit Pianam et Gregorianam, *librumque Jasenii, cui titulus Augustinus, articulos, opiniones, et sententias in dictis Constitutionibus reprobatas, atque damnatas, continentem et renovantem damnat et prohibet.*

Atque hic fuisset controversiæ Baianæ finis, nisi renovatis circa doctrinam Jansenii altercationibus, recruduisset error multoties auctoritate confossus.

ARTICULUS II.

De erroribus seu systemate Baiano.

Ex dictis in præced. art. evidenter sequitur, Baianum systema constare ex septuaginta sex articulis seu propositionibus á Pio V, Greg. XIII et Urbano VIII damnatis. Erronei illi articuli ad præsentem materiam spectantes ad septem capita commode revocari possunt. Primum est de gratia angelorum et primi hominis; seu de statu naturæ innocentis. Secundum, de peccato originali. Tertium, de peccatis actualibus. Quartum de libertate. Quintum, de charitate. Sextum, de justificatione. Septimum, de meritis operum.

Hic duo observanda veniunt. Primum, prædictos articulos omnes ferme in opusculis Baii ante Bullam Pianam Lovanii editis annis 1565 et 1566 contineri, paucissimis exceptis, qui tamen ex aliis, et á baianistis expresse traduntur.

Secundum, præfatas assertiones totius Jansenismi, ac omnium subinde errorum prima fuisse incunabula. De his itaque septem capitibus aliquid dicendum nobis est.

1.° *Circa statum naturæ innocentis.*

Doctrina Baii circa hunc statum his quinque continetur propositionibus ita inter se concatenatis, ut una ex altera necessario consequatur.

Prima, Deus, habita ratione justitiæ, bonitatis ac providentiæ, non potuit ante ullum peccatum angelum aut hominem creare absque ordinatione ad intuitivam sui visionem. Existimabat Baius, hanc visionem instrinsecum esse, necessarium, ac essentialem creaturæ rationalis finem, quo absque prævio peccato frustrari nequit. Huc spectant septem articuli de integritate primi hominis et angelorum in bulla Piana damnati, 21, 23, 24, 26, 55, 78, 79: satis sit referre verba art. 21: «Humanæ naturæ su-«blimatio et exaltatio in consortium di-«vinæ naturæ debita fuit integritati pri-«mæ conditionis, et proinde naturalis di-

« cenda est, et non supernaturalis. »

Secunda prop. ex priori consequens: Gratiæ beneficia naturæ sanæ et innocenti concessa, justitia scilicet originalis, sanctitas, immortalitas, etc. debita ipsi fuere ac naturalia, eo saltem sensu, quod sine iis creatura rationalis veluti manca et imperfecta fuisset, eaque proinde Deus ex justitia, bonitate, etc. naturæ innocenti denegare non potuit. Hæc doctrina manifeste continetur in citatis septem articulis.

Tertia prop.: Dona angelis et primo homini consessa, proprie et stricte gratuita non fuere et supernaturalia. Ita docent articuli 21, 27, etc. inter baianos.

Quarta prop.: Gratia Adamo et angelis collata non producebat merita supernaturalia ac divina, sed mere humana et naturalia. Id disserte exprimitur propositionibus 1, 7, et 9 inter baianas.

Quinta prop.: « Et bonis angelis, et « primo homini, si in statu illo» (innocentiæ) « permansissent usque ad ulti- « mum vitæ felicitas esset merces, et non « gratia. » Sunt ipsissima verba tertiæ propositionis inter Baianas.

2.° *circa peccatum originale.*

Docet 1.° peccatum originale formaliter consistere in concupiscentia carnis seu libidine, quæ est inclinatio in bonum sensibile contra rationis præscriptum. Ita Baius lib. de pec. orig. cap. 6. et 10.

Docet 2.°, concupiscentiam hanc in non renatis peccatum esse, quia dominatur illis. Ita lib. cit. cap. 7., et proposit. 48, et 49 inter baianas.

Docet 3.°, eamdem concupiscentiam etiam in renatis peccatum esse, ex quo iterum per relapsum iis dominatur. Ipsissima sunt verba proposit. 74.

Docet 4.°, independenter ab omni prorsus pacto, lege ac ordinatione divina, « omne scelus eius esse conditionis « ut suum auctorem et omnes posteros « eo modo inficere possit, quo infecit « prima transgressio. » Verba sunt Baii lib. cit. cap. 13., estque prop. 52. inter baianas.

Docet 5.°, eod. lib. de pec. orig. cap. 11, 15, et 16, « concupiscentiam « sive legem membrorum, et prava ejus « desideria, que inviti sentiunt homines, « veram esse legis inobedientiam. » Ipsa sunt verba propositionis 51 inter damnatas.

Quam falsa sit, absurda, erronea, et hæretica, necnon lutheranis erroribus consentiens prædicta doctrina, nemo non videt. Nullo pacto vera esset renatorum justificatio, si motus ii carnis, quos inviti adversus spiritum rebellantes sentiunt justi, vera essent peccata; quod est contra dictum Apost. Rom. 8., « nihil enim damnationis est in iis qui « sunt in Christo Jesu.

3.° *Circa peccatum personale.*

Docet 1.°, « ad rationem et definitio- « nem peccati non pertinere voluntа- « rium. » Sunt verba prop. 46. inter baianas.

Docet 2.°, « nullum esse peccatum ex « natura sua veniale, sed omne peccatum, « mereri pœnam æternam. » Est propositio 20.

Docet 3.°, « in omnibus suis actibus « peccatorem servire dominanti cupidi- « tati. » Est 40. prop. inter baianas.

Docet 4.°, « omnia infidelium opera « esse peccata, et philosophorum virtu- « tes esse vitia. » Ita Baius lib. de virt. impiorum cap. 4, et 5, estque prop. 25.

Docet 5.°, "in peccatis duo esse, ac- "tum et reatum; transeunte autem ac- "tu nihil manere nisi reatum, sive obli- "gationem ad pœnam; » est 56 propositio inter baianas. Quæ quidem contraria sunt declarationi Conc. trident. sess. 14. cap. 4.

4.° *Circa libertatem.*

Duo sunt palmares ac præcipui baiani systematis errores circa libertatem. Primus est iste: "Sola violentia repug-

"nat libertati hominis naturali.» Ipsa est prop. 66, quam docet Baius lib. de lib. arb. cap. 7; in ea autem sermonem haberi de libertate ad merendum et demerendum requisita, ex antecedentibus et consequentibus manifeste colligitur.

Secundus est: "liberum arbitrium si-"ne gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet." Ipsa est propositio 27, estque titulus cap. 8. lib. 2. de virtutibus impiorum, qui sic est, "quod "liberum arbitrium sine Dei adjutorio "nonnisi ad peccandum valeat."

Ex priori errore sequitur 1.°: "Quod "voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, "libere tamen fit." Est 39 prop. inter baianas. Sequitur 2.°, "hominem dam-"nabiliter peccare, in eo quod necessa-"rio facit.» Est 67 prop. Sequitur 3.°, pravos et indeliberatos concupiscentiæ motus, infidelitatem mere negativam, et opera infidelium vera esse peccata; quæ totidem sunt Baii placita.

Ex posteriori errore circa vires liberi arbitrii absque gratia sequitur 1.°, "fures esse et latrones qui... docent "tentationi ulli sine gratiæ Christi ad-"jutorio hominem posse resistere, sic "ut in eam non inducatur, aut ab "ea non superetur." Verba sunt prop. 29 et 30. Sequitur 2.°, "cum Pelagio "sentire, qui boni aliquid naturalis, hoc "est quod ex naturæ solis viribus or-"tum ducit, agnoscit." Habetur apud Baium lib. de charit. cap. 5., estque proposit. 37. quæ coincidit cum 25 et 65. Sequitur 3.°, "Deum posse in præ-"senti statu impossibilia præcipere," quod exprimit prop. 54, hancque doctrinam tradit Baius lib. de pec. orig. cap. 12.

5.° *Circa charitatem.*

Docet 1.°. istudque est totius baianæ doctrinæ præcipuum ac palmare principium: "Omnem amorem creaturæ ratio-"tionalis, aut vitiosam esse cupiditatem, "qua mundus diligitur, quæ á Joanne "perhibetur; aut laudabilem illam cha-"ritatem, qua per Spiritum Sanctum in "cordibus difusa Deus amatur;» nullum proinde dari medium inter charitatem proprie et stricte sumptam et vitiosam cupiditatem. Est hæc prop. 38 inter baianas, hancque totidem verbis tradit Baius lib. de char. cap. 5, 6, et 9. Perversa omnia, quæ tradit Baius dogmata circa statum naturæ innocentis, sequuntur ex prædicto male fæcundo Baii principio; pariter, quæ tradit circa statum naturæ lapsæ et reparatæ, fere omnia ex eodem principio dimanant, ut aperte patebit attendenti.

Docet 2.°, quidquid fit sine charitate, non solum omissionis, sed et comissionis peccatum esse, adeoque "non «esse veram legis obedientiam quæ fit.» Est 16. propositio.

Docet 3.°, "charitatem veram, per-"fectam et sinceram, quæ est ex corde "puro, conscientia bona et fide non fic-"ta, tam in catechumenis quam in pæ-"nitentibus posse esse sine remissione "peccatorum, et cum reatu æternæ "damnationis» Ita prop. 31, 32, 70.

Docet 4.°, "per contritionem, etiam "cum charitate perfecta, et cum voto "suscipiendi sacramentum conjunctam, "non remitti crimen sine actuali sus-"ceptione sacramentorum. Est prop. 71. Excipit Baius necessitatis et martyrii casus; tunc enim, inquit, ex mero et gratuito Dei beneplacito, sine actuali sacramenti susceptione remittitur peccatum cum supradicta contritione.

6.° *Circa justificationem.*

Tria potissimum docet Baius circa justificationem. Primum, "justificatio-"nem impii formaliter consistere in "obedientia mandatorum, non in gratia "aliqua animæ infusa, qua adoptatur "homo in filium Dei, et secundum in-"teriorem hominem renovatur, ac di-"vinæ naturæ consors efficitur.» Ita prop. 42, et 69 inter baianas.

Secundum, "in hominibus pœniten-"tibus ante sacramentum absolutionis,

"et in cathecumenis ante Baptismum, "esse veram justificationem; separatam "tamen á remissione peccatorum," Hæc est prop. 43, quam tradit Baius lib. de just. c. 7. quæ quidem prop. est plane aliena á mente Conc. Trid. sess. 6. cap. 7. et can. 11., ubi declaratur justitiam per quam formaliter justi sumus, non solam peccatorum remissionem, sed etiam interiorem et permanentem hominis renovationem complecti.

Tertium, "rejiciendam esse illam dis-"tinctionem duplicis justitiæ; alterius "quæ fit per spiritum charitatis inha-"tantem...; alterius quæ fit ex inspira-"tione quadam Spiritus Sancti, cor ad "pœnitentiam excitantis, sed nondum "inhabitantis;» est prop. 63. Item, "et "illam distinctionem duplicis vivifica-"tionis; alterius qua vivificatur pecca-"tor, dum ei pœnitentia et vitæ novæ "propositum et ipchoatio per Dei gra-"tiam inspiratur; alterius, qua vivifica-"tur qui vere justificatur et palmes vi-"vus in vite Christi efficitur, pariter "commentitiam esse, et Scripturis mi-"nime congruentem.» Utraque prop. habetur apud Baium quoad sensum lib. de char. c. 7. et lib. de justif. c. 5.; et utraque confutatur ex S. Aug. lib. de nat. et grat. cap. 70. ubi varios charitatis gradus describit S. Doctor.

7.° *Circa meritum operum.*

Docet 1.°, "Sicut opus malum ex sua "natura est mortis æternæ meritorium, "sic opus bonum ex sua natura est vi-"tæ æternæ meritorium.» Est 2. inter baianas. Hoc secundum falsum est; alias meritorium esset independenter tum ab ordinatione divina, tum á meritis Christi, tum á conditione personæ operantis. Falsum pariter primum, alias omne peccatum ex sua natura foret mortale.

Docet 2.°, "quod pie et juste in hac "vita mortali usque ad finem conversati "vitam consequamur æternam, id non "proprie gratiæ Dei, sed ordinationi "naturali statim ab initio creationis cons-"titutæ justo Dei judicio deputandam es-"se.... nec in hac retributione bonorum "operum ad Christi meritum respicitur, "sed tantum ad primam institutionem "generis humani, in qua lege naturali "constitutum est, ut justo Dei judicio "obedientiæ mandatorum vitæ æternæ "reddatur." Ita prop. 11, et 12.; estque injuriosa gratiæ, ejusque auctori Christo, et adversatur sententiæ Apost. Rom. 6. dicentis; "Gratia Dei vita æter-"na in Christo Jesu Domino nostro."

Docet 3.° «Opera bona á filiis adop-«tionis facta, non accipere rationem me-«riti ex eo quod fiunt per spiritum adop-«tionis inhabitantem corda filiorum Dei; «sed tantum ex eo quod sint conformia «legi.... rationem meriti non consiste-«re in eo quod qui bene operatur habeat «gratiam et inhabitantem Spiritum Sanc-«tum, sed in eo solum qui obedit divi-«næ legi.» est prop. 13. et 15.

Docet 4.° «Opera catechumenorum «ante remissionem peccatorum facta, es-«se vitæ æternæ (de condigno) merito-«ria.» est prop. 18.

Docet 5.° Quod ex eadem meriti notione consequitur, «opera justitiæ et «temperantiæ, quæ Christus fecit, ex «dignitate personæ operantis non traxis-«se maiorem valorem.» est prop. 19.

Docet 6.° Commentitiam esse et explodendam distinctionem illam qua opus dicitur bifariam bonum. 1.° ex objecto et circumstantiis, quod moraliter bonum appellari consuevit; 2.° quia est meritorium regni æterni, eo quod fit á vivo Christi membro per spiritum charitatis. Ita prop. 61. et 62.

Docet 7.° "In redemptis per gratiam "Christi nullum inveniri posse bonum "meritum, quod non sit gratis indigno "collatum.» Verba sunt prop. 8. quod plane contrarium est canoni 32. sess. 6. Conc. trid.

Docet 8.° "Nec passiones sanctorum "indulgentiis communicatas, nec satis-"factiones laboriosas justificatorum va-

"lere de condigno expiare pœnam tem-
"poralem restantem post culpam con-
"donatam ..... nam alioqui essemus,
"aliqua saltem ex parte, nostri redemp-
"tores." Ita prop. 59. et 60. 70. 10.; et hæc doctrina plane adversatur Conc. trid. sess. 14. c. 8.

Docet denique: "sacrificium missæ
"non alia ratione esse sacrificium, quam
"generali illa, qua omne opus quod fit
"ut sancta societate Deo homo inhæ-
"reat." Ipsa est prop. 45. quæ legitur apud Baium lib. de sacrif. c. 2. 5. et 6. quæque directe adversatur Conc. trid. sess. 22. can. 1. et can. 3.

Hæc de præcipuis systematis Baiani erroribus, é Luthero et Calvino maxima ex parte deductis; ex altera vero à Baio et Hesselio adornatis et amplificatis; in quibus, quod certe mirum, in absurda et opposita Pelagianismi necnon Lutheranismi et Calvinismi dogmata alternatim inclinatur; adeo verum est, quod ait Apost. 1. ad Timoth. cap. 1. qui semel á veritate exciderunt, convertuntur in vaniloquium; volentes esse legis doctores, non intelligunt neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Sunt qui systema Baianum ad tres generatim partes contractius revocant. Prima spectat quæ docet Baius circa statum naturæ innocentis: secunda, quæ tradit circa statum lapsæ: tertia, quæ complectitur ipsius placita circa statum naturæ reparatæ: verum maioris perspicuitatis gratia in septem puncta distinximus; quorum primum systema Baii circa statum naturæ innocentis exponit; tria sequentia ejusdem systema circa statum naturæ lapsæ explicant; tria vero postrema evolvunt quæ tradit circa statum naturæ reparatæ.

ARTICULUS III.

De bullis in causa Baii.

Tres sunt præcipue SS. Pontificum bullæ in causa Baii: prima est Pii V. data anno 1567 his verbis incipit: *ex omnibus afflictionibus*: secunda Gregorii XIII. qui priorem confirmat et executioni mandari jubet an. 1579. incipit; *provisionis nostræ*: tertia Urbani VIII. qui Pianam et Gregorianam authoritate sua rursus confirmat et approbat anno 1641 incipit: *In eminenti.*

Nihil non tentarunt Baii ac Jansenii fautores ad eludendas hasce constitutiones apostolicas, quibus palmaria communis suæ doctrinæ placita funditus convelluntur ac radicitus excinduntur. Dicunt enim prædictas bullas pontificias informes esse, inutiles ac subreptitias. Hæc et alia sunt convicia quibus novatores constitutiones apostolicas adversus Baium discerpunt ac dilaniant. Alii, paulo in speciem modestius, præfata decreta venerari equidem profitentur eorumque authoritatem agnoscere; ast in rei veritate eam deprimunt ac penitus enervant, dum ut sese censuræ subducant, dicta decreta ad sensus omnino alienos et distortos inflectunt.

Verum præfatas bullas non esse subreptitias, informes, et inutiles, neque ad sensus alienos inflectendas, sed esse leges Sanctæ Sedis, Ecclesiæ universalis, vere dogmaticas leges, vera dogmatica judicia, patebit ex solutione argumentorum, quæ tum ex parte formæ, tum ex parte materiæ in medium adducunt baianistæ et janseniani ad harum bullarum authoritatem infringendam.

Quantum ad formam opponunt, Bullam Pianam vim legis habere non posse: 1. Quia non fuit lata de consilio Cardinalium. 2. Quia Pius V. non loquitur ut caput Ecclesiæ ad instructionem omnium Fidelium. 3. Quia non fuit more solito Romæ affixa et promulgata. 4. Quia «interdicit quibuscumque quoquo «pacto loquendi scribendi, disputandi» (de propositionibus damnatis) facultatem» ita ut nemo posset loqui de Gratia, de Peccato Originali, etc. quod est absurdum. 5. Quia vagus ille et indeterminatus modus damnandi propositiones in globo, magis est fidelibus noxius, quam

utilis, cum inde non possit discerni, quæ sit falsa, quæ hæretica, quæ temeraria tantum aut scandalosa. 6. Pro Gallis, quia istæ Bullæ non fuerunt in Gallia forma solita receptæ et promulgatæ, quod multa contineant contraria moribus et libertatibus Gallorum: Ergo.

R. Ad 1. N. Ant. tamquam gratis fictum. Unde enim illud resciunt opponentes? Et sane si SS. Pontifex adhibuerit Consultores Theologos, ut patet, cum dicit Baii propositiones *stricto coram se examine ponderatas*, indubium est ipsum etiam adhibuisse Cardinales, ut moris est. Ad 2. N. pariter Ant. Dicit enim S. Pius in Proœmio Bullæ: « Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco á Domino cons« tituti tam luctuoso tempore sustine« mus. » Hæc sane verba non sunt hominis privati, sed communis Ecclesiæ Pastoris. Insuper prohibet universim omnibus has propositiones defendere: Ergo loquitur ad instructionem omnium fidelium. Ad 3. Equidem Bulla Piana non fuit Romæ affixa et promulgata, quia cupiebat optimus Pontifex hoc dissidium in ortu suo sedare, et silentio obvolvere. Cæterum hæc Bulla postmodum per Gregorium XIII. et Urbanum VIII. sufficienter fuit promulgata. Ad 4. Sensus horum verborum, nisi ineptissimam absurditatem SS. Pontifici affingere velis, est, quod nemo scribat, aut loquatur de istis propositionibus animo eas defendendi. Ad 5. 1. Sufficit fidelibus, ut á certis propositionibus tuendis abstineant, scire eas aliquo pernicioso vitio laborare, quamvis cujus generis sit vitium ignorent: sicut cuique sufficit, ut á certis dapibus abstineat, scire eas esse veneno infectas, quamvis qualitatem veneni ignoret. Exigit autem dumtaxat Ecclesia, ut fideles ab his propositionibus tuendis abstineant, non ut discernant, quæ sit hæretica, quæ falsa, quæ temeraria, quæ scandalosa. 2. Iste modus condemnandi plures propositiones in globo á pluribus sæculis viget in Ecclesia. Illum usurpavit Conc. Constantiense, condemnans in globo 45. propositiones Wiclefici, et 30. propositiones Joannis Hus. Hunc eumdem modum postea secuti sunt SS. Pontifices Sixtus IV. contra Petrum de Osma, Leo X. adversus Lutherum, Pius V. Gregorius XIII. Urbanus VIII. Alexander VII. Innocentius XI. Alexander VIII. Innocentius XII. Clemens XI. Id profecto intolerabile est, quod Jansenistæ ni avide et cum applausu recipiant Bullas condemnantes in globo propositiones laxiores, et detrectent alias paris formæ, quia ipsis non favent. Ad 6. multis momentis probat Honor. Tournely §. *Auctoritas Bullarum*, has Bullas Pontificias et alias dogmaticas esse receptas in Gallia quantum ad doctrinam, licet non quoad formam, certasque clausulas, quæ moribus Gallicanis repugnant. Vide, si lubet.

Quantum ad materiam opponunt 1. Pium V. in Bulla declarasse, « Non« nullas propositiones aliquo pacto susti« neri posse in rigore et proprio verbo« rum sensu ab assertoribus intento. » 2. Graves Tgeologi, Suarez, Vasquez, Toletus, Bellarminus, et alii docent, quasdam ex his propositionibus esse damnatas tantum propter acerbitatem censuræ qua Baius notabat sententiam oppositam, adeoque solum ut temerarias, aut scandalosas, aut offensivas, non ut falsas, aut hæreticas.

Ad 1. Respondetur veritatem aut falsitatem illius pendere ex positione virgulæ in textu Bullæ, de qua positione gravis est concertatio inter Auctores. Is est textus Bullæ: « Quas quidem senten« tias, stricto coram nobis examine pon« deratas, quamquam nonnullæ aliquo « pacto sustineri possint in rigore et pro« prio verborum sensu ab assertoribus « intento, hæreticas, erroneas, suspectas, « temerarias, scandalosas, et in pias au« res offensionem immittentes respec« tive... damnamus. » Quidam ergo volunt virgulam esse ponendam tantum

post ly *Intento*: ita ut sensus sit is, qui objicitur, scilicet nonnullas propositiones posse sustineri in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento. Alii volunt virgulam esse ponendam post ly *Possint*, ita ut sensus sit, nonnullas propositiones posse aliquo pacto sustineri, esse tamen damnatas in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento. Magis ad mentem Pontificis vïdentur loqui, qui ponunt virgulam post verbum *Possint*, propositiones esse damnatas in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento: quia hæc est Ecclesiæ praxis, dum propositiones ex aliquibus libris extractas damnat, eas damnare in sensu Auctoris, et libri; et ita suas esse damnatas agnovit ipse Baius, dum anno 1579. Toleto ipsum interrogante in conventu Academiæ, "an ne "agnosceret damnari in Bulla multos "articulos, qui in aliquot ejus libellis "continerentur, etiam in eo sensu, quo "in Bulla damnarentur?" Respondit, quod sic. Quod testimonium, cum sit posterius variis aliis testimoniis, quæ in contrarium proferuntur ex Cardinali Granvellano, ex Morillonio, ex actis Academicis, et aliunde horum auctoritatem, si non omnino elevat, saltem non parum imminuit. Qui plura videre cupit de hac contraversia, adeat pro una parte Ethicam amoris, Prolegomeno 6. §. 7. pro altera Honor. Tournely. R. 2. dato virgulam collocandam post ly *intento*, et nonnullas propositiones posse sustineri in sensu ab Auctoribus intento, sunt nihilominus jure damnatæ propter alium pravum sensum, quem habent; non enim est rarum uni propositioni inesse multiplicem sensum proprium et litteralem, quorum unus sit verus, rectus, defensabilis, alter falsus, seu ex alio capite pravus, et condemnabilis.

Ad 2. R. justissime prohiberi, damnative propositiones scandalosas, temerarias, offensivas, licet aliunde veras. Sic Synodus quinta Generalis prohibuit, ne B. Virgo diceretur Christipara sed Deipara: non ob falsitatem prioris vocis, sed quia plures ea offendebantur ob Hæresim Nestorianam. Sic ob eamdem rationem Ecclesia proscripsit hanc propositionem aliunde veram, *Unus de Trinitate crucifixus est*, ne acciperetur in sensu Eutychianorum; sic quotidie prohibentur libri, non quod falsam doctrinam contineant, sed vel ob acrimoniam styli, vel ob insolitos et novos loquendi modos, vel ob scandalum infirmorum, etc. Equidem veritas per se et ratione sui numquam est offensiva, aut scandalosa, sed ita esse potest per accidens ratione circumstantiarum, expressionumve duriorum et insolitarum. Et ideo male inferes, quod, si Ecclesia damnet propositionem veram, doceat errorem oppositum: id equidem sequeretur, si damnaret propositionem veram ratione sui et quoad se; secus vero, si eam damnet ob incongruum modum veritatem exprimendi, aut propter quasdam circumstantias extrinsecas; tunc enim non docet errorem oppositum, sed dumtaxat modum congruum veritatem exprimendi.

Petes, cum juxta Bullam Pianam nonnullæ propositiones Baianæ aliquo pacto et sensu sustineri possint, unde possit cognôsci et discerni sensus damnatus á non damnato? Non enim potest extundi ex ipsis Auctorum libris, cum nullus Auctorum præter Baium dignoscatur, atque illius et aliorum libros prohibuerit SS. Pontifex. R. dignoscendum esse ex ipsis propositionibus, prout in Bulla contentis, vel secundum se consideratis, si sic sensum in Ecclesia peregrinum exprimum; vel consideratis recpective ad invicem, si sic sensum ab Ecclesiæ sensu alienum referunt.

DISSERTATIO VII.

DE JANSENISMO.

CAPUT UNICUM.

Animus non est integram ac cohærentem fusiori stylo exarare Jansenismi his-

toriam; brevem ergo dumtaxat illius synopsim hic exhibebimus unico capite, hocque ordinis ac charitatis gratia quatuor articulis partiemur.

ARTICULUS I.

De persona Jansenii.

Jansenius an 1585. ex honestis, catholicisque parentibus in territorio Laërdamensi apud Batavos nascitur. Post humaniores litteras Ultrajecti exceptas, Lovanii operam dedit philosophiæ, in eaque cæteris quatuor collegiorum condiscipulis palmam præripuit. Emenso theologiæ cursu, Parisios se contulit, ubi Abbatis Sancyrani, quocum Lovanii amicitiam contraxerat, ope, et favore Collegii Bajonensis Primarius instituitur.

Post 12. annos Lovanium redux, Collegio S. Pulcheriæ præficitur, an 1617. laurea doctorali donatur, subinde bis in Hispaniam missus ab Academia, commissa sibi negotia feliciter gessit.

Anno 1630. Professor Regius instituitur. Anno 1635. Episcopus Iprensis consecratur. Anno 1638. die 6. Maii peste extinguitur.

Quantum ad illius mores et animi dotes, vir fuit juxta illius vitæ Scriptores, pietate, religione in Deum, vitæ modestia, morumque disciplina, comitate atque affabilitate, sed maxime prudentia conspicuus. Ingenium illi fuit acerrimum, judicium gravissimum, memoria capacissima, quibus naturæ dotibus accesserat studium diu noctuque infatigabile, et veritatis immensus amor, quam tamen, Ecclesia judice, non fuit assecutus. Omnia Aug. opera decies, libros vero de gratia divina et libero arbitrio plusquam trigesies á capite ad calcem evolverat.

ARTICULUS II.

De Jansenii scriptis, et præcipue de libro cui titulus: Augustinus.

Scripsit orationem de interioris hominis reformatione. Alexipharmacum Civibus Sylvæ-ducensibus propinatum adversus Ministrorum suorum Fascinum, Spongiam notarum, quibus Alexipharmacum aspergit Gisb. Voëtius. Libellum, cui titulus *Mars Gallicus*, sub ficto nomine Alexandri Patricii Armachani Theologi contra Reges Galliæ, et Gentem. Commentaria in Pentateuchum, in 4. Evangelia, et in proverbia.

Tandem famosum opus, uno grandiori constans volumine in tres tomos distincto, quod inscripsit Augustinus, quia confidebat se in eo veram et puram August. doctinam attigisse et docere. Huic operi per 20. annos insudavit, eique moriens ultimam manum adhibuit. Illud testamento legavit Capellano suo, ut typis mandari curaret, re prius communicata cum Liberto Fromondo et Henrico Caleno. Et quamvis in suo testamento agnoscat aliquid in opere difficile mutari posse: "Si tamen, inquit, romana sedes aliquid "mutari velit sum obediens filius et il- "lius Ecclesiæ, in qua semper vixi, us- "que ad hunc lectum mortis obediens "sum:" Idem testatus fuerat c. 29. lib. procemalis et in Epilogo totius operis. Hanc ejus obedientiam, si imitati fuissent doctrinæ illius Sectatores, tot turbæ á sæculo Galliam et Belgium non commovissent.

ARTICULUS III.

De prohibitione hujus libri, deque historia illius damnationis, et præcipue quinque propositionum.

Statim ac lucem aspexit Jansenii liber, *Augustinus*, prohibitus fuit ab Urbano VIII Bulla *In eminenti* data 1641. duabus de causis 1. Quia contra Pauli V. Decretum tractabat de auxiliis gratiæ 2. Quia continebat plures propositiones á S. Pio V. et Greg. XIII. damnatas in Baio. Hanc bullam subreptitiam dixerunt defensores Jasennii, missis Romam á Lovaniensibus Sinnichio et Papio, qui ejus revocationem urgerent; sed iis auditis in Sacra Congregatione universalis Inquisitionis, Sanctitas sua jussit Bullam extrahi ex Archivio S. Congregationis,

et hujus transumptum cum archetypo collatum tradi Sinnichio et Papio, eis simul injungens silentium super dubitationibus, difficultatibus, et querelis occasione hujus Bullæ excitatis, aut excitandis. Diu postea, an. scilicet 1690 Alexander VIII damnavit hanc propositionem: *Bulla Urbani VIII in eminenti, est subreptitia.* Non fuit autem hæc Bulla solemniter promulgata in Belgio, obstantibus Jansenistarum molitionibus, nisi an. 1648 instante apud Regem Catholicum et Archiducem Leopoldum Innocentio X Urbani successore.

Interea dimicabant in Gallia Isaacus Habertus Doctor Sorbonicus contra Jansenium, et Antonius Arnaldus pro Jansenio. Anno 1649 instante D. Cornet Facultatis Parisiensis Syndico, delatæ sunt ad examen Facultatis 7 propositiones, á quibus duabus ultimis recissis et neglectis remanserunt quinque famosæ: scilicet 1. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque iis gratia, qua possibilia fiant. 2. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur. 3. Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas á necessitate, sed sufficit libertas á coactione. 4. Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant Hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. 5. Semi-Pelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Anno 1650, 85 Episcopi Gallicani has 5 propositiones Jansenii deferunt Innocentio X condemnandas. Obstant ex adverso 11 Episcopi. Epistolam 85. Episcoporum reddidit Innocentio X 12 Aprilis 1651 Orator Regis Christianissimi. Alteram 11 Episcoporum reddidit Ludovicus de Saint-amour Doctor Sorbonicus. Congregationibus institutis ad examen 5 propositionum, adventant eodem anno Romam missi ab aliquot Episcopis DD. De Brousse, De la Lane, Doctores Parisienses, et Angran Licentiatus pro iis tuendis. Ex altera parte pro promovenda earum condemnatione accedunt DD. Halier, Lagaut, et Joysel.

In 1.ª Congregatione SS. Pontifex Innocentius X palam declaravit, se nolle ullum præjudicium inferri doctrinæ SS. Aug. et Thom. Post celebratas duorum annorum spatio 36 Congregationes, in quibus causa Jansenii *ea diligentia qua maior desiderari non posset* (ut dixit postea Alexander VII) discussa est, tandem Innocentius X die 31 Maii 1635 edidit Constitutionem *cum occasione*, in qua 5 propositiones, unamquamque speciali censura notatam condemnat.

Primam, declarat, esse temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam et hæreticam; et uti talem damnat. Secundam, ut hæreticam. Tertiam, item ut hæreticam. Quartam, falsam et hæreticam. Quintam, falsam, temerariam, scandalosam: et intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, et hæreticam declarat; et uti talem damnat.

Hanc constitutionem jussit rex christianissimus in suo regno promulgari; et Episcopi Parisiis congregati eodem anno eam acceptarunt. Verum, ut eam eluderent Janseniani, duo commenti sunt effugia: Primum, has 5 propositiones non esse Jansenii: Alterum, damnatas esse in sensu, á sensu Jansenii alieno: et hinc origo famosæ distinctionis juris et facti. Anno 1656 Alexander VII Innocentii Successor, dedit alteram Bullam, in qua declarat 5 propositiones. "Ex libro Jansenii excerptas, et in sen-"su ab eodem Jansenio intento damna-

"tas fuisse;" et uti tales iterum damnat. Hæc Constitutio fuit solemniter recepta ab Episcopis Gallicanis an. 1657. Anno 1661 iidem Præsules exposuerunt per litteras Alexandro VII se ad firmiorem Constitutionum Apostolicarum executionem adhibuisse usum formulæ subscribendæ, cui subscribere multi recusabant eo prætextu quod hujusmodi formulas condere ad SS. Pontificem privative pertineat: quapropter rogabant, ut hujusmodi formulam mittere dignaretur. Annuit Alexander VII data an. 1665 nova Constitutione *Regiminis Apostolici*, in qua hæc fidei formula ab omnibus et singulis Clericis subscribenda continetur: "Ego N. Constitutioni "Apostolicæ Innocentii X datæ 31 "Maii, anno 1653 et Constitutioni Ale"xandri VII datæ 16 Octobris, anno "1656 SS. Pontificum, me subjicio, et "5 propositiones ex Cornelii Jansenii "libro cui nomen" Augustinus, "excerp"tas, et in sensu ab eodem auctore in"tento, prout illas per dictas constitu"tiones Sedes Apostolica damnavit, sin"cero animo rejicio ac damno; et ita ju"ro: sic me Deus adjuvet, et hæc sancta "Dei Evangelia." Huic autem formulæ, subscribendi auctoritati Pontificiæ accessit mandatum Regium. Hac subscriptione coarctati Jansenistæ duo distinxerunt in formula, nempe jus, seu doctrinam contentam in 5 propositionibus, et factum scilicet attributionem hujus doctrinæ libro Jansenii. Quantum ad 1. profitebantur se sincere damnare in quinque propositionibus sensum erroneum, quem Ecclesia damnare voluit; et quantum ad hoc se paratos esse subscribere formulario: Quantum autem ad 2 divisi fuere: quidam rigidiores contendebant nullo modo posse subscribi: alii remissiores opinabantur posse subscribi adhibitis quibusdam restrictionibus, seu cautionibus.

Quatuor Episcopi Gallicani, Andegavesis, Bellovacensis, Apamiensis, et Alectensis in suis publicis mandatis pro subscriptione formularii distinxerunt jus et factum: juri assensum fidei, facto silentii reverentiam tantum deberi dixerunt. Sed inde offensis SS. Pontifice et Rege Christianissimo, alteram formularii subscriptionem suis Diœcesanis jusserunt, et Clementi IX Alexandri successori per litteras testati sunt se *sincere et absque ulla restrictione* formulario Alexandri VII subscripsisse. Idem testati sunt eidem Clementi IX 3 Episcopi, Cardinalis Estreus Laudunensis, Senonensis, et Catalaunensis, pacis inter 4 dictos Episcopos et SS. Pontificem mediatores: cujus narrationis veritate supposita, Clemens IX Litteras gratulatorias dedit 4 Episcopis anno 1669. Hac Pontificis cum 4 Episcopis reconciliatione abusi sunt Janseniani in patrocinium sui obsequiosi silentii: dixerunt namque, laudatos 4 Episcopos in subscriptione, quæ continetur in actis verbalibus Synodorum Diœcesanarum, inservisse eamdem distinctionem et exceptionem Juris et Facti; qua non abstante, nec Pontifici incognita, ipse tamen pacem cum illis inierat, et inde dicta est Pax Clementis IX. Verum, esto in actis verbalibus secretis contineri restrictionem seu exceptionem Facti, certum est eam SS. Pontifici non innotuisse, et ipsum existimasse dictos Episcopos sine ulla exceptione subscripsisse. Id constat 1.° ex litteris istorum Episcoporum et mediatorum ad SS. Pontificem, de quibus supra 2.° ex ipsius Clementis Brevi, dato 1668 Regi Christianissimo, in quo dicit, "se cum lætitia cognovisse in sim"plici et pura subscripsione formularii "quatuor illorum Episcoporum obedien"tiam » 3.° ex altero Brevi ejusdem Pontificis ad Episcopos, pacis mediatores, 19 Januarii 1669, ubi dicit SS. Pontifex: "Non sine letitiæ sensu pervidi"mus ex litteris fraternitatum vestra"rum... de perfecta et integra obe-

" dientia nobis et Apostolicæ Sedi præs-
" tita per Episcopos Andegavensem,
" Bellovacensem, Apamiensem, et Alec-
" tensem subscriptione formularum sin-
" cero animo et juxta præscriptum Lit-
" terarum Apostolicarum ab eis facta." Item ex altero Brevi ejusdem Clementis XI ad 4 Episcopos prædictos eodem die et anno dato, in quo dicit: " Cum ingenti obsequii, nobis et huic S.
" Sedi per vos debiti, testatione signifi-
" cabatis, vos juxta præscripstum littera-
"rum Apostolicarum... sincere subscrip-
" sisse et subscribi fecisse formulario...
" nam prædecessorum nostrorum consti-
" tutionibus firmissime inhærentes, nul-
" lam circa illud exceptionem, aut res-
" trictionem admissuri unquam fuisse-
" mus. ¿Quid expresius?» 4.° tandem ex Bulla Clementis XI. *Vineam Domini Sabbaoth*, data an. 1705, in qua SS. Pontifex graviter reprehendit eos, qui Clementis IX " Litteras in erroris sui pa-
" trocinium advocare temerario plane au-
" su non erubescunt... perinde ac si me-
" moratus Clemens prædecessor... ali-
" quam in tam gravi negotio exceptio-
" nem seu restrictionem, quam nullam
" prorsus se unquam admissurum protes-
" tatus fuit, reipsa admisisset.

Cum nonnulli Episcopi Belgici ad majorem cautelam contra fraudes Jansenianorum quasdam additiones formulario fecissent, eas Innocentius XII Brevi dato 1694 ad Episcopos Belgii improbavit et prohibuit, jussitque subscribendum esse formulario, et damnandas esse propositiones *in sensu obvio quem* tam ipsius formularii, quam propositionum verba *præ se ferunt*, injunxitque simul: " Ne nulla ratione quemquam
" vaga ista accusatione et invidioso no-
" mine Jansenismi traduci aut nuncu-
" pari sinerent, nisi prius suspectum es-
"se constiterit aliquam ex his 'proposi-
" tionibus docuisse: aut tenuisse, nec
" quemquam sub hoc prætextu repelli
" ab officiis, muniis, beneficiis, gradi-
" bus, et concionibus habendis, vel ali-
" quacumque functione Ecclesiastica per-
" mittatis, nisi servato juris ordine,
" eam pœnam, quæ viris alioquin ca-
" tholicis gravissima est, commeruisse
" probatum fuerit.» Verum, cum hæc hujus Brevis verba, «in sensu obvio, «quem verba præ se fuerunt,» in alienum sensum detorquerent Jansenistæ, quasi Pontifex exigeret tantum, ut propositiones in seipsis damnarentur in sensu obvio, quem earum verba præ se ferunt, nulla facta mentione, nec habito respectu ad sensum Jansenii, hunc vanum eorum triumphum repressit idem Pontifex altero Brevi dato ad eosdem Belgii Episcopos an. 1696. Neque eos juvant hæc voces, *prætensi Jansenistæ*, quibus utitur Pontifex in isto Brevi: non enim per illas intelligit fictos Jansenistas, ut quidam imaginantur, sed qui tales prætenduntur, id est denunciantur et declarantur; distinguit enim ibi Pontifex inter Jansenistas internos et externos, quos utrosque *prætensos* appellat, et mandat, ut externi secundum rigorem juris puniantur: Ergo per to *prætensi* non intelligit fictos, aut falsos.

Anno 1702, confictus est famosus casus conscientiæ, in quo quidam clericus inducitur, cui absolutio denegata fuit, quia declaraverat " se revera 5 proposi-
" tiones simpliciter et absolute damnare,
" ac formulæ fidei Alexandri VII subs-
" cripsisse quidem, nihilominus quan-
" tum ad quæstionem facti, seu attribu-
" tionem illarum 5 propositionum libro
" Jansenii, existimare se religiosum suf-
" ficere silentium. „ Hic casus propositus fuit 40 doctoribus parisiensibus, qui his verbis responderunt: " doctores infra
" scripti, visa casus expositione, hujus ec-
" clesiastici viri sententiam nec novam es-
"se, nec singularem, nec ab Ecclesia dam-
" natam, neque talem, ut confessarius
" possit ipsi sacramentalem denegare
" absolutionem nisi eam retractaverit.
" Deliberatum in Sorbona die 20 Julii

"an. 1702.» Hanc responsionem improbavit et proscripsit Clemens XI Brevi dato anno 2703 ad Regem Christianissimum. Eamdem eodem an. damnavit Cardinalis Noallius Archiepiscopus parisensis. Idem præstiterunt plurimi Episcopi gallicani. Hinc factum est quod omnes Doctores parisienses, uno excepto, subscriptionem suam revocaverint. Postremo Clemens XI solemni Bulla *Vineam Domini sabbaoth*, data an. 1705 postquam confirmavit ac innovavit Constitutiones Innocentii X et Alexandri VIII et Brevia Clementis IX et Innocentii XII á pravis Janseniauorum interpretationibus vindicavit, decernit, "obedientiæ, quæ præinsertis constitu- "tionibus debetur, obsequioso illo si- "lentio minime satisfieri.»

ARTICULUS IV.

De systemate Jansenii.

Radix, unde profluit tota hæresis Jansenii, est distinctio, quam finxit inter statum innocentiæ et statum naturæ lapsæ, in eo sitam, quod in statu naturæ innocentis non essent nisi gratiæ sufficientes pendentes á voluntate Adami; in statu autem naturæ lapsæ non sint nisi gratiæ efficaces absolute dominantes hominis voluntati. Ita Jansenius in toto suo opere, præsertim lib. de grat. primi hominis c. 14. et l. 2. de gratia Salvatoris c. 1. 2. 3. et 4.

Ex hoc falso principio non agnoscit aliam causam necessitatis gratiæ efficacis pro hoc præsenti statu, quam infirmitatem naturæ vulneratæ et corruptæ per peccatum: "Totum ergo fundamen- "tum gratiæ medicinalis Christi,» inquit, Tom. 3. l. 8. c. 2. "funditus "evertitur, dum gratiæ necessitas, non "ex vulnere voluntatis, sed ex naturali "ejus indifferentia et omnium causarum "naturali subordinatione sub altiore "suspenditur."

Hæc gratia juxta Jansenium nihil est aliud, quam delectatio spiritualis, seu motus indeliberatus delectationis cœlestis, quæ nos movet ad bonum, sicut cupiditas est motus indeliberatus delectationis terrenæ, quæ nos movet ad malum. Ita Jansenius l. 4. de grat. Christi c. 1. 2. 3. 4. et seq.

Si delectatio cœlestis sit gradu aliquo superior cupiditate, gratia fit victrix, et nos rapit necessario ad bonum. Si é contra dilectatio terrena sit superior, cupiditas fit pariter victrix, nosque necessario rapit ad malum; sicut majus pondus in bilance necessario elevat minus: tum quia, ut centies repetit Jansenius, secundum id, quod magis delectat, necesse est ut operemur, tum quia juxta ipsum hæc delectatio relative victrix, sive gratiæ, sive cupiditatis, diametraliter opponitur indifferentiæ agendi, vel non agendi: "Vigente delecta- "tione carnali,» inquit l. 4. de grat. Chr. c. 9. "impossibile est, ut virtutis ac "honestatis consideratio prævaleat.» Et c. 14. "Effectus igitur gratiæ est delectando voluntatem facere, ut actu velit "et faciat... et ita diametraliter repug- "nat philosophicæ libertati, seu indiffe- "rentiæ libertatis.» Neque tamen id obstat, inquit, quin homo sit liber, et mereatur in electione boni vel mali; quia juxta ipsum hæc indifferentia agendi et non agendi non est essentialis libertati; cum enim in ejus principiis libertas nihil sit aliud, quam voluntas, hoc ipso quo vult est libera; ita ut sola coactio, non necessitas saltem mutabilis, repugnet libertati. Ita Jansenius lib. 6. de grat. Chr. á cap. 6. ad 38.

Dixi: *Necessitas saltem mutabilis*; quia Jasenius distinguit duplicem necessitatem; unam fixam et immutabilem, quæ in nullis circumstantiis vinci potest; talis est necessitas; qua Deus seipsum diligit, qua generat Filium, qua Beati Deum diligunt. Hanc necessitatem diligit repugnare, non quidem libertati essentiali, sed libertati status viatoris. Altera est necessitas mutabilis, transitoria, relativa, quæ stantibus præsentibus circums-

tantiis relative ad vim oppositam superiorem vinci non potest, licet absolute et in aliis circumstantiis vinci possit. Sic á terrena delectatione superante cœlestem movemur ad malum necessario necessitate mutabili et relativa, quia, licet stante hac superioritate delectationis vinci non possit á gratia, potest tamen absolute vinci, si nempe delectatio cœlestis evadat superior. Et hanc necessitatem contendit Jansenius non repugnare libertati hominis in hac vita, sed stare cum illa, nec impedire, quin bene aut male agat, mereatur aut demereatur, ita ut tota libertas hujus status sita sit juxta Jansenium in vertibilitate de una ad alteram necessitatem, subalternante delectatione terrena, vel cœlesti.

Ex eadem radice, seu posito primo principio contendit, voluntatem antecedentem in Deo salvandi omnes homines, quam vocat *primam et bonitatis*, non fuisse nisi pro statu innocentiæ, et non pro statu naturæ lapsæ, pro quo agnoscit tantum voluntatem consequentem, quam vocat *secundam et justitiæ*. Ita l. 3. de grat. Salvat. c. 20. unde infert, quod vi hujus voluntatis antecedentis Adam quidem receperit gratias sufficientes, sed quod nunc sit sterilis erga homines lapsos, nec ex illa eis obveniat ulla gratia, nequidem mors Christi pro omnibus. Postquam, inquit lib. cit. c. 29. " Peccata jam ab hominibus induc- " ta considerantur antecedens voluntas " in sola præcisione mentis, adeoque nu- " da quadam velleitate, nihil gratiæ " causante, consistere potest." Quantum ad mortem Christi ibid. cap. seq. et ultimo.

Attamen non negat Jansenius, dari in hoc statu naturæ lapsæ parvas gratias, quæ hominem utcumque moveant ad bonum, quæ illius desideria imperfecta in eo excitent, et quibus resistit. Verum (et id diligentissime notandum est) hæ parvæ gratiæ juxta Jansenium et in ejus systemate nec sunt, nec esse possunt sufficientes. Quod palam evinco.

Duplici sensu gratia dicitur sufficiens, 1. Quia sufficit in omni genere et modo, ita ut præter illam ad agendum actualiter nihil aliud requiratur ex parte Dei; sed eam voluntas pro nutu consentiendo vel dissentiendo reddat efficacem, vel inefficacem, et ita Jansenius intelligit gratiam sufficientem, nec ullam aliam agnoscit, quæ debeat vocari hoc nomine. Hujusmodi autem gratia sufficiens, juxta ipsum, est propria soli statui naturæ sanæ et integræ: Ergo parvæ gratiæ, quas agnoscit pro hoc præsenti statu, non sunt hoc et suo sensu sufficientes.

Alio sensu gratia dicitur sufficiens, quæ sufficit in suo genere, hoc est, quæ dat posse sufficiens et expeditum, sed ultra quam ad actu agendum requiritur altera ex parte Dei. Sic Thomistæ intelligunt gratiam sufficientem; sed neque hoc sensu parvæ gratiæ Jansenii sunt sufficientes; quia, ut dixi, juxta ipsum vis gratiæ est relativa ad cupiditatem, ita ut si cupiditate sit inferior, sicut reipsa sunt istæ parvæ gratiæ, non dat verum et expeditum posse ad superandam cupiditatem superiorem; sicut pondus quatuor librarum in bilance non potest vere et expendite elevare pondus decem librarum; sed remanet in vera impotentia vincendi hanc cupiditatem, quamdiu est superior, et hac cupiditate victrici homo necessario rapitur in malum, quia secundum id quod magis delectat necesse est ut operemur. Unde Jansenius non agnoscit pro hoc statu aliam gratiam sufficientem, quam efficacem, quæ dando agere det simul posse, quin imo det posse, quia dat agere, ita ut juxta ipsum tam impossibile sit homini absque hac gratia victrice bene agere, quam impossibile sit cæco videre in luce meridiana, surdo audire inter fragores, vel fracto tibiis recte gradi. Sunt ejus verba et exempla l. 3. de grat. Chr. c. 30. « Cujus medicinali gratia et adjutorio,

« inquit, nisi vires pristinæ restauren- « tur, tam esse impossibile voluntati, ut « bene velit et operetur, quam homini « cæco, ut videat, vel surdo, ut audiat « vel tibiis fracto, ut recte gradiatur, « quantumvis eis et lux, et species, et « scipiones, et omnia cætera sanitatis ad- « jumenta suppetant. »

Ulterius hæ parvæ gratiæ, quas admittit Jansenius, juxta ipsum non conferuntur á Deo nisi ad hunc effectum, quem reipsa operantur, ita ut intentione Dei ad hoc solum dentur, ut imperfecte hominem moveant ad bonum, ut illius aliquam velleitatem, seu complacentiam excitent, non ut reipsa faciat, se convertat, et salvetur : alioquin deberet agnoscere in Deo pro hoc statu sinceram voluntatem salvandi omnes, ex qua hæ gratiæ salutis profluerent; quam tamen negat.

Evidens est itaque, parvas gratias quas admittit Jansenius, non dare verum, sufficiens, et expeditum posse agendi bonum, legem implendi, se convertendi, etc. ideoque non esse sufficientes sensu Thomistico. Unde l. 3. de grat. Salvat. c. 3. habet gratiam thomistice sufficientem tamquam absurditatem et monstrum, ad multiplicanda peccata, et facilius rigorosiusque damnandos homines excogitatum. « Itaque, » inquit, « Illud á « Recentioribus gratiæ sufficientis genus, « quo adjuvante nullum umquam opus « factum est, aut fiet umquam, si est ve- « rum distinctumque á gratia efficace « membrum, videtur monstrum, quod- « dam singulare gratiæ, solummodo pec- « catis faciendis, maiorique damnationi « accersendæ serviens, ideoque lapsis ho- « minibus citra Dei invidiam damnandis « excogitatum. »

Ex his facile detegere poteris fraudes, cavillationes, subterfugia, quæ solent adhibere Janseniani, ut et Jansenium ab errore excusent, et seipsos á censuris Ecclesiæ subducant. Dicunt enim 1.° Jansenium agnoscere passim in homine lapso libertatem arbitrii. 2. Lib. 6.° de grat. Chr. c. 34. et lib. 8. c. 20. agnoscit indifferentiam contrarietatis et contradictionis. 3.° Ibid. admittit sub cupiditate dominante veram potentiam ad bene agendum, et sub gratia victrice veram potentiam ad peccandum.

Equidem Jansenius agnoscit in homine lapso libertatem arbitrii nomine, non re. Reponit enim libertatem arbitrii in homine lapso in solo voluntario cum perfecta advertentia rationis, seu in immunitate á coactione et á necessitate immutabili, non á necessitate mutabili. Agnoscit indifferentiam contrarietatis et contradictionis, non quæ sit vera potentia activa ad agendum vel non agendum, ad agendum bonum vel malum, sed quæ sit mera flexibilitas in bonum vel malum per delectationem gratiæ et concupiscentiæ, alternatim voluntatem captivantis et necessitantis. Agnoscit tandem sub cupiditate dominante veram potentiam bene agendi, et sub gratia victrici veram potentiam peccandi; potentiam scilicet absolutam et abstractam, non relativam ad delectationem superiorem dominantem; vel potentiam in sensu diviso delectationis dominantis, non in sensu ejus composito; vel potentiam ligatam et vinculatam, non expeditam et libertam.

Ex toto igitur hoc systemate sponte fluunt 5 famosæ propositiones damnatæ, quæ sunt veluti succus et alixirium totius operis Jansenii. Prima, « Aliqua Dei « præcepta hominibus justis volentibus « et conantibus, secundum præsentes « quas habent vires, sunt impossibilia; « deest quoque illis gratia, qua possibi- « lia fiant. » Quia sola gratia efficaci redderentur ipsis possibilia : deest autem certo ipsis, dum illa transgrediuntur, alioquin observarent. Hanc propositionem in terminis habet Jansenius l. 3. de grat. Chr. c. 13. Secunda, « Gratiæ « interiori in statu naturæ lapsæ num- « quam resistitur: » quia in hoc statu non

sunt gratiæ, nisi efficaces. Hanc etiam tradit Jansenius lib. de grat. Adami c. 14. et l. 2. de gra. Chr. c. 1. 2. 3. 4. 24. 25. 27. et alibi. Tertia, «Ad meren «dum et demerendum in statu naturæ «lapsæ, non requiritur in homine liber- «tas á necessitate, sed sufficit libertas á «coactione;» quia necessitas mutabilis non est contraria libertati. Quarta. «Semi- «Pelagiani admittebant prævenientis «gratiæ interiores necessitatem ad sin- «gulos actus, etiam ad initium fidei, et «in hoc erant Hæretici, quod vellent eam «gratiam talem esse, cui posset humana «voluntas resistere, vel obtemperare:» quia juxta Jansenium, non dantur nunc gratiæ nisi efficaces, quibus voluntas necessario trahitur in bonum. Item hanc propositionem expresse docet l. 8. de hæres. Pelag. c. 6. et l. 2. de grat. Chr. c. 15. Quinta, «Semi-Pelagianum «est dicere, Christum pro omnibus om- «nino hominibus mortuum esse, aut san- «guinem fudisse: quia non est in Deo sincera voluntas salvandi omnes.

DISSERTATIO VIII.

De Quesnellianismo.

CAPUT UNICUM.

Unico tantum capite absolvemus, quæ in præsenti negotio dicenda nobis sunt; et perspicuitatis causa, illud dividemus in duos articulos. In primo historicam causæ Quesnellianæ texemus synopsim. In 2.° æquitatem et auctoritatem Bullæ *Unigenitus* astruemus. Sit Itaque.

ARTICULUS I.

De persona Quesnellii, deque historica causæ Quesnellianæ synopsi.

Paschasius Quesnellius Parisiis natus anno 1634 Congregationi sacerdotum oratorii á card. Berullio erectæ nomen dedit: eam tamen deserere postea maluit, quam formulario doctrinæ in ejusdem congregationis comitiis constituto subscribere. In Belgium se recepit, et Bruxellis diu vixit cum Antonio Arnaldo, an. 1703 ab Humberto Guillelmo á Præcipiano Archiepiscopo Mecliniensi in carcerem conjectus est, sed amicorum ope pariete carceris effracto, in Hollandiam migravit, et octogenario major Amstelodami mortuus est an. 1719.

Plures libros evulgavit (Vid. *Supplem. Diction.* Moreri, et P. Richard *Diction. des sciences ecclesiast.*) sed ille præ cæteris famosus fuit, cui titulus *reflexiones morales in novum testamentum.* Hoc opus á multis Ecclesiæ pastoribus maxime commendatum, 40 circiter annorum spatio fidelium manibus, in Gallia potissimum, terebatur; sed postea cæperunt nonnulli suspicari Jansenianum virus summa calliditate inspersum in eo latere: multi deinde episcopi librum, ut perniciosum improbare, alii contra defendere. Sed causa ad apostolicam sedem delata, Clemens XI ipsum proscripsit bulla *universi* 18 Julii 1708. Idem etiam Clemens XI post quiquennium an. 1713, 8 Sept. solemnem edidit constitutionem, quæ incipit *Unigenitus filius Dei*, in qua propositiones centum, et unam ex eodem libro excerptas variis censuris *in globo et respective* perstrinxit; maxime autem propter Jansenii hæresim, in iis instauratam.

Fuit hæc Clementina Constitutio non multo post in comitiis gallicanis recepta, adjunctis tamen quibusdam explicationibus, quas 40 Episcopi edidere, card. Noaillio Archi-Episcopo parisiensi et octo cum eo Episcopis, aliisque nonnullis nequidquam refragrantibus. Recepta similiter fuit, rege urgente, in Sorbona, quamquam non sine turbis, propter quas duo insignes Theologi Ludov. Habert, et Carolus Witasse fuere in exilium amandati. In academia item Lovaniensi, et in Belgio apostolica hæc constitutio publici juris facta est. Et ita quidem obedientium numerus quotidie augebatur, ut brevi tranquillitas, et pax speranda foret.

Sed post mortem Ludovici XIV, 1 Sept. 1715 duce Aurelianensi regnum administrante, constitutionis hostes de-

nuo vires sumpsere, et facultas Sorbona 5. Dec. 1715 nullam, irritamque declaravit bullæ acceptationem, á se factam, tamquam vi, metuque exortam; ejusque exemplum admodum multi omnium fere ordinum ecclesiastici secuti sunt. Clemens autem XI hac re vehementer commotus, Sorbonæ facultatem omnibus gratiis, et privilegiis, quibus fuerat á suis prædecessoribus ornata brevi 18 Nov. 1716 in pœnam inobedientiæ privavit; alios vero qua exhortationibus, qua minis ad officium revocare studebat. Dux etiam Aurelianensis de pace in Gallicana Ecclesia restituenda sollicitus videbatur: sed omnia frustra. Immo an. 1717 res in pejus declinare cœpit. Nam quatuor Episcopi, Miradicensis, Senitensis, Montispessulanus, et Bononiensis coram facultate Sorbonæ solemnem interposuerunt appellationem á constitutione *Unigenitus* ad futurum concilium, cui appellationi statim Sorbonica facultas addæsit, ac postea bene multi Episcopi, animarum pastores, regulares, aliique ecclesiastici, ac tandem ipse archiepiscopus parisiensis card. Noaillius; ita ut res in apertum schisma vergere videretur.

Rom. Pontifex in suo proposito constans an. 1718 die 8 Sept. Litteris datis, quarum hoc est initium *Pastoralis officii*, omnes hujusmodi appellantes, et qui bullam *Unigenitus* recipere detrectabant, á sua, et romanæ Ecclesiæ charitate alienos declaravit. Sed qui á constitutione appellaverant, etiam ab istis apostolicis litteris appellaverunt, easque publici juris fieri parisiensis senatus vetuit.

Biennio autem post dux Aurelianensis, de concordia restituenda semper cogitans, multos episcopos eo adduxit, ut quoddam doctrinæ corpus ederent, circa eas catholicas sententias, quas Quæsnelli patroni pontificis contitutione labefactari conquerebantur, ut ita constitutio una cum memorato *doctrinæ corpore* reciperetur. Placuit fere omnibus consilium, imprimis vero card. Noaillio, cujus opera doctrinæ corpus fuit elaboratum, et á 100 circiter episcopis subscriptum. Verumtamen postea compertum fuit, discordias hoc modo non tolli, sed augeri. Nam Pontifici hæc agendi ratio probari non potuit, qui puram et simplicem bullæ subscriptionem exigebat. Ulterius eorum, qui constitutionem recipiebant, aliqui sine ulla prorsus explicatione se humiliter submittebant, alii addebant primam explicationem 40 Episcoporum facta an. 1714; quidam vero, cum *corpus doctrinæ* reciperent, bullam absolute repudiabant, tamquam *corpori doctrinæ* contraria et omnino oppositam. Demum nonnulli tam *corpus doctrinæ* quam bullam recipere detrectabant, et appellationi interpositæ contumaciter adhærebant; quamquam isti postremi in dies semper decrescebant; et denique hæc constitutio talem tantamque sibi in Ecclesia auctoritatem conciliavit, ut, quemadmodum inquit sapientissimus Pontifex Benedictus XIV "in Encyclica ad episcopos Galliæ 10 "Octob. 1756 nemo fidelium possit absque salutis æternæ discrimine, á debita erga ipsam subjectione se se subducere, aut eidem ullo modo refragari.,,

Nimis longum esset, et á præsenti nostro instituto alienum, omnia referre, et refutare, quæ appellantes constitutioni *Unigenitus* opposuerunt; infinita enim scriptorum, libellorumque leges quotidie pullulabat, in quibus vel eædem vel novæ difficultates excitabantur. Unum tamen est, surdis auribus minime prætereundum. Nihil solemnius hujus constitutionibus hostibus, quam profiteri ea potissimum de causa constitutionem se recipere nolle, ne cogantur tutissimis SS. Augustini et Thomæ dogmatibus de gratia per se, et ab intrinseco efficaci, necnon de prædestinatione gratuita valedicere. Augustinianam, et Thomisti-

cam scholam per latus Quæsnelli fuisse confixam clamant, ac propterea Augustinianos, et Thomistas omnes in suas partes vocare non desinunt. Nec eos omnino fefellit eventus, non pauci enim hamum vorarunt. Accedebat quorumdam imprudentia, qui nostræ doctrinæ odio in transversum acti, eam cum damnatis Jansenii, ac Quesnelli erroribus involvere non verebantur: quorum testimonio dictu non facile est, quantum Anti-Constitutionarii apud incautos proficerent.

Sed hanc criminationem præoccupavit idem Clemens XI in bulla *Pastoralis officii* 2 Septem. 1718 ubi hæc habet: " Ceterum in hoc ipso præpostero judi-"cio consuetum calumniandi morem non "derelinquunt: nisi enim excœcaret eos "malitia eorum, ac nisi magis diligerent tenebras, quam lucem, ignorare "non deberent, sententias illas ac doc-" trinas, quas ipsi cum erroribus per nos " damnatis confundunt, palam, et libere " in catholicis scholis etiam post editam "á nobis memoratam constitutionem, sub " oculis nostris doceri, atque defendi, " illasque propterea minime per eam " fuisse proscriptas.„

Ulterius Benedictus XIII Clementis XI post Innocentium XIII successor, sua constitutione *Pretiosus* 7 Kal. Jun. 1724 sub " canonicis pœnis mandavit ne " doctrinam S. Thomæ, ejusque insig-" nem in Ecclesia scholam, præsertim " ubi in eadem schola de divina gratia " per se, et ab intrinseco efficaci, ac de " gratuita prædestinatione ad gloriam, " sine ulla meritorum prævisione agi-" tur..... velut consentientem cum dam-" natis ab apostolica sede, et signanter "á constitutione 64. fel. record. Cle-" mentis XI incipiente Unigenitus, Jan-" senii, Quesnelli, et aliorum erroribus " traducant.» Idemque summus Pontifex in Brevi 6 Nov. 1724 ad universos fratres ord. præd. " Magno animo con-" temnite, inquit, dilecti filii, calumnias " intentatas sententiis vestris, de gratia " præsertim per se efficaci, ac de gra-" tuita prædestinatione ad gloriam si-" ne ulla prævisione meritorum, quia " laudabiliter hactenus docuisti, et quas " ab ipsis sanctis doctoribus Augustino, " et Thoma se ausisse; et verbo Dei, " summorum Pontificum, et conciliorum " decretis, et patrum dictis consonas es-" se. Schola vestra commendabili studio "gloriatur." Idemque iterum declaravit Clemens XII Benedicti successor.

ARTICULUS II.

De auctoritate Bullæ Unigenitus.

In astruenda æquitate ac canonicitate constitutionis *Unigenitus* hærebimus huic methodo, nempe, demonstrabimus primo juxta omnes regulas á jure præscriptas latam fuisse; et secundo ostendemus decretum istud esse dogmaticum universalis Ecclesiæ judicium; ¿quis enim iniquum ausus fuerit pronuntiare, in materia præsertim doctrinali, totius Ecclesiæ judicium? Quod præstabimus duabus conclusionibus. Sit ergo

1.ª Conclusio. Æquissima est et canonica Clementis XI constitutio, quæ incipit *Unigenitus*.

Probatur. Illa profecto æquissima est et canonice lata definitio, quæ data fuit á sancta sede, post maturum examen, ad instantiam episcoporum; et qua exitialis ac perniciosus proscribitur liber, servatis ad amussim debitis formalitatibus: atqui sic se habet constitutio *Unigenitus*; ergo. Major ex sese, et ex omnium consensu certissima est.

Minor vero per partes demonstratur.

1.ª Quidem data fuit á sancta sede, veraque est ipsius lex: namque primo, á summo pontifice Petri successore, Christique in terris vicario, lata est, de consensu cardinalium; secundo ad cunctas directa Ecclesias; tertio, rite promulgata; primum Romæ, tunc in Galliis ubi natus fuerat error: quæ tria, *ex tenore* bullæ, et ex dictis in articulo præc.

constant. Verum est ergo bulla *Unigenitus* sanctæ sedis judicium veraque lex.

2.ª Nonnisi post maturum examen lata fuit: præterquam quod enim jam accurate Romæ perpensus fuerat *reflexionum moralium* liber, cum á Clemente XI proscriptus est speciali decreto die 13 julii an. 1708, maturiori adhuc examine discussus fuit, antequam solemnis adversus ipsum daretur constitutio *Unigenitus* uti disserte testatur in eadem constitutione S. pontifex.

3.ª Insuper, præfata constitutio ad instantiam episcoporum, necnon ad repetitam regis christianissimi efflagitationem data est; ad compescendos nimirum emergentes in Galliis, occasione libri *reflexionum moral.* motus: utrumque ibid. clare significat S. pontifex *frequentibus orthodoxæ fidei zelatorum quærelis* inquit, MAXIME VERO COMPLURIUM VENERABILIUM FRATRUM, PRÆSERTIM GALLIÆ EPISCOPORUM, LITTERIS AC PRÆCIBUS EXCITATI, *gliscenti morbo* (edita constitutione) *obviam ire decrevimus.* Et paulo post: « Non modo præfati episcopi, sed et ipse in primis charissimus « in Christo filius noster Ludovicus francorum rex christianissimus .... sæpius « nobis est contextatus, repetitis propterea vere piis et christianissimo rege « dignis officiis, atque ardentibus votis á « nobis efflagitans, ut instanti animarum « necessitati, prolata quantocius apostolici censura judicii, consuleremus. »

4.ª Liber *observationum moralium* constitutione *Unigenitus* proscriptus, omnino perniciosus est.

Constat 1.°, quia id fassi sunt vel ipsimet episcopi qui dictæ constitutioni obstiterunt; ii enim omnes uno excepto Mirapicensi, libri illius lectionem prohibuerunt, et in suis mandatis eumdem proscripserunt, veluti *renovantem errores Jansenismi*, veluti *erroribus jam damnatis faventem*, veluti *inducentem fideles in errorem, præcipue circa propositiones Jansenii*: ita archiepiscopi Parisiensis et Turonensis, episcopi Bayonensis, Virodunensis, Catalaunensis, Macloviensis, in suis pastoralibus documentis, an. 1714.

Constat 2.°, dicti libri perversitas, quia Quesnellus, ejusque consiliorum omnium participes ac socii, non dissimularunt eo fine *observationes morales* in novum testamentum concinnatas fuisse, ut Jansenianæ sectæ dogmata magis ac magis stabilirentur, utque Ecclesiæ pastoribus, quasi veritatis vexatoribus, exprobraretur prætensa persecutio in Jansenii discipulos. Ita aperte declarat Villartus epistola ad Quesnellum data die 13 martii an. 1697, et idem fatetur et clare tradit ipsemet Quesnellus in sua ad eumdem Villartum responsoria epistola die 19 aprilis ejusdem anni 1697.

Constat 3.°, ejusdem Quesnelliani libri nequitia, quia præfato libro, præsertim vero damnatis 101 propositionibus, integra renovatur, et ad amussim continetur genuina Jansenii doctrina; id ultro confitentur ac constanter tradunt, imo in eo jactantius gloriantur Quesnellus, ejusque celebriores asseclæ. Ita videri licet in *Caus. Quesnel.* pag. 167., et in libro cui titulus: *Quatrieme Gemissement de Port Royal.*

Constat 4.°, quia ex *moralibus reflexionibus* extractæ et per bullam *Unigenitus* damnatæ 101 propositiones censura dignissimæ sunt, ut ex ipsarum analysi clare quilibet potest colligere; ergo. His adjici potest concors omnium cujuscumque regionis episcoporum et cardinalium, necnon quinque continenter romanorum pontificum suffragium, in reprobandis Quesnelli libro et 101 propositionibus: is sane constans et unanimis consensus, nefariæ libri et propositionum doctrinæ apertissimum est et certissimum argumentum.

5.ª, Denique, dicta constitutio præfatum librum, extractasque ex eo damnans propositiones, servatis ad amussim for-

malitatibus lata est, nullisque scatet abusibus aut defectibus: nulli in ipsius forma, aut in modo et ratione qua data est occurrunt reprehendendi abusus nullæque clausulæ moribus et usibus nostris repugnantes: in toto siquidem hoc negotio, ad declinandas dissidentium vitiligationes, sedulo omissæ sunt loquendi rationes, cæteraque externa et ascititia quæ usibus Gallicanis non satis congruunt. Ita vel ex ipsa sola contextus Bullæ inspectione; necnon ex præmissa modi quo Bulla lata est, historica narratione manifeste patet.

2.ª Conclusio. Constitutio Clementis XI, quæ incipit *Unigenit.* certissimum est universalis Ecclesiæ judicium, cui omnes et singuli fideles corde et animo adhærere tenentur. Quamplurima sunt, tum externa, tum ex rei visceribus petita momenta, quæ gravissimam hanc invicte adstruunt conclusionem. Hæc é multis pauca jam sufficiant.

Probatur brevi isto ac decretorio ratiotinio: Solemnis ac publica S. pontificis dogmatica constitutio, cui pars Ecclesiæ notabilis adhæret, cæteris per orbem tacite consentientibus, censetur esse, et est reipsa judicium Ecclesiæ universalis, cui omnes et singuli corde et animo adhærere tenentur: atqui, sic se habet constitutio *Unig.* ergo. Maior propositio, præterquam quod certissima est iis omnibus argumentis quibus Ecclesiæ, sive dispersæ, sive congregatæ, demonstratur auctoritas: constat iterum hic, tum ex S. Aug., tum ex insignium auctorum, ipsorumque etiam adversariorum diserta confessione: tum denique invicta ratione.

Et quidem 1.° S. Agustinus agens de damnatoria erga Pelagianos sententia sub Innocent. I lata, sic habet Serm. 131, alias 2, de verbis Apost. cap. 10: « Jam de hac causa duo concilia » (Africana, Milevitanum videlicet ac Carthaginense) « missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt. « Causa finita est: utinam aliquando finiatur error! »

2.° Idipsum clare tradit ac egregie explicat doctissimus Bossuet. in opere cui titulus: *Defensio declarat. Cleri Gallic.* lib. 3. cap. 2. ubi de expresso et tacito consensu verba faciens, sic ait: *Denique* QUOCUMQUE MODO FIAT, UT ECCLESIA CONSENTIAT, TRANSACTA PLANE RES EST. « Neque enim fieri potest umquam ut Ecclesia spiritu veritatis instructa NON REPUGNET ERRORI. » Rursus ibidem, omnino apposite ad rem nostram addit: « Et nunc satis liquet de decretis « pontificiis nullam dubitationem esse « posse, receptane sint an non? Quis « enim nesciat nullis missis nuntiis, nullis perlatis litteris, de Janseniano negotio diplomata ubique obtinere, » CUM NEMINEM OBSTREPERE ET RECLAMARE AUDIAMUS. Judice ergo illustrissimo perinde ac eruditissimo præsule, non reclamatio, ubi agitur *de decreto pontificio*, certissimum est consensus taciti argumentum.

3.° Denique ex hac invicta ratione. Fieri nequit, Deo ita dirigente ac providente, ut Ecclesia *suo desit officio; veritatem prodat, erroremque approbet ac proponat*: ita tradunt orthodoxi omnes; idque apertissimum est prudentiæ, sapientiæ et infallibilitatis, divinitus Ecclesiæ collatæ, consectarium: porro, reipsa suo deesset officio, erroremque censeretur approbare, ex hypothesi quod non reclamaret adversus errorem qui publico ac solemni S. pontificis judicio fidelibus ad credendum proponeretur. *Error quippe cui non resistitur, approbatur*: (ait Felix III dist. 83. cap. *error*) *et veritas cum non defensatur, opprimitur*: ex ipsismet ergo promisis á Christo Ecclesiæ factis, futurum ut cum ipsa sit *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, Matth. 28. v. 20. fieri non potest, ut ex hypothesi dogmatici et erronei S. pontificis judicii, catholica sileat Ecclesia: hac si quidem sua non reclamatione, seu si-

lentio erroneum illud judicium approbare censeretur : quod in Ecclesiam cadere nequit: hinc egregium illud antea laudatum S. Aug. pronuntiatum: «Ecclesia « Dei, ea quæ sunt contra fidem vel bo« nam vitam non approbat, nec tacet, nec « facit.» Et vero auctoritas illa taciti episcoporum consensus impugnari vix potest, quin saltem per latus simul impetatur infallibilitas et inerrantia Ecclesiæ dispersæ: episcopi siquidem silentio suo propositum errorem approbando, se errori obnoxios esse, eo ipso declararent: nondum tamen eo devenerunt adversarii, ut ausi fuerint aperte negare Ecclesiam dispersam in fide et moribus errare non posse; ergo, etc.

Minor propositio: nempe *Bullam* Unig. « publicam, solemnem ac dogmaticam « esse S. pontificis constitutionem, cui « Ecclesiæ pars notabilis positive con« sentit, cæteris per orbem tacite, seu si« lentio consentientibus; » minor, inquam illa propositio, per se clara est, et ex dictis mox in probatione maioris, et in præcedenti articulo apertissime sequitur. Quicumque amplius desideret circa hujus doctrinæ comprobationem adeat Montagni opus, in quo diffusius et perbelle astruitur et demonstratur prædictam Bullam *Unigenitus* esse æquissimam et canonicam, uno verbo, esse judicium totius Ecclesiæ, proindeque *dogmaticum*, *immutabile*, *irretractabile*, *irreformabile*, cui omnes et singuli fideles corde et animo adherere tenentur.

BREVIS SYNOPSIS

OMNIUM, QUÆ DE ERRORIBUS CIRCA GRATIAM HACTENUS DICTA SUNT.

I. *Pelagius*, qui in tantum gratiæ fuit inimicus, ut docuerit, hominem lapsum per solas naturæ vires, absque ullo gratiæ interioris auxilio, posse quodlibet opus salutare peragere, omnia Dei mandata observare, tentationes quascumque superare, pravas cupiditates convellere, ac tandem beatitudinem æternam consequi. Quod si ad effugiendam damnationem concilii diospolitani, aliquam dari gratiam confessus fuerit, per gratiam intellexit liberum arbitrium, eo quod gratis á Deo in creatione concederetur. Cum autem á catholicis objurgaretur, quod nullam, præter liberum arbitrium, admitteret gratiam, novum gratiæ externæ genus adinvenit, legem, nempe, doctrinam, et exempla Christi. Cum vero denuo urgeretur, ut gratiam interiorem admitteret, aliquam visus est admisisse, non quidem qua moveretur voluntas ad bonum, sed tantum qua illustraretur intellectus ad mandata divina, non simpliciter, sed facilius adimplenda; hancque illustrationis gratiam dicebat *secundum merita nostra dari*. Hæc omnia constant ex D. Aug. *lib. de hæresibus*, *hæresi* 88. pluribus aliis locis maxime ex libro *de gratia Christi*.

Itaque errores Pelagianorum circa gratiam in hoc consistebant, quod negarent tum necessitatem, tum gratuitatem gratiæ actualis interioris; quos errores Pelagius, tum per se, tum per discipulos suos, maxime per Cælestium, et Julianum Capuanum, aut Eclanensem episcopum disseminavit.

II. *Semipelagiani*, Massilienses communiter dicti, (quorum principes fuerunt *Joannes Cassianus*, Collator dictus, et *Gennadius*, Presbyteri Massilienses, *Faustus* regiensis episcopus; etc. quibus præiverat *Vitalis* Carthaginensis) cum convenissent Massiliæ ad conciliandam libertatem cum gratiæ necessitate et gratuitate, in varios prolapsi sunt errores, qui ad tria capita revocari possunt circa præsentem materiam, scilicet:

1. Quod docuerint, initium fidei et salutis esse á nobis, nosque solis liberi arbitrii viribus posse conari, vel ordiri opus salutis, ut referunt DD. Prosperus, et Hilarius Arelatensis, *Epist. ad Aug.*

2. Quod asseruerint hominem per nisum et conatum naturalem mereri gratiam ad opus salutare ulterius perficiendum, et salutem æternam consequen-

dam, si non de condigno, saltem de congruo: ex quo sequebatur, gratiam secundum merita humana dari ipsamque non prævenire voluntatem, á qua é contra præveniri debebat. Ita asserit idem Hilarius, *Epist. ad Aug.*

3. Quod voluerint, (saltem aliqui) perseverantiam usque in finem á nostro libero arbitrio pendere, nec esse donum Dei speciale, ut inquit D. Aug., l. de dono perseverantiæ, cap. 17. *Hæc dicentes, nolunt hominibus prædicari, dona Dei esse ut veniatur ad fidem, et permaneatur in fide.*

III. *Lutherus et Calvinus*, liberi arbitrii vires ita extenuant ac deprimunt, ut nihil omnino boni moralis per solas naturæ vires fieri posse contendant. Imo volunt omnia opera, quæ fiunt, non tantum sine speciali gratiæ auxilio, sed etiam sine fide justificante, esse peccata; ex quo sequitur, etiam ea opera, quæ ex speciali gratiæ auxilio ab infidelibus fiunt, vitiosa esse et peccaminosa.

IV. *Baius et Jansenius*, cum novatoribus pariter docent, 1. Gratiam habitualem ita necessariam esse ad quodlibet opus bonum morale, ut omnia peccatorum opera sint peccata, ut patet ex hac propos. 35. Baii: *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati peccatum est.* Docent 2. Omnes infidelium virtutes vera esse vitia; et omnia eorum opera, vera esse peccata; sic docet Baius, prop. 25. et 27. *Omnia infidelium opera sunt peccata, et Philosophorum virtutes sunt vitia. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccatum valet.* Et Jansenius, 1. 4. de statu naturæ lapsæ, cap. 7. in tit. ait: *Insania, error, et impietas est, contraria christianorum sensui, scripturis, et fidei, quod infidelium sit ulla vera virtus, vel opera sine peccato, juxta Augustinum et concilium Arausicanum.*

V. Tandem, cum Paschasius Quesnel, Oratorii Jesu Presbyter, in libro reflexionum moralium in novum testamentum multos errores in Baio et Jansenio damnatos inseruisset, Clemens XI anno 1713. librum et 101 propositiones ex eo excerptas damnat celebri constitutione *Unigenitus*, quæ ab universa Ecclesia est acceptata, á qua proinde non est appellatio, utpote ab Ecclesia ad Ecclesiam.

DISSERTATIO IX.

De variis naturæ humanæ statibus.

CAPUT UNICUM.

Status est conditio homini conveniens cum quadam firmitate et immobilitate. Sumitur hic pro conditione et modo stabili, quo se habet natura humana in ordine ad suum ultimum finem. Quintuplex distinguitur. 1. Status naturæ puræ 2. Status naturæ integræ. 3. Justitiæ originalis. 4. Naturæ lapsæ. 5. Naturæ reparatæ. Posset adjici status gloriæ, et status damnationis; sed de his non est hic quæstio, quia tantum nunc naturam spectamus, prout per auxilium divinum tendit ad suum ultimum finem. Itaque hanc dissertationem tractatui gratiæ præmittimus, quia illorum statuum explicatio non parum conducit ad cognitionem necessitatis, diversitatis, et proprietatum gratiæ, moventurque circa illos graves difficultates.

ARTICULUS I.

Explicantur quinque status naturæ humanæ.

§. I. *Status naturæ puræ.*

Status naturæ puræ importat præcisse naturam cum suis principiis intrinsece constituentibus, et iis, quæ ex illis sequuntur, seu ei debentur. Hinc. 1. homo in natura pura conditus foret sine peccato, sine gratia sanctificante, sine virtutibus infusis, et sine auxiliis gratiæ ordinis supernaturalis, quia hæc illi non debentur ex ejus principiis intrinsecis. 2. Foret obnoxius fami, siti cruciantí, labori, morbis, passionibus alterantibus, et morti; quia, cum corpus, quod est pars materialis naturæ componatur ex contrariis, quæ continuo inter se pugnant, hæc ex ejus principiis in-

trinsecis sequuntur. 3. (*4. cont. gent. c.* 52.) Obnoxius foret ignorantiæ et concupiscentiæ. Ignorantiæ, quia, cum intellectus natus sit ex sensibus notitiam intelligibilium acquirere, facile propter phantasmata á vero deviare potest. Concupiscentiæ; quia cum in natura humana non sit solum appetitus rationalis, sed etiam sensitivus, scilicet irascibilis et concupiscibilis, unusquisque feratur in suum objectum, rationalis in bonum secundum rationem seu bonum honestum, irascibilis in bonum sensibile arduum, concupiscibilis in bonum sensibile delectabile, non raro contingeret, quod appetitus sensitivus ferretur in bonum sensibile contra dictamen rationis, sicque forent motus inordinati contra rationem; sicut videmus, quod æger appetat potum frigidum repugnante ratione. Neque obstat, quod appetitus sensitivus naturaliter subjiciatur rationi; (*1. 2. quæst. 17. art. 7. o.*) subjicitur enim dumtaxat politice, ut civis principi, uxor viro, filius patri, qui possunt rebellare; non despotice ut servus domino, pes aut manus voluntati, quæ in omnibus obediunt.

Finis ultimus, seu beatitudo objectiva hominis in hoc statu foret Deus, ut auctor naturalis, prout modo nostro concipiendi distinguitur á seipso, ut est auctor supernaturalis. Beatitudo formalis foret perfecta conjunctio cum illo, ipsum cognoscendo abstractive, seu per effectus, et suaviter ac constanter ei adhærendo per amorem. 3. Ad obtinendum hunc finem per observantiam omnium præceptorum naturalium, et victoriam concupiscentiæ rebellantis, darentur in eo statu auxilia ordinis naturalis, sufficientia omnibus, efficacia quibusdam. Neque ista auxilia etiam efficacia huic statui derogarent, quamvis enim cuilibet hujus naturæ individuo non deberentur, forent tamen debita speciei naturæ, eaque suæ providentiæ deberet Deus, ne frustra naturam ad aliquem finem condidisset, si nullum ejus individuum hunc finem assequeretur: sicut naturæ elevatæ ad finem supernaturalem debentur auxilia ordinis supernaturalis, sufficientia in omnibus ejus individuis, efficacia in quibusdam ad hunc finem prædestinatis.

Quamvis tempore S. Thom. (*In 2. d. 29. quæst. 1. art. 2. 1. p. quæst. 95. art. 1.*) quidam theologi tenerent hunc statum extitisse in Adamo, antequam gratia sanctificante donaretur; nunc tamen omnes conveniunt numquam extitisse, sed primum hominem, sicut et angelos, fuisse creatos cum gratia sanctificante, et elevatos ad ordinem supernaturalem. Dicitur enim Eccli. 7. *Deus fecit hominem rectum.* Et Aug. 12. de civit. Dei c. 9. loquens de angelis, est autem eadem ratio de homine, «Deus, in-«quit, simul erat in eis condens naturam, «et largiens gratiam.» Insuper Matth. 25. dicitur, Deum á constitutione mundi præparasse bonis regnum cœlorum, malis infernum, id est, felicitatem et infelicitatem supernaturalem, consequenter Deum instituisse ordinem gratiæ simul cum ordine naturæ, et ad illum angelos et homines elevasse.

§. II. *Status naturæ integræ.*

Status naturæ integræ consistit in perfecta subjectione corporis ad animam et appetitus sensitivi ad rationem: proindeque important immunitatem ab ignorantia, concupiscentia, morte, et passionibus naturam alterantibus. Quia natura dicitur integra, dum inter ejus partes, nulla est divisio aut defectio á perfectione, inferioraque perfecte subduntur superioribus, consequenter dum corpus perfecte continetur sub potestate animæ, ita ut nulla alteratione aut corruptione ab ejus dominio deficiat, et appetitus sensitivus nihil habet rationi repugnans. Quod si esset tantum alterutra subjectio, vel solius animæ ad corpus, vel solius appetitus sensitivi ad rationem non foret perfectus status naturæ inte-

græ, sed partialis ejus perfectio. 2. In ea naturæ integritate fuit creatus Adam. 1. Quantum ad immortalitatem, constat ex illo Genes. 2. «In quocumque «enim die comederis ex eo, morte mo«rieris;» Ergo, si non comedisset, non fuisset mortuus. Item ex illo Sap. 2. «Deus creavit hominem inexterminabi«bilem, invidia autem diaboli mors in«travit in orbem terrarum.» Ad Rom. 5. *Per peccatum mors.* Et Pelagius in variis conciliis fuit damnatus, quod diceret Adamum esse mortalem factum nosque nasci mortales, sicut Adam fuit creatus. Quantum ad immunitatem á concupiscentia, patet ex eo, quod Genes. 3. dicatur quod, cum Adam et Eva essent nudi, non erubuerint; erubuerun autem post peccatum; quia scilicet ante peccatum nullus motus inordinatus de quo erubescerent, oriri poterat, post peccatum autem ortus est: et ideo Apost. vocat concupiscentiam peccatum, quia de peccato orta est, ut dicit Trid.

3. (1. *pars quæst.* 97. *art.* 1. *v. et* 3. *ad* 2. 1. 2. *quæst.* 91. *art.* 1. *o.*) Donum integritatis situm erat in quodam vigore, quo homo corpus et appetitum sensitivum ita sub dominio continebat, ut nihil in eis contra ejus voluntatem accideret. Quantum ad defectum senectutis, contra quem iste vigor nihil poterat, aderat lignum vitæ, cujus proprius effectus erat vim vegetativam á simili languore præservare. 4. Istud donum integritatis in Adamo oriebatur á gratia sanctificante: quia, ut diximus ex SS. Aug. et Thom. dum de peccato originali, quamdiu ratio superior subdebatur Deo, quæ subjectio habebatur per gratiam sanctificantem, corpus perfecte subdebatur animæ, et appetitus sensitivus rationi; ab ea tamen gratia originali distinguebatur, quia erant diversi ordinis; integritas enim est forma perficiens naturam in ordine naturali, non elevans ipsam ad ordinem supernaturalem, nec constituens hominem filium Dei adoptivum, participem divinæ naturæ, et hæredem regni cœlestis, quæ omnia præstabat gratia sanctificans. Unde nihil obstabat, quin potuerit Deus creare hominem in statu naturæ integræ absque justitia, seu gratia originali; quia tamen isti duo status in Adamo fuerunt adunati, sæpe á patribus, et theologis confunduntur.

§. III. *Status justitiæ originalis.*

Hunc felicissimum statum, qui per antonomasiam vocatur Innocentiæ, eleganter describit S. Thom. opusc. 2. c. 185. eumque constituit in perfecta subjectione rationis ad Deum, appetitus sensitivi ad rationem, et corporis ad animam. Quæ duo ultima sequebantur ex primo, ut dictum est; ex hoc enim quod homo esset per gratiam amicus et filius Dei, conveniens erat, ut illi cætera subjicerentur. Habet quidem anima rationalis ex natura sua, cum sit imago Dei, quod dominetur cæteris sibi inferioribus; sed istud dominium est imperfectum. Cum vero per gratiam originalem perficeretur in eo ratio imaginis, exigebat, ut, quamdiu adhæreret et subjiceretur Deo, cætera illi perfecte subjicerentur; poterat autem ab hac perfecta ad Deum subjectione deficere per peccatum, voluntate ejus nondum confirmata in bono.

Hinc sequitur 1. (1. *part. quæst.* 95. *art.* 1.) quod Adam, qui, ut communiter nunc tenent theologi, sicut dictum est, fuit in eo statu creatus, aut saltem juxta quosdam statim post creationem constitutus, habuerit omnes virtutes infusas tam theologicas, quam morales, et dona Spiritus S. quia hæc omnia sequuntur gratiam sanctificantem, ut ejus proprietates, seu appendices. Sequitur 2. ipsum fuisse immunem á fame et siti cruciante, á tristitia et doloribus, a passionibus alterantibus, á morbo, morte, et concupiscentia, ex dono scilicet integritatis, secuto ad justitiam originalem, ut dictum est.

Sequitur 3. in eo fuisse plenitudinem scientiæ rerum naturalium et supernatu-

ralium, quantum exigebat dignitas, et officium præceptoris et rectoris posterorum. Erat enim constitutus Adam caput generis humani, non solum quantum ad gratiam, sed etiam quantum ad instructionem et gubernationem; quæ ratio cum non curreret pro posteris, hi nec nascerentur, ut ipse creatus fuit, in perfecta ætate, nec hanc scientiæ plenitudinem haberent, sed facile acquirerent. Sequitur 4. justitiam originalem, si adæquate sumatur, prout includit omnes perfectiones, et prærogativas hujus status, non esse unam simplicem qualitatem seu habitum, sed plurium donorum et habituum aggregatum: quia unus simplex habitus non tam diversas corporis et animi potentias regere potest, nec in tot diversis subjectis residere. Si vero sumatur inadæquate pro perfectione illius status primaria, ex qua aliæ tamquam ex radice promanabant, est simplex qualitas, ipsa scilicet gratia sanctificans; quia, ut jam dictum est, primaria hujus status perfectio, ex qua aliæ profluebant, erat perfecta animæ subjectio ad Deum, non solum ut auctorem naturalem, sed etiam supernaturalem; subjectio autem Deo, ut auctori supernaturali, est per gratiam sanctificantem.

Petes, utrum hæc gratia sanctificans status innocentis fuerit ejusdem rationis et speciei cum gratia sanctificante hujus status naturæ lapsæ? R. fuisse eamdem specie quoad substantiam, quia idem est formalis effectus utriusque gratiæ, scilicet constituere hominem Deo gratum, filium ejus adoptivum, amicum et hæredem regni cœlestis; ratio autem formæ dignoscitur ex ejus effectu formali, cum ipse sit forma communicata. Fuit tamen diversa quoad modum sese communicandi subjecto, quia gratia justitiæ originalis communicabat homini plures effectus secundarios, ut exposuimus, quos nunc non communicat.

Diversitas autem istius modi petitur tum ex parte principii, tum ex parte subjecti, tum ex parte termini. Ex parte principii; quia gratia status innocentiæ procedebat á Deo ut creatore instituente naturam tam in esse naturali quam supernaturali; unde fuit per modum creationis, cujus est opus suum statim perfectum producere. Gratia vero hujus status procedit á Deo ut redemptore, non ut naturam instituente, sed ut personas sanante; unde non datur, prout congruit naturæ et ipsi gratiæ secundum se spectatæ, ut in prima creatione, sed secundum modum, quem ipse Redemptor homini sanando congruentiorem judicavit; et hic modus est, ut anima á morbo peccati sanaretur, deinde per humilitatem et pœnitentiam ad perfectionem perveniret.

Ex parte subjecti: gratia primi status respiciebat per se naturam, et ratione naturæ personas; erat enim dos naturæ collata in sua creatione, non suo jure, sed ex singulari beneficio creatoris; et cum in ea natura, nimirum innocente, nihil reperiret sibi contrarium, plene et integre se illi communicabat quoad omnes suos effectus, tam primarios quam secundarios. Gratia autem hujus status primo per se respicit personam sanandam, et ratione personæ naturam; et cum reperiat personam omnino sibi contrariam, et suis dotibus indignam, non se plene illi communicat sicut congrueret ipsi gratiæ secundum se et naturæ non indispositæ, ut in prima creatione, sed juxta modum homini sanando magis congruum. Judicavit autem Deus, ut jam dixi, non congruere homini, ut tota perfectio ei restitueretur, á qua superbiendo exciderat, sed ut mens sanaretur á peccato, et Deo conjungeretur, relicta infirmitate in inferioribus potentiis, tum ad comprimendam superbiam, tum ad ex exercitium virtutum, tum ut inde excitaretur homo ad opem medici continuo implorandam, tum ad ostendendam virtutem auxilii divini, hominem fragilem inter tot

tentationes custodientis, tum denique ut conformaremur Christo, qui per actus virtutum et passionem ad gloriam corporis pervenit. Ex parte termini: terminus gratiæ primi status fuit imago Dei homini perfecte impressa, in quantum patiebatur status viatoris: unde statim profundebat omnes perfectiones statui viatoris non repugnantes, nulla dispositione ex parte subjecti requisita. Terminus autem gratiæ Christi est hanc imaginem deturpatam concurrentibus hominis actibus reparare; sicque non conveniebat, ut tota perfectio hujus imaginis simul redderetur, sed sucessive per actus virtutum repararetur.

His omnibus de causis gratia primi status dicitur gratia naturæ; non quod naturæ deberetur, sed quia, ut diximus, data fuit naturæ in ejus institutione, et cum natura atque ratione naturæ, personis communicanda, tamquam dos naturæ ex singulari creatoris beneficio illi collata: eadem ratione dicitur justitia originalis. Gratia vero hujus status non potest dici gratia naturæ, neque justitia originalis; quia primo per se respicit personam, et ratione personæ naturam neque datur et accipitur cum natura, sed per actus proprios, iis scilicet, qui conjunguntur Christo per fidem, bona opera, et susceptionem sacramentorum.

§. *IV. Status naturæ lapsæ.*

Status naturæ lapsæ consistit in eo, quod natura humana per peccatum Adæ spoliata fuit gratia sanctificante, virtutibus ei annexis, et dono integritatis, impassibilitate, immortalitate, et exemtione ab ignorantia et concupiscentia. Neque solum his donis gratuitis fuit spoliata, sed etiam in naturalibus fuit vulnerata, et quatuor sunt ejus vulnera, scilicet ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, concupiscentia in appetitu concupiscibili, infirmitas in irascibili.

Hujus miseri status, juxta SS. Patres, typum habemus Luc. 10. in Parabola hominis, qui descendens «ab Jerusalem in Jericho incidit in latrones, «qui despoliaverunt eum, et plagis im-«positis abierunt semivivo relicto.» Cujus hæc est interpretatio; *Homo quidam* Adam, seu genus humanum *descendebat ab Jerusalem in Jericho*, exulabat é Paradiso, seu loco pacis in miserias ac defectus hujus mortalitatis: *incidit in latrones*, peccatum subjecit hominem potestati dæmonum: *qui despoliaverunt eum*, per peccatum fuit spoliatus gratuitis; *plagis impositis abierunt*, et vulneratus in naturalibus: *semivivo relicto*, quia anima manente immortali corpus factum est mortale, vel quia libertas arbitrii per peccatum fuit imminuta, non omnino extincta.

§. *V. Status naturæ reparatæ.*

Hic status variis nominibus exprimitur in scriptura. Luc. 1. 1. Tim. 2. Joan. 8. dicitur *Redemptio* et *liberatio*, scilicet á captivitate diaboli et peccati. Ephes. 2. dicitur *Resuscitatio et vivificatio*. 2. Pet. 2. *Sanatio*. 2. Cor. 5. *Reconciliatio et renovatio*. Quæ expressiones supponunt generalem ruinam naturæ humanæ. Convenit iste status cum statu innocentiæ in hoc, quod uterque tendat ad eumdem terminum, scilicet beatitudinem supernaturalem, et quod in utroque principium meriti sit gratia sanctificans, eadem quoad substantiam, ut diximus.

Sed longe pluribus titulis differunt. 1. Differunt ex parte finis. Finis remotus, *cujus gratia*, status innocentiæ fuit manifestatio liberalitatis divinæ; status autem naturæ lapsæ manifestatio misericordiæ. Unde in isto major fuit charitas, quia major est charitas inimicis benefacere: fuit etiam majus beneficium in ratione beneficii, utpote indigno collatum, imo et majus donum, nempe Unigenitus Dei filius; «sic enim Deus «dilexit mundum, ut filium suum uni-«genitum daret:» Joan. 3. unde canit

Ecclesia: « Felix culpa, quæ tantum me- « ruit habere reparatorem. Finis, cujus gratia,» proximus status innocentiæ fuit imago Dei creatoris homini, in quantum status hujus conditio patiebatur, imprimenda, juxta illud Genes. 1. *Ad imaginem Dei creavit illum.* Finis proximus, *cujus gratia*, status naturæ reparatæ est imago Christi reparatoris homini similiter, in quantum puri hominis conditio permittit, imprimenda; juxta illud Rom. 8. «quos prædestinavit conformes fieri « imaginis filii sui. » Finis cui status innocentiæ erat ipse homo exornandus, et glorificandus. Finis *cui* status naturæ reparatæ est ipse Christus, ad cujus gloriam omnia illius status referuntur.

Ex parte causæ efficientis differunt isti status: quia, quamvis utriusque Deus sit causa efficiens, diverso tamen modo. Est enim causa efficiens status innocentiæ immediate, status naturæ reparatæ per Christum, ita ut Christus sit et causa moralis reparationis, quam sua passione nobis promeruit, et causa efficiens physica, principalis quidem ratione divinitatis, instrumentalis ratione humanitatis. Et hinc causa gratiæ in statu innocentiæ erat naturæ extrinseca; in statu reparationis est ipsi intrinseca, nimirum verbum caro factum: ideoque fœdus inter Deum et naturam in primo statu fuit temporale et transitorium, in statu reparationis est æternum et indissolubile ratione unionis hypostatycæ, juxta illud Oseæ 2. « Sponsabo te mihi «in sempiternum, et sponsabo te mihi «in justitia et in judicio, et in miseri- «cordia, et miserationibus, et sponsabo « te mihi in fide. »

Differunt iterum ex parte subjecti, seu causæ materialis. Subjectum status naturæ innocentis erat natura innocens, non habens quidem jus ad dona gratuita istius, sed nihil habens, quod ipsi repugnaret. Subjectum autem naturæ reparatæ est natura peccato infecta, quamvis gratia indigna: unde in priori statu erat tantum donis gratuitis ornanda, in altero prius sananda, deinde exornanda. Et hinc aliud discrimen, quod natura innocens, utpote sana et robusta, esset secundum se longe habilior ad bonum faciendum, et in eo perseverandum. At vero natura reparata, cum sit adhuc ex parte infirma, et variis hostibus et tentationibus vexata, diu in bono permanere non posset, nisi potentiori auxilio adjuvaretur.

Tandem, quantum ad causam formalem utriusque status, scilicet gratiam, varia discrimina recensuimus, dum de statu naturæ innocentis, inter gratiam sanctificantem utriusque status.

ARTICULUS II.

Utrum status naturæ puræ fuerit possibilis?

Dico: fuit simpliciter possibile Deo creare hominem in statu naturæ puræ, scilicet sine peccato et sine gratia atque dono integritatis, obnoxium morti, ignorantiæ, et concupiscentiæ.

Tota conclusio est contra Jansenium et ejus sequaces.

Probatur 1. ex Aug. qui lib. 3. de lib. arbit. cap. 20. disputans contra Manichæos, qui admittebant duo principia, unum bonum, alterum malum, istudque culpabant propter ignorantiam et difficultatem bene vivendi ex concupiscentia, quas patimur, dicit cap. 21. quod etiamsi Deus crearet hominem obnoxium ignorantiæ et concupiscentiæ, seu difficultati ad bonum, non ideo foret culpandus, sed é contra inde haberet homo, quod conditori suo gratias ageret: « Non enim, « inquit, mediocria bona sunt, non solum « quod anima est, qua natura jam omne « corpus præcedit, sed etiam quod facul- « tatem habet, ut, adjuvante Creatore, « seipsam excolat, et pio studio possit om- « nes acquirere et capere virtutes, per « quas et á difficultate cruciante et ab « ignorantia cæcante liberetur. Quod si « ita est, non erit nascentibus animis ig- « norantia et difficultas supplicium pec-

«cati, sed proficiendi admonitio et per-«fectionis exordium.»

Probatur 2. ex S. Th. in 2. d. 31. q. 1. à 2. ad 3. ubi dicit: «Poterat Deus «á principio, quando hominem condidit, «etiam alium hominem ex limo terræ for-«mare, quem in conditione suæ naturæ «relinqueret, ut scilicet mortalis et pas-«silis esset, et pugnam concupiscentiæ ad «rationem sentiens, in quo nihil hu-«manæ naturæ derogaretur, quia hoc ex «principiis naturæ consequitur. Non ta-«men iste defectus in eo rationem culpæ «aut pœnæ habuisset, quia non per vo-«luntatem iste defectus causatus fuisset.»

Probatur 3. ratione, status naturæ puræ non repugnat, neque ex parte hominis, neque ex parte Dei: ergo est simpliciter possibilis.

Probatur prima pars antecedentis. 1. Neque gratia sanctificans, neque donum integritatis, sunt debita naturæ humanæ secundum se spectatæ; sed mere gratuita, et ex sola Dei liberalitate collata: ergo status naturæ ab illis dotibus puræ non repugnat ex parte hominis. Prob. ant. In primis quantum ad gratiam proprie dictam et supernaturalem patet, tum ex ipso nomine, si enim debita, jam non esset gratia: si ordinis supernaturalis, ergo supra totum ordinem et debitum naturæ; tum quia homo per gratiam fit filius Dei adoptivus Galat. 4. de ratione autem adoptionis est quod qui adoptatur, non natura nec aliquo jure, sed liberali adoptantis voluntate, sit filius et hæres. Quantum ad donum integritatis, probatur. Non est naturæ secundum se spectatæ debitum donum, quo eximatur á defectibus, ipsius naturæ principia á consequentibus, sed magis debitum est, ut iis obnoxia relinquatur, ut patet in potentia peccandi: atqui ignorantia, concupiscentia, passibilitas, mortalitas consequuntur ex principiis naturæ humanæ, ut docet S. Th. 4. cont. Gent. c. 52. et nos diximus supra in expositione status naturæ puræ.

Sic probata prima parte primi antecedentis, sponte fluit secunda pars, scilicet statum naturæ puræ non repugnare ex parte Dei: si enim gratia supernaturalis, donum integritatis et immortalitatis non sunt debita naturæ humanæ, hæc dona Deus illi denegare potuit absque læsione suæ justitiæ, bonitatis, et sapientiæ, sicut illi denegaret et de facto denegavit Adamo innocenti donum impeccabilitatis. Item si homo in statu naturæ puræ haberet omnia quæ ipsi competunt secundum principia sua intrinseca, tam in esse physico quam in esse morali, salvatur ordo justitiæ divinæ utique reddentis unicuique quod ei debetur jure suæ creationis, salvatur ordo divinæ sapientiæ et bonitatis disponentis et ordinantis omnia ad suos fines: ergo.

Probatur 4. conclusio ex pluribus propositionibus damnatis in Baio. Prima: «Humanæ naturæ sublimatio et «exaltatio in consortium divinæ naturæ «debita fuit integritati primæ conditio-«nis, et proinde naturalis dicenda est, «non supernaturalis:» est 21. Secunda: «Integritas primæ creationis non fuit «indebita naturæ humanæ exaltatio, sed «naturalis ejus conditio:» est 26. Vide insuper 55. 78. et 79. Adde hanc Quesnelli damnatam á Clemente XI. «Gratia Adami est sequela creationis et «erat debita naturæ sanæ et integræ:» Est 35.

Obj. Repugnat hominem creari obnoxium concupiscentiæ: ergo. Prob. ant. Perpetuus est August. ut probet contra Julianum, concupiscentiam non esse naturalem hominis proprietatem et perfectionem, sed malum ejus naturæ oppositum, et contra eum passim urget illud ad 1. Joan. 2. *Concupiscentia carnis non est ex patre;* et Apostolum qui ad Rom. 7. vocat concupiscentiam peccatum: ergo.

Ad solutionem hujus et plurium aliarum instantiarum ex parte concupiscen-

tiæ, observandum est concupiscentiam posse sumi dupliciter, vel in actu primo pro ipsa potentia concupiscibili, vel in actu secundo pro ipsius potentiæ motu in bonum sensibile. Item utraque potest iterum considerari dupliciter: 1. simpliciter et secundum se, seu materialiter, quatenus est præcise inclinatio in bonum sensibile. 2. Formaliter et cum addito, prout est inclinatio in bonum sensibile cum deordinatione et repugnantia ad rationem rectam. Primo modo sumpta est naturalis facultas et legitima inclinatio in bonum corpori proportionatum, estque á Deo et ex ejus intentione in creatione hominis. Secundo modo sumpta est vitiosa inclinatio, quæ proprie dicitur concupiscentia et libido; non est á Deo, nec ex ejus intentione, sed defectus sequens naturam hominis ratione materiæ et subjecti, sicut passibilitas, mortalitas, et alii defectus naturales. Cum homo, ut jam observavimus, constet duplici appetitu, scilicet sensitivo, et rationali, et uterque feratur in suum objectum, sensitivus in bonum sensibile, rationalis in bonum honestum, et sensitivus non despotice, sed politice tantum subdatur rationali, sæpe contingit quod bonum sensibile appetitum sit contrarium rationi, et quod appetitus sensitivus ex certa corporis complexione ardentius feratur in suum objectum: hinc inter utrumque pugna, quæ ex parte appetitus sensitivi est libido et vitiosa concupiscentia. His præmisis.

R. N. ant. Ad probat N. conseq. Ex hoc enim quod concupiscentia sit mala, sequitur quod non sit á Deo positive et ex ejus intentione, sed non sequitur quod non sit defectus sequens ad naturam hominis ex conditione materiæ præter Dei intentionem: sic peccatum est malum longe pejus quam concupiscentia, et tamen creatur homo obnoxius peccato, quia potentia peccandi est defectus sequens ad naturam hominis ex conditione materiæ, quia scilicet est ex nihilo.

Merito igitur Augustinus objurgat Pelagium, qui non solum substantiam facultatis sensitivæ laudabat, sed ejus petulantiam qua prorumpebat in motus inordinatos, modo illi ratio non consentiret extra matrimonium; in hoc enim solo consensu reponebat ejus excessum quem damnabat. Ceterum ipsam concupiscentiam et libidinem, quam nominare non audebat, dicebat esse bonam ex genere et specie, ex igne vitali, ex calore genitali, ex delectatione, eamque laudabat ut bonum naturæ, licet infimum, et ut donum conditoris: ipsos etiam motus inordinatos dicebat bonos et laudabiles naturæ igniculos, quibus homo alacrius in quædam bona sensibilia ferretur, seque habere in natura sensitiva sicut ramos in arbore, qui quamvis aliquando luxurientur et sint resecandi, non tamen naturæ defectum in arbore, sed vigorem potius indicant. Hinc inferebat primum hominem, quem rectum conditum agnoscebat, á Deo fuisse creatum cum ista effreni concupiscentia, qualis nunc est. Ut autem Augustinus hæc impudentissima libidinis encomia refelleret, multis momentis probat concupiscentiam non esse donum Creatoris, neque perfectionem animæ, sed defectum et malum, non quidem morale seu peccatum, sed quia, ut ait S. Doctor, perturbat rationis officia, mentem avocat á delectatione sapientiæ et voluntatem ab operatione justitiæ.

Inst. Aug. contra Julian. sic dicebat: concupiscentiam esse malam, ut asseveret esse pœnam peccati, ex eaque probabat peccatum originale, quod argumentum concidisset, si concupiscentia esset defectus naturalis: ergo.

R. Augustinum loqui de concupiscentia in præsenti statu, in quo homo conditus fuerat rectus, ut fatebatur Julianus, in qua hypothesi bene probat Augustinus malam et effrenem concupiscentiam, quæ modo viget, supponere peccatum, cujus est pœna et supplicium,

cum rectitudo, in qua homo fuerat conditus, eam non compateretur.

DISSERTATIO X.

De aliquibus addendis quæstioni 109 *de necessitate gratiæ.*

ARTICULUS I.

Quid intelligatur nomine gratiæ.

Nomine gratiæ significantur dona á Deo gratis et liberaliter creaturæ rationali collata. Quia vero hujusmodi dona triplicis generis sunt, ideo triplex est gratiæ acceptio. Primo ergo accipitur gratia large et improprie: et hoc modo nomine gratiæ significatur quodcumque beneficium á Deo nobis gratis et liberaliter concessum, sive ad naturam pertineat, sive supra naturam sit. Gratiam in hac acceptione nemo negavit unquam: imo ipse gratiæ hostis infensissimus Pelagius hac gratiæ acceptione Patres concilii Palæstini fefellit, ut notat S. Augustin. Epist. 95. Dum enim videbatur concedere necessitatem gratiæ ad opera salutaria; nomine gratiæ nihil aliud intelligebat nisi beneficium creationis, vel liberum arbitrium gratis á Deo nobis concessum ut idem S. Aug. dicit serm. 11. de verb. Apost.

Nec in hoc erravit Pelagius: sed in eo, quod hac sola gratia contentus, qua homines sumus, aliam gratiam vere talem, qua christiani sumus et qua supra naturam elevamur, negaret.

Quod si dixeris: nomen gratiæ opponi debito, ac per consequens non posse inter gratias recenseri dona naturalia, cum illa videantur esse debita;

Respondetur ex D. Thom. 1. 2. qu. 111. art. 1. ad 2., duplex esse debitum: unum ex merito proveniens, quod refertur ad personam, cui propter sua merita aliquid debetur: alterum secundum conditionem naturæ: puta si dicamus, debitum esse homini, quod habeat intellectum, voluntatem, et alia ad naturam humanam pertinentia. Dona igitur naturalia, esto non careant hoc secundo debito, carent tamen primo: non enim ex merito hominis est, quod sit, quod sit homo, et quod habeat ea, quæ conveniunt homini.

Secundo accipitur gratia magis stricte, prout dicit aliquod donum, non quidem ordinem naturalem prorsus excedens; sed tamen naturæ ex vi creationis, et conservationis indebitum. Tale fuit donum integritatis naturalis primo homini concessum: et talia in statu naturæ lapsæ sunt quædam auxilia intra ordinem naturæ specialia; quæ Deus confert aliquibus ad aliqua opera ordinis naturalis difficilia, et relate ad naturam lapsam indebita.

Tertio demum accipitur gratia maxime proprie, pro beneficio supra totum naturæ debitum, nobis per Christum exhibito; quo disponimur, et ordinamur ad facienda opera meritoria, ut oportet ad vitam æternam consequendam. Et hæc est proprie, ac theologice gratiæ acceptio.

Gratia proprie dicta ob diversa munia quæ exhibet, quinque præcipue nominibus insignitur: vocatur enim *elevans*, *sanctificans*, *sanans*, *movens* et *auxilians*. Dicitur elevans quia elevat hominem ad ordinem supernaturalem, vel per modum habitus, ut gratia habitualis et virtutes infusæ; vel per modum dispositionis, ut auxilium collatum ad actum contritionis. Dicitur sanctificans seu justificans, quia animam mundat á peccato, et Deo totius sanctitatis et puritatis fonti conjungit. Vocatur sanans, quia potentias animæ per peccatum deordinatas, læsas et debilitatas ordinat, sanat et rectificat. Dicitur movens, quia animam movet ad actus supernaturales eliciendos. Denique auxilians, seu adjuvans nuncupatur quia hominem adjuvat eique vires et auxilium præbet ad operandum et ultimum finem obtinendum: unde quidquid in nobis est pietatis, sanctitatis, virtutis, salutis, justitiæ et meriti totum illi debemus, juxta illud Apost. *gratia sum id quod sum.*

Sanctus Thomas in quæstione 109 *de gratia* ad probandum gratiam esse, ostendit illam necessariam esse, quia sicut in naturalibus divina providentia non deest in necessariis, ita nec in supernaturalibus, et ideo si gratia est necessaria, bene sequitur quod Deus eam conferat. Priusquam agat de necessitate gratiæ ad bonum attingendum, vel malum vitandum, agit de ejus necessitate in ordine ad cognitionem veri: quia veritatis cognitio ad volitionem boni et rectam operationem requiritur. Unde sit

ARTICULUS II.

Quid intelligatur nomine veri.

Veritas alia naturalis dicitur, alia supernaturalis. Naturalis dupliciter dicitur: primo ex parte rei, ut cum consistit in ipsis rebus naturalibus, cujusmodi sunt Deus ut auctor et finis naturæ, et omnia quæ ordinantur ad istum finem, et finem supernaturalem nullo modo respiciunt. Secundo ex parte medii aut luminis quo cognoscitur, ut cum cognosci potest lumine naturali nostri intellectus. Et quia hoc lumen est tantum sufficiens ad ea objecta cognoscenda, in quorum notitiam per sensibilia possumus devenire, ideo illæ tantum veritates dicuntur hoc modo naturales quæ ex sensibilibus cognosci possunt, ut docet D. Thomas art. 1. Difficultas ergo procedit solum de veritatibus naturalibus hoc posteriori modo: nam ex his quæ dicuntur naturales priori modo, certum est multas non posse cognosci ab homine viribus naturæ, ut patet de cogitationibus cordis, de futuris contingentibus, de præteritis quæ nullum sui vestigium reliquere, et de his quæ sunt intra orbes cœlestes, aut quæ latent visceribus terræ, vel in profundo maris, quæ naturaliter sunt abscondita nobis propter impedimentum phisicum, quod habent ne objiciantur sensibus nostris.

Veritates naturales sive ex parte rei, sive ex parte medii subdividuntur in speculativas et practicas: speculativæ dicuntur quæ non movent ad operationem, sed solum ad cognitionem: practicæ vero que ordinantur ad operationem vel movendo ad eam, vel ipsam dirigendo, unde dicitur quod intellectus speculativus extensione fit practicus.

Veritas practica tripliciter potest cognosci. Primo in universali, v. gr. succurrendum est egenis, furtum est fugiendum, etc. Secundo in particulari. v. gr. hic et nunc succurrendum est huic egeno. Tertio cum imperio efficaci intellectus practici, v. gr. nunc succurre ipsi. Hic non est sermo de veritatibus practicis primi generis, nec de tertii generis: sed tantum de secundi generis. Veritates tam speculativæ, quam practicæ possunt etiam dupliciter considerari: divisive, considerando unam vel aliquas seorsim ab aliis; vel collective, totam ipsarum collectionem attingendo, seu nullas ab aliis separando.

Duplex solet distingui potentia, una phisica, quæ attenditur penes proportionem ad actum abstrahendo á difficultatibus, impedimentis, etc. Altera moralis, quæ non solum dicit proportionem ad actum vel objectum, sed etiam carentiam omnium impedimentorum.

Quando quærimus an homo in statu naturæ lapsæ possit cognoscere veritates naturales sine gratia, loquimur de gratia actuali seu auxiliante, non vero de habituali seu sanctificante, quia manifestum est talem gratiam ad cognoscendas veritates naturales non esse necessariam, cum philosophi gentiles ea privati plures veritates naturales de existentia et unitate Dei, aliisque ejus attributis ex creaturis cognoverint, juxta Apost.

Veritas autem supernaturalis tripliciter dici potest. Uno modo ex parte objecti tantum, non autem ex parte rationis *sub qua*, seu motivi assentiendi quod est divina revelatio: sicut aliquis moveatur ad credendum mysterium Trinitatis

ex aliquo motivo humano, non quia Deus revelavit. Alio modo potest esse supernaturalis ex parte motivi assentiendi, non vero ex parte rei creditæ; ut quando credimus aliquod naturale quia Deus illud revelavit, quo modo credimus Abraham habuisse duos filios, quæ est veritas naturalis, quia Deus hoc nobis revelavit in Sacra Scriptura. Tertio modo potest veritas aliqua esse supernaturalis utroque modo; ita ut et res credita et motivum credendi supernaturalia sint; ut dum credimus Deum esse trinum et unum quia Deus dixit.

Ad cognoscendas veritates supernaturales duo requiruntur: Unum ex parte objecti, scilicet quod proponatur seu reveletur: alterum ex parte intellectus, est scilicet ei assentiatur, et ex parte voluntatis quæ moveat intellectum ad assentiendum. Primum nemo umquam negavit, nec Pelagius ipse; imo hanc unicam gratiam sufficere dicebat ad credendum, nempe quod Deus rem credendam exterius homini revelet. Secundum negavit Pelagius; et quamvis aliquando gratiam aliquam internæ illustrationis admisserit in intellectu: ulteriorem tamen gratiam internam in voluntate, saltem tamquam necessariam, constanter negavit.

In fide tria possunt considerari: cogitatio de misteriis quæ per fidem creduntur: affectus seu imperfectum desiderium fidei: et ipse actus fidei seu assensus. Pelagiani docebant; sive ad cogitationem de misteriis fidei, sive ad affectum credendi, sive etiam ad ipsum actum fidei, homini lapso satis esse externam revelationem cum interiori mentis illuminatione. Semi-Pelagiani fatebantur ipsum actum fidei á Deo esse per gratiam datam etiam voluntati, sed contendebant, Deum in nobis per gratiam non operari primam cogitationem et primum desiderium credendi: sed hæc esse á nobis, et in hoc sensu dicebant initium fidei á nobis esse.

His notionibus veritatis tam naturalis quam supernaturalis præhabitis facile possunt intelligi et probari conclusiones quæ stabiliuntur in articulo 1. quæst. 109; et cæteræ quæ deduci possunt ex eo et stabiliri.

Quia veritatis cognitio ad volitionem boni conducit, de hoc agemus in sequenti art.

ARTICULUS III.

De necessitate gratiæ ad faciendum bonum.

Quæstionem hic non instituimus de bono supernaturali. Istud non posse fieri absque auxilio supernaturali constat ex ipsis terminis: hoc ipso enim quod est supernaturale, superat vires naturæ, consequenter indiget auxilio superaddito viribus naturæ. Loquimur itaque de bono morali ordinis naturalis in statu naturæ lapsæ.

Homo lapsus potest esse, vel justus habens gratiam justificantem ad quam pertinet charitas; vel injustus seu peccator carens gratia justificante et caritate sed habens fidem supernaturalem; vel infidelis carens gratia, et insuper fide. De homine in hoc triplici statu considerato quærimus, an possit velle et facere opus bonum morale et honestum?

Opus autem bonum aliud est bonum, et honestum bonitate solum, et honestate morali: et est illud, quod versatur circa materiam convenientem, et nulla circumstantia vitiatur, sed procedit ex dictamine rationis: veluti cum infidelis quispiam, naturali honestate motus, reveretur patrem, reddit depositum, tuetur innocentem, etc. Aliud est opus bonum ad salutem: estque illud, quod habet non solum omnes circumstantias requisitas, ad opus bonum morale, ut dictum manet, sed insuper confert ad æternam salutem; estque á speciali auxilio Spiritus Sancti, sive inhabitantis, sive moventis: ejusmodi sunt illa bona opera, quæ per inhabitantem Spiritus Sancti gratiam fiunt ab hominibus justificatis: et etiam

illa, quæ, Spiritu Sancto cor movente, ad justificationem disponunt; ut credere, sperare, diligere, de peccatis pœnitere.

Circa hanc materiam plures errarunt. Erravit Pelagius, ut diximus in ejus historica synopsi; voluit, omne opus bonum etiam salutare, et ut oportet ad salutem, fieri posse sine gratia Dei per Christum, saltem afficiente voluntatem. Errarunt Lutherus et Calvinus: nullum opus in se bonum ab homine lapso fieri posse dixerunt; sed omnia opera, etiam hominis justificati, esse in se immunditias, et veluti pannum menstruatæ, et solum ex meritis Christi non imputari. Erravit Baius, asserens ad omne opus bonum morale requiri gratiam habitualem, et imperium charitatis: ac subinde omnia opera, quæ fiunt á peccatore, esse abominationes et peccata. Erravit denique Jansenius, asserens ad omne opus bonum moraliter gratiam fidei esse necessariam; ex quo intulit, omnia opera infidelium esse peccata, et omnes eorum virtutes, vitia.

Contra hos, et ad maiorem elucidationem doctrinæ art. 2. sequentes stabiliemus conclusiones. Sit itaque

CONCLUSIO PRIMA.

Nullum bonum salutare et conducens ad vitam æternam fieri vel haberi potest absque gratia actuali per Christum data. Est de fide contra Pelagium.

Dico *fieri* vel haberi; quia non solum actiones, quæ fiunt á nobis, sed etiam habitus virtutum infusarum, quæ etsi non fiant á nobis, habentur tamen, á dono Dei gratuito per Christum descendunt.

Quamvis, ut diximus, pateat ex terminis veritas hæc, probatur primo.

Quia Christus Joann. 14. v. 6. universaliter dicit: «Ego sum via, et veri«tas, et vita, nemo venit ad patrem, nisi «per me:» atqui per quodlibet opus ad salutem pertinens itur ad patrem; ergo illud fieri, aut haberi non potest, nisi per Christum, ejus scilicet gratiam.

Rursus: Joan. 15. v. 5. *Sine me* (inquit) *nihil potestis facere*; loqui autem Christum de opere conducente ad salutem, quod per Christi gratiam fieri debeat, ex contextu liquet. Ibi enim seipsum comparat viti, et discipulos palmitibus; qui, si in vera vite Christo manserint, multum fructum afferent: fructum utique salutis, qui manat á Christo, et quem á discipulis suis ipse requirit. Super quæ S. August. «Tract. 81. in Joan. «ait: ne quisquam putaret, saltem par«vum aliquem fructum posse á semetip«so palmitem ferre; cum dixisset:» hic fert fructum multum, «non ait: quia sine «me parum, sive multum, sed:» nihil potestis facere. «Sive ergo parum, sive «multum, sine illo fieri non potest, sine «quo nihil fieri potest. Quia etsi parum «attulerit palmes, eum purgat agricola, «ut plus afferat: tamen nisi in vite man«serit, et vixerit de radice; quantumli«bet fructum á semetipso non potest «ferre.»

Prob. Secundo ex Conciliis. Diospolitano, in quo omnes Pelagii errores fuerunt damnati, cui interfuit Pelagius ipse, qui abutendo nomine gratiæ, damnationem effugit.

Arausicanum secundum, can. 7., definit; «siquis, per naturæ vires, bonum «aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ «æternæ,» cogitare aut eligere « posse «confirmet, absque illuminatione et ins«piratione Spiritus Sancti, hæretico fal«litur spiritu.»

Prob. ratione. Quia nulla creatura habet naturalem facultatem, ut per se, seu suis naturalibus viribus elevetur ad gradum naturæ altioris; ergo non potest propriis viribus, absque auxilio divinæ gratiæ, tendere ad finem supernaturalem: cum ergo ad eum tendat per opera supernaturalia, non potest ea facere absque gratiæ auxilio. Alioquin, ut bene discurrit Pau. *Gal.* 2. v. 21., Si homo potest per opera moralia legis ad justitiam tendere; *Ergo gratis Christus mortuus est:*

quia non ob aliam causam Christus est mortuus, nisi propter nostram justificationem.

Solvuntur objectiones.

Objicies. Fides est opus salutare, atqui fides haberi potest sine prævenientis gratiæ interioris auxilio; ergo.

Resp. nego min. Quæ repugnat Apostolo *Ephes.* 2. v. 8. dicenti: *Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est.* Unde de seipso, 1. *Cor.* 7. v. 25., dicit *Misericordiam consecutus á Domino, ut sim fidelis.* Ubi Apostolus non ait, *quia fidelis eram*, ut observat D. Aug., l. de prædest. SS. c. 3. *fideli ergo datur quidem, sed data est etiam, ut esset fidelis.*

Inst. 1. Mysterio credibiliter proposito potest homo ratione utens assentiri et credere, absque gratiæ interioris auxilio; ergo.

Resp. dist. ant. Potest sine gratiæ interioris auxilio assentiri et credere, fide humana et sterili, *conc.* fide supernaturali et salutari, *nego ant.*, quod est contrarium huic Tridentinæ definitioni: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei gratia justificationis conferatur, anathema sit.*

Inst. 2. Fides data mysterio revelato propter Dei revelantis auctoritatem, eo ipso supernaturalis est; ergo est salutaris, etiam absque gratiæ interioris auxilio.

Prob. ant. Actus suam desumit speciem ab objecto: atqui objectum illius fidei est supernaturale; ergo fides illa supernaturalis est.

Resp. dist. maj. Actus suam speciem desumit ab objecto, simul et principio operandi, *conc.* ab objecto tantum *nego maj.* Ut enim actus sit intrinsece supernaturalis, non sufficit, ut circa objectum supernaturale versetur, sed insuper requiritur, ut procedat á principio supernaturali; facultas enim non potest ultra vires proprias tendere, nisi per formam aliquam superadditam vegetetur, et corroboretur.

CONCLUSIO SECUNDA.

Nullus homo lapsus, sine gratia interiori præveniente, potest incipere aliquod opus salutare. Est de fide contra Semipelagianos.

Prob. 1. Ex Scriptura et PP. 2. Cor. 3. *non quod sufficientes simus cogitare aliquid á nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ad quæ verba D. Aug. *l. de Prædest. SS. cap.* 2. ait: *Attendant hic, et verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei cœptum, et ex Deo esse fidei supplementum... quod ergo pertinet ad religionem et pietatem, de qua loquebatur Apostolus*, si non simus idonei cogitare aliquid quasi ex nobis metipsis: *Profecto non sumus idonei credere aliquid, quasi ex nobismet ipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, qua credere incipiamus, ex Deo est... Quo circa sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiendum quodcumque opus bonum... ita nemo sibi sufficit, vel ad incipiendam, vel ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est: quoniam fides, nisi cogitetur, nulla est.*

D. Fulgentius, *l. de Incarnatione et Gratia Christi*, exponens hunc Apostoli textum, *Justus ex fide vivit*, ait: *Vita nostra á fide sumit initium. Quam fidem non ex nostra voluntate nasci, sed per Spiritum Sanctum unicuique dari, B. Paulus ostendit.* Et infra: *In hominis corde nec concipi fides poterit, nec augeri, nisi eam Spiritus Sanctus effundat et nutriat.* Ergo á nemine unquam Deus potest præveniri.

Prob. 2. *Ex Conciliis*, Arausicano II. can. 5. *Si quis, sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum... non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti... sed naturaliter nobis inesse dicit,*

apostolicis dogmatibus adversarius approbatur. Et can. 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari id est Evangelistæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti... hæretico fallitur spiritu.*

Prob. 3. *ratione theologica*, ideo Semipelagiani asserebant, hominem, sine gratia preveniente, posse incipere aliquod opus salutare, ut per illud mereretur gratiam divinam vires ulteriores suppeditaturam ad perficiendum et complendum opus salutare, á voluntate naturaliter expetitum: *nam*, ait D. Hilarius, Epist. ad Aug., *quod dicitur:* crede et salvus eris: *unum horum exigi asserunt, aliud offerri, ut propter id, quod exigitur, si redditum fuerit, id quod offertur, deinceps tribuatur.* Atqui consequens repugnat, 1. naturæ gratiæ, quæ omnino gratuita est, nec meritis humanis rependitur, 2. humilitati Christianæ, quæ cum Apostolo, 1. *Cor.* 4. clamat: *quid habes quod non accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ergo.

Prob. min. Ex Divo August., *l. de Prædest. SS. cap.* 2. dicente: *Si non pertinet ad Dei gratiam, quod credere cœpimus... ac per hoc initium fidei nostræ priores damus Deo, ut retribuatur nobis et supplementum ejus, et si quid aliud fideliter poscimus; sed contra hæc cur non potius audimus:* quis prior dedit illi, et tribuetur ei? quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: *Et ipsum igitur initium fidei nostræ, ex quo, nisi ex ipso est? neque enim, hoc excepto, ex ipso sunt cætera, sed* ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ergo gratia nullo modo rependitur meritis humanis.

Solvuntur objectiones.

Objic. 1. Prov. 16. dicitur: «Hominis est præparare animam, et Domini, gubernare linguam... cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus.» Ergo hominis est incipere opus salutare, cujus intuitu Deus præparat et confert gratiam.

Resp. dist. conseq. Hominis est incipere opus salutare, ope gratiæ prævenientis, *conc.* per solas naturæ vires, *nego conseq.* Sensus ergo textus allati est hominis esse animam, ope gratiæ prævenientis præparare ad ulteriorem gratiam specialiorem, quæ necessaria est, ut pie cogitata recte, et fructuose eloquatur.

Instit. 1. Psalmo 87. dicitur: *Mane oratio mea præveniet te.* Ergo in negotio salutis voluntas hominis prævenit gratiam Dei.

Resp. nego conseq. In textu enim verbum, *præveniet te*, sumitur pro verbo maturabit ad te tendere; quod non fit sine gratia præveniente et inspirante, quia, ut ait Apostolus, Rom. 8.: "Spiritus enim adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus."

Inst. 3. Zachariæ 1. Deus dicit: "Convertimini ad me, et convertar ad vos." Ergo homo debet incipere negotium salutis.

Resp. dist. conseq. Homo debet incipere negotium salutis, præventus et excitatus á gratia divina, *conc.* per vires naturales, *nego conseq.* Conversio enim hominis ad Deum est fructus gratiæ prævenientis, et conversio Dei ad hominem designat gratiæ subsequentis, aut etiam justificantis collationem: atque ita consentit Zacharias Jeremiæ dicenti, cap. 31. "Coverte me et convertar" cum hoc, ex diversis loquendi modis, emolumento, quod Zacharias hominis libertatem, Jeremias vero prævium gratiæ motionem adstruat: ut observat Concil. Trid. *sess.* 6. *cap.* 5. his verbis; *Cum dicitur* convertimini ad me, et ego convertar ad vos, "libertatis nostræ admonemur. Cum respondemus:"

converte nos Domine, ad te, et convertemur, "Dei gratia nos præveniri confitemur."

Inst. 3. Apostol. *Rom.* 7. *v.* 18. ait: "Velle adjacet mihi: perficere autem "bonum non invenio." Ergo desiderium salutis est á nobis.

Resp. dist. conseq. Est á nobis, á gratia excitatis, *conc.* á nobis solis, *nego.* Id constat ex ipso Apostolo, qui, *Philip.* 2. ait "Deus est qui operatur in "nobis velle, et perficere pro bona vo"luntate." Bona ergo Apostoli voluntas erat ex gratia præveniente, quæ ipsum movebat ad volendum bonum, quod, propter contrarios concupiscentiæ motus, non poterat tam prompte ac facile perficere, ex quo necessaria erat gratia ulterior adjuvans, quæ daret et ipsum agere.

CONCLUSIO TERTIA.

Non omnia justorum opera sunt peccata, neque omnis actio humana est mala in se. Est de fide contra Lutherum et Calvinum.

Prob. primo: ex Tridentino, á quo anathemate feritur, Sess. 6. can. 7. « Si « quis dixerit opera omnia, quæ ante « justificationem fiunt, quacumque ratio« ne facta sint, vere esse peccata, vel « odium Dei mereri: aut quanto vehe« mentius quis nititur se disponere ad « gratiam, tanto eum gravius peccare. » Et Canon. 25. « Si quis in quolibet bo« no opere justum, saltem venialiter pec« care dixerit, aut, quod intolerabilius « est, mortaliter: atque ideo pœnas æter« nas mereri; tantumque ob id non dam« nari, quia Deus ea opera non imputet « ad damnationem. »

Multa sunt, quæ adversus hunc errorem á theologis Polemicis adducuntur ex scripturis, et PP. Nos brevitati studentes aliqua subjiciemus. Primo ergo probatur ex Job. 1. v. 1. « Vir erat in ter« ra Hus nomine Job, et erat vir ille « simplex, et rectus, ac timens Deum, et « recedens á malo. » Quod Deus ipse confirmavit, v. 8. dum ad Satan conversus dixit: « Numquid considerasti servum « meum Job, quod non sit ei similis in « terra, homo simplex, et rectus ac ti« mens Deum, et recedens á malo?» Quomodo autem dicere potuisset Deus, Job esse virum rectum, recedentem á malo, timentem Deum, si in omni opere suo peccasset mortaliter? Aut ergo Deus falsum dixit; aut (quod verum est) falsum dicunt Lutherus, et Calvinus. Immo Satan ipse potuisset Deum redarguere, dicens; non est verum, quod Job sit vir rectus, sit timens te, recedat á malo, cum continuo peccet; sed tu non imputas ei peccata, quæ facit.

Secundo. David ad Deum loquens, de semetipso, *Psalm.* 7. *vers.* 10. dicit « Judica me, Domine, secundum justi« tiam meam, et secundum innocentiam « meam super me. » Psalm. 16. v. 1. « Exaudi, Domine, justitiam meam, » vers. 3. « Probasti cor meum, et visitasti « nocte: igne me examinasti, et non est « inventa in me iniquitas: vers. 15. Ego « autem in justitia apparebo conspectui « tuo. Psal. 17. vers. 24. Et ero imma« culatus cum eo, vers. 25. Et retribuet « mihi Dominus secundum justitiam « meam, et secundum puritatem manuum « mearum in conspectu oculorum « ejus."

An hæc tanta fiducia dixisset David, si scivisset, omnia sua opera esse coram Deo iujustitias? Mentitus esset, dum ait, Deum in corde, per ipsum probato, non invenisse iniquitatem, cum nihil aliud in eo invenisset, nisi iniquitatem; si verum esset, quod dicunt Lutherus, et Calvinus. Accedit: quod ipse Deus, 3. *Reg.* 14. *v.* 6. increpans Jeroboam, per Prophetam Ahiam, dixit: "Non fuisti sicut servus "meus David, qui custodivit mandata "mea, et secutus est me in toto corde "suo faciens quod placitum esset in "conspectu meo.,, Si autem omnia opera David fuissent peccata coram Deo, et æterna pœna digna; quomodo fecit, quod

placidum erat in conspectu Dei? An ergo peccata Deo placent?

Tertio, Christus, "Matth. 5. vers. "16. ait, sic luceat lux vestra coram ho- "minibus ut videant opera vetra bona, "et glorificent Patrem vestrum, etc." Si autem omnia opera justorum sunt peccata, cur Christus hortatur, ut ea faciant? Rursus: Paulus, 2. ad Timoth. 4. v. 8. "Bonum" (inquit) certamen certavi.... "de reliquo reposita est mihi corona "justitiæ, quam reddet mihi Dominus in "illa die justus judex." Si omnia gesta Pauli fuerunt coram Deo peccata; quomodo Deus justus judex pro illis gloriam dabit in coronam? Præterea: 2. Cor. 5. vers. 10. "Omnes nos manifes- "tari oportet ante tribunal Christi, ut "referat unusquisque propria corporis "prout gessit, sive bonum, sive malum." Quomodo possumus ante tribunal Christi, referre quæ gessimus, sive bona, sive mala; si coram ipsam omnia mala sunt?

Solvuntur objectiones.

Objiciunt primo. "Psal. 142. v. 2. "dicitur: non intres in judicium cum "servo tuo, quia non justificabitur in "conspectu tuo omnis vivens;" ergo, inquiunt, opera etiam justorum coram Deo sunt injustitiæ, et peccata.

Respondeo, negando illatum: Verba enim illa triplicem pati possunt sensum. Primus est: Domine Deus, ne velis exacto, et severo judicio mecum contendere; quia nullus mortalium coram te invenitur tam justus, ut nulla ex parte sit culpabilis, in iis saltem, in quibus justi quicumque delinquunt, quæ quotidiana, et venialia peccata vocantur. Secundus est, quod nemo coram Deo ex seipso, seu propria virtute justificetur: quia nullam possumus veram habere justitiam nisi ex divino munere. Tertius est quod sicut nos quamvis revera simus, comparate tamen ad Deum, sic sumus, quasi non simus, quia solus ipse ab esse non potest deficere, cum sit ipsum esse: ita quamvis revera justi simus comparate tamen ad Deum, qui á justitia deficere non potest, cum sit ipsa justitia, sic sumus justi, quasi non simus. Eodem ergo modo, quo Job. c. 4. v. 18. dicit, quod "in Angelis suis reperit pravitatem:" et cap. 25. v. 5. "Ecce luna etiam non "splendet, et stellæ non sunt mun- "dæ in conspectu ejus," quamvis angeli boni, qui serviunt ei, pravitatem non habeant, et luna, ac stellæ vere luceant: sic homo, esto vere justus, comparate ad Deum dicitur non justus: unde subdit, "quanto magis homo putredo et filius "hominis vermis."

Objiciunt secundo, Ecclesiastæ 7. v. 21. "Non est enim homo justus in ter- "ra, qui faciat bonum, et non peccet." Quibus consentaneè loquitur Paulus *Rom.* 3. v. 12. dicens: "omnes declinaverunt "simul inutiles facti sunt: non est, qui "faciat bonum, non est usque ad unum;" quod prius dixerat David *Psalm.* 13. v. 3.

Respondeo sensum Ecclesiastæ esse, non quod vel homines in quolibet actu peccent; vel quod omnis eorum actio sit peccatum, ut á catholici volunt; sed quod nullus homo sit ita sanctus, quin aliquando, saltem leviter, non peccet; vel non sit in periculo, "ut et de virtutum "culmine ad vitia delabatur.... et num- "quam eum esse securum; sed semper "metuere in tranquillitate naufragium." Ita S. Hieronymus "l. 1, adversus Pe- "lagianos."

Paulus vero ibi, sicut et David, describunt homines, quales sunt ex vitiata sua origine: sic enim *non est justus quisquam*, nec vel unum opus bonum facere potest, quod ad salutem animæ pertineat. At de homine, jam per Christum justificato, aliter loquitur, dum ad Eph. 2. v. 10. vocat eum creatum *in operibus bonis.*

Objiciunt tertio illud Isaiæ 64. v. 6. "Et facti sumus ut immundi omnes "nos, et quasi pannus menstruatæ uni- "versæ justitiæ nostræ." Ergo omnia

opera, quæ faciunt etiam justi, sunt immunda, et maculata.

Respondetur huic textui, quem in ore semper habent protestantes, neg. conseq. Quod enim infertur in consequenti, nempe, omnia opera hominis etiam justi sunt immunda; non ponitur in antecedente, nempe, in textu: immo potius oppositum. Cum enim ibi loqueretur in persona totius populi judæorum, cujus maxima pars Deum corde dereliquerat; propter quod Deus illum in captivitatem tradidit: bene dicit, facti sumus omnes ut immundi. Et licet aliqua opera quæ ipsi putabant justitias prosequerentur, nimirum, oblationes, sacrificiorum, ac festorum legalium observantiam, quia tamen ex continuo affectu ad sua crimina: et bonæ intentionis defectu, aliarumque circumstantiarum ea peragebant; ideo coram Deo comparantur panno menstruatæ: quia, esto aliquod appareret bonum, et mundum, prava tamen intentio totum opus maculabat. Non tamen sic omnes vocat immundos, et omnia eorum opera maculata; quasi in toto illo populo nullus esset justus, et nemo aliquod bonum opus saltem morale faceret, aderat enim inter alios Isaias ipse, immo etiam aliqui justitiam veram facientes, dixerat enim v. 5 "Occurristi lætanti, "et facienti justitiam." Sed, ut ait S. August. lib. de Unit. Ecclesiæ cap. 12. "Plerumque sermo divinus impias turbas "Ecclesiæ... sic redarguit tamquam om-"nes tales sint, et nullus omnino bonus "remanserit."

CONCLUSIO QUARTA.

Erroneum est asserere, nullum opus morale, seu honestum fieri posse sine gratia sanctificante, proindeque non omnia peccatorum opera sunt peccata. Est de fide contra Baium et hæreticos nostri temporis.

Prob primo: ex Constant. Concilio sess. 15. ubi inter alios Jo. Wiclefi et Joan. Hus. errores damnatur iste: "ex "principiis fidei est per se notum, quod "quidquid homo in peccato mortali fe-"cerit, peccat mortaliter."

Prob. secundo ex Tridentino sess. 6. can. 7. ubi sic habetur: «si quis dixerit «omnia opera, quæ ante justificationem «fiunt, vere esse peccata, anathema sit.» Et can. 8. damnatur ille qui dixerit metum gehennæ esse malum: sed hic metus reperitur in peccatoribus, ante adeptam gratiam justificationis: ergo ex Tridentino quæcumque fiunt á peccatoribus ante adeptam justificationem, non sunt peccata.

Confirmatur: scriptura Lucæ 11. hortatur peccatores ad eleemosynam, "date "eleemosynam, et omnia munda sunt "vobis:" sed non hortaretur ad illam, si non posset á peccatore fieri, gratia sanctificante privato, sine admixtione peccati: ergo etc. Item Daniel, 4. Nabuchodonosori dicitur, "peccata tua elee-"mosynis redime:" At constat operibus malis peccata redimi non posse: ergo eleemosyna, á peccatore facta ex intentione subveniendi alienæ miseriæ non est opus malum, sed honestum, et moraliter bonum.

Probatur secundo ex SS. patribus: Augustinus enim de spiritu et littera cap. 28. hæc scribit: "sicut non impe-"diunt á vita æterna justum quædam "peccata venialia, sine quibus vita hæc "non ducitur; sic ad salutem æternam "nihil prosunt aliqua bona opera, sine "quibus difficillime vita cujuslibet pes-"simi hominis invenitur." Et Chrysostomus homil. 67. ad populum: "non po-"test (inquit) malus omnino malus esse, "sed evenit ut aliquid habeat boni: ne-"que bonus esse omnino bonus, sed "nonnulla solet habere peccata." Quibus verbis declarant, quod sicut fragilitas humana, viprorsus ineluctabili, implicat sæpe peccatis nonnullis venialibus quantumlibet justum; ita lumen vultus Domini naturaliter inditum homini, atque inextinguibilis boni et æqui ratio, assidue sollicitans animum, extorquet

frequenter á quovis pessimo levia nonnulla et facilia opera naturalia, nullius permixtione mali aut intentionis nequam vitiata.

Probatur tertio ratione: virtutum opera, ut justitiæ, religionis, misericordiæ, temperantiæ etc. jure naturali et divino præcipiuntur hominibus etiam injustis et mortalis peccati labe inquinatis: at illis non præciperentur, nisi ea possent exequi sine admixtione peccati, et ita ut essent omni ex parte honesta. Ergo etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. primo. Quædam Scripturæ testimonia, quibus videntur reprobari omnia opera eorum, qui adhuc sunt in statu peccati, etiamsi illa sint bona ex objecto, ut laudare Deum, vel illi offerre sacrificium: ergo ut actus aliquis sit bonus et honestus, gratia sanctificante informari debet. Cõsequentia videtur legitima: Antecedens vero patet ex illo Psal. 49. « Peccatori autem dixit Deus, « quare tu enarras justitias meas, et as- « sumis testamentum meum per os tuum?» et ex illo Isaiæ 1. « Quo mihi multitu- « dinem victimarum vestrarum, dicit Do- « minus, etc. Ne offeratis sacrificium « frustra; incensum abominatio est mihi, « etc. Cum multiplicaveritis orationem, « non exaudiam, manus enim vestræ san- « guine plenæ sunt.»

Respondeo; Deum verbis illis non significare, hæc omnia esse peccata, ex eo solum quod á peccatoribus fierent, sed tantum reprehendere pravam intentionem judæorum, á qua procedebant; illi enim hæc non ex affectu religionis et honesti præstabant, sed ex hypocrisi et vana gloria, omnemque suam justitiam in cultu illo externo constituebant, contempta virtute, et cultu Dei interno juxta illud Isaiæ 29. « Populus hic labiis " me honorat, cor autem eorum longe " est á me. »

Objicitur secundo: Omnes actus hominis in peccato mortali existentis, referuntur ex parte operantis ad malum finem: ergo sunt peccaminosi et moraliter mali. Consequentia patet: actus enim ex objecto et specie boni, ex intentione mali finis vitiantur: antecedens probatur. Existens in peccato mortali, omnia quæ appetit ordinat ad bonum privatum, ut in ultimum finem; ultimus finis peccatoris est vel ipse peccator, vel bonum proprium et privatum ipsius: ergo omnes actus hominis, in peccato mortali existentis, referuntur ex parte operantis ad malum finem.

Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem, nego pariter antecedens: etsi enim omnes actus peccatoris sistant in bono proprio, non tamen per omnes in tali bono ultimum finem constituit, sed per illos dumtaxat, qui sistunt in ipso privative, excludendo scilicet gratiam et charitatem, per quam fieri debet relatio ad finem supernaturalem, et hujusmodi sunt sola peccata mortalia: alii vero actus honesti, aut venialiter peccaminosi, quos existens in peccato mortali elicit, in bono proprio sistunt dumtaxat præcisive, quia non excludunt talem relationem, sed solum ab ea præscindunt.

Conclusio quinta.

Erroneum pariter est asserere, nullum opus bonum fieri posse sine charitate, hoc est, nisi in Deum propter se dilectum referatur, et sine tali relatione, et charitatis imperio actus cæterarum virtutum esse malos, et veri peccati contaminatione pollutos.

Probatur primo ex Tridentino sess. 14. cap. 4. et can. 5. definiente attritionem (quam ibidem dicit esse dolorem de peccatis, non conceptam ex motivo charitatis, sed ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu (esse verum Dei donum, et Spiritus Sancti impulsum (qui certe non impellit ad malum, et ad verum peccatum) ac denique esse motum bonum, ut addit in fine capitis citati, et peccatorem ad

Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ obtinendam disponere: ergo ex Tridentino potest dari aliquis actus honestus et moraliter bonus, sine influxu et imperio charitatis.

Probatur secundo ex SS. Patribus: Augustinus enim lib. de patientia cap. 26. sic ait: "Si quis non habens charitatem; et in aliquo schismate constitutus ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem etc. et nullo modo culpanda ista sunt, imo vero, et hæc laudanda patientia." Et Fulgentius ejus discipulus lib. de Incarn. c. 26. hæc scribit: "Aliqua quidem bona, quæ ad societatis humanæ pertinent æquitatem inesse possunt," (peccatoribus) "sed quia charitate Dei non fiunt, prodesse non possunt;" ad salutem videlicet et ad vitam æternam.

Probatur tertio ratione: in hoc distinguitur bonitas moralis quæ in nostris actibus reperitur, á bonitate supernaturali et meritoria vitæ æternæ, quod prima constituitur absque habitudine ad finem supernaturalem, per solam conformitatem quam actus habet cum recta ratione et prudentia, secunda vero procedit ex influxu gratiæ et charitatis, referentis actus nostros in finem supernaturalem: unde quamvis sive charitate homo non possit elicere actus supernaturales, et meritorios vitæ æternæ, potest tamen sine illa plures actus honestos et moraliter bonos exercere, v. g. colere parentes, obedire superioribus, subvenire egenis: isti enim actus ex fine proximo, seu objecto, habent honestatem et bonitatem moralem; unde ut sint moraliter boni, non est necesse quod illam á fine extrinseco et imperio charitatis participent.

Confirmatur: si ordinatio ista ad cujusvis operis honestatem, et bonitatem moralem necessaria sit, sequitur quod quotiescumque homo operatur libere, seu cum deliberatione rationis, astringatur præcepto diligendi Deum super omnia: sed hoc absurdum est, cum enim hoc præceptum sit positivum, non obligat pro semper, sed pro tempore determinato; ergo et illud. Probatur sequela: nam cum juxta communiorem sententiam non detur actus indifferens in individuo, quotiescumque homo libere, seu cum deliberatione operatur, tenetur honeste et bene moraliter operari: ergo si ordinatio et imperium charitatis ad cujusvis operis honestatem et bonitatem moralem requiratur, manifestum est præceptum charitatis obligare pro quocumque tempore in quo homo libere seu cum deliberatione operatur.

Confirmatur amplius: Si nullum opus est bonum, nisi quod fit ex motivo charitatis propter Deum summe dilectum; sequitur nullam esse virtutem, præter unam charitatem, cui soli competit operari propter tale motivum: At hoc repugnat non solum scripturæ, quæ plures alias virtutes agnoscit, et commendat pluribus locis, sed etiam manifestæ rationi; nam virtus, ex receptissima definitione, est habitus cum recta ratione electivus, id est conformiter rectæ rationi eligens et agens; manifestum est autem, rectæ rationi consentaneum esse, vivere temperate, agere fortiter, subvenire indigentium necessitati, exhibere parentibus, superioribus, benefactoribus, honorem, obedientiam; gratitudinem, aliaque his similia præstare, quæ etiam, præcisa relatione ad Deum ut summe dilectum, honesta sunt, secundum rectam rationem appetibilia.

Solvuntur objectiones.

Obj. Opus hominis evecti ad ordinem supernaturalem, redditur malum ex defectu ordinationis ad supernaturalem finem: at talem circumstantiam nequit ponere sine charitate: ergo nec sine illa opus aliquod moraliter bonum elicere. Minor patet, major probatur. Cum in homine natura sensitiva cum rationali conjuncta inveniatur, omnis actus liber, circa bonum conveniens naturæ sensiti-

væ elicitus, redditur malus ex defectu ordinationis ad bonum conforme naturæ rationali, ut docet D. Thomas quæst. 18. art. 9. ubi ex hoc principio infert, non posse dari actum liberum indifferentem in dividuo: at in homine elevato ad ordinem supernaturalem natura invenitur conjuncta cum elevatione ad gratiam; ergo similiter ex defectu ordinationis ad finem conformem gratiæ vitiosum redditur omne opus morale ordinis naturalis.

Respondeo negando majorem, ad cujus probationem, nego etiam minorem: causa enim adæquata effectus ibi relati, non est conjunctio naturæ sentientis cum rationali, sed subordinatio quam habet ad illam in omni actu deliberato: cum enim natura sensitiva ratione sui non sit libera, actum aliquem deliberatum exercere nequit, nisi ut subordinata rationali; eo autem ipsò quod homo ut rationalis operatur, tenetur apponere finem rationi conformem, subindeque ex defectu istius finis, quodvis illius opus vitiatur: homo vero ad ordinem supernaturalem evectus, non subordinatur in omni actu suo formæ elevanti, et ideo non tenetur omni actui finem elevationi conformem apponere; et per consequens ex defectu istius finis opus ejus non vitiatur.

Denique contra eamdem conclusionem objici possunt quædam Augustini testimonia; quibus aperte significat, cæterarum virtutum actus esse vitiosos, nisi á charitate imperentur: ait enim lib. de gratia et libero arbitrio cap. 15. «Præcepta charitatis tanta ac talia sunt "ut quidquid se putaverit homo bene "facere, si fiat sine charitate, nullo mo- "do fiat bene.» Item in lib. de moribus Ecclesiæ, Epist. 106. et lib. 1. Retractationum cap. 15. dicit "omnia bona "hominis in summum bonum referenda "esse.» Et lib. 19. de civitate cap. 15. "virtutes, inquit, dum propter se ap- "petuntur, superba vitia sunt."

Ad primum dicendum, Augustinum loqui de bonitate morali, non quacumque, sed supernaturali, in qua fundatur condignum meritum vitæ æternæ: hæc enim bonitas gratiam et charitatem in operante præsupponit.

Ad secundum respondeo, vel Augustinum solum velle opera bona per charitatem in Deum referri debere, ut sint condigne meritoria æternæ gloriæ: vel si ad eorum bonitatem moralem ipsorum relationem in Deum exigit, loqui de relatione in Deum, in quolibet opere honesto et moraliter bono imbibita, cum enim quilibet actus honestus sit participatio quædam rectitudinis moralis voluntatis divinæ, et obsequium ei gratum et honorificum, intrinsece ac per se in Deum, ut luminis rationis ac totius boni honesti authorem, refertur.

Ad tertium dicitur, Augustinum ibi disputare contra Stoicos, qui ultimum finem hominis, ac summum bonum, in virtute collocabant; unde solum intendit affectum quo virtus tamquam ultimus finis appetitur, non esse actum virtutis, sed superbiæ.

Conclusio sexta.

Ad faciendum opus bonum morale non est necessaria gratia fidei; ideoque non omnia opera infidelium sunt peccata. Est contra Jansennium, et contra Baium, cujus hæc propositio 25. *Omnia infidelium opera sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia;* est damnata á summis pontificib

Probatur primo ex scriptura, quæ hortatur sæpius peccatores, etiam infideles ad jejunium, orationem, eleemosynam et alia bona opera: ergo supponit posse ab illis bene fieri, neque enim hortatur ad male operandum. Unde Daniel. 4. Propheta sic alloquitur regem Nabuchodonosor: "Consilium meum pla- "ceat tibi, et peccata tua eleemosynis "redime;" at peccata non redimuntur peccatis: Ergo illæ eleemosynæ regis, licet infidelis, non erant peccata, sed opera

misericordiæ, apta ad impetrandam Dei misericordiam, et flectendam ipsius iram, ac ultionem imminentem avertendam.

Deinde scriptura variis in locis refert aliqua infidelium opera fuisse á Deo remunerata, quale est beneficium præstitum Israelitis ab obstetricibus Ægyptiis, quod Deus remuneratus est ædificando eis domos, ut dicitur Exod. 1. et gratia præstita á Rahab exploratoribus Israelitarum, quam Josue, juxta Dei voluntatem, alio beneficio compensavit, ut refertur Josue 2. et 9. Item Ezechiel. 29 Nabuchodonosor dicitur sui operis mercedem á Deo accepisse. Et Augustinus lib. 5. de civit. Dei cap. 15. asserit Deum dedisse Romanis infidelibus imperium amplum, ut eorum virtutes in hac vita remunerationem aliquam haberent. Ex quibus omnibus locis possumus hoc argumentum deducere. Deus nulla peccata remuneratur, sed punit: At opera aliqua infidelium remuneratus est: Ergo aliqua opera infidelium non sunt peccata. Quam rationem insinuat Hieron. in capit. citato Ezechielis, ubi sic ratiocinatur: "Ex eo quod Nabuchodonosor "mercedem accepit boni operis, intelli-"gimus etiam Ethnicos, si quid operis "boni fecerint, non absque mercede, Dei "judicio præteriri."

Probatur secundo ex Augustino de spiritu et litt. c. 27. ubi ait: « Esse quæ-« dam facta infidelium, á gratia Christi « alienorum, quæ secundum justitiæ re-« gulam non modo vituperare non possu-« mus, verum etiam merito, recteque lau-«damus: quamquam si discutiatur quo « fine fiant, vix inveniuntur quæ justitiæ «debitam laudem, defensionemve me-«reantur.» Ejusque rei rationem reddens subdit immediate post, initio scilicet capitis 8. « Verumtamen quia non usque « adeo in anima humana imago Dei ter-« renorum affectuum labe detrita est, ut « nulla in ea velut lineamenta extrema re-« manserint, unde merito dici possit, etiam « in ipsa impietate vitæ suæ facere ali-« qua legis, vel sapere.» Et paulo inferius de gentibus loquens: « Ipsi homines " erant, inquit, et vis illa naturæ inerat " eis, qua legitimum aliquid anima ra-" tionalis et sentit, et facit.» Denique ibidem addit: « Sicut non impediunt á " vita æterna justum quædam peccata " venialia, sine quibus hæc vita non du-" citur, sic ad salutem æternam nihil pro-" sunt impio aliqua bona opera, sine qui-" bus difficillime vita cujuslibet pessimi " invenitur.»

Probatur tertio conclusio ex D. Thom. fidelissimo Augustini Discipulo, quem Jansenius *Augustinum contractum* appellat. Hic enim S. Doctor ita clare et expresse nostræ patrocinatur sententiæ, ut de ejus mente nefas sit dubitare. Ait enim super c. 14. epistolæ ad Roman. lect. 3. " Cum aliquis infidelis ex dicta-" mine rationis aliquod bonum facit, non " referendo ad malum finem; non peccat. «« Non tamen opus ejus est meritorium, " quia non est gratia informatum.» Et super c. 1. epistolæ ad Titum lect. 4. exponens hæc verba Apostoli: " Coin-" quinatis autem et infidelibus nihil est " mundum, subdit: quando peccator fa-" cit aliquod bonum, secundum quod est " peccator et infidelis, totum est pecca-" tum ex radice: sed si quid facit ex " principio alicujus boni quod habet, ut "fidei informis, vel naturæ, non est im-" mundum.,, Item 2. 2. qu. 10. artic. 4. quærit, " utrum omnis actio infidelis " sit peccatum?,, et respondet negative: " Quia (inquit in resp. ad 3.) per infi-" delitatem non corrumpitur totaliter in " infidelibus ratio naturalis, quin rema-" neat in ipsis aliqua veri cognitio, per " quam facere possunt aliquod opus de " genere bonorum.,, Quam rationem supra insinuavit Augustinus, cum dixit: quod in anima hominis non est adeo detrita imago Dei terrenorum affectuum labe, ut nulla in ea veluti extrema lineamenta remanserint.

Quarto suadetur conclusio, et simul

præcipuum Jansenii fundamentum convellitur. Potest infidelis libere aliquem actum elicere, qui tendat in objectum honestum, cui nulla prava opponatur circumstantia, vel ulla ex debitis desit: Sed ille actus est moraliter bonus: Ergo, etc. Minor constat: nihil enim amplius requiritur ad opus moraliter bonum. Major vero probatur quantum ad singulas partes. Et primo quod possit infidelis libere elicere actum ex objecto honestum, patet: quia potest libere eleemosynam indigenti largiri, debitum solvere creditori, honorare parentes, etc. quilibet autem ex illis actibus habet, ut constat, objectum ex se honestum. Secundo quod possit, eliciendo aliquem ex illis actibus, nullam pravam circumstantiam illi opponere, sic ostenditur. Si quæ esset mala circumstantia, sine qua non posset infidelis elicere prædictos actus, vel esset ipsa infidelitas cum qua operatur, vel vana gloria, aut alius finis pravus, in ordine ad quem tales actus eliceret. Sed potest infidelis dare eleemosynam indigenti, absque eo quod circumstantia infidelitatis ejus vitiet talem actum; potest enim illum elicere, non ut infidelis formaliter, sed ut agens per rationem, et ut habens liberum arbitrium, ita ut ipsa infidelitatis circumstantia materialiter solum se habeat, subindeque nihil malitiæ influat in talem actionem: unde S. Tho. loco ult. citato ait: "Sicut habens fidem "potest aliquod peccatum committere in "actu quem non refert ad fidei finem, "vel venialiter, vel etiam mortaliter pec- "cando, ita etiam infidelis potest ali- "quem actum bonum facere, in eo quod "non refert ad finem infidelitatis: „item potest operari talem actum propter honestatem eleemosynæ præcise, non intendendo vanam gloriam, aut alium malum finem, nam ipsa honestas actionis est, saltem aliquando, motivum sufficiens voluntati ad eam eliciendam vel imperandam, maxime quando talis actio non est difficilis: "Si enim, inquit Soto lib. 1. de natura et gratia cap. 10. "potest unus- "quisque pro libito suo projicere dena- "rium in flumen, ¿cur non poterit do- "nare pauperi sine alia mala circums- "tantia, eo quod est honestum?„ Ergo, etc.

Denique quod possit infidelis elicere actum moralem cui nulla desit ex debitis circumstantiis, sic demonstratur. Si semper, in omni ejusmodi opere ab infideli elicito deesset aliqua debita circumstantia, ut contendit Jansenius, maxime ut existimat, ordinatio talis actus ad Deum tamquam ad ultimum finem: Atqui potest hæc circumstantia non deesse tali actui, sed sufficienter ipsum afficere: Ergo potest nulla ei deesse debita circumstantia. Probatur minor. Ad hoc enim non requiritur quod ab operante intendatur talis relatio, sed sufficit quod ipse actus ex natura sua, sive objecto, ordinetur in Deum tamquam bonum particulare in bonum universale, et quod ille qui eum actum elicit, non impediat talem ordinationem, ipsum ad pravum aliquem finem ordinando, vel alia mala circumstantia vitiando; eo enim ipso quod non impediatur relatio, quam actus ex natura sua importat ad Deum tamquam ultimum finem, refertur ad eum, saltem interpretative, et bonitatem ex tali relatione acquirit: constat autem ex jam dictis, quod infidelis potest ita se gerere, eliciendo ejusmodi actum, quod ipsius relationem ad Deum non impediat, per appositionem pravi finis, aut alterius malæ circumstantiæ: Ergo etc.

Potest etiam probari conclusio ab absurdo et inconvenienti, quod sequitur ex doctrina Jansenii. Si enim omnium infidelium opera sint peccata, sequitur quod quando infidelis obligatur ad observantiam alicujus præcepti naturalis, tunc sive observet, sive non observet tale præceptum, peccet; supponamus enim quod infideli miser aliquis occurrat, cui ex præscripto legis naturæ teneatur subvenire, in tali casu si non succurrat,

peccat, quia facit contra præceptum naturale, peccat etiam si ei subveniat, et eleemosynam tribuat, cum juxta doctrinam Jansenii, omnia infidelium opera sint peccata; quidquid ergo faciat miser ille infidelis, sive observet, sive non observet legis naturæ præceptum, in peccatum ruit, subindeque necessario peccat, quod sine errore affirmari nequit.

Solvuntur objectiones.

Objicit in primis Jansenius tres propositiones D. Augustini, quas sæpe repetit S. Doctor, et urget lib. 4. contra Julian. cap. 3. Prima est: " Opera omnia infidelium sunt peccata. ,, Unde tract. 89. in Joan. " ¿Quid, inquit, est " boni operis ante fidem? cum dicat " Apostolus, omne quod non est ex fide peccatum est. ,, Et Epist. 105. ad Sixtum: " Opera bona fiunt ab homine, " fides autem fit in homine, sine qua illa " á nullo fiunt homine: omne enim quod " non est ex fide, peccatum est. ,, Secunda propositio Augustini est " Nullum " opus sine fide est bonum: ,, quam probat ex illo Apostoli ad Hebr. 11. " Sine fide impossibile est placere Deo. ,, Tertia est: " Virtutes philosophorum " non fuerunt veræ virtutes, sed vitia. ,, Quæ propositio evidenter sequitur ex præcedentibus: cum enim virtus non sit aliud, nisi principium boni operis, seu habitus cum recta ratione electivus, si infideles nullum facere possunt, aut eligere opus bonum et honestum, seu rationi consonum, manifestum est eos nullam etiam posse habere virtutem. Unde idem S. Doctor loco citato ait: " Non esse veras virtutes, nisi ubi est vera sapientia " et charitas Dei; et ideo non esse inter " romanos et græcos, qui essent veri " sapientes, studiosique censendi. ,,

Ad hoc argumentum, quod est præcipuum fundamentum Jansenii, in primis dico, impossibile esse, Augustinum in una et eadem disputatione contra pelagianos tam manifeste sibi contradicere: unde cum testimonia quæ adduximus in favorem nostræ sententiæ, sint expressa, et desumantur ex libris, in quibus Sanctus Doctor ex professo contra pelagianos disputabat, necesse est interpretari loca quæ profert Jansenius, et tres illas Augustini propositiones sigillatim exponere, maxime cum prima et tertia inveniantur inter 72 propositiones Michaelis Baii, á Pio V. et Gregorio XIII. proscriptas. Hoc præmiso

Ad primam propositionem dicendum, quod quando Augustinus asserit omnia opera infidelium esse peccata, vel sumit nomen peccati in ampla quadam significatione, nimirum prout significat opus informe, et indignum vita æterna: vel si loquatur de peccato stricte et in rigore sumpto, seu de actu malo et diformi regulis morum, solum intendit omnia opera infidelium, quæ procedunt ab ipsis, reduplicative ut infideles sunt, seu ex errore contrario fidei, esse peccata, etsi ex objecto et specie sua sint bona: si enim infidelis, ad honorem deorum suorum servet virginitatem, vel det eleemosynam, haud dubie peccat, quia in his actibus non operatur, ut homo, et ex regula rectæ rationis, sed ut infidelis, et ex regula sui erroris, seu ex prava intentione, occasione infidelitatis concepta.

Quod autem dicitur ad Roman. 14. «Omne quod non est ex fide peccatum «est», dupliciter potest exponi. Primo hoc potest intelligi, non de fide quæ est virtus theologica, sed de dictamine conscientiæ judicantis aliquid esse rectum aut licitum: loquitur enim Apostolus de his, qui per conscientiam erroneam judicabant non esse licitum vesci jam cibis lege antiqua prohibitis; qui cum discernunt cibum á cibo, et eo vescuntur quem putant licitum, peccant, quia non ex fide, id est ex dictamine conscientiæ judicantis licere, eo utuntur: omne autem quod non est ex tali fide peccatum est. Sed quia Augustinus hæc verba Apostoli de fide, prout est virtus theologica, sæpe intelligit, secundo dici potest quod

quando dicitur: « Omne quod non est ex « fide, peccatum est, ly non est ex fide, » debet sumi non solum negative, sed etiam contrarie, ita ut sensus sit, illud quod non est ex fide, sed ex infidelitate; peccatum est. Utramque expositionem tradit S. Thomas ibidem lect. 3. in fine, ubi ait: "Omne quod non est ex fi- "de, peccatum est, sic est intelligen- "dum: Omne quod est contra fidem, vel "contra conscientiam, peccatum est, et- "si ex genere suo bonum esse videatur, "puta si paganus ad honorem suorum "deorum virginitatem servet, vel elee- "mosynam det; hoc ipso peccat. »

Ad secundam propositionem respondeo, intentum Augustini in illa non aliud esse, quam quod nullum opus sine fide sit simpliciter et antonomastice bonum: quippe cum homini ad æternam gloriam ordinato nihil absolute bonum sit, nisi quod ad eam perducit; nihilque absolute malum nisi quod ab eo abducit. Unde Ezeh. 20. præcepta antiquæ legis appellantur non bona: non quod in se mala essent, sed quia non erant perfecta neque hominem ad perfectionem legis evangelicæ perducebant, juxta illud Apostoli ad Hebr. 7. « Nihil ad perfec- « tum adduxit lex. »

Quod autem hæc interperatio sit legitima, patet ex ipso August. lib. 4. contra Julian. cap. 3. ubi sic ait: "Scito nos "illud tantum dicere bonum hominum "illam bonam voluntatem, illud opus bo- "num sine Dei gratia.... nemini posse con- "ferri, per quod solum potest homo ad "æternum Dei donum, regnumque per- "duci. » Unde ibidem colum. 10. permittit Juliano dicere, bona quædam opera fieri per vires naturæ: dummodo fateatur esse sterilia ad vitam æternam. In eodem sensu intelligi debet illud Pauli ad Hebr. 11. "Sine fide impossibile "est placere Deo. »

Nihil enim aliud intendit Apostolus, quam non posse quemquam sine fide esse Deo gratum et justum, justitia et sanctitate supernaturali, per quam Deo placuerunt sancti, de quibus deinceps toto eodem capite loquitur; consequenter ad id quod dixerat extremis verbis capitis præcedentis: "Justus autem meus ex "fide vivit. »

Ad tertiam similiter dicendum, quod quando Augustinus negat in infidelibus veras virtutes, nomine veræ virtutis intelligit virtutem perfectam, quæ hominem promoveat ad vitam æternam, sive ut ipse loquitur loco citato, "quæ li- "berandis et beatificandis hominibus "deserviat.» Unde ibidem dicit: "si ad "consequendam veram beatitudinem, "quam nobis fides per Christum promi- "sit, nihil prossunt homini virtutes, non "sunt veræ virtutes.» Et Divus Thomas quæst. 65. artic. 2. "Solæ virtutes in- "fusæ, inquit, sunt perfectæ, et sim- "pliciter dicendæ virtutes, quia bene "ordinant hominem ad finem ultimum "simpliciter: aliæ vero virtutes, scili- "cet acquisitæ, sunt secundum quid vir- "tutes non autem simpliciter; ordinant "enim hominem bene respectu finis ul- "timi in aliquo genere, non autem res- "pectu finis ultimi simpliciter. Unde Rom. "14. super illud omne quod non est "ex fide, peccatum est, dicit glossa "Augustini; Ubi deest cognitio veritatis, "falsa est virtus, etiam in bonis mo- "ribus. »

Advertendum est etiam, virtutes morales acquisitas mediare inter vitia, et virtutes theologicas, et morales infusas: unde quia medium, comparatum ad extremum perfectius, censetur imperfectum, et é contra videtur perfectum, comparative ad imperfectius (v. g. tepidum comparatum calido, videtur frigidum, et comparatum frigido, videtur calidum; fuscum comparatum ad nigrum, album dicitur, nigrum vero si comparetur ad album) virtutes morales acquisitæ, per ordinem et comparationem ad theologicas, et morales infusas, imperfectæ dicuntur; é contra vero censentur perfec-

tæ, si comparentur ad vitia quibus opponuntur. Igitur quia Augustinus considerat virtutes imperfectas philosophorum per ordinem ad virtutes perfectas christianorum, illasque cum istis comparat, ideo dicit eas non esse veras virtutes, sed virtutum umbras et similitudines: sicut aurichalcum, quamvis sit verum metallum, non tamen verum aurum, sed ejus species et imago quædam dicitur.

Obj. secundo: Nullum potest dari bonum opus sine intentione recta, juxta illud Ambrosii lib. 1. offic. cap. 3. *Affectus tuus nomen imponit operi tuo*: Sed in infidelibus non potest dare recta intentio, cum fides quæ est mentis oculus, dirigat intentionem: Ergo nec opus bonum. Qua ratione utitur Augustinus super Ps. 31. ubi sic discurrit: "Nemo computet "opera sua bona ante fidem, ubi enim "fides non erat, bonum opus non erat; "bonum enim opus intentio facit, intention fides dirigit.,,

Respondeo, concessa majori, negando minorem. Ad cujus probationem dicendum cum divo Thoma 2. 2. qu. 10. art. 4. ad 2. ubi prædictum Augustini testimonium exponit: "quod fides dirigit in"tentionem hominis respectu finis ulti"mi supernaturalis: sed lumen etiam "rationis naturalis potest dirigere in"tentionem respectu alicujus boni con"naturalis homini.» Unde theologi in "tractatu de virtutibus hoc inter vir"tutes morales acquisitas, et theologi"cas, ac morales infusas, discrimen statuunt, quod primæ per rationem, et prudentiam moralem; aliæ vero per fidem, et prudentiam infusam regulantur.

Dico, ad moralem bonitatem humani actus necesse est ut ad Deum referatur: Sed fidelis, cum careat cognitione veri Dei, non potest ad ipsum suos actus referre; quemadmodum cœcus non potest dirigere sagittam ad scopum, cum illum non videat: ergo infidelis nullum potest actum moraliter bonum elicere.

Respondeo distinguendo maiorem: per relationem extrinsecam, seu per actum distinctum, nego; per relationem intrinsecam, et in ipsa entitate actus imbibitam, concedo. Omnis enim actus moraliter bonus, eo ipso quod talis est, seipso in Deum refertur, quia est participatio bonitatis ejus moralis, et consonat rectæ rationi, et legi naturæ, quæ est quædam emanatio, expressio, et participatio legis æternæ, et rationis increatæ.

ARTICULUS IV.

De necessitate gratiæ ad observandam universam legem naturalem.

Notandum 1.° Pelagiani, vires liberi arbitrii nimium extollentes, docuerunt, hominem, absque ullo gratiæ auxilio, universam legem observare, Deum super omnia diligere, omnesque tentationes superare posse: é contra *Baius*, et omnes ejus discipuli, liberum arbitrium penitus jugulantes, docuerunt, nullum legis naturalis præceptum observari, nullamque omnino tentationem vinci posse absque gratia.

Not. 2.° Præcepta legis naturalis, dupliciter impleri possunt 1. *Secundum substantiam*, si nempe actus præceptus suam habeat bonitatem moralem. 2. *Quoad modum*, si nimirum actus ex charitate fiat, et referatur ad finem supernaturalem. *Primo modo* lex non attenditur servari meritorie, sed precise vitando peccatum, quod est contra illam: *Secundo modo* attenditur servari meritorie, ita ut ad vitam perducat æternam.

Constat ex supradictis, aliqua legis naturalis præcepta posse observari absque gratia: probavimus enim sine ea bonum aliquod opus morale naturalis ordinis elici posse; illud autem bonum, quodcumque sit, est præceptum legis naturalis; ergo, etc.; agitur itaque de observatione omnium: circa quod

Not. 3.° Potentia duplex est, physica nempe, et moralis.

Potentia *physica*, est vis activa, relative proportionata operi faciendo; hinc

qui habet omnia principia necessario ad agendum requisita, habet potentiam agendi phisicam.

Potentia *moralis*, est vis activa, relative proportionata operi faciendo, cum adjuncta facilitate. Hinc potentia, quæ nullo impedimento retardatur, non solum physica, sed moralis est potentia. His diligenter notatis, sit

Conclusio.

«Homo lapsus, absque gratiæ divi-«næ auxilio, non potest potentia morali, «omnia legis naturalis præcepta etiam «quoad substantiam operis, servare, ita «ut omnia vitet peccata, quæ contra le-«gem naturalem committi possunt.» Prop. est certissima.

Prob. 1. Ex scriptura; *Rom.* 7. *v.* 23. Apostolus ait: «Video aliam legem "in membris meis, repugnantem legi "mentis meæ,» (id est, legis naturalis) «et captivantem me sub lege peccati, "quæ est in membris meis.» Hinc exclamat: "Infelix homo, quis me libera-"bit de corpore mortis hujus:» respondet: «Gratia Dei per Jesum Christum;» ergo natura humana ita per peccatum infirmata est, ut hoc præceptum, non concupisces, non possit implere absque gratia Dei; unde, *Sap.* 8. dicitur: «Sci-"vi, quoniam aliter non possum esse "continens, nisi Deus det.»

Prob. 2. *Ex conciliis*, tum Cathaginensi II. in Epist. Synodica ad Innoc. I., ubi PP. testantur, damnatos ideo fuisse Pelagianos, quod assererent, Deum talem hominis instituisse atque creasse naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei "possit implere, sive natu-"raliter in corde conscriptam, sive in "litteris datam:» ubi per hæc verba, "Naturaliter in corde conscriptam:» significatur lex naturalis; tum ex concilio Cathaginensi III. cap. 5. ubi definitur: "Placuit, ut quicumque dixerit ideo no-"bis gratiam justificationis dari, ut quod "facere per liberum jubemur arbitrium, "facilius possimus implere per gratiam "tamquam, et si gratia non daretur, "non quidem facile, sed tamen posse-"mus etiam sine illa divina implere "mandata, anathema sit. Ergo.

Prob. 3. *Ex PP.* D. Aug., *l. de spiritu et littera*, qui totus scriptus est ad ostendendum, quod lex absque gratia servari non possit, cap. 10. aperte profitetur, quod justus "credat nullo modo "posse suæ infirmitatis ad implenda ea, "quæ lex jubet, nisi divina gratia sub-"veniri.»

D. Prosper, "l. contra Collatorem, "cap. 7. ait: Potest (lex) ne quid mali "fiat jubere: á malo autem non potest li-"berare. Notum facit mandatum, sed "obediendi non præstat affectum, nisi "quod est occidens per imperium litte-"ræ, fiat vivificans per spiritum gra-"tiæ.» Ex quo concludit D. Thom. "1. 2. q. 109. art. 4. In statu naturæ "corruptæ non potest homo implere mandata divina, sine gratia sanante.

Ratio conclusionis est, quia natura per peccatum ita vulnerata fuit ac infirmata, ut vehementissime feratur in delectabilia legi divinæ repugnantia, et aversetur bona per legem præcepta; ergo non potest potentia morali, omnia legis naturalis mandata observare nisi per gratiam, qua vulnus inflictum sanetur.

Dixi, *Potentia morali*: quia homo lapsus non habet impotentiam physicam, sed tantum moralem, ad observanda omnia legis naturalis præcepta; *Ratio est* quia præcepta legis naturalis, etiam collective sumpta, secundum substantiam considerata, non superant vim humanæ voluntatis in præsenti statu, cum illa vis per peccatum non fuerit sublata, sed dumtaxat labefactata, ergo ejus impotentia est tantum moralis, fundata 1. in rebellione appetitus; 2. in gravitate collectionis omnium præceptorum supposita movilitate et inconstantia voluntatis, ratione cujus totas vires ad agendum adhibitura non sit.

Solvuntur objectiones.

Objic. 1. Rom. 2. dicitur: "Gentes, "quæ legem non habent, naturaliter: » id est naturæ viribus; "ea quæ legis "sunt faciunt. Ergo homo lapsus absque gratia potest observare omnia legis naturæ præcepta.

Resp. nego conseq. Textus enim non de omnibus præceptis est intelligendus, sed tantum de aliquibus, iisque facilioribus, quæ quandoque et aliquamdiu á gentibus naturaliter possunt observari, quando nimirum graves non adsunt occasiones ab illa observatione removentes.

Inst. 1. Deut. 30. dicitur: "Manda- "tum, quod ego præcipio tibi hodie, "non est supra te.» Atqui hic locus intelligitur de præceptis collective; ergo omnium præceptorum odservantia vires naturales non excedit.

Resp. dist. min. Intelligitur de omnibus collective præceptis, cum gratia implendis, *conc.* sine gratia implendis *nego min.*; cit. enim cap. dicitur: "Circumci- "det Dominus Deus tuus cor tuum, et cor "seminis tui, ut diligas Dominum Deum "tuum ex toto corde tuo.» Porro cordis circumcisio gratiæ collationem importat.

Inst. 2. Eccl. 15., dicitur: "Si vo- "lueris mandata servare, conservabunt "te.» Ergo, si volumus, possumus omnia mandata servare absque gratia.

Resp. nego conseq. Illo equidem textu demonstatur liberum arbitrium, per quod præcepta impleri possunt; at non excluditur gratia, sine qua impleri non possunt; ut docet D. Aug., "l. de gra- "tia et Lib. arb. c. 16. dicens: certum "est nos mandata servare, si volumus, "sed quia præparatur voluntas á Domi- "no, ab illo petendum est, ut tantum "velimus, quantum sufficit, ut volendo "faciamus."

Objic. 2. D. Chrysost., "hom. 5. in Epist. ad Rom. de gentibus, ait: Ad- "miratione digni sunt, quod nec lege "illis opus fuit: et omnia, quæ legis "erant, præstiterunt." Ergo.

Resp. dist. ant. Gentes collective sumptæ, omnia quæ legis erant præstiterunt, *transeat*; gentes, distributive sumptæ, *nego ant.* Sensus ergo D. Chrysostomi est, varia præcepta legis naturalis á tota gentilium collectione observata fuisse, non quidem omnia á singulis, sed aliqua, cum nempe nulla, vel levis, erat difficultas, vel ex parte operis, vel ex parte tentationis quare dixi, *transeat ant.*

Inst. Cyrus, á gratia fidei alienus, totam legem naturalem implevit: siquidem dixit Deus, Isaiæ 44. "Pastor meus es, "et omnem voluntatem meam implebis.» Ergo universa lex potest impleri absque gratia.

Resp. nego ant. Neque enim Cyrus dicitur, omnem voluntatem Dei implevisse, quod omnia legis naturæ præcepta impleverit, erat enim idololatra, et alienorum regnorum invasor; sed quod populum Israeliticum á captivitate solvendo, templumque ac civitatem Jerusalem ex integro restaurari curando, fecerit quidquid Deus, per ipsum fieri erga populum suum, ab æterno decreverat; quo sensu dæmones, damnatorum hominum tortores, dici possunt voluntatem Dei implere.

Objic. 3. Nemo tenetur ad impossibile; nam ut ait D. Aug., "Deus impos- "sibilia non jubet.» Atqui homo quilibet etiam gentilis obligatur ad universam legem implendam; ergo eam servare potest.

Resp. dist. mai. Nemo tenetur ad impossibile, simpliciter et absolute, *conc.* ad impossibile secundum quid, *nego maj.* Itaque universa lex, spectatis solis naturæ viribus, est observatu impossibilis sed fit possibilis per gratiam: sic D. Aug. "l. de perfectione justitiæ cap. 2.» Cœlestio respondet: "Respondemus, inquit, "vitari posse peccatum, si natura vitia- "ta sanetur gratia Dei per Jesum C. D.

"N.; in tantum enim sana non est, in "quantum, id quod faciendum est, aut "cæcitate non videt, aut infirmitate non "implet.» Ex quo, "l. de natura et "gratia, c. 43. ait: Deus impossibilia "non jubet, sed jubendo monet et fa- "cere quod possis, et petere quod non "possis, et adjuvat ut possis.»

Objic. 4. Homo lapsus habet potentiam moralem ad omnia præcepta legis naturalis distributive; ergo et ad omnia collective.

Resp. 1. *dist. ant.* Habet potentiam moralem ad omnia distributive præcepta, quæ sunt facilia, qualia sunt cultum parentibus exhibere, depositum reddere, jus litigantibus dicere, etc. *conc.* quæ sunt ardua, sive ex objecto, sive ex tentatione, et aliis circumstantis, *nego ant.* Dicit enim D. Jacobus, cap. 3. de præcepto cohibendæ linguæ: "Linguam "nullus hominum domare potest. Et sapiens, de præcepto continentiæ: "Scivi, "quoniam aliter non possem esse conti- "nens, nisi Deus det.

Resp. 2. *nego conseq.* Collectio enim difficultatem habet quam non habent singula; cum enim dicitur, quod singula præcepta possunt servari distributive, non est sensus, quod hæc et illa, et sic deinceps, possint impleri, sed sensus est tantum, quod hoc seorsim, et illud seorsim possit impleri, ex quo non sequitur impleri posse collectionem, ut patet de eo, qui movet lapides, potest nempe hunc seorsim lapidem, et illum etiam seorsim movere, non tamen omnes collective lapides potest movere.

ARTICULUS V.

De necessitate gratiæ ad Deum, ut auctorem naturæ, diligendum super omnia.

Notandum 1.° Hoc loco non instituitur quæstio de amore Dei, prout Deus comprehenditur sub ratione boni; seu prout animus noster fertur naturali instinctu in beatitudinem, quæ nulla esse potest præter Deum. Talis quippe amor est ingenitus, naturalis, et necessarius: quia non possunt homines naturaliter non appetere se esse beatos: proin talis amor non cadit sub præcepto.

Not. 2. Sicut Deus potest duplici via cognosci, nimirum vel lumine naturali, ut auctor naturæ, vel lumine supernaturali, ut auctor gratiæ; ita etiam potest duplici modo amari, nempe vel ut auctor naturæ, vel ut auctor gratiæ. Neque hæc distinctio duplicis amoris potest ab ullo rejici, postquam S. Pius V. binas propositiones Baii, scilicet 34. et 37. quibus ille geminum hunc amorem ceu commentitium, et cruci Christi injuriosum explosit, publico anathemate perstrinxit.

Not. 3. Non est quæstio, an homo possit solis naturæ viribus Deum amare amore naturali qualicumque, seu imperfecto: hoc enim eruitur partim ex illa distinctione duplicis amoris, partim ex naturali facultate cognoscendi Deum. Nec est quæstio de solo amore concupiscentiæ, quo quis diligit Deum non propter seipsum, sed propter propriam utilitatem sine gratia; sed quæritur an homo ex solis naturæ viribus possit amare Deum ut auctorem naturæ, amore perfecto, seu super omnia, et propter seipsum, ita ut impleatur primum decalogi præceptum, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum.

Not. 4. Præsens controversia procedit de præsenti statu naturæ lapsæ; in statu namque naturæ integræ, D. Thomas cum aliis theologis docet, quod homo ex solis naturæ viribus potuerit Deum amare ut auctorem naturæ super omnia ex hac ratione. Quia homo in statu naturæ integræ dilectionem sui ipsius, et omnium aliarum rerum referebat ad amorem Dei, sicut ad finem; et ita diligebat Deum plusquam seipsum, et super omnia: in statu autem naturæ corruptæ homo ab hac relatione in Deum deficit propter corruptionem naturæ. Ita Doctor Angelicus 1. 2. q. 109. art. 3.

Not. 5. Potest homo etiam in hoc statu

cognoscere Deum ut auctorem naturæ ut summo amore dignum, cognitione nempe theoretica, non practica: "non "enim sumus idonei cogitare aliquid ex "nobis quasi ex nobis, sed sufficientia "nostra ex Deo est." 2. Corinth. c. 3.

CONCLUSIO.

"Homo lapsus non potest absque gra- "tia, Deum, ut auctorem naturæ, ama- "re amore perfecto et super omnia."

Prob. 1. Ex D. Thom. 1. 2. *q.* 109. *a.* 3. dicente: "homo in statu naturæ "integræ non indigebat dono gratiæ su- "peradditæ naturalibus bonis ad dili- "gendum Deum naturaliter super om- "nia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc "eum moventis; sed in statu naturæ "corruptæ, indiget homo, etiam ad hoc "auxilio gratiæ naturam sanantis.» Ergo.

Prob. 2. Quia amor Dei super omnia perfectus et efficax, omnium Dei præceptorum executionem importat, ita ut voluntas parata sit, absolute et efficaciter, Deo in omnibus placere, omniaque ei displiscentia vitare: atqui homo lapsus, ut supra probatum est, non potest sine gratia omnia Dei præcepta, etiam naturalia, exequi; tanta enim perfectio superat naturæ corruptæ fragilitatem et propensionem ad bona sensibilia, á quibus quis non potest sine auxilio gratiæ suum affectum removere. Ergo.

Objicies 1. D. Thomas l. cit. ad 1. ait: "natura diligit Deum super omnia, prout "est principium et finis naturalis boni, "charitas autem secundum quod est ob- "jectum beatitudinis." Ergo.

Resp. dist. ant. Natura sana diligit Deum super omnia, etc. *conc.* natura corrupta, *nego ant.* Hanc esse D. Thomæ mentem patet ex textu supra allato.

Objicies 2. Amor Dei super omnia perfectus lege naturali præcipitur; ergo solis naturæ viribus potest elici.

Resp. dist. conseq. Solis naturæ viribus potest elici á natura sana, *conc.* á natura per peccatum vitiata, *nego conseq.* Licet enim præceptum naturale amoris Dei super omnia non superet vires naturæ integræ, superat tamen vires naturæ vitiatæ, ergo non potest impleri absque *auxilio gratiæ naturam sanantis*, ut ait. D. Thomas.

Inst. 1. Homo lapsus potest naturaliter cognoscere Deum, etiam ut auctorem naturæ, esse super omnia amabilem; ergo potest etiam naturaliter eum amare super omnia.

Resp. nego conseq. Disparitas est, quod ut ait D. Thom. ad 3. "Natura "humana magis est corrupta per pecca- "tum quantum ad appetitum boni, quam "quantum ad cognitionem veri," eo quod peccatum voluntate commissum est, et ideo amori Dei perfecto, non cognitioni Dei super omnia amabilis, obstant infirmitas et corruptio naturæ.

Inst. 2. Homo lapsus habet naturalem inclinationem ad diligendum Deum summe bonum amore super omnia et perfecto; ergo potest illam naturaliter explere.

Resp. dist. ant. Habet naturalem inclinationem, etc. impeditam per naturæ corruptionem et infirmitatem, *conc.* expeditam *nego ant.* Naturæ ergo infirmitas impedit, quominus natura sic vitiata possit innatam suam inclinationem perfecte explere.

Inst. 3. Deus, ut auctor naturæ, super omnia diligendus, non est objectum supernaturale; ergo potest sic naturaliter diligi.

Resp. dist. ant. Non est objectum supernaturale, hoc sensu, quod sic non sit objectum hominis beatificativum per intuitivam Dei visionem, *conc.* hoc sensu, quod non superet vires naturæ per peccatum corruptæ, *nego ant.* Est ergo æquivocatio, in hac voce, *supernaturale*: tollatur æquivocatio, et evanescet objectio.

Objicies 3. Homo lapsus propriis naturæ viribus, ita potest patriam, aut creaturam aliquam super omnia diligere, ut pro ipsis mortem subiret: ergo

similiter potest Deum super omnia diligere sine auxilio gratiæ.

Resp. nego conseq Disparitas est 1. Quod homo lapsus facilius ac vehementius, ob corruptionem naturæ, sensibilibus cupiditatum objectis; quam bonis honestis, et Deo ipso afficiatur, quo sensu, D. Joan. *Epist.* 1. *cap.* 4. dicit: "Qui non diligit fratrem suum, quem "videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?" 2. Quod amor Dei, super omnia perfectus, debet includere fugam omnium peccatorum, et omnium virtutum prosecutionem; é contra amor patriæ et creaturarum super omnia, vel ex vana gloria, vel ex affectu sensibili inordinato, qui modum nescit, procedit, unde amor ille vitium est, in quod natura corruptione sua provehitur.

ARTICULUS VI.

De necessitate gratiæ ad vincendas tentationes.

Notandum 1.° Nomine *tentationis*, intelligitur provocatio ad peccatum, facta á carne, mundo et dæmone, et duplex est, gravis nimirum et levis.

Tentatio gravis, ea est, quæ vehementer ad peccatum impellit, sive ratione sui, sive ratione durationis per comparationem ad eum qui tentatur.

Tentatio levis, ea est, quæ leviter hominem ad peccatum allicit, spectata ratione illius, qui tentatur; nam eadem res, quæ leviter allicit hominem avaritiæ minime deditum, ea graviter avarum provocat.

Not. 2.° Tripliciter potest vinci tentatio. 1. *Peccaminose*, ex motivo malo, alteri nimirum succumbendo tentationi, ut si quis luxuriam vincat ex motivo avaritiæ. 2. *Meritorie et utiliter ad salutem*, ut si vincat ex motivo charitatis. 3. *Steriliter ad salutem*, ut si vincat ex solo motivo naturalis honestatis.

Certum est. 1. Gratiam non requiri ad vincendam tentationem *peccaminose*: Deus enim gratiam non dat ad peccandum.

Certum est, 2. Gratiam necessario requiri ad vincendam vel levissimam tentationem *meritorie et utiliter ad salutem*: nullus enim actus salutaris potest dari absque gratia.

Tota ergo difficultas est de victoria tentationum sterili ad salutem, quæ ut diluatur sit.

CONCLUSIO I.

"Homo lapsus potest aliquando levem "aliquem vincere tentationem absque "gratiæ supernaturalis auxilio ita tamen, "ut hæc victoria non sit meritoria, et "utilis ad salutem, sed omnino sterilis.» Est communis contra Baium.

Prob. 1. *ex SS. PP.* Pio V. et Greg. XIII. qui hanc 30. Baii prop. damnarunt: "ii fures sunt et latrones, qui di-"cunt... ulli tentationi, sine gratiæ il-"lius adjutorio, resistere hominem pos-"se, sic ut in eam non incidat, aut ab ea "non superetur.» Quæ prop. damnata est propter suam generalitatem, quatenus nimirum tam leves quam graves complectitur tentationes.

Prob. 2. Ex D. Aug. cujus patrocinio gloriantur adversarii, "l. 4. de per-"fectione justitiæ, ait: in natura vitiata "parum est ad non peccandum voluntatis arbitrium," ubi particula *parum*, indicat aliquid valere ad non peccandum; ergo et ad vincendam levem tentationem. D. Augustino concinit Doctor Seraphicus "in 2. dist. 28. q. 2. ad 3. dicens: "quod liberum arbitrium omni gratia "destitutum, nec omni possit tentationi "resistere, nec necesse habeat omni ten-"tationi succumbere.»

Prob. 3. *ratione*: quia quando facultas aliquid potest naturaliter, id etiam potest cum levibus impedimentis; alioquin illud impedimentum, quod supponitur leve, æstimandum esset grave: atqui homo lapsus aliquod ordinis naturalis potest peragere absque gratia; ergo tentatio levis obstare non potest, quin illud naturaliter faciat; ergo potest naturaliter vinci levis tentatio.

Dictum est; *aliquam levem tentationem*; id est, nec omnes, nec multas leves tentationes. Nam omnes, vel etiam multæ leves tentationes, si collectivæ sumantur, graves evadunt ob innatam humanæ voluntatis inconstantiam. Sic, v. g. patienter quis audit verbum minus gratum; quod si vero illud ipsum sæpius repetatur, vel alia ejusmodi addantur; id intolerabile videtur homini, alias etiam bene morato. Vid. Eminent. Gotti. Habert. etc.

Objicies. Scriptura, concilia, et patres, indefinite docent victoriam tentationum esse á Deo; ergo leves tentationes non possunt vinci, nisi per gratiam Dei.

Resp. nego conseq. Non enim ideo scriptura et patres soli Deo adscribunt victoriam tentationum indefinite, quod nulla levior tentatio possit vinci absque gratia: sed 1. *Quia* scriptura semper, et SS. Patres plurimum loquuntur de victoria meritoria, quæ absque gratiæ auxilio haberi non potest. 2. *Quia* SS. PP. loquuntur de universo tentationum agmine, quod non potest vinci absque speciali Dei auxilio, sicut neque ullæ graves. 3. *Quia* PP. Pelagianos impugnabant, qui, cum indistincte victoriam tentationum naturæ viribus tribuerent, efficacius refelli non potuerunt, quam si illarum indistincte victoriam ad gratiam Dei referrent.

Inst. Ex D. Aug. Epist. 95. «Oratio «clarissima est gratiæ testificatio.» Atqui victoriam omnium, etiam levium tentationum, á Deo petimus, «ne nos in«ducas in tentationem;» ergo etc.

Resp. dist. mai. Oratio est gratiæ testificatio, non semper necessariæ, *conc.* semper necessariæ, *nego mai.* Petimus enim á Deo ea etiam, quæ naturaliter evenire possunt, v. g. pacem, pluviam, serenitatem temporis, etc. Ut ergo postulemus á Deo tentationum, etiam levium, victoriam, satis est, 1. *Quod* levioribus etiam tentationibus non possumus diu, absque ejus auxilio, resistere. 2. *Quod* possint occurrere graviores, ubi leves accidunt, nec sciamus utrum leves sint futuræ. 3. *Quod* victoria tentationum, absque gratia, nihil quidquam ad salutem valeat, hæcque sola meritoria victoria postulatur á Deo.

Conclusio II.

"Homo lapsus nullam gravem tenta"tionem potest, absque gratiæ auxilio, "vincere etiam victoria sterili.» Est contra Pelagianos.

Prob. 1. Ex scriptura aperte significante, opus esse gratiæ divinæ auxilio ad superandas tentationes. Psal. 17. "In te "eripiar á tentatione.» Psal. 117. "Im"pulsus, eversus sum, ut caderem, et "Dominus suscepit me.» Math. 62. "Vi"gilate et orate, ut non intretis in ten"tationem.» Quæ loca SS. Patres interpretantur generatim de tentationibus, et saltem de gravibus quibuslibet intelligenda innuunt.

Prob. 2. *Ex trad. PP.* D. Hieron. *l.* 2. *contra Pelagianos*, quibus cum opposuisset ista Christi verba: "Vigilate et "orate, ut non intretis in tentationem,» subjungit; "Debuisset dicere juxta vos, "surgite, resistite, liberum enim habe"tis arbitrium, et semel vobis concessa "á Domino potestate, nullius alterius "indigetis auxilio.»

D. Aug. "l. de perfectione justitiæ, "cap. ult.» ut necessitatem gratiæ contra Pelagianos evincat, ait: "quisquis "negat nos orare debere, ne intremus in "tentationem (negat autem hoc, qui con"tendit ad non peccandum gratiæ Dei "adjutorium non esse homini necessa"rium; sed sola lege accepta humanam "sufficere voluntatem) ab auribus om"nium removendum, et ore omnium "anathematizandum esse non dubito.»

Prob. 3. *ex conciliis*: Diospolitano, cap. 11. ubi damnatur hic Pelagii articulus; "Victoria nostra, non est ex "Dei adjutorio, sed libero arbitrio.» Et Arausicano II. can. 9. "Divini muneris

"est, cum recte cogitamus et pedes nos-"tros á falsitate et in justitia tenemus.»

Prob. 4. Ex definitione SS. Pontifi-cum: pro omnibus sit Innoc. I. qui, "Epist. ad conc. carthaginense, ait; ni-"si magnis precibus gratia, in nos im-"plorata descendat, nequaquam terrenæ "labis, et mundani corporis vincere co-"namur errores, cum pares nos ad re-"sistendum non liberum arbitrium, sed "Dei solum facere possit auxilium... "necesse est enim, ut quo auxiliante «vincimus, eo iterum non adjuvante vin-"camur.»

Prob. 5. *ratione*: quia gravibus in tentationibus occurrunt impedimenta, quibus positis, voluntas nequit, saltem secundum moralem potentiam, illis re-sitere, nisi gratia Dei adjuvetur; ergo.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. Genes. 4. dicitur: "Sub "te erit appetitus ejus (peccati) et tu "dominaberis illius.» Ergo homo potest solis naturæ viribus vincere graves ten-tationes.

Resp. nego conseq. Quia appetitus pec-cati sub nobis non est, nisi supposita gratia, quæ si non supponatur, non est sub nobis secundum moralem potentiam, si gravis sit tentatio, licet sit sub nobis secundum potentiam physicam.

Inst. 1. D. Thom. *in* 2. *dist.* 28. *q.* 1. *art.* 2. docet hominem sine gratia vi-tare posse omnia peccata mortalia, licet difficile; ergo non habet moralem impo-tentiam ad omnes vincendas tentationes.

Resp. nego conseq. D. enim Thomas hanc, quam junior tenuerat, sententiam, tacite retractavit in sua summa, nempe, 1. 2. *q.* 63. *art.* 2. *ad* 2. ubi dicit: "sunt quædam peccata mortalia, quæ "homo sine gratia nullo modo potest vi-"tare, et q. 109. art. 8. in conclus. in "statu naturæ corruptæ, mortalia et sin-"gula et omnia, venialia autem singula, "sed non omnia (homo) vitare potest, "si est natura per gratiam infusam re-"parata, alias enim ne mortalia quidem "omnia, (præsertim tempore longo) vi-"tare potest.»

Inst. 2. Si homo, ex propriis suis vi-ribus, non posset graves tentationes vin-cere, non peccaret eis succumbendo: fal-sum conseq. ergo.

Prob. mai. Non peccatur per hoc, quod non est in potestate agentis; atqui si homo, ex propriis viribus, non posset vincere graves tentationes, non esset in ejus potestate non succumbere; ergo succumbendo non peccaret.

Resp. dist. min. Non succumbere, non esset in potestate hominis, sine gratia, *conc.* cum gratia, *nego min. et conseq.* Porro numquam deest divinæ gratiæ au-xilium ad tentationes superandas, vel proxime, vel remote sufficiens, gratia nimirum orationis, qua homo gratiam proxime sufficientem potest petere et obtinere: unde concludit D. Thom. "q. "109. a. 8. ad 1. Quia ex ejus defectu "est, quod homo se ad gratiam haben-"dam non præparet, propter hoc á pec-"cato non excusatur, quod sine gratia "peccatum vitare non potest.»

Objicies 2. Nulla est gravior tentatio quam metus mortis: atqui potest homo lapsus, naturæ viribus, vincere tentatio-nem mortis ex motivo pravo, v. g. ex vana gloria, ex pertinacia, etc. ergo et ex motivo naturali honesto.

Resp. nego conseq. Disparitas est, quod homo lapsus ab objectis delectabi-libus et pravis multum afficiatur, et ideo vincit unam tentationem per aliam for-tiorem, qualis est pertinacia, et inanis gloriæ cupiditas; é contra á motivo virtu-tis et honestatis parum admodum afficitur, et sic illud motivum totam relinquit dif-ficultatem, non tollit, neque minuit.

Quæres 1. "Utrum ad observanda "omnia legis naturalis præcepta, et vin-"cendas graves tentationes, sufficiat ex-"terior Dei protectio?»

Resp. negative: nam requiritur ex parte intellectus illuminatio, quæ objec-tum amplectendum aut fugiendum re-

præsenset; ex parte autem voluntatis pia quædam motio, qua fiat suave, quod est amplectendum; et fiat suavis resistentia, sicque voluntas á malo deterreatur; ergo requiritur gratia interior. Unde Augustin. Epist. 95. dicit illud auxilium conferri, "subministratione spiritus, et "occulta misericordia."

Quæres 2. "Quænam gratia interior "requiratur ad observanda omnia legis "naturalis præcepta, et graves tentatio-"tiones superandas?"

Resp. 1. "Requiritur gratia habitua-"lis, non quidem absolute et ex rei na-"tura, sed ex ordinatione Dei, et de le-"ge communi."

Prob. 1. *p.* Quia sola ignorantia in intellectu, et difficultas in voluntate sunt impedimenta ex parte hominis ad observantiam mandatorum, et victoriam tentationum: atqui illa duo impedimenta removeri possunt per gratiam actualem, qua illustratur intellectus, et pie movetur voluntas; ergo ex natura rei non requiritur gratia habitualis.

Prob. 2. *p.* Quia natura humana, nondum per gratiam habitualem sanata, est in bono inconstans et ad malum proclivis, juxta illud Thren. 1. "Peccatum "peccavit Jerusalem, propterea instabi-"lis facta est." Ergo ex ordinatione Dei, ac de lege communi, etc. "In statu na-"turæ corruptæ, indiget homo gratia "habituali sanante naturam, ad hoc, "quod omnino á peccato abstineat," ait Divus Thomas 1. 2. *quæstione* 109. *articulo* 8.

Resp. 2. "Ad observanda omnia legis "naturalis præcepta, gravesque tenta-"tiones superandas præter gratiam ha-"bitualem requiritur gratia actualis in-"terior."

Prob. Ex Cœlestino S. P. in *Epist.* ad Episcopos Galliæ *cap.* 3. dicente: "Nemo, etiam per baptismatis gratiam "renovatus, idoneus est ad superandas "diaboli insidias, et ad vincendas carnis "concupiscentias, nisi, per quotidianum adjutorium Dei, perseverantiam bonæ "conservationis accipiat."

Ratio est. Quia licet gratia habitualis interius sanet animam, tamen nec intellectus ignorantiam, nec voluntatis malitiam, nec appetitus sensitivi rebellionem tollit; ergo ne, inter tot, tantasque peccandi occasiones, labatur humana fragilitas, necesse est, ut gratia actuali, quæ teporem ejus excitet, et ad bonum alliciat, roboretur.

ARTICULUS VII.

De præparatione ad gratiam, et de sensu celebris axiomatis: FACIENTI QUOD IN SE EST, DEUS NON DENEGAT GRATIAM.

Pelagiani negantes peccatum originale dicebant hominem posse propriis viribus bona opera facere, quibus mereretur primam gratiam. Semi-Pelagiani admittentes peccatum originale dicebant posse propriis viribus facere, si non bonum opus, saltem initium boni operis, cujus intuitu tamquam ex occasione Deus conferret primam gratiam. Ludovicus Molina in concordia disp. 10. docet bene utenti facultate naturali Deum numquam denegare gratiam, non quidem ex merito operis naturalis, sed ex pacto inter Deum et Christum inito, ut facienti quod in se est ex viribus naturæ, infallibiliter detur gratia, contra quos.

Dico. Homo lapsus nihil prorsus facere potest, quod ipsum quovis modo disponat ad gratiam sive actualem sive habitualem, nisi auxilio gratiæ actualis præveniatur.

Probat. 1. ex scriptura. Proverb. 8. dicitur: *Præparatur voluntas á Domino*; quod passim urget Aug. cont. Pelagianos et Semi-Pelagianos. Apostolo interroganti Rom. 11. «Quis prior dedit illi «et retribuetur ei? Quoniam ex ipso et «per ipsum et in ipso sunt omnia:» posset homo respondere secundum oppositam sententiam: ego prior dedi illi conatum et dispositionem meam, quæ est

ex me et non ex illo. Item interroganti *quis te discernit?* 1. Cor. 4. posset respondere: conatus et dispositio mea. *Quid habes quod non accepisti?* diceret conatum et dispositionem meam.

Probat. 2. ex concil. Arausicano 2. in quo can. 3. 4. 5. et pluribus sequentibus usque ad 25. damnantur Semi-Pelagiani, qui dicebant initium fidei et boni operis esse á nobis, et ejus intuitu Deum conferre gratiam, non quod esset meritum gratiæ, sed dispositio tantum, sive, conditio, sive, ut ait Cassianus collatione 3. cap. 14. occasio: « Præsto " namque est Deus, inquit, occasione " tantummodo á nobis bona voluntatis " oblata, ad hæc omnia conferenda.»

Concil. Trid. sess. 6. cap. 6. « Dis- " ponuntur autem, inquit, ad ipsam jus- " titiam, dum excitati divina gratia et " adjuti, fidem ex auditu concipientes, " libere moventur in Deum. »

Probat 3. ex August. S. Doctor passim urget contra Pelagianos et Semi-Pelagianos principia sequentia. Primum, quod est etiam omnium aliorum patrum: in negotio salutis dignationi gratiæ nihil penitus esse subtrahendum: subtraheretur autem aliquid, si dispositio ad gratiam non esset ex gratia. Secundum; Ecclesiam orare Deum non tantum ut volentes et conantes adjuvet, sed etiam ut ex nolentibus volentes fiant. Tertium; minimam præparationem ad gratiam esse bonam cogitationem, quam nec homo habere potest sine gratia præveniente, juxta illud 2. Cor. 3. « Non su- " mus sufficientes cogitare aliquid á nobis " quasi ex nobis;» et plura alia, quæ longius foret referre: sed nemini non notum est, quam acriter S. Doctor exagitaverit ubique Semi-Pelagianos contendentes initium boni operis esse á nobis, et ejus intuitu Deum nobis conferre gratiam.

Probatur 4. auctoritate et rationibus D. Thomæ. 1. S. Doct. quodlib. 1. a. 7. 0. dicit: « Ad errorem Pelagianum per " pertinet dicere, quod homo possit se " ad gratiam præparare absque auxilio " divinæ gratiæ: et est contra Apostolum, " qui dicit Philipp. 1. Qui cæpit in vo- " bis opus bonum, ipse perficiet.» Idque probat duplici ratione.

2. Super cap. 10. ad Rom. lect. 3. " Hoc ipsum, quod aliqui faciunt quod " in se est, convertendo se scilicet ad " Deum, ex Deo est movente corda ipso- " rum ad bonum. Thren. 5. converte " nos Domine ad te, et convertemur. » Idem docet l. 3. contra gentes cap. 149. et pluries alibi.

Hanc constantem doctrinam probat S. Doctor locis assignatis plusquam decem rationibus. Unam et alteram hic subjicio.

Primam habet in præsenti q. 109. a. 3. Principium et finis alicujus effectus debent sic proportionari: quod sint ejusdem ordinis; secundum enim ordinem agentium est ordo finium: atqui finis dispositionis ad gratiam est supernaturalis, scilicet finis proximus est ipsa gratia, finis remotus ipse Deus, ad quem ut auctorem supernaturalem gratia ordinatur: ergo.

Secunda desumitur ex q. 112. a. 3. cit. Omnis dispositio tam remota quam proxima debet habere quamdam proportionem cum forma ad quam disponit, alioquin quomodo ad eam disponeret? Atqui actus mere naturales nullam habent proportionem cum gratia supernaturali: ergo. Confirmatur: omnis dispositio appoximat subjectum formæ ad quam disponit, et eam quodammodo exigit: atqui actus naturales non approximant animam gratiæ neque eam ullatenus exigunt, cum sit ordinis superexcedentis omnes vires naturæ: ergo.

Ex his colliges sensum hujus antiqui et vulgaris axiomatis: " Facienti quod " in se est, Deus non denegat gratiam;» non esse quod facienti quod in se est ex viribus naturalibus, Deus non deneget gratiam ex pacto inito inter Deum

et Christum, ut bene utenti facultate naturali Deus infallibiliter conferret gratiam, ut finxit Molina; hunc enim sensum impugnant argumenta huc usque facta: si quidem in eo systemate opus bonum morale foret dispositio ad gratiam, si non ex se, saltem ex lege statuta, ex eaque haberet aliquam proportionem et aliquod jus ad auxilia gratiæ. His adde sequentia.

1. Concilium Arausicanum 2. can. 6. damnat eum qui dixerit "sine gratia "Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, misericordiam conferri:» conferretur autem supposito præfato pacto.

2. Quæro quodnam sit istud bonum opus naturæ, cui ea lex annexuit gratiam? An observantia totius legis? sed eam non posse præstari sine gratia probavimus. An observantia aliquorum præceptorum? Sed ut Aug. probat lib. 1. de peccat. merit. c. 22. et experientia constat, sunt inter infideles et peccatores qui plura legis præcepta observant, suntque minus mali, magis modesti, temperantes, misericordes, quos tamen gratia præterit, dum flagitiosissimos convertit.

3. Juxta Augustinum, inscrutabile est Dei judicium, cur unum trahat, alterum non trahat: at supposita dicta lege, id non foret inscrutabile, sed ratio facile redderetur, nempe quia iste facit quod in se est ex propriis viribus, non ille.

4. Repugnat Christum meruisse fieri á patre legem, qua destruatur ratio gratiæ, qualis foret ista lex. Ea enim posita, gratia datur ex operibus, et sic non est gratia; prævenitur á libero arbitrio, cum debeat liberum arbitrium prævenire; et partes priores dantur homini, posteriores Deo: quæ subvertunt totum systema gratiæ ab August. propugnatum.

5. In hac hypothesi currunt inconvenientia, de quibus supra, scilicet homo haberet id quo se discerneret, in quo gloriaretur, et quod non accepisset in ordine ad salutem, nimirum hoc bonum opus naturæ, quod ex stata lege conduceret ad salutem, et cui infallibiliter adesset gratia.

6. Tandem istud pactum nullum habet fundamentum, neque in scriptura, neque in conciliis, neque in Patribus; ergo est plane fictitium. Unde clerus gallicanus anno 1700. in commitiis generalibus illud reprobavit, ut "commentum temerarium, erroneum; nec solum tacente, sed etiam adversante "scriptura et SS. Patrum traditione "prolatum.»

Aliter itaque intelligi non potest istud axioma, quam intelligit S. Thomas, nempe "facienti quod in se est ex gratia, "Deum gratiam ulteriorem non denegare.»

ARTICULUS VIII.

De necessitate specialis auxilii gratiæ ad finaliter perseverandum.

Non agimus hic de perseverantia sumpta pro virtute seu habitu inclinante ad eligendum et proponendum perseverare, neque de ipso proposito perseverandi, sed de ipso actuali exercitio perseverantiæ in bono usque ad finem vitæ, sive ista perseverantia sit diuturna, ut contingere solet in adultis, sive brevis, ut contingit in parvulis statim post baptismum morientibus.

Dico. Ad perseverantiam finalem sive diuturnam sive brevem et brevissimam requiritur speciale auxilium.

Prob. 1. ex conciliis cit. art. præcedenti Araus. et Trid.

2. Auctoritate Augustini, qui toto libro de dono perseverantiæ hanc veritatem adversus Semi-Pelagianos propugnat.

3. Qui etiam brevissimo tempore perseverat usque ad finem vitæ, habet vere et proprie donum perseverantiæ: atqui donum perseverantiæ secundum definitiones conciliorum et patrum est ex speciali gratia: ergo. Minor patet ex

conciliis cit. Item ex eodem concil. trid. sess. 6. can. 16. et ex August. de dono perseverant. c. 2. á quibus perseverantia vocatur "magnum Dei donum: et "cap. 17, Videte, inquit, quantum sit "á veritate alienum negare donum Dei "esse perseverantiam usque in finem "hujus vitæ, cum vitæ huic, quando "voluerit, ipse det finem, quem si dat "ante imminentem lapsum, faciet ho-"minem perseverare usque in finem. "Sed mirabilior et fidelibus evidentior "largitas bonitatis Dei est, quod etiam "parvulis. . . . datur hæc gratia.

4. Conjunctio gratiæ cum morte est proprius effectus specialis providentiæ nempe prædestinationis, solis enim prædestinatis convenit et nulli alteri: ergo habetur per speciale auxilium.

Petes, in quo consistat istud speciale auxilium?

R. hoc auxilium non consistere in aliquo indivisibili, neque eodem modo omnibus dari, sed pura includere et intrinseca et extrinseca: cum enim donum perseverantiæ finalis formaliter consistat in conjunctione gratiæ cum fine vitæ ex efficaci gloriæ intentione imperata, illam Deus singulari providentia variis modis procurat: quibusdam accelerando mortem, ne cadant; aliis prorogando vitam, ut resipiscant; aliis subtrahendo pericula et tentationes, aut eas temperando; quæ omnia pertinent ad auxilia extrinseca; aliis in periculis et tentationibus constitutis vires augendo, ut vincant et insuperabiliter atque indeclinabiliter stent in bono usque ad finem; et hæc pertinent ad auxilia intrinseca.

DISSERTATIO XI.

De addendis quæstioni 110 de gratia Dei quantum ad ejus essentiam.

De gratia habituali seu justificante, ad quam sive acquirendam, sive acquisitam conservandam omnes gratiæ actuales ordinantur, quæque quidem est supernaturale Dei donum animæ permanenter inhærens per modum habitus, hic sermo procedit. Hæc est proprie gratia gratum faciens hominem Deo: quæ nempe eum facit filium Dei, fratrem Christi; membrum vivum corporis ejus, templum totius Trinitatis, quæ demum peccati maculas delet. De hac gratia aliqua investigabimus sequenti art.

ARTICULUS UNICUS.

De nomine, existentia et essentia Gratiæ sanctificantis.

Q. 1: *Quænam sunt nomina Gratiæ sanctificantis?* — R. Vocatur 1.° Gratia sanctificans: quia effectus ejus formalis est sanctum efficere subjectum, cui inhæret, sicut calor inhærens corpori reddit illud formaliter calidum. 2.° Gratia justificans: quia sicut calor expellit frigus, ita gratia formaliter expellit peccatum et inclinat ad omne opus bonum; justum enim dicimus eum, qui habitualiter dispositus est ad legem implendam. 3.° Adoptio: quia effectus ejus formalis est facere filios Dei adoptivos, juxta illud Rom. 8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater.)* Ob eamdem rationem dicitur 1. Joan. 3. v. 9. semen Dei, quatenus per illam nascuntur filii Dei, et consortes divinæ illius naturæ. 4.° *Pignus hæreditatis*, Eph. 1. v. 14. est enim titulus jus tribuens ad gloriam cœlestem: *Si...filii et hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, Rom 8. v. 17.

Q. 2. *Existitne gratia sanctificans?* —R. De fide est existere, Rom. 5. v. 1. "Justificati ergo ex fide pacem ha-"beamus ad Deum per Dominum nos-"trum Jesum Christum.„ 1. Corinth. 6. v. 11; "Abluti estis, sed sanctificati "estis, sed justificati estis in nomine "Domini nostri Jesu Christi, et in Spi-"ritu Dei nostri„ Atqui hæc sanctificatio, seu justificatio non fit nisi per gratiam sanctificantem, quæ ex Tridentino sess. 6, c. 7, est unica causa formalis justitiæ nostræ.

Q. 3. *Gratia sanctificans estne aliquid intrinsece inhærens?*

—R. Negant Lutherani et Calvinistæ, docentque gratiam justificantem esse extrinsecum Dei favorem condonantis peccata et imputantis justitiam, vel qua Deus ipse justus est, secundum Osiandrum et nonnullos Lutheranos, vel ipsam Christi justitiam secundum Lutherum et Calvinum. Magister sententiarum aliqua ex parte ad hunc errorem accessit, quatenus scilicet docuit charitatem esse ipsummet Spiritum Sanctum; quamquam S. Thomas 2-2, q. 23, a. 2. illum benigne interpretatur de charitate principiative sumpta, ita ut Spiritus Sanctus dicatur principium dilectionis independenter ab habitu charitatis, quem habitum iedm Magister non videtur admisisse proter illud 1. Joan. 4. v. 8. *Deus charitas est.* Contra Lutheranorum et Calvinistarum errores extat Canon. 11. sess. 6. concilii Tridentini, his verbis conceptus: "Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiæ "Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quæ "in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; "aut etiam gratiam qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit."

Respondeo itaque: De fide est gratiam sanctificantem esse quid creatum intrinsece inhærens. Probatur 1.° ex Scriptura; Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum.* Si per Spiritum Sanctum, ergo ab ipso distinguitur, sicut effectus á causa, fructus ab arbore, *fructus...Spiritus est charitas,* Gal. 4. Sed magis directe confoditur novatorum error Rom. 5, ubi scribit Apostolus: "sicut per "unius delictum in omnes homines in "condemnationem; sic et per unius jus"titiam in omnes homines in justificatio"nem vitæ. Sicut enim per unius... ino"bedientiam peccatores constituti sunt "multi; ita et per unius obeditionem "justi constituentur multi." Atqui non sumus constituti formaliter peccatores per solam extrinsecam imputationem peccati primi parentis, sed per maculam interiorem et per peccatum intrinsece inhærens, fatentibus adversariis; ergo neque sumus formaliter justi per imputationem justitiæ, sive Dei, sive Christi, sed per veram justitiam peccatum formaliter expellentem, et intrinsecus inhærentem. Nihil clarius illo textu.

Probatur 2.° ex Traditione.

S. Chrysostomus exponens illud Ephes. 1. *Gratificavit nos in dilecto Filio suo,* sic habet: « Hoc est, non solum « liberavit á peccatis, sed etiam fecit « amabiles. Quomodo enim si quis accep« tum aliquem scabiosum, et peste ac « morbo, senioque ac paupertate infec« tum, statim formosum fecerit juvenem « omnes homines pulchritudine vincen« tem, et postea purpura induerit, et om« ni ornatu ornaverit; ita nostram ins« truxit et ornavit animam: pulchram« que fecit, desiderabilem, amabilem, « cupiunt enim angeli talem aspicere ani« mam; ita etiam nos fecit gratissimos, et « sibi desiderabiles; concupiscet enim, in« quit, rex pulchritudinem tuam. » S. Ambrosius lib. de Initiandis c. 7, sic alloquitur baptizatum: « Accepisti vesti« menta candida, ut sint judicium, quod « exueris involucrum peccati, indueris « innocentia casta velamina. » S. Augustinus libro de Spiritu et Littera, capite 3. sic habet: "Charitas Dei dic"ta est diffundi in cordibus nostris, non "qua nos ipse diligit; sed qua nos facit "dilectores suos: sicut justitia Dei, qua "justi ejus munere efficimur, et Domini "salus, qua nos salvos facit, et fides Do"mini nostri Jesu-Christi, qua nos fi"deles facit. » Et Enchiridii capit. 52. "Quemadmodum in illo (Christo) vera "mors facta est, sic in nobis vera re"missio peccatorum; et quemadmodum "in illo vera resurrectio, ita in nobis "vera justificatio."

Probatur 3.° ratione duplici. Prima, per justificationem non solum homo desinit esse malus, seu peccator, sed etiam fit bonus et justus; atqui homo non fit bonus et justus per solam remissionem peccatorum, sicut nec albus per solam expulsionem nigredinis; neque per denominationem extrinsecam, seu imputationem justitiæ alienæ, "justum, et fortem, et bonum omnino virum ab opera "laudamus," inquit Aristoteles lib. 4. Ethicorum cap. 12. Secunda, si gratia sanctificans est ipsamet justitia Christi per fidem apprehensa est et imputata, parvuli non justificantur per baptismum quia per fidem justitiam Christi non apprehendunt, nec sibi applicant, utpote qui sint incapaces eliciendi ullius actus. Nec dicent adversarii, justitiam Christi parvulis applicari per divinam electionem, sive promissionem; quia apud ipsos sola fides justificat, et sacramenta eatenus prosunt, quatenus fidem excitant, et sigillant.

Q. 4. *Gratia sanctificans estne quid permanenter animæ inhærens?*

—R.: Certum est inhærere permanenter. Probatur 1.° ex scriptura, Joan. 14, v. 17: *Apud vos manebit* (Spiritus Sanctus) *et in vobis erit*, v. 16: *Alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum*; v. 33, *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*; 1. Joan. 4. v. 16: *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* 1, Cor. 6: *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis á Deo, et non estis vestri?* Atqui mansio et inhabitatio significant aliquid permanens. Deus autem cum accedit aut recedit, non mutat locum, utpote qui sit ubique, et omnem locum repleat, contineatque; sed dicitur accedere, cum novo modo alicubi operatur; recedere vero, cum desinit operari, quamvis semper præsentissimus adsit. Sic dicimus redire spiritum hominis, qui deliquium passus fuerat, cum solitas operationes repetit. Deus ergo venit ad peccatorem á quo recedere non potuit quando illum excitat, et transeunter in illo operatur sanctam cogitationem et pium voluntatis affectum; manet autem in justo quamdiu per continuum influxum gratiam sanctificantem in illo conservat, et per illam non solum assimilat sibi in moribus et virtutibus divinis, sed etiam consortem facit naturæ divinæ, ejusdem secum animi, desiderii et affectus. Justus quoque per charitatem in Deo manet; quia gratia sanctificans seu charitas ipsum avellit á terrenis cupiditatibus, omnes ejus potentias, sensus, appetitus, amores, operationes, cogitationes, intentiones ad Deum trahit, ut nonnisi Deum et divina cogitet, intendat, suspiret, nec nisi in illo quiescat.

Probatur 2.° ex decretis summorum pontificum, et conciliorum generalium. Innocentius III, *Majores*, tit. de baptismo, refert oppositas theologorum sententias circa baptismum parvulorum: alii contendebant in parvulis originale quidem peccatum remitti, sed "fidem "aut charitatem aliasque virtutes non "infundi," alii contra asserebant "dimitti peccatum, et virtutes infundi "habentibus illas quoad habitum, non "quoad usum." Cui posteriori sententiæ videtur adhærere summus pontifex. Sed clarius concilium Viennense can. de Summa Trinitate et Fide catholica, sic enim statuit: "Quantum ad affectum "baptismi in parvulis reperiuntur quidam doctores theologi opiniones contrarias habuisse. Quibusdam ex ipsis "dicentibus per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri; alii é contra asserentibus, quod et culpa eisdem in baptismo remittitur, et virtutes ac gratia informans infundatur quoad habitum. Nos..... opinionem secundam, "tamquam probabiliorem, et dictis sanctorum, ac doctorum modernorum "theologiæ magis consonam et concor-

" dem, sacro approbante concilio, duxi-
" mus deligendam. »

Denique concilium Tridentinum sess. 5, in decreto de peccato originali, sub anathemate absolute definit 1.° Parvulos veraciter baptizari in remissionem peccatorum, *ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.* 2.° In eisdem non solum tegi, aut non imputari, sed etiam tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet. 3.° Quod *novum.....* (induentes hominem) *innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Quæ cum sine gratia sanctificante stare nequeant, manifestum est concilium definivisse per baptismum gratiam sanctificantem parvulis infundi quoad habitum; nam omnis actus sunt incapaces. Confirmatur: Parvuli, qui ad ætatem adultam perveniunt, per gratiam baptismalem, quæ supponitur in ipsis permanere, non aliter sunt justi et sancti, quam alii adulti, qui per sacramentum pœnitentiæ Deo reconciliantur; ergo gratia sanctificans est in adultis æque ac in parvulis aliquid permanens per modum habitus. Et ita refellitur sententia quorumdam theologorum, ut Vasquesii, qui docent hominem justificari per justitiam actualem, seu per actus supernaturales virtutum, præsertim charitatis.

Q. 5. *Utrum sit de fide gratiam sanctificantem esse quid permanens?*

R. 1.° non fuisse ut dogma fidei receptum ante concilium Tridentinum, ut patet ex cit. cap. *Majores*, et concilio Viennensi, ubi non proscribitur opposita sententia. — R. 2.° Post concilium Tridentinum theologi varie opinantur. Soto lib. 2. de natura et gratia c. 17. et sequentibus Melchior Canus lib. 7. de locis theologicis c. 2. et alii, fatentur id non sine ingenti temeritate posse negari; sed contendunt non esse contra fidem. Bellarminus lib. 1. de gratia et libero arbitrio cap. 3. Suarez, lib. 6. de gratia, c. 3. n. 6. et alii, affirmant veritatem hanc esse definitam de fide á concilio Tridentino, quibus consentit Catechismus romanus, qui sic habet ubi de baptismo; " Est autem gratia, quemad-
" modum Tridentina synodus ab omni-
" bus credendum pœna anathematis pro-
" posita decrevit, non solum per quam
" peccatorum fit remissio, sed divina
" qualitas animæ inhærens. » Alii docent responsionem nostram ex verbis concilii elici tamquam conclusionem; ac proinde oppositam sententiam esse erroneam; sed negant esse expresse definitam, et fide divina credendam.

Carthesiani philosophi, qui non admittunt accidentia realiter distincta á substantiis, sive materialibus, sive spiritualibus, tutos se putant á censuris concilii Tridentini: quia agnoscunt divinas impressiones et modificationes in anima justi permanentes per modum habitus, qui tamen non sit qualitas, aut alia entitas realiter distincta; non enim credibile est, inquiunt, Tridentinos Patres voluisse exagitare et definire quæstionem philosophicam prorsus inutilem in materia de qua agebatur. Nimirum proscribendum susceperant novatorum errorem, quo justificationem reponebant in externo Dei favore et statuendum dogma catholicum, nempe justificationem perfici per interiorem spiritus immutationem et renovationem; atqui illa renovatio perfectius et divinius perficitur per modificationem et impressionem Spiritus Sancti inhabitantis, quam per qualitatem realiter distinctam. Sed præter quam quod illa modificatio valde improprie á Patribus Tridentinis inhærens diceretur, cum non sit quid distinctum ab anima: satis est ad nostrum institutum, quod illa Carthesianorum sententia negans formas accidentales á substantia realiter distinctas, non semel fuerit rejecta, ut principiis fidei dissentanea, á celeberrimis Academiis, Lovaniensi, anno 1662, Pari-

siensi, anno 1624, 1671, 1691, 1693 et 1705.

Q. 6. *Gratia sanctificans estne quid realiter á charitate distinctum?*

—R. affirmat S. Thomas, et ejus schola; quia sicut virtus naturalis hominem in esse naturali perfectum ita virtus supernaturalis eumdem in esse supernaturali constitutum supponit; atqui charitas est virtus supernaturalis, gratia vero sanctificans constituit hominem in esse divino et supernaturali: ergo charitas præsupponit gratiam sanctificantem, tamquam novam naturam, secundum quam homo dicitur regenerari, nasci filius Dei; ac proinde gratia sanctificans realiter distinguitur á charitate, illud ipsum videtur agnoscere concilium Viennense citata Clementina de Summa Trinitate, ubi ait in baptismo conferri gratiam informantem et virtutes. Concilium quoque Tridentinum sess. 6, cap. 7, distinguit gratiam sanctificantem á virtutibus; docet enim ibidem justificationem fieri per susceptionem gratiæ et donorum. Contra negant Magister sententiarum, sanctus Bonaventura, Scotus, Durandus et alii, gratiam sanctificantem á charitate realiter distingui; quia in scripturis omnes effectus gratiæ sanctificantis tribuuntur charitati. Charitas expellit peccatum, Luc. 7: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Hominem reddit Deo gratum, Joan. 14: *Qui... diligit me, diligetur á Patre meo, et ego diligam eum.* Consortem efficit divinæ naturæ, ac proinde filium Dei adoptivum et hæredem Joan. 4: *Qui manet in charitate, in Deo manet: et Deus in eo.* Et Jac. 1, v. 12: *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Denique charitas est radix omnium bonorum operum, 1, Cor. 13: *Charitas patiens est, benigna est,* etc.

Facilis est responsio ad argumenta posterioris sententiæ, scilicet gratiæ sanctificantis effectus ideo tribui charitati quia perfecta charitas est ultima dispositio ad gratiam sanctificantem, ita ut ab ea separari nequeat: eadem quippe solent dici de proxima dispositione, quæ dicuntur de forma, quam introducit, v. g., de summo calore æque dicitur ac de igne, quod comburat, inflammet, etc. Sed hanc controversiam scholæ dirimendam relinquimus; quia ad salutem fidelium nihil interest scire an gratia sanctificans et charitas realiter distinguantur, modo noverint dona illa simul in justificatione conferri.

Q. 7. *Utrum gratia sanctificans sit participatio divinæ naturæ?*

—R. Gratia sanctificans est participatio divinæ naturæ, non moraliter tantum consistens in rectitudine voluntatis et imitatione sanctitatis justitiæ Dei in suis operibus, sed etiam physica, non hoc sensu, quod per gratiam natura divina quoad essentiam communicetur homini; sed hoc sensu, quod sit donum, á natura quidem divina distinctum, sed eam analogice et imperfecte imitans ac exprimens, juxta illud expressum S. Petri Epist. 2. c. 1. "Per ipsum (Christum) "maxima et pretiosa nobis promissa do- "navit, ut per hæc efficiamini divinæ "consortes naturæ. »

Ratio est: per naturam divinam intelligimus id, quod in Deo concipitur, ut radix divinarum perfectionum et principium radicale divinarum operationum, scilicet seipsum intuitive videndi, seipsum amore beatifico diligendi, omnia extra se propter se faciendi: atqui gratia sanctificans hanc fontalem et primitivam Dei perfectionem physice imitatur et exprimit; ergo. Prob. min. Homo justus vi gratiæ sanctificantis radicaliter disponitur et propendet in Deum intuitive videndum, in ipsum amore beato diligendum, et ad omnia propter ipsum facienda: insuper est radix virtutum infusarum, quæ sunt divinorum attributorum imagines et participationes: ergo.

Q. 8. *In quo subjectetur gratia?*

—R. Subjectari in ipsa essentia ani-

mæ, et non in aliqua ejus potentia. Quia perfectio potentiæ est virtus activa: gratia autem non est virtus activa, sed aliquid prius virtute, ut diximus: ergo. Confirmatur: per gratiam regeneramur in filios Dei: atqui generatio prius terminatur ad essentiam, quam ad potentias: ergo.

Q. 9. *Quomodo definitur gratia sanctificans?*

—R. Ex præmissis responsionibus erui debet ejus definitio in hunc modum. Gratia sanctificans est supernaturale Dei donum intrinsecus inhærens per modum habitus, quo homo formaliter redditur justus, sanctus, Deo gratus, filius Dei adoptivus est hæres vitæ æternæ.

Dicitur 1. *supernaturale Dei donum*; ut significetur gratiam sanctificantem non esse ipsummet Spiritum Sanctum, sed ab ipso emanare tanquam effectum á causa. Dicitur 2.° *intrinsece inhærens*, contra Lutheranos et Calvinistas, asserentes gratiam justificantem esse extrinsecum Dei favorem, quo peccata condonat, et imputat justitiam seu merita Christi. Dicitur 3.° *per modum habitus*, quo significatur gratiam sanctificantem esse quid permanens. Dicitur 4.° *quo homo formaliter redditur justus*; sic enim concilium Tridentinum de justificatione loquitur sess. 6, c. 7: "Non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, "et renovatio interioris hominis per vo"luntariam susceptionem gratiæ et do"norum. Unde homo ex injusto fit jus"tus, ex inimico amicus, ut sit hæres "secundum spem vitæ æternæ.» Et infra: "Demum unica formalis causa» (justificationis) "est justitia Dei, non qua "ipse justus est, sed qua non justos fa"cit; qua videlicet á Deo donati reno"vamur spiritu mentis nostræ, et non "modo reputamur, sed vere justi nomi"namur, et sumus, justitiam in nobis "recipientes.» At, inquies, quomodo merum accidens tantæ efficaciæ esse potest, ut omnia peccata quantumlibet enormia statim deleat, et ex impio justum et sanctum efficiat?

—Respondeo: Quamvis illud sit omni admiratione dignissimum, pluribus tamen exemplis suadetur esse possibile. Namque modicum fermentum totam massam prorsus immutat, ignis præeunte calore poros ferri frigidi ingrediens, nativum ejus frigus formaliter expellit, ipsumque ferrum candens et ignitum reddit. Sed, quod ad propositum maxime confert, lumine fidei mentem hæretici vel etiam athei innumeris erroribus implicatam, subeunte, mox ignorantiæ tenebræ fugiunt, et cuncti errores evanescunt. ¿Quidni gratia sanctificans corda, in quibus diffunditur, similiter immutet et renovet, peccata, quibus non minus contraria est, quam frigori calor, statim expellat, voluntatemque sic ad Deum convertat, et erga divinam ejus legem efficiat ut homo omne malum summe aversetur, et ad omnia quæ Dei sunt totus propendeat?

Quod autem gratia sanctificans cor hominis sic immutet, paginæ utriusque testamenti aperte testantur. Jeremiæ 31, v. 33: « Dabo legem meam in vis"ceribus eorum, et in corde eorum "scribam eam. Ezech. 11. v. 19: Da"bo eis cor unum, et spiritum novum "tribuam in visceribus eorum: et au"feram cor lapideum de carne eorum, "et dabo eis cor carneum, ut in præ"ceptis meis ambulent.» Nihil luculentius prophetico illo testimonio pro interiori pœnitentis renovatione, á concilio Tridentino definita. Aufertur ab eo cor lapideum, id est, durum, intractabile et inexorabile; simulque confertur cor novum, carneum, molle flexibile et obsequens ad Dei nutum. Jam opus non est, sicut prius prolixa et molesta argumentationum congerie ad suadendum mundi contemptum, carnis mortificationem, et alia evangelii præcepta; ad primam vel pastoris vocem, vel evangelii lectionem statim acquiescit, repugnante

licet concupiscentia, divina enim illa præcepta in corde gerit inscripta non atramento, sed spiritu Dei, non characteribus inanimis, sed vitalibus affectibus experiturque, quam verum sit illud Apostoli, 1. ad Tim. cap. 1. *Lex justo non est posita*; quia etsi lege teneatur, illa tamen non premitur, non urgetur, non refrenatur: sed ei condelectatur secundum interiorem hominem.

Non inferiora testimonia ex novo testamento proferuntur in confirmationem doctrinæ concilii Tridentini, unum aut alterum ex bene multis seligimus, 1, Joan. 3, v. 9: « omnis qui natus est ex " Deo, peccatum non facit; quoniam se- " men ipsius in eo manet et non potest " peccare (nisi degenerem se præbeat) " quoniam ex Deo natus est. » Gratiam sanctificantem vocat Apostolus semen Dei, ut meminerimus ejus infusionem speciem habere divinæ cujusdam generationis, et nos per illam fieri consortes divinæ naturæ, ut docet Apostolorum princeps secundæ epistolæ c. 1, ubi de Christo loquens sic habet: «Per quem " maxima et pretiosa nobis promissa do- " navit, ut per hæc efficiamini divinæ " consortes naturæ. » Non quidem essentialiter (quod solis tribus personis sanctissimæ Trinitatis convenit), neque hypostatice (quod humanitati Christi proprium est), sed per gratiam sanctificantem, utpote quæ veram amicitiam inter Deum et creaturam constituat; amicitia autem perfectissima et maxime spiritualis ac divina postulat intimam Dei præsentiam in homine; ita ut si per impossibile Deus non esset ubique, præsens tamen fieret animæ gratia informatæ; præsens inquam non sicut dominus præsens est in domo, quam inhabitat; sed sicut anima in corpore, quod vivificat, seclusis tamen imperfectionibus; non enim Deum adest ut forma informans, aut pars componens, sed ut principium vitæ supernaturalis, animam movens et elevans ad statum, qui transcendit omnem ordinem etiam angelicum, et quemlibet etiam possibilem. Unde merito S. Petrus asserit gratiam sanctificantem esse donum pretiosum et omnium maximum. Atque ex hac explicatione facile intelliguntur reliquæ definitionis partes, quibus dicitur gratiam sanctificantem formaliter reddere sanctum, Deo gratum, filium Dei adoptivum et hæredem vitæ æternæ. Namque 1.° sanctitas est immunitas ab omni labe peccati, et plana firmaque adhæsio cultui divino; atqui gratia ex dictis per se formaliter excludit peccatum, et inclinat hominem ad omnia, quæ Deo sunt placita; ergo sanctum formaliter reddit eum, cui confertur. 2.° Quomodo non gratus esset Deo, qui divinæ ejus voluntati in omnibus est consentiens: *Non enim est justus, nisi qui gaudet justis*, ut dicitur 1, Eth. c. 8. Justus autem est Dominus, et justitiam dilexit; ergo diligit et gratos habet quotquot novit voluntati suæ conformes; in hoc quippe justitia adæquate consistit. Unde S. Hieronymus in cap. 10. Danielis ait: *Omnis sanctus in se habens animæ pulchritudinem, á Domino amatur*. Nec dicas, gratiam actualem esse gratiam gratum facientem, ac proinde non esse proprium gratiæ sanctificantis, hominem reddere Deo gratum; nam gratia actualis gratum efficit secundum quid dumtaxat; quatenus nempe est principium boni operis, quod cum Deo acceptum sit, ratione illius peccator dicitur Deo gratus, quamvis secundum suam personam displiceat, et sit objectum odii divini. Sed cum per gratiam sanctificantem homo á labe peccati sit purus, et divinæ voluntati in omnibus consentiens, per illam persona ejus simpliciter et absolute efficitur Deo grata, juxta illud sapient. 7: *Per nationes in animas sanctas se transfert* (Sapientia); *amicos Dei et Prophetas constituit*. Hinc 3.° per gratiam sanctificantem homo fit filius Dei adoptivus, non denominatione extrinseca et

morali tantum; quemadmodum in civilibus persona extranea ad succedendum in hæreditate assumpta, dicitur in filium adoptata. Namque ex laudato capite 3, 1 Joan., gratia sanctificans est semen Dei, quo homo fit consors naturæ divinæ, eo quo diximus, modo; Christo filio Dei naturali conjungitur tamquam membrum capiti, et eodem vivens spiritu: *Videte*, inquit dilectus discipulus, primæ Epist. c. 3. v. 1, *qualem charitatem nobis dedit Pater, ut filii Dei nominemur et simus.* Unde

Ultimo sequitur quod gratia sanctificans hominem constituat hæredem vitæ æternæ. Nam ex Apostolo Rom. 8: *Si... filii, et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, hoc est, ejusdem gloriæ cum Christo participes. Liceat ergo absolutum á peccatis compellare verbis S. Leonis serm. 1, de Nativit.: »Agnosce, ó christiane, dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cujus capitis et corporis sis membrum.»

Verum, pro dolor? quod hæresis Ecclesiæ eripere non potuit, ignorantia neglectum et quodammodo inutile reddit. Quis enim æstimat quod ignorat, aut expetit quod non æstimat? Atqui vulgus fidelium, ne dicam pastorum, justificationem non aliter apprehendit, quam Lutherani et Calviniani, nempe ut meram peccatorum condonationem: nulla peccatoribus cura aut cogitatio de interiori spiritus renovatione: unum á Deo precantur, scilicet peccatorum veniam, quia aliud á pastoribus non sunt edocti.

Nec dicant pastores quæ hactenus explicata sunt, sublimiora esse, quam ut á plebe percipi possint. Namque in hoc positi sunt, ut evangelizent investigabiles Dei divitias in justificatione impii, quas præparavit in laudem gloriæ gratiæ suæ, assiduis precibus sibi et subditis obtineant spiritum sapientiæ et revelationis in agnitione hujus mysterii, quod est summa doctrinæ christianæ, et sublimis gloria, quam Ecclesia habet in Christo Jesu. Hinc Apostoli toti sunt in suis Epistolis, ut tam admirabile Dei donum fidelibus commendent, refricent et inculcent. Hujus rei gratia gentium Apostolus scribit ad Ephesios cap. 1. se non cessare in orationibus suis memoriam eorum facere, "ut Deus inquit, Domini "nostri Jesu Christi Pater gloriæ det "vobis Spiritum sapientiæ et revelatio"nis in agnitione ejus; illuminatos ocu"los cordis vestri, ut sciatis, quæ sit "spes vocationis ejus, et quæ divitiæ "gloriæ hæreditatis ejus in sanctis, et "quæ sit supereminens magnitudo vir"tutis ejus in nos, qui credimus secun"dum operationem potentiæ virtutis "ejus, quam operatus est in Christo, "suscitans illum á mortuis, et consti"tuens ad dexteram suam in cœlesti"bus.» Magnifica sunt illa Apostoli verba in laudem gratiæ sanctificantis, et omnino ponderanda. Optat discipulis spiritum sapientiæ, id est, ampliorem sapientiam, qua mysterium gratiæ sanctificantis magis quotidie ac magis ipsis patefiat; illuminatos quoque oculos cordis, ut perfectius in dies cognoscant, quæ et quanta sint bona, ad quæ vocati sunt et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus, id est, quanta potentia usus fuerit Deus, ut á statu peccati ad justitiam traducerentur. Tanta, inquit, potentia usus est Deus in nobis sic spiritualiter suscitandis et immutandis, quanta usus est in Christo corporaliter á morte resuscitando, et ad dexteram suam evehendo. Similia jam scripserat ad Romanos cap. 6, et repetit in epistola ad Coloss. cap. 3. Non ergo Apostoli credentibus promitebant nudam peccatorum veniam et condonationem, sed veram spiritus immutationem, qua in novam vitam translati, expoliato vetere homine, viderentur tamquam ex mortuis viventes.

Solvuntur objectiones.

Expendamus jam quæ novatores con-

tra hanc apostolicam doctrinam solent opponere.

Objiciunt 1.°: 1 Cor. 1, v. 30, Christus dicitur factus nobis «sapientia á Deo "et justitia, et sanctificatio. Et Rom. "5. v. 19: Per unius obeditionem, justi "constituentur multi;» ergo justificatio peccatoris perficitur per imputationem justitiæ Christi absque interiori peccatoris immutatione. — Distinguo anteced.; Christus factus est nobis justitia efficienter et meritorie, concedo; formaliter et per solam imputationem, nego ant. Solutio evidens est in ipso textu cap. 5. ad Rom. Ibi enim Apostolus confert Adamum cum Christo, docetque, quod sicut per primi inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per secundi obedientiam justi constituentur multi. Atqui inobedientia Adami non est causa formalis, sed efficiens peccati originalis posterorum, fatentibus ipsis adversariis, qui cum catholicis agnoscunt (quamvis sensu hæretico) peccatum originale inesse cuique proprium. Ergo in mente Apostoli obedientia Christi non est justitia nostra formalis, sed est causa efficiens et meritoria, cur justitia á Deo nobis infundatur, et inhæreat.

Instant: Atqui justitia Christi est causa formalis justificationis nostræ. Ratio enim propter quam Deus diligit justum, est sane causa formalis justificationis ejus; quemadmodum causa formalis, propter quam proximum ex charitate diligimus, est bonitas divina in eo relucens. Atqui ratio propter quam Deus diligit justum, est Christi justitia et meritum. Ergo causa formalis justificationis nostræ est justitia et meritum Christi.

Confirmatur: sicut absurde diceretur Deum parvulos nondum renatos odisse propter Adamum, cum peccatum originale in ipsis existens sit motivum et ratio formalis odii divini: ita pariter si in justis admitteretur gratia sanctificans, tamquam ratio formalis divini amoris, abusive diceretur á Deo diligi in Christo, vel propter Christum.

Nego subsumptum. Ad primam ejus confirmationem, respondeo negando majorem, quia aliud non est motivum, quo Deus creaturas diligit, quam ejus bonitas infinite sui communicativa: ac proinde gratia sanctificans est effectus seu terminus divini amoris, non vero causa. Homines quidem bonum supponunt in iis quos diligunt; Deus contra amando homines, ex malis bonos efficit. Dilexit nos in Christo ante mundi constitutionem; quia per Christum mediatorem nostrum voluit nos ad se adducere. Qua bonitate peccatores in tempore per Christi merita prævenit, ut justi fiant eadem bonitate justos efficit, et eatenus novo et longe excellentiori modo illos diligit, quia nova et longe excellentiora dona in ipsis producit et conservat, nempe gratiam sanctificantem cum ejus appendicibus. Ergo gratiam sanctificans, licet sit formalis causa justificationis, motivum tamen non est divini amoris, sed effectus et terminus.

Respondeo ad secundam confirmationem negando paritatem; quia latum est discrimen inter odium divinum (si tamen datur proprie in Deo) et amorem divinum; Adamum quoque inter et Christum Dominum. Odium quippe divinum, malum culpæ, quod est ejus objectum, non facit, sed supponit; amor vero divinus bonum circa quod versatur efficit, non supponit. Deinde Adamus non est caput posterorum, eo singulari modo, quo Christus est caput renatorum; quamvis enim parvuli ex origine per Adami inobedientiam corrupta, trahant peccati maculam; Adamus tamen jam sanctus et beatus, illam directe non impertit quemadmodum Christus, qui factus est nobis sanctificatio et justitia, sanctitatem influit. Unde Deus parvulos nondum renatos odit, non propter Adamum præcise, sed propter peccatum originale in ipsis existens. Contra vero renatos dili-

git in Christo, et propter Christum, qui per gratiam sanctificantem et communicationem sui spiritus in ipsis vivit et operatur, ut impleatur quod patrem rogaverat pridie passionem, Joan 17, v. 21 et 26, « ut omnes unum sint, sicut tu " Pater in me, et ego in te, ut et ipsi " in nobis unum sint; ut credat mundus " quia tu me misisti; » hoc est, tam illustri exemplo vitæ sanctioris mundum ad me trahant, et... « dilectio, qua dile« xisti me, in ipsis sit et ego in ipsis, » utpote unum totum conficientibus conflatum ex capite et membris.

Objiciunt 2.° illud Psalmi 31: «Beati " quorum remissæ sunt iniquitates, et " quorum tecta sunt peccata: Beatus vir, " cui non imputavit Dominus peccatum.» Ergo peccata in justificatione non delentur; sed teguntur dumtaxat per Christi justitiam credentis imputatam. — Resp. 1.°, opponendo alios scripturæ textus luce clariores. Psalm. 50: *Lavabis me, et super nivem dealbabor*; nulla sane macula in homine sic dealbato. Isaiæ 44: «Delevi ut nubem iniquitates tuas. Rom. " 8. Nihil ergo nunc damnationis est " iis, qui sunt in Christo Jesu. 1. Co- " rinth. 6: Hæc quidam fuistis, sed ablu- " ti estis sed sanctificati estis.» Ephes. 5, dicitur Christus seipsum tradidisse, " ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ec- " clesiam non habentem maculam aut " rugam.» Resp. 2.°, peccata in justificatione teguntur, quo modo dicimus tegi colorem album, cum superinducto colore nigro: evanescit albus. Ita hunc psalmi locum interpretati sunt sancti patres. S. Augustinus Enarr. in Psal. 31, scribit: « Ne sic intelligas, quod dixit pec- " cata cooperta, quasi ibi sint et vivant.» Quæst. 108 in Exodum, dicit fieri confessionem peccatorum, « ut per gratiam " aboleantur, hoc est, tegantur.» Et lib. 1. contra duas epistolas Pelagii c. 13: " Dicimus baptismum auferre crimina, " non radere.» Enim vero quis beatum dixerit hypochritam, qui oculis hominum abscondit cordis malitiam? nam oculis Dei omnia sunt pervia et manifesta. Peccata ergo Deo tegi nequeunt, nisi prorsus aboleantur.

Psalmus autem tres gradus in justificatione distinguit. 1.° Deus peccata remittit, cum jam propitius prævenit peccatorem et præteritam offensam condonat. 2.° Peccata tegit, cum justitiam et charitatem superinducit tamquam formam peccatis oppositam, et eorum expultricem. 3.° Peccata non imputat, cum insuper reatum pœnæ temporalis expungit, ut in baptismo. Unde S. Basilius in hunc Psalmi locum scribit plus esse peccata tegere quam remittere; et non imputare, quam tegere. Quamquam plures interpretes existimant tria illa verba esse prorsus synonyma.

Instant ex Apostolo Gal. 3, v. 27: « Quicumque enim in Christo baptizati " estis, Christum induistis:» ergo justitia Christi per fidem apprehensa, circumdamur tamquam vestimento, quo teguntur corporis maculæ et deformitates. — Nego consequentiam et paritatem. Qui enim vestem assumit, non exuit maculas et deformitates corporis, sed tegit. At ex eodem Apostolo Col. 3, v. 9, qui induit Christum, exuit veterem hominem, adeo ut nihil in eo remaneat peccati et damnationis: « expoliantes vos, " inquit, veterem hominem cum actibus " suis, et induentes novum. Nihil ergo " nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu. » Rom. 8. et cap. 6, v. 2 et 4: "Mortui sumus peccato..... ut quo- " modo Christus surrexit á mortuis per " gloriam Patris, ita et nos in novitate " vitæ ambulemus.» Atqui Christus resurgens corruptionem carnis et mortalitatem non texit per indumentum gloriæ, sed prorsus deposuit. Ergo pariter ad mentem Apostoli ita Christum in baptismo induimus, ut omnem peccati maculam exuamus. Porro Apostolus justificationem pingit sub metaphora indumenti, ut ostendat eum, qui exit ex

fonte baptismali, vel ex tribunali pœnitentiæ, sicut interius vivit Spiritu Christi, ita debere Christum ad vivum exhibere in exteriori conversatione: quemadmodum speciem regis referret, qui regia veste esset indutus.

Objici possunt varii scripturæ textus pro sententia quorumdam catholicorum, qui formam justificationis in actibus reponunt, Rom. 2, v. 13: *Factores legis justificabuntur*; Jac. 2: *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo*; 1 Joan. 3: *Qui facit justitiam justus est.* Et quidem juxta omnium hominum mentem, apud quos justum esse, nihil aliud est, quam bene operari. Ergo formalis justificatio reponenda est potius in actibus supernaturalibus virtutum, præsertim charitatis quam in gratia habituali.

Nego conseq.; namque ex laudatis textibus colligi tantum potest, quod homo bonis operibus vel disponitur ad justificationem, vel meretur in justitia augeri, vel probat se esse justum, juxta illud Jac. 2, v. 18: *Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.*

DISSERTATIO XII.

De addendis quæstioni 111 de divisionæ gratiæ.

ARTICULUS I.

De variis gratiæ divisionibus, et præcipue de celebri divisione in sufficientem et efficacem.

Gratia ut sic Theologice sumpta, prout de ea hic agimus, est "donum supernaturale gratis á Deo concessum creaturæ rationali intuitu meritorum Christi, in ordine ad salutem æternam." Gratia sic sumpta

Dividitur 1. in externam et internam. Externa est, quæ hominem intrinsece non afficit, sed extrinsece tantum, ut sunt lex divina, prædicatio Evangelii, miracula, exempla Christi et sanctorum, occasiones bene agendi providentia supernaturali præparatæ, occasiones peccandi eadem providentia remotæ: uno verbo omnis effectus providentiæ supernaturalis ad salutem nostram ordinatus. Gratia interna est, quæ hominem intrinsece afficit, sive hærendo ut gratia habitualis et virtutes infusæ, sive interius movendo, ut sunt gratiæ actuales intellectus et voluntatis.

2. Gratia interna dividitur in gratiam gratis datam et gratiam gratum facientem. Gratia gratis data est, quæ per se primario ordinatur ad salutem aliorum: gratia gratum faciens est, quæ per se primario ordinatur ad salutem recipientis.

Gratiæ gratis datæ enumerantur novem species ab Apostolo 1. Cor. 12. scilicet sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetiæ donum, discretio spituum, genera linguarum, interpretatio sermonum.

3. Gratia gratum faciens dividitur in habitualem et actualem. Habitualis duplex: una formaliter sanctificans, et est gratia habitualis residens in essentia animæ, ut dictum est: altera est sanctificans complete, et sunt virtutes infusæ. Gratia actualis est, quæ concurrit efficienter ad justificationem, quatenus per eam Deus movet ad vitam pie instituendam, et ad opera salutaria efficienda, quibus vel disponimur ad gratiam habitualem, vel eam conservamus, vel ejus augmentum meremur, et hæc gratia actualis dividitur etiam in operantem, et cooperantem.

4. Dividitur amplius gratia in prævenientem et subsequentem, quæ omnes prædictæ divisiones gratiæ perbelle ab auctore explicantur in quæstione 111. ideoque lectorem ibi remittimus.

5. Tandem dividitur gratia in sufficientem et efficacem. Sufficiens ad aliquid dicitur duplicitur. 1. Simpliciter et ex omni parte, ita ut nihil aliud requiratur in quovis alio genere. 2. Secundum quid et in certo genere, ita ut nihil ulterius requiratur in isto genere, licet aliquid aliud requiratur in alio genere, ut fu-

sius explicabitur infra. Per gratiam sufficientem hic non intelligimus eam, quæ simpliciter et ex omni parte sufficit; sed eam, quæ in suo genere, hoc est, in ratione potentiæ agendi sufficit: per gratiam autem efficacem intelligimus eam, quæ hanc potentiam applicat ad actum. Huic notioni conveniunt variæ definitiones, quæ de utraque circumferuntur. Gratia sufficiens est, quæ confert facultatem bene agendi; efficax, quæ præbet bonum usum hujus facultatis. Item gratia sufficiens est, quæ dat bonum posse si velimus; efficax, quæ facit ut velimus. Item gratia sufficiens est gratia possibilitatis; efficax gratia actionis. Et tandem juxta Aug. gratia sufficiens est auxilium *sine quo non*; gratia efficax auxilium *quo*. Omnes coincidunt. Hæc est celeberrima gratiæ divisio, circa quam moventur gravissimæ difficultates, quas in sequentibus articulis elucidare conabimur.

ARTICULUS II.

Systema S. Thomæ et eius discipulorum circa gratiam sufficientem et efficacem.

Schola Thomistica post suum Doctorem agnoscit 1. Necessitatem duplicis gratiæ sufficientis et efficacis pro omni statu. Gratiam sufficientem omnibus dari, aut saltem offerri; gratiam efficacem aliquibus tantum conferri. 3. Utramque esse absolute gratuitam. 4. Gratiam efficacem esse talem per se et ex intrinsecis, hoc est, ex omnipotentissima Dei voluntate. 5. Ex hac efficacia nullum inferri præjudicium libertati. Singula cum principiis S. Thom. quibus innituntur, compendiose explicantur.

Necessitas duplicis gratiæ.

1. Deus est prima et immediata causa omnium entium naturalium et supernaturalium.

2. Homo ex causa secunda subordinata primæ in agendo, ex se indifferens et indeterminata ad agendum vel non agendum, et insuper ex se incapax, præsertim viribus peccato debilitatis efficiendi ullum actum supernaturalem et meritorium salutis.

3. Actio, et potentia agendi sunt duo entia distincta, tam in ordine supernaturali, quam naturali; quorum primum est nobilius, et perfectius secundo.

Ex his principiis, quæ locum habent in omni statu, inferunt Thomistæ necessariam esse tam in statu innocentiæ, quam in statu naturæ lapsæ, duplicem gratiam in ordine ad salutem; alteram minus perfectam et minus validam, quæ dat tantum posse, elevat, et reddit hominem aptum actui supernaturali, vocatur *sufficiens*; alteram perfectiorem et validiorem, quæ potentiam determinat et confert actionem, vocatur *efficax*; ita ut numquam contingat, quod hæc potentia, quam confert gratia sufficiens, agat, aut obtineat suum principalem et ultimum effectum nisi ope gratiæ efficacis: alioquin Deus desineret esse causa prima et immediata actionis, et creatura, quæ, non obstante potentia et elevatione collata per gratiam sufficientem, est semper indifferens, sibi ipsi daret determinationem, quam non habet, fieretque prima causa suæ salutis: sic tamen, quod sua culpa careat gratia efficaci, quam Deus præsto est illi dare, et quam offert in sufficienti: nisi mala voluntate peccando cursum gratiæ sufficientis interciperet; et efficaci impedimentum apponeret. Hæc ex S. Thom. in c. 3. ad Ephes. Lect. 2. 1. 2. q. 109. art. 1. et. 2. 0. Ibid. art. 9. et 10. 2. 2. q. 137. art. 4. 3. cont. gent. cap. 88. et 159. 1. 2. q. 113. art. 7. et 10. et alibi.

Quantum ad ordinem moralem docent, quod, cum vires naturales, quas homo in sua creatione accepit, non sint per peccatum destructæ, sed imminutæ tantum, posssit adhuc viribus propriis aliquod bonum morale saltem facilius facere; et ut actu faciat, opus sit tantum concursu generali, qui tamen aliquo sensu sit specialis et gratuitus, ut dictum est. in D. 10. Ita

S. Thom. quæst. 24. de verit. art. 14. 1. 2. quæst. 85. art. 1. et 2. 0. 2. 2. quæst. 10. art. 2. et 5.

Distributio gratiæ.

Est in Deo duplex voluntas super salutem hominum, una antecedens, conditionata, et inefficax, vera tamen et sincera salvandi omnes. Altera, consequens, absoluta, et efficax salvandi aliquos tantum, ut in salvandis eluceat misericordia, in reprobandis justitia cæteraque in utrisque Dei attributa.

Qui vero vult finem, vult media necessaria ad illum assequendum; et eo modo vult media, quo vult finem. Cum ergo Deus velit sincere, sed inefficaciter, salvare omnes, debet dare omnibus auxilia sufficientia, quibus possint salvari, ita quod, si non salventur, non sit quia non possunt, sed quia nolunt, et voluntarie peccando ponunt obstaculum gratiæ efficaci, quæ dedisset velle et agere. Ex altera parte cum velit efficaciter salvare aliquos, debet illis dare auxilia efficacia, quibus reipsa salventur. Hæc ex S. Thom. super 12. Heb. Lect. 3. in 1. d. 46. q. 1. art. 1. Ibid. d. 40. quæst. 4. art. 2. 2. 2. quæst. 137. art. 4. 1. p. q. 109. art. 6. et alibi.

Gratuitas, seu independentia gratiæ.

Utraque voluntas in Deo super salutem hominu mest merus effectus ejus infinitæ misericordiæ, prorsus independens ab eorum meritis; consequenter gratiæ, quæ ex ea promanant, sunt pariter mere gratuitæ. Unde Apost. Rom. 11. *Non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.*

Insuper homo nihil ex se habet, quod ipsi conferat jus ad gratiam, aut Deum astringat eam illi dare. Quidquid habet ex se homo, est vel peccatum, vel meritum humanum. Peccatum ipsum reddit gratia indignum: meritum humanum, cum sit inferioris ordinis ad gratiam, non est illi sufficienter proportionatum, ut sit illius meritum, imo nec dispositio ad illam; dispositio enim debet esse ejusdem ordinis cum forma, ad quam disponit. Ita ex S. Thom. 1. 2. quæst. 112. art. 3. et 6. q. 114. art. 5. 0. 109. art. 6. et alibi.

Efficacia gratiæ.

Suppositis, quæ primo dixi, Deum per gratiam esse primam et immediatam causam nostræ salutis, omnium actionum nostrarum supernaturalium et meritoriarum; hominem vero non esse nisi causam secundam primæ subordinatam, eamque ex se semper indifferentem et indeterminatam sequitur necessario, quod hæc gratia non fiat efficax, seu non habeat efficaciam ex consensu liberi arbitrii; quandoquidem in his principiis iste consensus quovis modo consideretur sive in instanti quo datur, sive ut prævisus futurus in congruis circumstantiis, sit semper effectus et numquam causa hujus efficaciæ et semper sit verum dicere arguendo á priori, ideo hominem consentire, quia gratia est efficax; numquam vero ideo gratiam esse efficacem, quia homo consentit; alioquin, ut jam observavi, Deus non esset causa prima et immediata hujus consensus, consequenter nec salutis, et creatura hanc sibi prærogativam arrogaret. Igitur ex omnipotentissima Dei voluntate et supremo ejus dominii super voluntates nostras hæc gratia habet suam vim et infallibilem efficaciam. Et hoc est, quod exprimitur et intelligitur hac phrasi, *gratia per se efficax.* Ita S. Thom. q. 6. de malo 1. p. quæst. 19. art. 8. 0. et ad 2. in 2. d. 25. quæst. 1. art. 2. 1. 2. quæst. 10. art. 4. Item iis omnibus locis et ferme innumeris, in quibus docet Deum ut primum movens et primam causam movere et applicare voluntates nostras.

Libertas perfecta sub gratia per se efficaci.

Tandem, cum hæc Dei omnipotentia non sit minus universalis, quam efficax, et se extendat ad omnia entia et omnes differentias ac modos entium, motio, quæ ex illa profluit, non solum confert actio-

nis substantiam, sed etiam modum, quo fieri debet conformiter ad naturam causæ secundæ; ita ut, si sit causa necessaria, moveat ut necessario agat; si sit causa libera, moveat ut libere agat, et sublata dumtaxat indifferentia passiva relinquit integram indifferentiam activam, hoc est, veram et completam potentiam iisdem stantibus circumstantiis non agendi, illi resistendi, oppositum faciendi, non secus ac si ipsa, voluntas sola se determinaret. Quod ut clarius intelligas, attende motionem seu gratiam efficacem ad actum supponere utramque potentiam agendi, et non agendi, neutrum conferre, sed actum dumtaxat; positio autem actus non destruit potentiam ad oppositum, sicut homo stando non destruit in se potentiam sedendi: intellige tamen potentiam antecedentem et in sensu diviso. Hæc ex S. Thom. quolib. 1. art. 7. ad 2. 1. Perhierm. Lect. 14. 1. p. q. 19. art. 8. q. 83. art. 1. ad 3. et alibi.

ARTICULUS III.

Varia discrimina inter systema Thomisticum et Jansenianum.

Confer modo præsens systema cum Janseniano, facile et palam intelliges hæc tantum inter se distare tam in principiis, quam in conclusionibus, quantum distat ortus ab occidente, lux á tenebris, verum á falso. Id breviter oculis subjicio.

1. Jansenius negat pro hoc statu voluntatem antecedentem in Deo sinceram et activam salvandi omnes: Thomistæ illam admittunt. 2. Jansenius non agnoscit pro hoc statu aliam gratiam, nisi efficacem; Thomistæ ultra efficacem agnoscunt sufficientem. 3. Jansenius non agnoscit aliam causam necessitatis gratiæ, quam infirmitatem naturæ lapsæ: Thomistæ ulterius eam repetunt ex dignitate et prerogativa primæ causæ et primi motoris, præsertim in ordine salutis, ex subordinatione causarum secundarum ad primam, ex earum indifferentia et indeterminatione, atque ex improportione ad opera supernaturalia. 4. Jansenius sub gratia efficaci non agnoscit veram expeditam et relativam potentiam ad oppositum: Thomistæ eam agnoscunt. 5. Jansenius docet, solam gratiam efficacem dare verum et completum posse; Thomistæ docent gratiam efficacem supponere verum et completum posse per gratiam sufficientem collatum, eamque istud posse tantum applicare ad actum. 6. Jansenius reponit libertatem essentialem in sola immunitate á coactione, libertatem hujus status requisitam ad merendum et demerendum in immunitate á necessitate invariabili, non variabili; Thomistæ utramque reponunt in immunitate ab omni necessitate tam invariabili, quam variabili. 7. Jansenius non agnoscit in homine lapso veram et activam potentiam agendi vel non agendi pro nutu, sed meram flexibilitatem ab una necessitate ad aliam sub gratia et cupiditate alternatim dominante. Hoc figmentum numquam somniarunt Thomistæ, sed abhorrent, veram activam et relativam potentiam ad quodlibet sub utraque profitentes. 8. Tandem quinque damnatis Jansenii propositionibus quinque contradictorias ex S. Thom. opponunt.

Contra primam, docent cum S. Thom. *q.* 24. de verit. art. 14. ad 1. « Illud, « quod præcipit Deus, non esse impos« sibile homini ad servandum » Et quodlib. 2. art. 6. « Nullum teneri ad hoc, « quod est supra vires suas, nisi per mo« dum, quo fit sibi possibile » et cum eodem in 2. d. 28. art. 3. in arg. s. c. ex Hieron. « ei, qui Deum dicit præcipere « impossibilia, anathema » dicunt. Contra secundam, agnoscunt cum S. Thom. in c. 5. 1. Thessal. lect. 2. in c. 6. 2. Cor. lect. 1. 1. 2. q. 106. art. 2. ad 2. et alibi, gratiam interiorem, cui resistitur in hoc statu naturæ lapsæ. Contra tertiam dicunt cum S. Thom. quæst. 6. de malo art. 0. ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ requiri in ho-

mine libertatem á necessitate, seu libertatem indifferentiæ, et non sufficere libertatem á coactione, ut vult Jansenius cum sua delectatione cœlesti vel terrestri. Contra quartam, vide, quæ modo dicebam de libertate sub gratia in systemate Thomistarum, art. præced., et locis ibi citat. Contra quintam, agnoscunt etiam Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Verum audiamus ipsum Jansenium sese áThomistis secernentem. 1. Lib. procem. ad 2. Thom. c. 9. multum deblaterat et invehit in scholasticos, eorumque methodum, et dicit eos in explicandis scripturis, Patribus, et Conciliis esse minus idoneos, « quod, inquit, « in S. Thom. et Caietano demonstratum « est. » Ep. 16. « Audeo dicere, mihi « compertum esse, quod, si utraque, tum « Jesuitarum, cum Thomistarum schola, « usque ad extremum judicii diem dis- « putatura sit, tantum á veritate sit aber- « ratura, in quantum utraque ab ipsa « centum leucis distat. » Ibid. « Cum Au- « gust. degusto, fastidit Thomas. » 2. Lib. 8. de grat. Christi c. 2. statuit septem discrimina inter suam et Thomistarum sententiam, quorum tertium est specialiter notandum: « Prædetermi- « natio physica, inquit, talis esse dicitur, « ut in quibuscumque circumstantiis col- « locetur, semper faciat facere et opere- « tur effectum suum, omnemque superet « resistentiam; Christi adjutorium nullo « modo. Nam delectatio victrix, quæ « Augustino est efficax adjutorium, re- « lativa est. Tunc enim est victrix quan- « do alteram superat. Quod si alteram « ardentiorem esse contingat, in solis « inefficacibus desideriis hærebit ani- « mus, nec efficaciter umquam volet, quod « volendum est. » Verissimum sane discrimen, verissima Jansenismi tessera, in qua fere tota ejus medulla continetur. Quintum et sextum discrimen in hoc reponit, quod gratiæ Thomisticæ necessitas ex subordinatione causarum secundarum ad primam et ex earum indifferentia repetatur ; adjutorium autem Christi ex vulnere naturæ per peccatum inflicto. Septimum, quod gratia efficax secundum Thomistas sit necessaria etiam statui innocentiæ; secundum vero Aug. ipsi capitaliter repugnat. Deinde loquens de Thomistis: " magis profecto, inquit, " sunt Aristotelici, quam Augustiniani: " nam talis prædeterminatio sic asserta, " non solum nullo testimonio ejus (Au- " gustini) probari potest, sed potius " universam doctrinam ejus, innumeris " locis traditam, inexplicabili confusione " perturbat. » Et infra: " Totum ergo " fundamentum gratiæ medicinalis Chris- " ti funditus evertitur, dum gratiæ ne- " cessitas, non ex vulnere voluntatis, " sed ex naturali ejus indifferentia et " omnium causarum naturali subordi- " natione sub altiore suspenditur. » Et " cap. 5. loquens de modo, quo Thomistæ conciliant libertatem cum gratia efficaci, quatenus nempe sub gratia determinante voluntatem ut velit et agat, simul manet potestas ut non velit et non agat, dicit nullum hujus doctrinæ vestigium reperiri in Aug. et " quod nus- " quam talem sententiam nec per tran- " sennam insinuat. " Eant modo doctrinæ Thomisticæ osores, eamque ut Jansenianam traducant.

Merito sane dixit P. Stephanus Dechams, societatis scriptor l. 2. de Hæresi Janseniana, Disput. 6. c. 9. apud Gonetum in Apologia: " nullos huic " doctrinæ infensiores reperiri, quam " qui post natam Calvinismi hæresim ex " S. Dominici ordine, cæterisque ejusdem " sacramenti theologis maioris erudi- " tionis et ingenii laude floruerunt. " Et disp. 3. cap. 3. redarguens eos, qui Thomistas cum Jansenianis confundunt, addit: " ast istud falsitatem omnem su- " perat, et ab iis cum stomacho ride- " tur, quibus utraque opinio nota est " atque perspecta. "

ARTICULUS IV.

¿Utrum detur in hoc statu naturæ lapsæ gratia sufficiens?

Conclusio. Præter gratiam efficacem datur in statu naturæ lapsæ gratia sufficiens. Est contra Jansenium, nec videtur salva fide posse negari.

Prob. 1. gratia sufficiens est quæ dat posse facere bonum salutare, etiam in iis qui illud non faciunt, seu que dat facultatem sancti operis, sed effectu carentem culpa voluntatis creatæ; atqui datur hujusmodi gratia in statu naturæ lapsæ. Ergo. Major est notio gratiæ sufficientis, prout eam intelligimus. Prob. min. 1. de fide est, mandata Dei esse possibilia justis, qui tamen illa non implent, ut definitum est á Concil. Trid. sess. 6. cap. 11. et can. 8. et á summis pontificibus in condemnatione primæ propositionis Jansenii: ergo datur eis gratia, qua possibilia fiant; non enim eis sunt possibilia viribus naturæ, præsertim cum inter ea sint supernaturalia; et hæc gratia non est efficax, quia, ut suppono, ea non implent: ergo sufficiens.

Probat. 2. eadem min. ex SS. Aug. et Th. Augustinus lib. de nat. et grat. c. 43. docet Deum non præcipere impossibilia: ergo supponit dari gratiam, qua possibilia fiant, etiam in iis, qui ea non servant: ergo gratiam sufficientem. S. Th. 1. 2. q. 106. a. 2. ad 2. "Nova lex, "inquit, quantum est de se, sufficiens "auxilium dat ad non peccandum."

His adde hanc secundam Jansenii propositionem damnatam: *Interiori gratiæ numquam resistitur*: ergo datur gratia interior cui resistitur, quæque ideo non est efficax, sed sufficiens tantum.

Solvuntur objectiones.

Objiciunt 1. Janseniani plures textus Augustini, quibus requirit gratiam efficacem, ut homo possit velle et facere bonum.

R. Augustinum intelligendum esse de potentia consequente et conjuncta cum actu, non de potentia antecedente et meræ possibilitatis.

Inst. Aug. de corrept. et grat. cap. 10. 11. 12. in hoc statuit discrimen inter gratiam status innocentiæ, et gratiam status naturæ lapsæ, quod gratia sufficiens esset propria statui innocentiæ, gratia vero efficax sit propria statui naturæ lapsæ: ergo juxta Augustinum nulla datur gratia sufficiens tantum in statu naturæ lapsæ.

R. N. ant. Equidem docet Augustinus Adamo datam fuisse tantum gratiam sufficientem ad perseverandum, et nunc dari prædestinatis efficacem; at non dicit hanc esse propriam huic statui, et illam propriam statui innocentiæ; in hoc autem inter utriusque status gratiam ponit discrimen, quod homo in hoc statu ad perseverandum actu indigeat non solum gratia secundum communem cursum movente et applicante, sed gratia speciali sanante et roborante ejus infirmitatem: Adam vero, cujus natura erat sana et robusta, indiguerit tantum gratia secundum communem cursum applicante et movente, non altera speciali præter communem cursum sanante et roborante.

Obj. 2. Juxta Thomistas omnis gratia interior, etiam illa, quam vocant sufficientem, habet effectum: ergo omnis gratia interior est efficax et nulla mere sufficiens.

R. D. ant. Omnis gratia habet effectum imperfectum minus principalem, C. perfectum et principalem, ad quem datur, N. unde D. conseq. Ergo omnis gratia est efficax secundum quid et cum addito minuente, C. simpliciter et absolute, N. explicatur.

Equidem docent Thomistæ nullam esse gratiam actualem intrinsece receptam, etiam illam quam vocant sufficientem, que non habeat aliquem effectum, quia impossibile est, quod Deus moveat meam voluntatem et mea voluntas non moveatur, actio enim moventis in moto est motus. Verum quia effectus, quem

producit gratia, quæ remanet sufficiens, non est principalis, quem intendit et ad quem datur, (etenim et ex voluntate Dei illam dantis et ex propria natura tendit ad ulteriorem et perfectiorem effectum, puta vel conversionem, vel actum meritorium, quam non obtinet, siquidem ad eum disponat, et potentiam conferat) ideo non potest dici simpliciter et absolute efficax; sed é contra dicendo sub restrictione, quod sit efficax quantum ad aliquem et minus principalem effectum, scilicet potentiam plus vel minus proximam agendi, debet dici simpliciter et absolute inefficax, eo quod non obtineat principalem effectum, ad quem ordinatur et disponit et pro quo confert potentiam: quia juxta Philosophos denominatio simplex et absoluta alicujus rei petitur ab eo, quod est in ea perfectius et principalius.

ARTICULUS V.

¿Quo sensu admittenda sit gratia sufficiens?

Conclusio. Admitenda est gratia sufficiens sensu Thomistico, non alio.

Prob. gratia sufficiens sensu Thomistico est, quæ confert homini facultatem bene agendi, ultra quam ut bene agat, aut bene utatur hac facultate, requititur altera validior, scilicet efficax: atqui admittenda est gratia hoc sensu sufficiens: ergo. Min. quoad primam partem, nempe admittendam esse gratiam, quæ det posse facere bonum etiam iis, qui non faciunt, probata manet ex articulo præcedenti. Prob. secunda pars, actio bona est quid distinctum á potentia bene agendi, quid nobilius et perfectius ipsa et quod præcipuum est in negotio salutis: atqui Deus est prima et immediata causa salutis et omnis actus salutaris: ergo sicut per gratiam sufficientem constituitur prima et immediata causa potentiæ bene agendi, ita per gratiam efficacem á sufficienti distinctam constitui debet prima et immediata causa actus salutaris.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Ista gratia non est sufficiens, præter quam alia requiritur: atqui præter gratiam sensu Thomistico sufficientem alia requiritur: ergo. Patet mai. Quia sufficiens est, præter quod nihil requiritur.

R. D. mai. Ista gratia non est sufficiens ex omni parte et in omni genere, præter quam alia requiritur, C. mai. non est sufficiens in suo genere, N. mai. Ad cujus sensum D. min. Atqui præter gratiam Thomistice sufficientem requiritur altera in diverso genere, C. min. in eodem genere. N. min. Unde ad probat. mai. similiter D. Illud est sufficiens, præter quod nihil aliud requiritur in quovis alio genere, subdistinguo: et hoc solum dicitur sufficiens, N. et insuper dicitur sufficiens id, præter quod nihil aliud requiritur in suo genere, licet aliud requiratur in diverso genere, C.

Dicimus itaque gratiam, quæ sic dat homini facultatem bene agendi, ut si non agat, non ideo fit quia non potest, sed quia non vult, dicimus inquam talem gratiam proprio et naturali sensu atque juxta communem loquendi modum esse et vocari sufficientem, quamvis ad actu agendum requiratur altera efficax. Equidem non est sufficiens in omni genere et ordine, cum requiratur alia alterius generis et ordinis; sed est sufficiens in suo genere et ordine: et dicimus, quod sic loqui sit loqui in sensu proprio et prout communiter loquimur. Enim vero quotidie dicimus ignem esse sufficientem ad comburendum licet ultra debeat applicari subjecto combustibili; panem esse sufficientem ad nutriendum, quamvis præterea debeat masticari, deglutiri, et concoqui; intellectum esse sufficientem ad intelligendum, licet numquam intelligat, nisi ulterius adhibeantur species et moveatur objecto per ulteriorem motionem; passionem Christi esse sufficientem ad nos salvandos, etiamsi numquam

nos salvet, si aliunde nobis ejus merita non applicentur, et sexcenta alia; sic inquam loquimur sermone communi. Sic loquitur S. Th. eadem exempla proferens hic q. 109. a. 1. 0. et 3. p. q. 61. a. 1. ad 3.

Sicut ergo cum dicimus ignem esse sufficientem ad comburendum, intellectum ad intelligendum, panem ad nutriendum, passionem Christi ad nos salvandos, istæ phrases non significant in sensu proprio et communi loquendi modo, ad comburendum, intelligendum, nutriendum, nos salvandos, de facto nihil aliud requiri in quovis alio genere, præter vel ignem, vel intellectum, vel panem, vel passionem Christi; sed tantum quod quantum ad virtutem comburendi, intelligendi, nutriendi, nos salvandi, non alia requiratur virtus quam vel ignis, vel intellectus, vel panis, vel passionis Christi: ita cum dicimus gratiam esse sufficientem ad bene agendum, ista phrasis in sensu proprio et secundum communem modum loquendi non significat ad actu agendum nihil aliud requiri in quovis alio genere, sed tantum quod sine quavis alia virtute ejusdem ordinis conferat nobis sufficientem facultatem bene agendi, si velimus. Quapropter imperite nobis objicitur, quod abutamur terminis, quodque doceamus gratiam sufficientem, quæ non sufficit.

Inst. Omissa quæstione de nomine, et dato gratiam Thomistice sufficientem posse sano sensu dici sufficientem, quatenus dat sufficienter posse: saltem est revera insufficiens ad actu operandum seu actu observandum mandatum; atqui ad hoc debet esse sufficiens quia Deus non præcipit nobis ut possimus observare mandata, sed ut de facto observemus: ergo. Prob. mai. Illa gratia est insufficiens ad observandum actu mandatum, cui ad actualem observationem deest aliquid, quod non est in nostra potestate: atqui gratia efficax, quam Thomistæ requirunt ad actualem observantiam, deest, et non est in nostra potestate: ergo.

R. N. mai. Ad prob. D. min. Gratia efficax non est in nostra potestate, ut effectus, qui illi subsit, C. ut causa, quæ illi præsto adsit, N. Deus enim quantum est ex se, paratus est omnibus, qui habent gratiam sufficientem, dare efficacem, nec eam illi denegat nisi propter culpam, quæ saltem ordine et natura præcedit subtractionem gratiæ efficacis.

Objic. 2. Gratia Thomistice sufficiens est prorsus inutilis: ergo non est admittenda. Prob. ant. Illa gratia est inutilis, qua nemo unquam utitur; atqui gratia Thomistice sufficienti nemo unquam utitur: ergo.

R. cum Goudin, D. ant. gratia Thomistice sufficiens est inutilis ex se, N. per accidens defectu hominis, C. Dat enim ex se verum posse, quod utile est; quod si homo eo non utatur, hominis, non gratiæ culpa est: Deus autem sicut in natura, sic in gratia multa præstat ex se utilia, quæ nostro defectu carent effectu. Ad id, quod additur gratia Thomistice sufficienti neminem unquam uti, D. Nemo utitur gratia Thomistice sufficienti, reduplicative ut mere sufficienti, C. specificative ut dat facultatem boni: N. Gratia sufficiens potest dupliciter considerari, quod, ut observat laudatus Goudin, plerique non satis advertunt. 1. Ut est mere sufficiens, sub qua ratione connotat permissionem Dei, ut homo ei desit illique resistat; et hoc sensu verum est neminem illa gratia bene uti. 2. Spectari potest quoad propriam entitatem et proprium præcise effectum, qui est dare posse bonum, et hoc sensu falsum est neminem ea bene uti; nam plerique illa sic considerata bene utuntur et bene agunt; licet hoc ipsum, quod bene ea utantur, sit effectus gratiæ efficacis. Sicut ergo virtus fructificandi in plantis non est frustra, licet in plerisque propter defectus accidentes

remaneat sine effectu, quia in aliis fructum fert; ita á pari in nostro casu.

ARTICULUS VI.

¿Quid, et quotuplex sit auxilium gratiæ sufficientis.

Conclusio. Auxilium sufficiens non consistit in aliquo uno determinato indivisibili, sed in pluribus concurrentibus ad actus nostros, unoquoque in suo genere et inadæquate.

Prob. Nomine auxilii sufficientis intelligimus id omne, quod Deus nobis concedit, ut possimus facere opus salutare, ita ut non defectu auxilii, sed hominis se divino auxilio subtrahentis bonum omittatur aut malum fiat: atqui Deus nos multiplici modo adjuvat ad bonum modo exterius per legem, per prædicationes, exhortationes, exempla, miracula, flagella, beneficia, etc. modo interius per mentis illustrationes, voluntatis motiones, et habitus infusos virtutum: ergo. Confirmatur. Auxilium sufficiens est, cui homo resistit: atqui scriptura exhibet plura genera gratiarum, quibus homo resistit, qualia sunt, quæ modo recensebam: ergo.

Hinc colliges varias esse divisiones auxilii sufficientis. 1. Dividitur in externum et internum. Ad externum pertinent, quæ jam dixi, lex, prædicatio, exhortatio, exempla, miracula, adversitates, beneficia, imo certa rerum creatarum dispositio per specialem providentiam directa et imperata in ordine ad salutem. Internum, est quod Deus intra hominem operatur ad ipsum promovendum in bonum et avocandum á malo. Est duplex: unum transiens ut sunt illustrationes mentis et motiones voluntatis; alterum permanens, ut sunt habitus infusi.

2. Dividitur auxilium sufficiens in morale et physicum. Ad morale pertinent auxilia externa, quibus Deus vel ostensione boni, vel comminatione mali, ad bonum nos movet. Ad illud etiam pertinent illustrationes mentis, quæ quamvis respective ad mentem sint physicæ, respective tamen ad voluntatem sunt morales, quatenus eam tantum movent objective, propositione boni vel mali. Physicum est, quo Deus, ut causa efficiens, hominem movet, operando in voluntate et eam immutando.

3. Dividitur auxilium sufficiens in proximum et remotum. Proximum est, quo quis immediate potest bonum opus facere, ut sunt v. g. habitus infusi respective ad suos actus. Remotum est, quo quis non est quidem proxime potens ad actum, sed tamen potest facere aliquid facilius, quod si faciat, perveniet ad actum: v. g. peccator non est proxime potens ad superandas graves tentationes, sed potest per gratiam orare, quod si faciat, fiet proxime potens ad vincendas tentationes. Hanc differentiam indicat Trid. Sess. 6. cap. 11. ex Aug. dum dicit: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere, quod possis*: en auxilium proxime sufficiens; *et petere, quod non possis*; ecce remote sufficiens. Hæc distinctio est apprime utilis ad solvendas plures difficultates.

ARTICULUS VII.

De gratia efficaci.

¿Unde repetenda sit ejus efficacia, et an sit per se efficax?

Gratiam efficacem intelligimus hic eam, quæ reipsa habet effectum et cui non resistitur, ita ut quanta vi polleat, si non sortiatur effectum, non sit efficax; quia sumitur hic gratia efficax, prout distinguitur á sufficiente. Sufficiens dicitur quæ dat posse, efficax quæ dat agere.

Dari hoc sensu gratiam efficacem nullus negat. Sed difficultas est, eaque gravissima et celeberrima, ¿unde hæc gratia habeat, quod sit efficax? Non dico, unde habeat vim qualitercumque efficiendi, quod est esse efficax in actu primo; certum est enim, quod habeat á Deo: sed unde habeat, quod certo et infallibiliter obtineat consensum nostrum, quod est

esse efficax in actu secundo, et eo modo, quo intelligimus hic gratiam efficacem, ut patet ex dictis.

Puri Molinistæ efficaciam gratiæ repetunt ab eventu, ita ut juxta illos non dentur nisi gratiæ ex se sufficientes, quæ fiunt efficaces ex consensu voluntatis humanæ, seu quia voluntas humana illis consentit.

Congruistæ efficaciam infallibilem gratiæ repetunt ex directione scientiæ mediæ et quia datur in eis circumstantiis, in quibus prævissa est habere effectum; sed quia neque circumstantiæ neque præscientia quidquam virtutis conferunt gratiæ, ut fatentur ipsimet congruistæ, etiam in hac sententia, sicut in sententia Molinæ repetitur efficacia gratiæ ex ipso consensu voluntatis, ita ut sit efficax, quia voluntas consentit, non autem voluntas ideo consentiat, quia est efficax: unde in utroque systemate gratia sufficiens et efficax non distinguuntur entitative et per sua intrinseca, sed in systemate Congruistarum per circumstantias extrinsecas: eadem enim entitative gratia, quæ est efficax in uno, qui consentit, est inefficax in altero, qui non consentit.

Thomistæ repetunt efficaciam gratiæ ex intrinsecis, sive ex omnipotentissima Dei voluntate et supremo dominio, quod habet super voluntates hominum sicut in cetera creata: ita quod inter, gratiam et effectum sit connexio infallibilis, non solum infallibilitate præscientiæ, ut volunt congruistæ, sed causalitatis, neque infallibilitas operationis fundetur in præscientia nostri consensus, sed é contra præscientia nostri consensus fundetur in infallibilitate divinæ causalitatis.

Conclusio. Efficacia gratiæ repetenda est, non ex eventu, neque ex directione scientiæ mediæ, aut congruitate circumstantiarum, sed ex omnipotentissima Dei voluntate, atque ejus supremo dominio in voluntates nostras, sicque est per se infallibiliter efficax, non infallibilitate scientiæ tantum, sed et causalitatis.

Hanc conclusionem directe probant gravissimi auctores Gotti, Billuart et alii. Nos eam compendiose probabimus, sic.

Probatur ex scriptura.

Primo Apost. 1. Cor. 4. dicit: « Quis « te discernit? Quid habes quod non ac- « cepisti? Si autem accepisti, quid glo- « riaris quasi non acceperis? » Atqui si gratia non sit efficax ex se consensus nostri, sed ipsum expectet á nobis et per eum fiat efficax, homo habet aliquid quod non accepit, et in quo possit gloriari et se discernere ab altero, qui æquali gratia præventus non consentit, nempe ipsum consensum gratiæ, quem non habet á gratia, sed á se: ergo. Hoc argumentum fusius deductum et varias adversariorum responsiones require de prædictis auctoribus.

Secundo. Juxta Scripturam Deus facit ut faciamus, Ezech. 86. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Facit ut velimus. Philip. 2. *Operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate.* Facit de nolentibus volentes, auferendo duritiam et resistentiam voluntatis et dando obedientiam seu consensum, Ezech. 11. et 36. « Auferam á vobis cor lapideum, et " dabo vobis cor carneum.» Unde Aug. de Prædest. Sanc. c. 8. « Hæc gratia, " quæ occulté humanis cordibus divina " largitate tribuitur, á nullo duro cor- " de respuitur; ideo quippe tribuitur, " ut cordis duritia primitus auferatur. » Atqui Deus non dat nobis ut velimus et faciamus, non aufert cor lapideum, id est cor resistens, non dat cor carneum, id est cor docile et consentiens, non aufert duritiam et resistentiam cordis per gratiam pendulam et permissam libero voluntatis arbitrio, expectantem ejus obedientiam vel resistentiam, ejus consensum vel repulsam, ut patet ex terminis; sed per gratiam vi propria effectricem bonæ volitionis et cordis docilis, obe-

dientis, et consentientis, atque victricem duritiei et resistentiæ voluntatis: ergo.

Tertio. Juxta scripturam gratia est infallibiliter efficax consensus nostri ex omnipotentissima Dei voluntate et supremo dominio, quod habet super voluntates nostras. Ergo non ex consensu voluntatis humanæ. Prob. ant. Esther 13. Mardochæus orans Deum, ut convertat cor Regis Assueri Judæis infensi, dicit: «Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cunta sunt posita, et non est qui possit resistere tuæ voluntati, si decreveris salvare Israel.... Dominus omnium es, nec est qui resistit majestati tuæ.» Et cap. 14. Regina Esther sic orat: «Domine Rex Deorum et universæ potestatis.... transfer cor illius in odium hostis nostri:» et cap. 15. subjungitur: «Convertitque Deus «spiritum regis in mansuetudinem;» quibus verbis infallibilitas et efficacia motionis et gratiæ divinæ refertur evidenter ad Dei omnipotentiam et non ad consensum Assueri prævisum. Unde Aug. 1. ad Bonif. c. 20. expendens hæc verba dicit: «Cor regis.... occultissima et efficacissima potestate convertit et transtulit ab indignatione ad lenitatem.» Item Proverb. 21. cor regis in manu Dei comparatur divisionibus aquarum in manu hortulani: "Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.» Eccli. 33. homo in manu Dei comparatur luto in manu figuli: Isa 10. comparatur securi, virgæ, baculo, in manu hominis iis utentis prout vult: quibus comparationibus manifestum fit, Deum vi suæ potestatis et dominii de voluntatibus ad nutum disponere, non vero ab eis expectare quid voluerint.

Probatur ex Augustino.

Et primo ex terminis, quibus S. Doct. exprimit gratiæ efficaciam l. 1. de peccat. meritis cap. 9. vocat gratiam efficacem *Spiritus Sancti occultissimam gratiam.* Libro de gratia Christi capit. 24. «Internam, occultam, mirabilem, ac ineffabilem potestatem, qua Deus operatur in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.» Libro 4. contr. Jul. capit. 8. «Omnipotentissimam voluntatem.» Lib. 1. cont. 2. Epist. Pelag. c. 20. «Occultissimam et efficacissimam voluntatem ac potestatem, quæ convertit et transfert corda hominum ab indignatione ad lenitatem.» Libro de corrept. et grat. «Inclinandorum cordium omnipotentissimam potestatem.» De prædest. Sanct. c. 8. «Gratiam quæ á nullo duro corde respuitur; quia ad tollendam cordis duritiam primitus datur.» Atqui hæc competunt gratiæ per se et ex intrinsecis efficaci, nullatenus gratiæ permissæ libero arbitrio, et quæ ab ejus consensu aut circumstantiis loci vel temporis redditur efficax: nam 1. hæc gratia non operatur occultis, miris, et ineffabilibus modis; causa enim cur operetur, est in hoc systemate obvia et aperta, scilicet consensus humanæ voluntatis. 2. Non est potentissima et efficacissima, si quidem nihil possit operari, si voluntas humana resistat. 3. Non efficit ut homo sit volens et consentiens, cum é contra sit efficax, quia homo vult et consentit. 4. Denique non inclinat corda quo et quando Deo placet, sed potius homo flectit divinam potentiam quo et quando sibi placet: ergo.

Secundo. Aug. de Prædest. SS. c. 10. dicit: "Quando promisit Deus Abrahæ in semine ejus fidem gentium, eam non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines: quia etsi faciant homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant quæ præcipit, non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit. Alioquin ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate, et quod á

"Domino promissum est, ab ipsis red-
"ditur Abrahæ: non autem sic credidit
"Abraham, sed credidit dans gloriam
"Deo, quoniam quæ promisit, potens
"est et facere, non ait prædicere, non
"ait præscire..... sed potens est fa-
"cere, ac per hoc facta, non aliena, sed
"sua.» Atqui si gratia non sit per se efficax consensus nostri ad fidem aut pietatis opus, sed ipsum expectet et ab ipso pendeat ut sit efficax, sequitur 1. Quod quando Deus promisit fidem Abrahæ, non de sua prædestinatione, sed de nostræ voluntatis potestate promisit. 2. Quod promisit, non quod ipse facturus erat, sed quod homines. 3. Quod ipse non faciat, ut faciant homines quæ præcipit, sed illi faciant ut ipse faciat quod promisit. 4. Quod ut Dei promissa impleantur, non in Dei, sed in hominum sit potestate. 5. Quod potens sit prædicere et præscire quæ promisit, sed non potens facere, cum hæc pendeant á voluntate humana, sicque quod facta aliena non sua promiserit: quæ omnia sunt directe contra Augustinum: ergo.

Confirmatur. Aug. de correp. et grat. c. 14. probat Deum facere de hominum voluntatibus quod vult; cum vult; quia «magis habet in potestate sua voluntates «hominum, quam ipsi suas;» atqui homo ex potestate quam habet in voluntatem nostram, se determinat efficaciter, et quod capitale est, salva sua libertate: ergo á fortiori Deus ex majori potestate quam habet in voluntates hominum, determinat eas efficaciter salva eorum libertate; alioquin ¿quomodo haberet magis in potestate voluntates hominum quam ipsi suas?

Tertio. Juxta Augustinum difficile est conciliare libertatem cum gratia. Sic lib. de grat. Ch. c. 47. "Ista quæstio ubi "de arbitrio voluntatis et Dei gratia dis-"putatur, ita est ad discernendum dif-"ficile, ut quando defenditur liberum "arbitrium, negari Dei gratia videatur: "quando autem asseritur Dei gratia, li-"berum arbitrium putetur auferri.» Ex lib. 2. contr. litt. Petiliani cap. 84. «Si "tibi proponam quæstionem, quomodo "Deus pater attrahat ad Filium homi-"nes, quos in libero dimisit arbitrio, "fortassis eam difficile soluturus es. Quo-"modo enim attrahit, si dimittit ut quis, "quod voluerit eligat? Et tamen utrum-"que verum est; sed intellectu hoc pe-"netrare pauci valent.» Atqui in utroque systemate Molinistarum et Congruistarum omnes facile penetrare possunt concordiam libertatis cum gratia: quis enim, etiamsi stupidissimus, non intelligat manere libertatem cum gratia, quæ ab ejus nutu pendet? Imo ideo conficta sunt ista systemata, ut hæc concordia facile perciperetur: quo uno palam est, quantum distant ista systemata ab Augustini systemate.

Probatur ex S. Thoma.

Ex innumeris pauca seligo. Primo. S. Doctor 1. 2. q. 10. a. 4. dicit: *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, incompossibile est huic poni, quod voluntas ad illud non moveatur. non est tamen impossibile simpliciter.* Q. 6. de malo a. unico ad 3. *Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest; sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas; sicut etiam in omnibus providentia divina infallibiliter operatur, et tamen á causis contingentibus proveniunt effectus contingenter, in quantum Deus omnia movet proportionabiliter unumquodque secundum suum modum.* 1. p. q. 19. a. 8. 0. *Cum voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur, quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult; vult autem quædam Deus fieri necessario, quædam contingenter.* Et ad 2. *Ex hoc ipso, quod nihil voluntati divinæ resistit, sequitur quod non solum fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter vel necessario,*

quæ fieri vult. Hæc sunt plana et aperta, atque diserte in terminis exprimunt efficaciam infallibilem gratiæ repetendam esse ex efficacia voluntatis divinæ, et quod potissimum est, salvam manere libertatem sub illa.

Utrumque iterum eruitur ex q. 22. de verit. a. 8. ubi dicit: *Omnis actio voluntatis in quantum est actio, non solum est á voluntate ut immediate agente, sed etiam á Deo ut primo agente, qui vehementius imprimit: unde sicut voluntas potest immutare suum actum, ita et multo amplius Deus.* Nihil urgentius: inde enim sic formo argumentum. Deus ut primum agens vehementius imprimit voluntati, quam ipsa ut secundum agens sibi: atqui voluntas ut secundum agens seipsam in genere causæ efficientis movet et se determinat ad agendum salva libertate: ergo multo amplius Deus, ut primum agens in genere causæ efficientis, ipsam movet et determinat salva libertate.

Secundo. Juxta S. Thom. usus gratiæ est á gratia; ergo vi sua est efficax, Ant. docet S. Doct. 1. p. q. 23. á 5. q. 6. de veritat. á 2. ad 11. lect. 1. in cap. 15. ad Cor. lect. 3. in cap. 9. ad Rom. ubi in terminis dicit: *Ipse usus gratiæ est á Deo.*

Probatur rationibus.

Primo. Rationes sunt inconvenientia, quæ nunc compendio sic resumo. Sublata gratia efficaci, et posita gratia efficaci ab eventu seu ex præscientia et circumstantiis, hoc est, gratia pendula, permissa determinationi liberi arbitrii, et ejus consensum ac determinationem expectante, sequitur 1. Quod tollatur á Deo ratio primæ causæ et primi motoris, quia voluntas se determinat, non determinata à Deo, Sequitur 2. Quod tollatur ab eo ratio causæ universalis, quia est aliquid, scilicet consensus et libera determinatio voluntatis, quod ejus causalitatem subterfugit. 3. Quod decurtetur omnipotentia Dei et supremum dominium, quod habet supra nostras voluntates; quia non potest in quibusvis circumstantiis voluntates nostras inclinare in bonum. 4. Quod tollatur præcipua ex parte necessitas orationis, nam in illa sententia non est necesse à Deo petere, quod consentiamus gratiæ, cum id sit à nobis et non à Deo. 5. Quod non debeamus Deo gratias agere pro eo, quod est caput in negotio salutis, scilicet pro determinatione ad bonum quæ est á nobis et non á Deo. 6. Quod non in sola spe gratiæ inniti debeamus, sed præcipue in nostra libertate, cum sit semper nobis liberum eam reddere efficacem, et inde quod non tam anxie timere debeamus pro salute nostra, nec tanta sollicitudine illi invigilare. 7. Quod hæc sententia videatur affinis Semi-Pelagianismo, quatenus componit cum Deo, partem homini vindicet et partem Deo, et quod pejus est homo primum tollat, promendo ex se suum consensum Deo, posterius det: in quo, juxta Augustinum situs erat error Semi-Pelagianorum. 8. Specialiter contra systema gratiæ congruæ, quod Deus in illo non sit magis auctor bonorum quam malorum operum: quia in tantum in eo systemate Deus dicitur auctor bonorum operum, in quantum ponit hominem in iis circumstantiis, in quibus prævidet eum bene usurum gratia, et cum eo simultanee concurrit ad opus: atqui pâriter illum, qui male agit, ponit in iis circumstantiis, in quibus prævidet illum gratia oblata male usurum, et concurrit simultanee cum illo ad malum opus: ergo.

Adde iterum specialiter contra idem systema gratiæ congruæ quod subjaceat omnibus fere difficultatibus, quæ contra gratiam per se efficacem proponuntur: nam is, cui denegatur gratia congrua et datur tantum incongrua, non plus facit aut faciet quam is, cui denegatur gratia per se efficax et datur tantum sufficiens Thomistica, unde Martinonus Societatis scriptor in suo Anti-Jansenio disp. 26. sect. 3. n. 25. concludit eam sententiam

fuisse inutiliter excogitatam ad explicandas difficultates circa auxilia gratiæ.

Id unum tandem observandum est, scilicet argumentis, quibus probatur in sententia Molinistarum et Congruistarum, gratiam subjici voluntati, ab ea determinari, et esse ejus pedissequam, duas passim á Tournelio adhiberi responsiones. 1. Dicit absurdum esse, ut superior dicatur inferiori subjici, quando inferior superioris mandata exequitur. 2. Pariter absurdum esse, ut quod ex se determinatio quædam est, inclinatio, impulsus ad aliquid, dicatur determinari, quando voluntas determinationem illius seu motionem et impulsum sequitur; gratia autem, inquit, est ex se determinatio quædam, inclinatio, propensio ad bonum, quam cum voluntas sequitur, non determinat gratiam ad bonum, sed potius ejus determinationem sequitur, et mandata Dei superioris exequitur.

R. ad primum: equidem verum est absurdum esse ut superior dicatur subjici inferiori, quando inferior mandata superioris exequitur, ibi sistendo et in ordine morali: at si ut inferior exequatur mandata superioris, indigeat in ordine physico concursu superioris, et superior illum ei offerat indifferentem et ab ipso determinabilem ad quodcumque voluerit, non erit absurdum, sed plane verum dicere in hoc casu superiorem, quantum ad usum sui concursus oblati, subjici inferiori. Est autem hic noster casus.

Ad secundum, detegenda est æquivocatio latens in hac voce *Gratia*. Est quædam gratia physice præmovens et determinans voluntatem ad actus indeliberatos; hujusmodi gratiam non ægre admittunt adversarii, saltem aliqui, sed de ea hic non agitur: quæstio est enim de gratia nos movente ad consensum deliberatum voluntatis. Respective igitur ad illum consensum deliberatum, est, secundum omnes, gratia prævéniens moralis, alliciens et movens objective voluntatem quoad specificationem in genere causæ finalis, non efficientis. Non aliam prævenientem agnoscit Tournelyus cum Molinistis; et hæc quidem etiam in eorum sententia non indiget determinari quoad speciem, sed quantum ad hoc potest dici determinatio et impulsus; indiget tamen determinari quoad exercitium, quia ea posita voluntas est adhuc indifferens et indeterminata, ut eam sequatur vel non; unde ex hac parte jam habemus in hoc systemate gratiam determinabilem á voluntate. Sed quod potissimum est, præter hanc gratiam moralem agnoscunt Molinistæ necessariam esse aliam, qua Deus concurrat physice ad consensum meum deliberatum. Hunc autem concursum seu gratiam dicunt á Deo offerri non determinatum ad unum, alias inquiunt, læderetur libertas, sed indifferentem et voluntatis determinationi permissum: ergo de isto concursu seu gratia non potest dici, quod sit determinatio et impulsus, sed vere dicitur quod sit versatilis, pendulus, indifferens, determinabilis á voluntate et ejus pedissequus; et sic sublata æquivocatione manent præclusæ Tournelli responsiones.

Secundo. Homo in statu naturæ lapsæ est admodum infirmus circa bonum et totus pronus in malum, exterius objectis et exemplis seductus, intus passionibus abreptus. «Cum avaritia nobis,» inquit Cyprianus apud Aug. lib. 2. contr. Jul. c. 8. "cum impudicitia, cum ira, cum "ambitione congressio est; cum carnali- "bus vitiis, cum illecebris sæcularibus, "assidua et molesta luctatio est, obses- "sa mens hominis et undique diaboli "infestationibus vallata vix resistit.» Igitur sic ex omni parte incitamur ad malum, ut si gratia vi sua potentissima voluntatem non firmaret contra malum et non converteret ad bonum, sed ipsam sibi relinqueret, vix aut ne vix unus é mille non succumberet; unde Aug. de corrept. et grat. c. 12. dicit: "Si in tan-

"ta infirmitate vitæ hujus . . . . . ipsis re-
"linqueretur voluntas sua . . . . . inter tot
"et tantas tentationes, infirmitate sua
"voluntas ipsa succumbet, nec vellent
"aut non ita vellent infirmitate voluntа-
"tis ut possent. Subventum est igitur
"infirmitati voluntatis humanæ, ut di-
"vina gratia indeclinabiliter et insupe-
"rabiliter ageretur, et ideo quamvis in-
"firma, non tamen deficeret, neque ad-
"versitate aliqua vinceretur."

Nec est dicendum, gratiam per se efficacem habere essentialem connexionem cum actu, neque inde inferendum, lædi libertatem. Nam est iterum æquivocatio in ly *esentialem*: non enim gratia per se efficax habet essentialem connexionem cum actu quasi illum necessario pariat, sicut v. g. essentia parit proprietates; sed sicut habeat ex se virtutem infallibiliter obtinendi consensum: unde potest sic distingui; habet connexionem esssentialem, id est infallibilem cum actu, C. id est necessariam, N. Quia movet voluntatem non quomodocumque, sed ut libere consentiat et cum potentia dissentiendi.

ARTICULUS VIII.

Expenduntur varii modi explicandi efficaciam, et causalitatem gratiæ per se efficacis.

Qui admittunt gratiam pe se efficacem, non uno modo ejus efficaciam et causalitatem explicant: quinque modi communius circumferuntur. Quidam eam explicant per multitudinem auxiliorum: quidam per causalitatem moralem: alii per actus indeliberatos: alii per delectationem victricem: alii tandem per præmotionem physicam. Hos quinque modos sequentibus §§. expendemus et verum stabiliemus.

§. I.

Expenduntur et rejiciuntur tres priores modi.

I. Explicare efficaciam et causalitatem gratiæ per se efficacis per multitudinem et coacervationem auxiliorum, non est explicare id, quod quæritur, nec difficultatis nodum attingere. Nemo enim negat Deum pluribus auxiliis tam extrinsecis quam intrinsecis, hominem ad se attrahere: sed quæstio est, ¿unde illud ex istis multis, cui voluntas consentit, sit efficax? An propria virtute? Quomodo ista efficacia sit explicanda et in quo reponenda? Quorum nihil dicit ista sententia. Si enim dicat hoc auxilium esse propria virtute efficax, id omnes gratiæ per se efficacis assertores dicunt; sed quærunt ¿ quomodo et in quo reponenda est ista efficacia et virtus? ¿An in motionibus moralibus, an in actibus indeliberatis, an in delectatione victrici, an in præmotione physica? Et hoc non explicat iste modus. Si dicat esse efficax ex consensu voluntatis; jam rejicit gratiam per se efficacem et redit ad sententiam Molinæ, teneturque admittere scientiam mediam, qua Deus exploret, cui auxilio voluntas sit consensura, quam tamen scientiam mediam non addmittunt patroni hujus modi.

II. Alii reponunt efficaciam et causalitatem gratiæ per se efficacis in auxiliis moralibus, non quidem fallibiliter moventibus ad sensum Molinæ vel congruistarum, qui adhibent scientiam mediam, qua Deus exploret, cui ex innata libertate simus consensuri; sed in auxiliis infallibiliter moventibus, seu quæ putant infallibiliter movere, et quibus tribuunt quidquid tribuimus auxiliis physice moventibus. Verum cum auxilium morale non moveat nisi objective, invitando, alliciendo, suadendo, etc. et in ratione causæ finalis tantum: quantumcumque ponatur, ipsa voluntas semper remanet in potentia et indeterminata, ut illi consentiat, maxime voluntas infirma, dura, et indocilis ad bonum, nisi per aliquid intrinsece in ea receptum mutetur et determinetur. Neque dicas mutari et determinari per ipsum consensum et operationem, tum quia debet mutari et determinari, ut operetur et consentiat; ergo antecedenter ad consensum

et operationem; tum quia operatio non mutat agens active sed passum, quia operatio non exigit ab aliquo, nisi prout est in actu, et patitur prout est in potentia: ergo in quantum operatur agens non mutatur á sua operatione effective, sic enim pateretur in quantum operans, ergo si mutatur, est antecedenter ad operationem. Et hac ratione etiam probatur efficaciam et causalitatem gratiæ per se efficacis non posse explicari per sympathiam, vel per decretum divinum immediate absque aliquo intrinsece recepto in voluntate, ut quidam volunt.

III. Tertius modus reponit efficaciam, et causalitatem gratiæ per se efficacis in motibus indeliberatis, pia scilicet affectione, quæ si sit fortior tentatione, vincet et erit efficax. Verum quamvis pia affectio indeliberata juvet et sit semen boni operis; attamen quantumvis fortis supponatur, ut voluntas infallibiliter eam deliberate sequatur et ei consentiat, debet per ulteriorem gratiam seu motionem cooperantem determinari, alioquin cassa manebit, non solum ex fortiori tentatione, sed vel ex instabilitate voluntatis humanæ, vel ex pluribus aliis causis, ut sæpe contingit et experientia novimus. Amplius confutabitur hæc sententia ex dicendis §. sequenti.

§. II.

Expenditur et rejicitur quartus modus per delectationem victricem.

Non pauci reponunt efficaciam et causalitatem gratiæ in delectatione victrici, quam etiam vocant dilectionem et charitatem, inspirationem dilectionis et charitatis; his enim nominibus promiscue utuntur, et ita expresse docuisse S. Augustinum contendunt.

At non sunt unius labii nec unius sensus. Quidam pro delectatione indeliberata pugnant, alii pro deliberata. Ex primis quidam sustinent delectationem indeliberatam necessitantem, ut Jansenius, cujus error in tertia propositione ex quinque famosis est damnatus. Quidam defendunt delectationem indeliberatam non necessitantem.

Ad intelligendas istas varias opiniones, observandum est, delectationem posse sumi dupliciter. 1. Stricte, et est quies appetitus in bono possesso; si sit appetitus rationalis, est delectatio spiritualis; si appetitus sensitivi, est delectatio sensibilis. *Quies* non sumitur hic privative pro cessatione ab omni actu, sicut in rebus insensibilibus, quæ, dum suam perfectionem consequuntur, id non sentiunt, et ideo censentur quiescere per solam cessationem motus: at vero entia cognoscitiva, dum perfectionem suam et bonum consequuntur, id percipiunt seu agnoscunt, et ex ista cognitione causatur quidam motus animæ in bono præsenti complacentis et quiescentis, et iste motus est delectatio. 2. Sumitur delectatio latiori sensu pro affectu seu inclinatione voluntatis in bonum ut conveniens et naturæ ac rationi consentaneum. Et utroque sensu sumpta potest esse deliberata vel indeliberata.

Item gratiam per se efficacem consistere in delectatione, potest intelligi, vel in sensu formali, ut videlicet gratia efficax sit ipsa delectatio victrix, vel in sensu causali, ut gratia efficax sit hujus delectationis causa.

Hoc ultimo sensu intellexisse Augustinum probant sequentia. Lib. 1. de Nuptiis et Concup. c. 30. ait: "Conde-"lectatio legi Dei secundum interiorem "hominem, de magna nobis venit gra-"tia." Lib. de Spirit. et Litt. c. 3. "Nos "autem dicimus humanam voluntatem "sic divinitus adjuvari ad faciendam jus-"titiam, ut accipiat Spiritum Sanctum, "qua fiat in animo ejus delectatio, di-"lectioque illius summi et incommuta-"bilis boni, quod est Deus." Lib. 1. ad Simplic. q. 2. "Cum ergo nos ea de-"lectans, quibus proficimus ad Deum, "inspiratur hoc, et præbetur gratia Dei."

Ergo juxta Aug. delectatio non est gratia sed ejus effectus.

Id etiam ratio naturalis evincit. 1. Delectatio est actus vitalis potentiæ, gratia autem non est actus vitalis, alioquin á potentia vitali efficeretur. 2. Delectatio spiritualis circa bonum supernaturale, quovis modo sumatur, est actus bonus; ergo est á gratia. 3. Dum animus afficitur delectatione, qua prius non afficiebatur, intrinsece mutatur; debet autem assignari causa efficiens hujus mutationis, quæ non potest esse alia quam gratia. His præmissis.

Dico 1. Gratia non semper operatur in nobis delectationem stricte sumptam, neque ea sola ad bonum inclinamur et pertrahimur, sed variis aliis modis.

Prob. 1. ex Scriptura, quæ timorem ut conducentem ad salutem nobis commendat. Eccl. 1. "Timor Domini expellit "peccatum," ibidem; "Radix sapientiæ "est timere Deum." Proverb. 1. "Time "Deum et recede á malo." Ibidem 15. "Qui timet Deum, faciet bona." Jerem. 32. "Timorem meum dabo in cor eo- "rum, ut á me non recedant." Matth. 10. "Nolite timere eos, qui occidunt "corpus, animam autem non possunt oc- "cidere; sed potius timete eum, qui po- "test et animam et corpus perdere in "gehennam." Psal. 118. "Confige timo- "re tuo carnes meas, á judiciis enim "tuis timui." Ita alibi passim. Unde Trid. Sess. 6. cap. 6. recenset justitiæ divinæ timorem inter dispositiones, quæ ad justificationem requiruntur: et Can. 8. anathemate ferit eos, qui dixerint "Gehennæ metum per quem ad miseri- "cordiam Dei de peccatis dolendo confu- "gimus, vel á peccato abstinemus, pec- "catum esse." Denique Sess. 14. cap. 4. decretorie resolvit attritionem ex gehennæ metu conceptam, esse donum Dei et Spiritus Sancti impulsum, non quidem inhabitantis, sed moventis, quæ pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat: ubi habes aperte timorem esse effectum gratiæ et ad salutem conducere.

Prob. 2. ex Aug. Serm. 214. de temp. dicit: "Cum timetur pœna, quam "(Deus) minatur, discitur amari præ- "mium, quod pollicetur, ac sic per ti- "morem pœnæ bona vita retinetur." Lib. de Correp. et Grat. c. 5. "Non vis tibi "tua vitia demonstrari, ut fiat tibi utilis "dolor, quo medium quæras . . . quasi "aut nihil agat timor correpti hominis "vel pudor, vel dolor." Ibid. "Isti sic, "illi aliter, atque alii aliter diversis et "innumerabilibus modis vocantur, ut re- "formentur." Et lib. 1. cont. duas Epist. Pelag. "Trahitur ergo miris modis ut "velit, ab illo qui novit intus in ipsis "hominum cordibus operari, non ut ho- "mines, quod fieri non potest, nolentes "credant, sed ut volentes ex nolentibus "fiant." Porro si miris, si diversis et innumerabilibus modis trahimur ad Deum non ergo delectatione sola.

Prob. 3. religio christiana docet nos sequi non delectabilia, sed recta et honesta quantumvis dura et amara, seu ut verbis Christi utar, non gaudium sed crucem, Deumque amare, non quia delectat, sed quia dignus est: ergo velle homines semper induci ad agendum motivo delectationis, numquam ratione, officio, honestate ab omnibus delectationum illecebris pura Epicuri, non Christi religionem sapit.

Prob. 4. experientia, qua nobis constat justos sæpe á malo recedere et bonum facere, nulla demulcente delectatione, sed vel timore pœnæ, vel solo motivo officii et legis æternæ inducti, inter tædia, tristitias, et dolores tota repugnante natura.

Dico 2. Delectationem latiori sensu sumptam pro affectu seu inclinatione voluntatis in bonum conveniens semper operatur gratia per se efficax: quia proprius ejus effectus est inclinare et applicare voluntatem ad bonum, ideoque efficere, ut semper proponatur voluntati, quod est magis conveniens. Neque enim

voluntas timet malum nisi ex amore boni oppositi, et quia judicat sibi conveniens et bonum, ut istud malum fugiat, ita ut amor sit actus primogenitus voluntatis.

De delectatione igitur sic sumpta ut plurimum loquitur Augustinus, dum dicit gratiam esse aut operari delectationem, quam etiam vocat dilectionem et charitatem, sumendo charitatem late pro quacumque voluntate boni. Idque videntur concedere Augustiniani delectationis victricis defensores; cum enim Laurentius Berti lib. 14. cap. 8. sibi objecisset ex scrip. et trid. non solam delectationem, sed etiam timorem Domini esse principium actionum nostrarum, eo tandem devenit. ut vocet delectationem, *Bonæ voluntatis fervorem et inspirationem bonæ voluntatis.*

Dico 3. Delectatio quovis sensu sumpta sive stricte, sive late, sive deliberata, sive indeliberata, non est id, in quo consistit efficacia gratiæ per se efficacis: quia id, in quo consistit efficacia gratiæ, est id, quo obtinet infallibiliter et indefectibiliter suum effectum: atqui delectatio Dei nondum clare visi in hac vita, quovis sensu sumpta, non est id, quo gratia obtinet infallibiliter et indefectibiliter suum effectum; si quidem doceant omnes Theologi cum D. Th. delectationem et dilectionem Dei nondum clare visi in hac vita non esse indefectibilem et inamissibilem, sed posse etiam potentia consequenti vinci et destrui per timorem, aut amorem boni creati.

Dices. Quomodo igitur intelligitur illud celebre effatum August. in Epist. ad Galat. *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est:* quod inquit Jansenius lib. 4. de Grat. Chr. c. 6. *Aureis meretur scribi characteribus?*

R. certo non posse intelligi ad sensum Jansenii: quasi homini non sit liberum resistere majori delectationi: tum quia hunc sensum damnavit Ecclesia in ipso Jansenio, tum quia ipse S. August. agnoscit se non semper id egisse, quod ipsum magis delectabat: *Non faciebam*, inquit lib. 8. con. c. 8. *quod incomparabili affectu amplius mihi placebat.* Et lib. 83. Qq. q. 70. dicit quod homo etiam cum dolore magnam venandi delectationem posset cohibere: tum denique quia juxta August. major et maxima fuit delectatio cælestis in Adamo et Angelis peccantibus, quam tamen non sunt secuti.

Itaque primo, dato Augustinum ibi loqui de delectatione indeliberata, respondetur ipsum intelligere necessitatem moralem sumptam pro magna difficultate aliter operandi, quia homines solent facere id, quod eos magis delectat. Neque tamen August. id dicit universaliter et absolute, sed in hypothesi quod nullum occurrat aliud motivum: nam, ut vidimus, docet timorem nos sæpe abstrahere ab eo, quod magis delectat: quod idem præstare possunt alia motiva officii, honestatis, utilitatis, etc. sicque patet, etiam hoc sensu dato, efficaciam gratiæ non consistere in sola delectatione. Sed

secundo. Et verius Aug. intelligit hæc verba de delectatione deliberata, sumpta pro affectu et inclinatione in bonum conveniens subsequente liberam voluntatis electionem; perinde ac si dixisset; necesse est operemur id, quod magis deliberate amamus, quod judicamus practice magis conveniens, quod magis placet. Hæc autem necessitas, ut patet, non est absoluta, sed hypothetica; non consequentis, sed consequentiæ; non antecedens, sed consequens nostram libertatem. Hoc itaque sensu verissima est Augustini sententia, nos necessario facere, quod magis ex deliberatione amamus et præ alio libere eligimus; sed integra manet præsens quæstio, unde gratia, quæ est causa hujus deliberatæ delectationis et amoris, habet, quod efficaciter et infallibiliter illum efficiat, corque nostrum in eo ita firmet, ut nul-

lum bonum ab eo nos abstrahat. Nam, ut jam diximus, delectatio et dilectio cujuscumque boni, etiam Dei in hac vita, est de se defectibilis et amissibilis. Nos dicimus, ut patebit modo, gratiam id habere ex motione divina, que efficit, ut amor Dei nobis semper proponatur ut magis conveniens, et ad eum nos efficaciter et libere inclinat.

Repones: S. Aug. loquitur de delectatione gratiæ prævenientis, qua fit, ut velimus: ergo non intelligit de delectatione deliberata subsequente volitionem liberam. Prob. ant. lib. 1. de spir. et litt. c. 35. «Quis nesciat, inquit, non "esse in hominis potestate quid sciat; nec "esse consequens ut quod appetendum "cognitum fuerit, appetatur, nisi tan- "tum delectet, quantum diligendum "est.» Et lib 1. ad Simpl. q. 2. "Vo- "luntas ipsa nisi aliquid occurrerit, quod "delectet atque invitet animum, moveri "nullo modo potest. Hoc autem ut oc- "currat, non est in hominis potestate.» Ergo.

R. D. ant. Aug. intelligit de delectatione prævenient et indeliberata aliquado, C. semper, N. In his ergo locis proxime objectis fatemur quod intelligat de delectatione indeliberata, quam facit gratia, et quæ nihil aliud est, quam effectus indeliberatus ad bonum ut conveniens, quo fit, ut voluntas in actu posita possit se libere movere in actum ulteriorem deliberatum, mediante tamen ulteriori gratia ad id voluntatem movente. At falsum est, Augustinum, ubi agitur de delectatione necessitante, intelligere delectationem indeliberatam, Patet ex dictis.

Insuper hæc instantia nihil iterum facit ad præsentem quæstionem. Ex hoc enim quod necesse sit, voluntatem, ut velit et amet deliberate, præveniri delectatione seu affectu boni convenientis indeliberato, non sequitur quod in ea delectatione seu affectu indeliberato sit efficacia gratiæ, quod quærimus.; cum et ipse affectus indeliberatus sit effectus gratiæ efficacis, et non moveat efficaciter et infallibiliter ad actum deliberatum, nisi mediante ulteriori motione seu gratia.

§. III.

Expenditur quintus modus per præmotionem physicam.

Tandem Thomistæ communiter reponunt efficaciam gratiæ in præmotione seu prædeterminatione physica. Per præmotionem seu prædeterminationem physicam nihil aliud intelligunt, quam applicationem activam potentiæ ad actum, secundum modum ejus, scilicet ut agat libere, si sit potentia libera; necessario, si sit necessaria. Porro supposito quod detur talis præmotio, nemo negare potest, quin sit modus expeditissimus explicandi efficaciam gratiæ; cum enim repugnet esse applicationem activam sine passiva, sequitur esse infallibilem connexionem inter gratiam applicantem voluntatem ad actum et voluntatem agentem.

Verum negant adversarii dari talem præmotionem ex multis capitibus, sed præsertim ex læsione libertatis humanæ. Hanc dari probant Philosophi Thomistæ omni genere argumentorum, quæ apud ipsos videre licet. Ne tamen lectorem omnino jejunum in hac celebri controversia dimittam, quædam in ejus assertionem ex Philosophia proferam. Unde.

Asseritur breviter præmotio physica ex D. Th.

Sanctus Doctor q. 3. de pot. a. 7. cujust titulus est: "Utrum Deus opere- "tur in operatione naturæ? dicit: Quia "nulla res per seipsam movet et agit, "nisi sit movens non motum, tertio mo- "do dicitur una res esse causa actionis "alterius, in quantum movet eam ad "agendum; in quo non intelligitur col- "latio aut conservatio virtutis activæ, "sed applicatio virtutis ad actionem, si- "cut homo est causa incisionis cultelli

"ex hoc ipso quod applicat acumen cul-
"telli ad incidendum movendo ipsum.
"Et quia natura inferior agens non agit
"nisi mota.... sequitur de necessitate,
"quod Deus sit causa actionis cujuslibet
"rei naturalis, ut movens et applicans
"virtutem ad agendum.... Quarto mo-
"do unum est causa actionis alterius,
"sicut principale agens est causa actio-
"actionis instrumenti; et hoc modo
"etiam oportet dicere, quod Deus est
"causa omnis actionis naturalis.» Tan-
dem sic concludit articulum: «Sic ergo
"Deus est causa actionis cujuslibet, in
"quantum dat virtutem agendi, et in
"quantum conservat eam, et in quan-
"tum applicat actioni, et in quantum
"ejus virtute omnis alia virtus agit: et
"cum conjunxerimus his, quod Deus
"sit sua virtus et quod sit intra rem
"quamlibet, non sicut pars essentiæ,
"sed sicut tenens rem in esse, sequitur,
"quod ipse in quolibet operante imme-
"diate operetur non exclusa operatione
"voluntatis et naturæ.»

1. 2. q. 109. a. 1. 0. «Sicut omnes
"motus corporales reducuntur in motum
"cælestis corporis sicut in primum
"movens corporale, ita omnes motus
"tam corporales quam spirituales redu-
"cuntur in primum movens simpliciter,
"quod est Deus. Et ideo quantumcum-
"que natura aliqua corporalis vel spiri-
"tualis ponatur perfecta, non potest in
"suum actum procedere, nisi moveatur
"á Deo.»

Asseritur præmotio physica rationibus ex S. Th. depromptis.

Prima ratio sic proponitur. Deus est primus motor et prima causa efficiens, cui omnes causæ secundæ et omnia moventia creata immediate subordinantur in agendo et movendo: atqui seclusa præmotione physica non salvatur in Deo primatus causæ, nec subordinatio causarum in agendo: ergo. Major est principium constans in D. T. Theologis et Philosophis probatum, ita ut temerarius foret, qui illud negaret: sicut enim certo Deus est primum ens, á quo omnia entia immediate participantur; ita est prima causa efficiens, cui omnes causæ secundæ immediate subordinantur et á qua dependent in agendo.

Prob. min. Subordinatio causarum in agendo in hoc sita est, quod prima moveat et applicet secundas ad agendum, et secundæ non agant nisi motæ á prima. «Si sint multa agentia ordinata,» inquit S. Th. 1. p. q. 105. a. 5. «semper secundum agens agit in virtute "primi agentis; nam primum agens mo-
"vet secundum ad agendum, et secun-
"dum hoc omnia agunt in virtute ip-
"sius Dei.» Id etiam patet non solum ex ipsa notione subordinationis in agendo, sed etiam inductione et apertissimis exemplis: sic in moralibus et artificialibus inferiores artifices in tantum sunt et dicuntur subordinati alicui primo artifici, milites duci, Monachi Abbati, in quantum agunt juxta applicationem et determinationem moralem receptam, artifices ab architecto, milites á duce, Monachi ab Abbate; ita ut si inferior artifex sine applicatione morali superioris architecti agat, miles sine jussu ducis pugnet, Monachus nutu suo et non Abbatis se gerat, hoc ipso evertatur subordinatio: atqui motio, qua primum movens seu prima causa in genere causæ efficientis movet et applicat secundam, est præmotio physica: ut enim superius dicebamus et per se patet, motio moventis est natura et causalitate prior motu mobilis: ergo.

Secunda ratio sic proponitur. Causa ex se indifferens et indeterminata ad agendum vel non agendum, ad hoc vel illud agendum non potest determinari ad unum potius, quam ad aliud, nisi per præmotionem physicam; atqui homo est indifferens ad agendum vel non agendum, ad hoc vel illud agendum: ergo. Min. est certa, in hac enim indifferentia sita est libertas hominis. Prob.

maj. Causa ex se indifferens et indeterminata ad hoc vel illud, non potest se ipsam determinare ad unum potius, quam ad aliud; quia cum supponatur indifferens, non est ratio, cur in hoc potius, quam in illud propendeat, nec á causa indifferenti ut tali potest magis procedere effectus determinatus, quam calidum ex frigido. Neque determinari potest per concursum simultaneum; quia ex ipsis adversariis concursus simultaneus offertur indifferenter ad utrumlibet et aliunde non influit in causam, ut illam determinet sed supponit, determinatam. Neque per motiones morales, quia, motiones morales non movent voluntatem nisi objective et alliciendo, non intrinsece eam immutando; unde posita quacumque motione morali voluntas est adhuc indeterminata et indifferens ad hoc vel illud. Restat ergo quod per solam præmotionem physicam possit determinari.

Tertia ratio. Deus est causa efficiens immediata et universalis omnis entis et omnium ejus modorum: ergo est causa physica immediata actionis reduplicative ut actio est, et prout formaliter procedit et dependet á voluntate: actio enim sub ista ratione, et hæc ejus processio et dependentia á voluntate est aliquid in rerum natura, nempe modus entis et ipsa libertas in exercitio, per quam meremur vel demeremur: atqui non potest esse causa efficiens immediata actionis sub ista formalitate nisi per præmotionem physicam, per quam applicat voluntatem ad agendum et facit ut faciat; per concursum enim simultaneum facit cum facit, non facit ut faciat; per motiones autem morales est causa moralis tantum, non efficiens et physica.

Qui plura cupiat, adeat Sylvium de motione primi motoris, P. Antonium Massoulié in opere *D. Thomas sui interpres* tom. 1. dissert. 1. et 2. sed potissimum P. Antonium Goudin in metaphysica disp. 2. q. 3. qui hanc materiam, meo judicio, non minus solide quam dilucide et ad captum omnium tractavit.

DISSERTATIO XIII.

De addendis quæstioni 113 *de effectibus gratiæ.*

Acturus D. Thomas de præcipuis effectibus gratiæ, nempe de justificatione quæ est effectus gratiæ operantis, et de merito quod est effectus gratiæ cooperantis, prius de justificatione quam de merito disserit: tum quia prius est hominem esse justum, quam opera æternæ vitæ meritoria exercere, juxta illud Augustini, *bona* (id est meritoria opera) *non præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum*: tum etiam quia justificatio procedit á gratia habituali in genere causæ formalis, meritum vero quasi in genere causæ efficientis; cuilibet autem formæ prius et immediatius convenit effectus, cujus est causa in genere causæ formalis, quam qui ab ea procedit in genere causæ efficientis. Igitur in præsenti dissertatione agemus de justificatione, in sequenti vero de merito.

ARTICULUS 1.

De notione justificationis.

Justificare idem est, ac facere justum; sed illud *facere* ambiguum est. Interdum enim sumitur improprie, pro eo, quod est æstimare, declarare, aut pronuntiare aliquem justum, sive interim ipse justus sit, sive non. Atque in hac sola significatione verbum *justificare* accipiunt nostri temporis sectarii plerique, nimirum statuentes: Deum hominem declarare, aut pronuntiare justum, quamvis revera in se justus non sit, sed peccator; non imputando illi peccatum suum, sed illi imputando justitiam Christi quasi indutus extrinsece coram Deo justus appareat. Volunt enim, vocabulum justificandi esse forense; ita ut nihil aliud sit justificare, quam justum pronuntiare, aut declarare, aut ei peccata condonare, vel non imputare, ut dicemus.

Alio modo verbum *facere*, quod

importatur in verbo *justificare*, accipitur proprie; ita ut justificare idem sit, ac revera facere justum; et ita sumitur á catholicis ex scripturæ locis inferius referendis. Nam quamvis, vulgari apud homines sermone, justificare idem esset, ac declarare, vel pronuntiare, aliquem esse justum; quia homines declarando, vel pronuntiando non faciunt justum, sed justum supponunt: quando tamen in Sacra Scriptura dicitur Deus justificare impium, debet intelligi, quod eum faciat justum: partim quia cum sit sapientissimus, et rectissimus, non potest pronuntiare, aliquem esse justum, qui revera justus non sit: partim quia nullus est vere justus, nisi justitiam á Deo habeat. Unde omnis ille, quem Deus justum declarat, seu pronuntiat, revera est justus, et non ab alio est justus, quam á Deo: ac proinde Deus vere facit justum, quem justum esse declarat.

Neque refert, istud verbum *justificare* in hac acceptione non reperiri apud profanos auctores latinæ linguæ peritissimos. Nam nec reperitur apud eos in ea significatione, in qua sectarii usurpant, nempe, declarando justum aliquem, sive in se justus sit; sive non: imo nec in ulla alia, cum prorsus apud eos verbum *justificare* non reperiatur. Cæterum etsi reperiretur, non esset mirum, quod ipsi non usurparent, sicut catholici; quia illam Dei gratiam, qua facit aliquos vere, ac proprie justos, præsertim in anima, penitus ignoraverunt. Qui vero, maxime SS. Patres, illam agnoverunt, pro eodem intellexerunt, Deum justificare quod justum facere. Unde August. "lib. de spiritu, et lit. cap. 26. ait: "quid est enim aliud justificati, quam "justi facti, ab illo scilicet, qui justifi- "cat impium, ut ex impio fiat justus?... "Cum vero dictum est: » Factores legis justificabuntur, " quid aliud dictum est, "quam justi justificabuntur? Factores "enim legis utique justi sunt. Ac per "hoc tantundem est, ac si diceretur, "factores legis creabuntur, non qui "erant, sed ut sint... Aut certe ita "dictum est,» justificabuntur, "ac si "diceretur, justi habebuntur, justi de- "putabuntur, sicut dictum est de quo- "dam (Lucæ 10. v. 29.)» Ille autem volens se justificare: "idest, ut justus "haberetur, aut deputaretur. Unde ali- "ter dicimus, Deus sanctificat sanctos "suos; aliter autem,» sanctificetur nomen tuum. "Nam illud ideo, quia illos "facit esse sanctos, qui non erant sanc- "ti: hoc autem ideo, ut, quod semper "apud se sanctum est, sanctum etiam "ab hominibus habeatur, idest, sancte "timeatur.» Ecce quale est justificare, ut á Deo, diversum á justificare, ut ab homine.

Quoniam vero justus á justitia dicitur, observo cum D. Thoma hac *q.* 113. *art.* 1. et *Q.* 28. *de Verit. art.* 1. quod justitia tripliciter dicitur. Uno modo, secundum quod est specialis virtus contra alias cardinales divisa, quæ rectificat actum hominis in ordine ad alium particularem hominem, reddendo illi, quod suum est; qua homo dirigitur in contractibus emptionis, venditionis etc. quæ virtus non est omni peccato contraria, sed solum illis, quæ contra hujusmodi rectam communicationem inter homines fiunt, ut rapina, furtum etc. Alio modo, justitia dicitur legalis, qua homo recte se habet in ordine ad bonum commune multitudinis: hanc servare intendit legislator in condendis legibus, et vir fortis, cum in acie fortiter confligit pro salute reipublicæ. Et nec omne peccatum justitiæ legali opponitur, sed illud solum, quod bonum commune multitudinis lædit. Tertio tandem modo justitia generaliter dicitur prout nominat statum quemdam secundum quem homo est debite ordinatus ad Deum ad proximum, et ad seipsum, quatenus in eo vires inferiores superiori subduntur; quæ justitia generalis dicitur, et minus proprie. Et huic justitiæ omne peccatum op-

ponitur; cum per quodlibet peccatum aliquid de prædicto ordine corrumpatur. Ab hac ergo justitia, qua homo ordinate se habet ad Deum, ad proximum et ad seipsum, homo dicitur simpliciter justus. Et ab hac justitia justificatio nominatur, sive sicut motus á suo termino, sive sicut effectus formalis á forma. Ita discurrit S. Thom. *Q.* 28. *de Verit. art.* 1. Unde justificatio hoc modo omnium virtutum, etiam supernaturalium, collectionem complectitur; ut justitia dicatur etiam á Deo, et coram Deo, et potest describi: quod sit *recta dispositio totius hominis erga Deum, seipsum et proximum.*

Ex his conformiter justificatio sumi potest active, vel passive. Active est illa actio, qua Deus aliquem efficit justum, rectum, ac bene dispositum erga Deum, seipsum, et proximum. Passive, nempe, pro effectu talis actionis, qui nimirum importat vel motum, vel mutationem ad justitiam, sicut calefactio importat motum ad calorem. Hic justificatio accipitur passive.

Pro quo observandum est cum D. Thom. citatis locis, justificationem passive acceptam fieri posse dupliciter: vel per modum simplicis mutationis, seu generationis, quæ est de naturali privatione, vel negatione justitiæ ad justitiam, ut ad formam. Et hoc modo justificati fuerunt angeli, et primi homines, qui simul cum natura acceperunt gratiam: et justificatur homo in puris naturalibus conditus, si non existens in peccato, carens tamen gratia, seu justitia supernaturali, ad istam transferretur. Vel per modum motus, qui est de contrario in contrarium, qualis est justificatio hominis, qui prius erat in statu peccati: motus enim proprie talis est, dum subjectum transit de uno contrario positivo ad aliud contrarium: sicut dum aqua de frigida transit in calidam. Et de justificatione hoc modo sermo erit. Nec refert, quod, peccatum non sit positivum, sed quid privativum; et proinde non sit proprie contrarium gratiæ, seu justitiæ. Nam etsi peccatum formaliter in privativo consistat; aliquod tamen positivum includit, scilicet, vel debitum habendi justitiam, vel statum injustitiæ: hic autem status, etsi privationem contineat; sonat tamen aliud positivum, et connotat relationem ad actum positivum, quo macula peccati fuit inducta.

Ex his jam intelligi potest, quid sit justificatio; generaliter enim describi potest, quod sit motio, qua homo fit justus. Sic enim comprehenditur etiam justificatio, qua angeli, et primi homines fuerunt justificati, ab initio: imo etiam sanctificatio ipsius Christi secundum humanitatem. Ut enim docet D. Thom. 3. p. qu. 34. art. 1. ad 2. "Sanctificari "est, aliquid fieri sanctum. Fit autem "aliquid non solum ex contrario, sed "etiam ex negative, vel privative oppo- "sito: sicut album fit ex nigro, et etiam "ex non albo. Nos autem ex peccatori- "bus sancti efficimur: et ita sanctifica- "tio nostra est ex peccato. Sed Christus "quidem secundum hominem factus est "sanctus, quia hanc gratiæ sanctitatem "non semper habuit, non tamen factus "est sanctus ex peccatore, quia pecca- "tum numquam habuit: sed factus est "sanctus ex non sancto secundum ho- "minem: non quidem privative, ut sci- "licet aliquando fuerit homo, et non "fuerit sanctus: sed negative; quia sci- "licet quando non fuit homo, non ha- "buit sanctitatem humanam: et idem si- "mul fuit factus homo, et sanctus ho- "mo." Ita S. Thom. quod confirmat ex Gregor. *lib.* 18. *Moral. cap.* 27.

Justificatio vero nostra, quæ semper est ex contrario, nempe, ex peccato; vel est justificatio omnium prima, qua á peccato originali justificamur: et sic describitur á Trident. *Sess.* 6. *cap.* 4. quod sit: "Translatio ab eo statu, in quo "homo nascitur filius primi Adæ, in sta- "tum gratiæ, et adoptionis filiorum Dei,

" per secundum Adam Jesum Christum " salvatorem nostrum. » Vel est justificatio, quasi secunda, hoc est, á peccatis post baptismate ablutum originale commissis: et hæc describi potest, quod sit; translatio á statu peccati in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei, per Jesum Christum. Quæ colligitur ex *cap.* 1. *ad Coloss. vers.* 13. ubi Paulus scribit, quod Deus Pater " eripuit nos de potestate " tenebrarum, et transtulit in regnum " filii dilectionis suæ. » Ita igitur justificationis explicata notione sit

ARTICULUS II.

¿ In quo consistit justificatio ?

Dico primo. Justificatio generaliter sumpta neque est remissio peccatorum, neque eam includit. Probatur ex dictis. Nam justificatio generaliter sumpta præscindit ab hoc, quod sit motus á contrario, vel á negativo: idest, quod faciat justum ex positive injusto, vel á non justo solùm negative; quare potest esse justificatio absque remissione peccati. Et de facto fuit tum in angelis, tum in primis hominibus, dum in ipsa creatione sua fuerunt justificati: et in B. Virgine, quæ dum fuit sine labe originali concepta, fuit sine remissione peccati justificata. Cui in corporalibus simile est, quod sol, quando creabatur, factus est lucidus, quin prius foret tenebrosus.

Dico secundo. Justificatio impii est remissio peccatorum concomitanter, eo modo, quo generatio unius est corruptio alterius. Quia enim opposita non possunt simul esse in eodem: necessarium est, ut cui infunditur gratia justificationis, ab eodem deleatur macula peccati mortalis, quod illi gratiæ opponitur. Ita docet S. Thom. *Q.* 28. *de Verit. art.* 1. his verbis: " si ergo justificatio acci- " piatur, ut quidam motus, cum opor- " teat, eumdem motum intelligi, quo " peccatum aufertur, et justitia induci- " tur: idem erit justificatio. quod pec- " catorum remissio, solum ratione dif- " ferens, prout ambo eumdem motum " nominant: sed unum secundum res- " pectum ad terminum á quo, alium vero " secundum respectum ad terminum ad " quem. Si autem accipitur justificatio " per viam mutationis: sic aliam muta- " tionem significat justificatio, scilicet, " justitia generationem; et aliam pecca- " torum remissionem, scilicet, corrup- " tionem culpæ. Sic autem justificatio, " et remissio peccatorum non erunt idem " nisi per concomitantiam. Utrolibet au- " tem modo justificatio accipiatur, opor- " tet, quod à tali justitia dicatur, quæ " peccato cuilibet opposita sit. Nam et " motus est de contrario in contrarium; " et generatio, et corruptio sese conco- " mitantes, contrariorum sunt. »

Ex his infero: in justificatione impii includit remissionem peccatorum, non quatenus generaliter justificatio est; sed quatenus est justificatio impii, seu quatenus in subjecto invenit peccatum sibi oppositum. Ubi remissio peccati non se habet, ut terminus ad quem, hic enim est potius justitia, ad quam tendit justificatio, tam quatenus motus est, quam prout est mutatio: sed velut terminus á quo. Cum enim justificatio impii sit transmutatio á statu peccati ad statum gratiæ, seu justitiæ; in ea includitur remissio peccati, tamquam abolitio termini á quo oppositi: et includitur quoque justitia, seu justitiæ acquisitio: tamquam terminus ad quem illa transmutatio terminatur. *Quia vera* (ait Div. Thom. hac qu. 113. art. 1. in cap.) " motus de- " nominatur magis á termino ad quem, " quam á termino á quo; ideo hujusmo- " di transmutatio, qua aliquis transmu- " tatur, á statu injustitiæ ad statum jus- " titiæ, per remissionem peccati, sortitur " nomen á termino ad quem, et vocatur " justificatio impii. »

ARTICULUS III.

De remissione peccatorum in justificatione impii.

Res est nobis hic cum hæreticis Luthero et Calvino, aliisque ex eorum gre-

ge. Calvinus l. 3. instit. c. 11. §. 22. docet, in justificatione peccata non vere tolli, sed tegi; non eradicari, sed radi; non deleri, sed operiri propter justitiam Christi nobis imputatam: ita ut peccata dicantur esse tecta, quasi á Deo non videantur, cum ipsa non puniat, et rasa, quasi non appareant. Hinc l. 4. instit. c. 15. aperte negat, per Baptismum solvi nos á peccato originali. Idem docuerat Lutherus, ut constat ex art. 2. ex damnatis á Leone X. Contra hos, ac nostri temporis protestantes sequentem catholicam veritatem stabilimus.

Conclusio. In justificatione peccatoris vere et proprie remittuntur peccata ita ut penitus auferantur et deleantur.

Veritas hæc est certa de fide, et contra Calvinum definita in Concilio Trid. sess. 5. can. 5. his verbis: « Si quis per « Jesu-Christi Domini nostri gratiam, « quæ in Baptismate confertur, reatum « originalis peccati remitti negat; aut « etiam asserit, non tolli totum id, quod « veram, et propriam peccati rationem « habet: sed illud dicit tantum radi, aut « non imputari: anathema sit. In renatis « enim nihil odit Deus: quia nihil est « damnationis iis, qui vere consepulti « sunt cum Christo per Baptismum in « mortem» etc. In renatis autem aliquid odiret Deus (et consequenter in quolibet alio justificato) et in eis aliquid damnatione dignum esset, si peccata adhuc in eis manerent et tantum tegerentur, raderentur, aut non imputarentur: ergo etc.

Eadem veritas manifeste colligitur, ex Scriptura, quæ aperte pronuntiat, Deum peccata vere delere et auferre, Isaiæ 43. *ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Micheæ. 7. *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem?* Joan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Psal. 50. ea dicuntur deleri: *Dele iniquitatem meam.* Homo etiam per infusionem gratiæ dicitur mundari, ablui, lavari, ac dealbari: Psal. 30. *Asperges me Domine hyssopo et mundabor:* Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris:* 1. ad Corinth. 2. *Hæc fuistis aliquando* (id est adulteri, maledici, raptores, etc.) *sed abluti estis, sanctificati estis, justificati estis:* Isaiæ 1. *Si fuerint peccata tua sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur, et si fuerint rubra velut vermiculus, quasi lana alba erunt.* At illi termini, seu modi loquendi scripturæ, non solam occultationem peccatorum, sed veram ipsorum ablutionem important, ut de se patet; inepte enim ille diceretur ablutus et mundatus, qui sordibus esset inquinatus, quas pallio aut veste tegeret; incongrue etiam Æthiopem ut nivem aut lanam dealbari diceremus, si tantum nigredinem sub veste candida occultaret: Ergo ex scriptura in justificatione vere et proprie delentur et remittuntur peccata, et non solum justitia Christi teguntur.

Confirmatur ex illo Apostoli ad Eph. 1. " Elegit nos in ipso» (id est in Christo) " ut essemus sancti et immaculati in " conspectu ejus. » Ubi notanda est particula " in conspectu ejus » talis enim est unusquisque, qualis Deo apparet, cum Deus videat res ut sunt in se: unde si post justificationem simus immaculati in conspectu Dei, á parte rei sumus immaculati, et á peccatis vere abluti et mundati; subindeque illa in justificatione vere tolluntur et delentur, et non solum teguntur vel occultantur.

Favent etiam SS. Patres, relati á Bellarmino lib. 2. 5. justific. c. 7. Unus nobis sufficiet Augustinus, qui ita clare hanc veritatem expressit, ut errorem hæreticorum nostri temporis prævidisse videatur: nam l. 1. contra duas Epistolas Pelag. c. 13. hæc scribit: " dicimus " baptisma omnium dare indulgentiam " peccatorum, et auferre crimina, non " radere, neque radices peccatorum, in " mala carne teneri, quasi rasorum in " capite capillorum, unde crescant ite- " rum resecanda peccata, » et concione

2. in Ps. 31. solvit præcipuum hæreticorum fundamentum, desumptum ex variis scripturæ locis, in quibus peccata dicuntur á Deo tegi: ibi enim exponens verba illa prophetæ: "beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta "sunt peccata," sic ait: "nec intelliga- "tis peccata cooperta esse, quasi ibi sint "et vivant, et Deus tegat, non tu: nam "si tu tegere volueris erubescens, me- "dicus non curabit; medicus tegit, et "curat: sub tegmine medici sanatur vul- "nus, sub tegmine vulnerati celatur "vulnus." Quibus verbis docet Deum ita tegere peccata hominum, ut revera ea tollat et deleat, eorumque vulnera gratiæ suæ medicamine sanet.

Ratio etiam suffragatur: primo quia si post justificationem peccata manerent in homine, ille simul esset justus et injustus: justus quidem, quia proprius effectus justificationis est reddere hominem justum, ut ex ipsis terminis constat; injustus vero, quia cum peccatum deordinet hominem á Deo, est essentialiter injustitia quædam et iniquitas; sicut gratia dicitur justitia, quia ordinat homines ad Deum: unde si peccatum manet in homine post justificationem, revera facit illum injustum.

Secundo, Deus passim affirmat se amare justos, odio vero prosequi impios et peccatores, at si justi haberent tantum peccata tecta et non deleta, reipsa Deus amaret impios et peccatores; cum amor, ut docent Philosophi, rapiatur ab objecto, seu feratur in objectum prout est in se: ergo etc. Nec valet quod dicunt hæretici, peccatores tunc justitia externa Christi, tamquam veste innocentiæ tegi, et sic esse objectum amoris divini. Non, imquam, valet: quia non obstante justitia hac externa Christi, qua dicunt tegi peccatores, illi non desinent á parte rei, et secundum Deum, esse immundi et coinquinati subindeque Deus in objectum immundum et inquinatum per amorem feretur.

Tertio. Ex hac sententia Calvini sequitur, Ecclesiam non habere veram et realem remissionem peccatorum, sed tantum fictitiam, vel impropriam contra hunc articulum Symboli: «Credo unum "baptisma in remissionem peccatorum;» et contra illud Joan. 20. "Quorum re- "miseritis peccata remittuntur eis." Sequitur etiam, quod sacramenta novæ legis non vere et proprie auferant peccata, neque mundent animam, contra illud ad Ephes. 5. "Mundans eam lavacro "aquæ, per verbum vitæ," e. istud Zachar. 13. "In die illa erit fons patens "domui David, et habitantibus Jerusa- "lem, in ablutionem peccatoris et mens- "truatæ:" quod SS. Patres et Scripturæ interpretes exponunt de Ecclesia, in qua est sacramentum pœnitentiæ, omnibus fidelibus patens, quo vere remittuntur peccata, et omnia scelera sanguine Christi delentur.

Quarto, hæc sententia est injuriosa meritis et satisfactionibus Christi, quia vult per imputationem talium meritorum et satisfactionum non deleri sordes ipsorum peccatorum, sed semper in hominibus quantumvis justificatis remanere.

Denique justificatio, ut infra ostendetur, fit per infusionem gratiæ habitualis; sed illa cum peccato est incompossibilis, ut etiam infra patebit: ergo impossibile est quod post justificationem peccata in homine remaneant, et solum tegantur vel occultentur per justitiam Christi, nobis imputatam.

Ex dictis in probationibus præcedentibus solvi possunt argumenta, quæ contra conclusionem objici possunt; et alias jam soluta sunt in dissert. XI. pag. 495. Recole ibi dicta.

ARTICULUS IV.

¿Quo modo fiat justificatio impii: an per solam justitiam Christi nobis imputatam, an per justitiam intrinsecam?

Hic nobis rursus manus cum hæreticis

conferendæ sunt. Illi enim, ut art. præcedenti annotavimus, non solum docent in justificatione peccata vere et proprie non remitti, seu deleri, verum etiam asserunt nullam dari formam intrinsece justificantem, sed impium justificari, vel per justitiam qua Deus justus est, vel per justitiam Christi ipsi imputatam extrinsece. Pro hujus erroris impugnatione, et veritatis catholicæ declaratione, sit

Conclusio. Remissio peccatorum, quæ est justificatio impii, non fit per imputationem extrinsecam justitiæ, qua Deus justus est, aut justitiæ Christi, sed per veram et intrinsecam justitiam, seu gratiæ habitualis infusionem.

Hæc conclusio est etiam de fide, decissa in Conc. Trident. sess. 6. can. 10. his verbis: "Si quis dixerit, homines si-"ne Christi justitia, per quam nobis me-"ruit justificari, aut per eam ipsam for-"maliter justos esse; anathema sit. Can. "11. Si quis dixerit, homines justificari "vel sola imputatione justitiæ Christi, "vel sola peccatorum remissione, exclu-"sa gratia et charitate, quæ in cordibus "eorum per Spiritum S. diffunditur, at-"que illis inhæreat, aut etiam gratiam, "qua justificamur, esse tantum favorem "Dei; anathema sit." Et c. 7. « Unica "formalis causa (justificationis impii) est "justitia Dei, non qua ipse justus est, "sed qua nos justos facit, qua videlicet "ab eo donati renovamur spiritu mentis "nostræ, et non solum reputamur, sed "vere justi nominamur et sumus, justi-"tiam in nobis recipientes."

Prob. 1. Ex scripturis art. præced. pag. 522. laudatis, quibus peccator dicitur lavari, pugnari, renovari, sanctificari; nemo enim potest esse lotus, purgatus, renovatus, sanctificatus, nisi per aliquid intrinsecum, quo denominetur, et sit talis. 2. Scriptura frequenter dicit, nos habere in nobis gratiam, charitatem, et justitiam, qua justi sumus: Joan. 1. "De plenitudine ejus omnes nos accepi-"mus, et gratiam pro gratia. Rom. 1. "per quem accepimus gratiam. Ephes. "4. Unicuique nostrum data est gra-"tia secundum mensuram donationis "Christi. Rom. 5. Charitas Dei diffusa "est in cordibus nostris per Spiritum S. "qui datus est nobis." » 3. Apost. ibid. comparat justitiam et obedientiam Christi cum peccato et inobedientia Adæ. Atqui peccatum Adæ realiter et intrinsece contrahimus et non solum per imputationem extrinsecam: ergo justitia, quæ illi opponitur, et per quam expellitur, est nobis intrinseca, et non solum extrinsece imputata. Confirmatur: Christus nobis reddidit, quod in Adam perdidimus, sed in Adam perdidimus justitiam ipsi intrinsecam, et quam in posteros transfudisset, si in bono perseverasset: ergo vera et intrinseca justitia per Christum nobis redditur.

4. Aug. lib. de Spiritu et lit. c. 32. ad verba prius citata Apost. Rom. 5. dicit: "Charitas diffunditur in cordibus "nostris, non qua nos ipse diligit, sed "qua nos facit dilectores suos; sicut jus-"titia Dei (ita dicta est) qua justi ejus "munere efficimur." » Et c. 9. in hæc verba Apost. "Justitia Dei manifestata "est, ait; non dicit Apostolus, justitia "hominis, sed justitia Dei, non qua Deus "justus est, sed qua induit hominem, "cum justificat impium."

5. Justificatio peccatoris est effectus dilectionis Dei: (*Ib.*) Atqui dilectio Dei non est affectiva tantum, sed effectiva, efficiens objectum dilectum intrinsece gratum et justum.

6. Causa formalis distinguitur ab efficiente; atqui justitia Christi est causa efficiens nostræ justitiæ: ergo non est ejus causa formalis. Confirmatur: nostra justitia modo crescit, modo minuitur; atqui justitia Dei et Christi est semper æqualis: ergo.

Objiciunt. 1. Hæretici quosdam textus scripturæ, quibus innui videtur justificationem nostram fieri formaliter per justitiam Christi Rom. 5. « Per unius

"obeditionem justi constituuntur multi. "Et iterum, per unius justitiam, in om- "nes homines in justificationem vitæ." 1. Cor. 1. Christus dicitur factus justitia et sanctificatio nostra. R. hæc et similia non intelligenda esse in sensu formali, sed causali, quatenus Christus est causa efficiens et meritoria justificationis nostræ; quo sensu ibid. dicitur *sapientia nostra*: Joan. 11. *resurrectio et vita*. Et Deut. 3. dicitur *vita hominum et longitudo dierum*.

Inst. Apost. 1. cor. 10. reprehendit eos, qui propriam justitiam volunt statuere: «Ignorantes, inquit justitiam Dei, "et suam volentes statuere, justitiæ Dei "non sunt subjecti:» ergo. R. Apostol. reprehendere Judæos et Pharisæos, qui præsumebant se posse viribus naturæ legem implere, et sic justificari absque gratia Dei, ut interpretatur Aug. lib. de grat. et lib. arbit. c. 12.

Urgent: Juxta Scripturam nemo est justus coram Deo: Ps. 142. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. Et Job. 9. *Non justificabitur homo compositus Deo*. Hæc autem essent falsa, si homo haberet justitiam intrinsecam: ergo. R. ad 1. sensum esse, vel quod nemo sit ita justus, ut non inveniatur in aliquibus deliquisse; vel quod nullus sit justus coram Deo ex seipso et propria virtute sine Dei munere. Ad 2. potest similiter responderi; vel dicendum, quod justitia hominis comparata infinitæ Dei justitiæ sit quasi non esset propter infinitam distantiam et inæqualitatem, sicut stellæ, quamvis luceant, videntur tamen non lucere apparente sole. Unde Job 25. additur: «ecce luna "etiam non splendet, et stellæ non sunt "mundæ in conspectu ejus; quanto ma- "gis homo putredo, et filius hominis "vermis?»

Objiciunt 2. Justum dicitur, quod adæquatur regulæ, seu legi; atqui non est in nobis talis justitia, quæ adæquetur legi, cum in multis saltem levibus peccemus: ergo. R. D. Min. Non est in nobis talis justitia, quæ actu adæquatur legi, C. Ex qua secundum se non sit nata sequi adæquatio, N. Quod ergo actu non adæquetur, non est ratione sui, sed ratione viæ, in qua est in statu imperfecto defectu luminis gloriæ et visionis beatificæ. Ex quo non sequitur, quod non sit justitia, sed tantum quod non sit perfecta justitia.

ARTICULUS V.

¿An sola gratia habitualis sit causa formalis justificans, vel etiam actus contritionis seu charitatis?

Quæstio præsens est: an sola gratia habitualis sit, quæ formaliter hominem justificat coram Deo: an vero id interdum etiam formaliter præstent, vel præstare possint actus, sive contritionis, sive charitatis. Et procedit de adulto, non de parvulo. Nam in parvulo, qui baptizatur ante usum rationis, certum est formam ipsum à peccato originali mundantem, et justificantem esse solam gratiam habitualem, non vero actum ullum, sive contritionis, sive charitatis; quia infans usu rationis carens tales actus elicere capax non est.

Certum etiam est, quod adultus, qui Sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ suscipit in re cum sola attritione supernaturali, de facto per solam gratiam habitualem justificatur. Nam in hujusmodi adulto, cum sola attritione accedente ad Sacramentum nihil est, quod sit incompossibile cum peccato, illudque expellere possit præter gratiam habitualem: nam actus meræ attritionis, etsi supernaturalis, seipso non est incompossibilis cum peccato. Quæstio igitur est de adulto, qui vel extra Sacramentum, cum voto tamen Sacramenti, actum contritionis, vel charitatis, elicit; vel cum contritione, et charitate accedit ad Sacramentum: an formaliter per istos actus justificetur, an vero solum dispositive.

Conclusio. De facto sola gratia habi-

tualis est causa formalis justificans, etiam extra sacramentum, non vero actus contritionis vel charitatis.

Prob. primo ex Tridentino sess. 6. capite 7. citatis art. 3. præced. pag. 524. ubi assignans omnes causas justificationis, deveniens ad formalem: «Demum (inquit) unica formalis causa est «justitia Dei, non qua ipse justus est, «sed qua nos justos facit.... justitiam «in nobis recipientes etc.»

Sed quia forte dicet aliquis concilium solum dicere, unicam causam formalem justificationis esse justitiam inhærentem; nomine autem justitiæ venire posse actus contritionis, et charitatis — Contra instari posset: nomine justitiæ inhærentis intelligit aliquid permanens in anima, faciens justum: actus autem contritionis, et charitatis sunt transeuntes. Iis ergo transactis: per quid formaliter homo esset justus?

Sed probandum est, præfatos actus, secundum concilii mentem, non esse formalem justitiam sic. Actus qui à concitio ponuntur tamquam dispositiones ad justitiam, non sunt, secundum ipsum, formalis justitia: sed juxta concilium ejusmodi actus ponuntur tamquam dispositiones ad justitiam; ergo non sunt etc. Min. probatur ex sess. 14. cap. 4. ubi docet, quod contritionis motus «fuit "quovis tempore ad impetrandam ve- "niam necessarius: et in homine post "baptismum lapso ita demum præparat "ad remissionem peccatorum, si cum fi- "ducia divinæ misericordiæ, et voto "præstandi reliqua conjunctus sit.» Cum ergo id, quod est necessarium ad impetrandum veniam, et remissionem peccatorum, non sit causa formaliter justificans, sed dispositio ad justificationem: ideo actus contritionis non est etc.

Sed forte dicetur concilium ibi loqui de contritione imperfecta, quæ dicitur attritio. Nam inferius loquens de contritione perfecta, eam dicit justificare, si sacramenti votum includat, his verbis: «Si contritionem hanc aliquando "charitate perfectam esse contingat, ho- "minemque Deo reconciliare priusquam "hoc sacramentum actu suscipiatur; ip- "sam nihilominus reconciliationem ipsi "contritioni sine sacramenti voto, quod "in illa includitur, non esse adscriben- "dam;» ergo sentit, contritionem charitatis perfectam per se reconcialiare, si votum sacramenti includat; ergo dum ait, contritionem præparare ad veniam, loquitur de contione imperfecta.

Sed contra primo. De illa contritione docet concilium, esse impetratoriam, et dispositivam ad justificationem, quæ semper, et pro omni tempore necessaria fuit, et impetratoria veniæ, sed contritio imperfecta non est semper necessaria, quia homo, præsertim timoratus, moveri potest ad justitiam contritione perfecta, quin in eo præcessit contritio imperfecta; nec pro omni tempore fuit necessaria, et sufficiens ad impetrandum per seipsam, peccatorum veniam. Nam esto modo conjuncta cum sacramento vel baptismi, vel pœnitentiæ sit impetratoria veniæ; pro tempore tamen præcedente adventum Christi, quo sacramenta per se non causabant gratiam, homines non impetrabant gratiam contritione imperfecta: et sic ad eam impetrandam necessaria non erat contritio imperfecta, sed perfecta.

Contra secundo. Illam contritionem dicit concilium, esse impetratoriam, quam paulo ante definierat, quod sit: «animi dolor, et detestatio de peccato «commisso, cum proposito non peccandi «de cætero:» et quam postea dividit in perfectam, et imperfectam; sed contritio ibi definita, et quam dividit, non est contritio imperfecta, sed contritio ex genere suo; et contritio, quam dividit, est contritio abstrahens á perfecta, et imperfecta, ut patet: ergo dum dicit, eam fuisse quovis tempore necessariam ad impetrandam veniam, loquitur de contritione ex genere, et natura sua,

ut includit etiam contritionem perfectam. Eo vel maxime, quod ponit exemplum in contritione Davidis: *tibi soli peccavi et malum coram te feci*; quæ certe fuit contritio perfecta. Qua propter cum dicit, contritionem charitate perfectam cum voto sacramenti sufficere ad reconciliationem; intendit solum esse dispositionem immediatam et reconciliationem, hoc est, absque medio sacramento in se suscepto; non vero quod per seipsam sit forma immediate reconciliativa; hanc enim dicit esse justitiam, seu gratiam, qua Deus justos nos facit: sicut illa est sola, qua regeneramur in filios Dei adoptivos, qua participes sumus, et consortes divinæ naturæ, et hæredes in spe vitæ æternæ.

Addo: quod forma justificans se ipsa, et ex natura sua, non ex favore extrinseco, aut promissione Dei excludit peccatum: porro actus contritionis, et charitatis, ut de facto excludant peccatum, et reconcilient, egent novo Dei favore; neque ex natura sua, sed ex promissione Dei id consequuntur; juxta illud: *Convertimini ad me. . . . . et convertar ad vos* (Zachariæ 1. v. 3.)

Tandem: effectus formalis ejusdem rationis provenire nequit á formis diversæ rationis, sed esse justum, est effectus formalis ejusdem rationis in omnibus; ergo ab unica forma præstari debet non á duabus specie diversis. Cum ergo esse justum formaliter præstetur á gratia habituali, ut patet in parvulis baptizatis: ab ipsa sola hoc idem præstari debet in omnibus: sicut vita naturalis omnibus hominibus ab eadem specie forma præstatur.

Ut tamen omnis tollatur æquivocatio, moneo, me hactenus locutum fuisse de causa formalis justificationis, quoad essentiam sumptæ, prout nimirum ea quis solum constituitur formaliter justus, sanctus, Deo gratus, Deique filius. Quod si sumatur justificatio, quoad omnia, quæ includit, et ex quibus veluti integratur, sive essentialia sint, sive non; sic concedo, non unicam esse causam formalem justificationis, sed complexum ex pluribus. Ita enim dicit non solam hominis justificati essentiam, sed statum: et propterea non solam gratiam habitualem, qua homo bene in se disponitur, sed etiam omnia dona, et virtutes earumque actus, quibus recte disponitur ad juste operandum. Quemadmodum hominis, quoad essentiam, sola anima rationis est causa formalis: hominis autem in esse completo, tam quoad esse, quam quoad operari, causa formalis non est sola anima, sed complexum ex anima, potentiis, aliisque ad statum completum hominis requisitis.

Solvuntur objectiones.

Obj. primo. Christus Lucæ 7 dixit de Magdalena: "remittuntur ei peccata "multa quoniam dilexit multum." Et Joan. 14. "Si quis diligit me, Pater "meus diliget eum, et ad eum venie- "mus, et mansionem apud eum facie- "mus." Item Proverb. 10. dicitur: "Universa delicta operit charitas." Et 1. Petri 4. "Charitas operit multitudi- "nem peccatorum." Similiter Augustinus de natura et gratia c. 42. ait charitatem esse nostram justitiam, et cap. ultimo: "charitas inchoata (inquit) in- "choata justitia est; charitas provecta; "provecta justitia est: charitas magna, "magna justitia est." Et lib. 2. contra Cresconium grammaticum, cap. 12. dicit quod "á peccatis mundamur, sacri- "ficio cordis contriti" id est actu pœnitentiæ.

Sed facile respondetur testimonia illa scripturæ solum probare, quod dilectione et contritione, ut dispositione ultima justificamur et sanctificamur, non vero ut causa formali justificationis et sanctificationis: effectus enim qui complete procedit á forma, attribuitur etiam dispositioni, quia ab ipsa inchoative procedit. Similiter verba Augustini intelligenda sunt in sensu causali, non forma-

li; charitas enim causat ut dispositio justitiam, subindeque justitia illi proportionatur et commensuratur.

Addo, actum charitatis vocari perfectam justitiam, vel sanctitatem, quia cum sit perfectissimus actus gratiæ justificantis formaliter, in quem illa omnem suam efficaciam, virtutem, et perfectionem explicat, quæ formaliter conveniunt gratiæ sanctificanti, de actu charitatis prædicantur.

Objicit. secundo: Justificatio fit per illam formam, quæ magis opponitur peccato essentialiter considerato: sed actus dilectionis magis opponitur peccato essentialiter considerato, qum gratia habitualis: cum in omni statu peccatum importet privationem dilectionis naturalis, non autem privationem gratiæ, nam in statu naturæ puræ fuisset peccatum, et tamen non fuisset privatio gratiæ: ergo justificatio fit formaliter per actum dilectionis, non vero per gratiam habitualem.

Respondeo negando absolute maiorem: justificatio enim, pro isto statu, non fit per formam oppositam peccato tantum essentialiter considerato, sed debet fieri per formam oppositam illi rationi quam peccatum principaliter importat: peccatum autem, pro hoc statu in quo nunc sumus, importat principaliter privationem gratiæ, quia in statu in quo nunc sumus ordinamur ad finem supernaturalem; unde peccatum mortale habituale (de quo tantum hic loquimur) importat privationem illius principii quo ordinamur ad finem supernaturalem, quod principium est ipsa gratia habitualis.

Corollaria notatu digna.

Ex dictis inferes primo, gratiam habitualem non ex favore extrinseco, sed ex intrinseca sua vi et natura, habere hunc effectum expellendi peccatum, non solum quatenus est malum hominis, et causat maculam in anima, sed etiam prout est offensa et injuria Dei, subindeque præter beneficium gratiæ habitualis, non requiri ad justificationem et remissionem peccatorum, favorem extrinsecum Dei, quo offensa condonetur.

Prob. prima pars hujus corollarii: ostendimus ex Tridentino gratiam esse causam formalem nostræ justificationis: sed non posset vere dici causa formalis ejus, si ab intrinseco et ex natura sua non haberet constituere justum, et remittere peccatum: ergo, etc. Minor probatur: quicumque effectus formalis ex natura rei connectitur cum causa formali, imo est ipsa forma ut communicata subjecto: ergo si justificatio, et remissio seu expulsio peccati, solum ex lege Dei sit conjuncta cum gratiæ infusione, ista non potest vere dici causa formalis illius: sicut si sol non haberet virtutem illuminandi effective, licet Deus ex lege seu pacto ad præsentiam solis illuminaret; non posset vere dici sol causa efficiens luminis. Unde Philosophi, qui docuerunt causas secundas non habere virtutem agendi ex natura sua, sed Deum ad præsentiam illarum agere, consequenter dixerunt causas secundas non esse vere causas efficientes, sed solum conditiones necessarias, ad quarum præsentiam Deus operatur.

Confirmatur primo: gratia habitualis est participatio divinæ naturæ et sanctitatis, unde sanctificans appellatur: ergo sicut natura et sanctitas Dei, ipsum ab intrinseco constituunt justum et sanctum per essentiam; ita gratia habet ex natura sua constituere justum, et sanctum per participationem, subindeque expellere peccatum ab anima.

Confirmatur secundo: gratia in scriptura vocatur lumen, seu splendor; peccatum vero dicitur tenebra, ut patet ex illo 2. ad Corint. 6. "Quæ participatio "justitiæ cum iniquitate? Aut quæ so- "cietas lucis ad tenebras," et ex isto 1. Petri 2. "Qui de tenebris vos voca- "vit in admirabile lumen suum;" Sed lux natura sua opponitur tenebris, et illas expellit: ergo et gratia ex sua na-

tura expellit peccatum, et non solum ex lege Dei extrinseca.

Confirmatur tertio: peccatum habituale, seu macula peccati, consistit in privatione gratiæ, ut connotante actum præteritum á quo causata est. Sed quæcumque forma positiva ex natura sua expellit privationem sibi oppositam: ergo gratia ex natura sua expellit peccatum, saltem ut est malum hominis, et causat maculam in anima.

Quod vero etiam tollat illud, quatenus est offensa et injuria Dei, probatur ex Tridentino sessione 5. canone 5. vide ejus verba articulo 3. pag. 522. Illis verbis expresse et clare definit, remissionem peccati, quoad omnem rationem, fieri per gratiam inhærentem; qui autem totum dicit, nihil excludit: ergo ex Tridentino non solum deformitas maculæ, sed etiam ratio injuriæ et offensæ Dei in peccato reperta, per gratiam habitualem aufertur.

Ratio etiam id suadet: nam per talem gratiam reddimur amici Dei, et ipsi grati: eodem vero actu quo Deus in sui amicitiam admittit impium, et pacatur illi, remittit injuriam, et non remanet offensus: sicut in humanis homo cum offendenti pacatur, sine nova benevolentia aut favore remittit injuriam, alias non diceretur amicus aut pacatus.

Ex his probata manet secunda pars corollarii: si enim gratia habitualis extrinseca sua vi et natura expellat peccatum, secundum omnem rationem in eo repertam, certe ad justificationem seu remissionem peccati, præter beneficium gratiæ habitualis, non requiretur favor extrinsecus Dei, quo offensa condonetur.

Inferes secundo contra hæreticos nostri temporis, præcipue contra Calvinum in antidoto ad sess. 6. Concilii Tridentini, et lib. 3. instit. cap. 1. justificationem impii non solum importare remissionem peccatorum, sed etiam sanctificationem, et renovationem interiorem. Ita expresse docet, Tridentinum sess. 6. cap. 7. his verbis: "hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est solum peccatorum remissio, sed etiam sanctificatio et renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum."

Ratio etiam suffragatur: nam ut supra dictum est, justificatio fit per infusionem gratiæ habitualis, quæ est causa formalis illius: Sed acquisitio gratiæ non solum est remissio peccati, sed etiam vera renovatio interior, et sanctificatio; nam per acquisitionem gratiæ homo transit á vetustate peccati, ad novitatem vitæ et morum, juxta illud ad Ephes. 4. *Renovamini Spiritu mentis vestræ*: et similiter sanctificatur et mundatur, ut patet ex illo 1. ad Corinth. 6. *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis*: Ergo justificatio non solum importat remissionem peccatorum, sed etiam sanctificationem et renovationem interiorem hominis.

Inferes tertio, in justificatione, ut est motus, principaliorem partem, seu principaliorem mutationem, esse renovationem interioris hominis: nam in omni motu proprie dicto principalior est acquisitio termini ad quem, quam expulsio termini á quo, cum prior sit per se intenta, posterior vero solum per accidens: sed remissio peccati se habet in justificatione per modum termini á quo; acquisitio vero gratiæ, per quam homo interius renovatur, est terminus ad quem justificationis: ergo ex duabus mutationibus quæ includuntur in justificatione, scilicet remissione peccatorum, et renovatione interioris hominis, ista erit principalior. Quod significat Apostolus ad Rom. 4. dum ait de Christo: «tradi-«tus est propter delicta nostra, resurre-«xit propter justificationem:» id est passus est propter remissionem peccatorum, et resurrexit propter renovationem interiorem, factam per gratiam; quare subdit: *Ut in novitate vitæ ambulemus*. Unde

ostendere vult justificationem nostram potius consistere in renovatione interiori: alias dixisset Christum resurrexisse propter justificationem nostram, ut peccata remitterentur, non vero ut in novitate vitæ ambularemus. Huic oppositioni favet Augustinus in Enchirid. cap. 52. dicens: « quemadmodum in illo vera « mors facta est, ita in nobis vera pec- « catorum remissio, et quemadmodum « in illo vera resurrectio fuit, ita in no- « bis vera justificatio. » Ubi justificatio comparatur resurrectioni, per quam acquiritur nova vita: et hoc quia justificatio principaliter consistit in renovatione interiori hominis.

ARTICULUS VI.

De proprietatibus justificationis.

Circa proprietates justificationis graviter erraverunt hæretici.

1. *Jovinianus* docuit, æqualem in omnibus esse justificationem, homines non posse in acceptâ Dei gratia crescere, nec unum altero sanctiorem esse posse: hunc secuti sunt *Lutherus*, qui Serm. de Nativitate B. Mariæ Virginis, blasphemavit, dicens: « omnes christiani « æque magni sumus sicut Mater Dei, et « æque sancti sicut ipsa; » et Calvinus, cujus error refertur in Theol. Calvinistica Windelini, lib. 1. cap. 24. dicentis: « Æqualitas justificationis est, qua Christi « justitia, per fidem apprehensa, omnibus « á Deo æqualiter imputatur, etiamsi « aliorum fides robustior, aliorum im- « becillior est. »

2. *Calvinus*, lib. 3. Instit cap. 2. et ejus sequaces docent, eum, qui semel justificationis gratiam adeptus est, eam per nullum subsequens peccatum posse umquam amittere.

3. *Lutherus* in suis thesibus publicis docuit, quemlibet fidelem posse esse certum, certitudine fidei, se esse justificatum, idque teneri credere fide divina, cum in dubium revocare non possit, quominus Christi justitia sibi imputata, á Deo Patre acceptetur. Hunc errorem amplectuntur Calvinus, lib. 3. Instit. cap. 2. n. 7. et omnes ejus sequaces. Contra hos errores sit.

1.ª Conclusio. « Justitia non est « æqualis in omnibus, sed unus altero « est sanctior, et justior. » Est de fide.

Prob. 1. ex scriptura, Matth. 11. dicitur: « Inter natos mulierum non sur- « rexit maior Joanne Baptista. » Ergo, teste ipsomet Christo, unus altero est sanctior; ergo etc.

Prob. 2. Justitia potest augeri, Eccli. 18. « Ne verearis usque ad mortem jus- « tificari, » id est, crescere in justitia. 2. Petr. 3. « Crescite in justitia. » Apoc. ult.: « Qui justus est, justificetur adhuc. » Ergo justitia non est æqualis in omnibus.

Prob. 3. ex PP. D. August., Epist. 57. ad Dardanum, ait: « In sanctis alii « aliis feliciores, abundantius habentes « habitatorem Deum. » Idem habet D. Hieron. in cap. 4. ad Ephesios.

Prob. 4. ex Conc. Trid. Sess. 6. Can. 24. definiente: « si quis dixerit, justi- « tiam acceptam non conservari, atque « etiam augeri coram Deo per bona ope- « ra; sed opera ipsa fructus solummodo, « et signa esse justificationis adeptæ; non « autem ipsius augendæ causam, ana- « thema sit. »

Prob. 5. ratione. Dabitur in cælo inæqualitas gloriæ, juxta iliud Joan. 14. « In domo Patris mei mansiones multæ « sunt; » ergo datur inæqualitas gratiæ in terris, quia gloria succedit gratiæ, et gratia est semen gloriæ.

Objic. D. Aug. Enchiridii c. 121. ait: « Hic veniri potest ad tantam mag- « nitudinem charitatis; qua maior esse « non possit. » Ergo censet D. Doctor, charitatem in terris habere posse ultimum accretionis terminum.

Resp. nego conseq. Ibi enim D. Aug. agit de charitate non secundum intensionem habitus, sed secundum exhibitionem operis ex genere suo maximi, quale est martyrium pro Christo per-

pessum, juxta illud Joan. 19. "Maiorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis." Quod opus præstantissimum, potest quis in hac vita exercere, ut fecerunt omnes martyres.

Inst. Si posset augeri gratia sanctificans, id fieret per bona opera, á gratia elicita: atqui falsum conseq.; ergo etc.

Prob. min. Augmentum gratiæ est vera gratia; atqui gratia non datur propter bona opera; "nam si ex meritis, jam "non est gratia," ait Apostolus; ergo gratia sanctificans non potest augeri per bona opera, etiam á gratia elicita.

Resp. dist. mai. Augmentum gratiæ est vera gratia, ratione sui principii, *conc.* ratione sui *nego mai.* Atqui gratia ratione principii non datur propter bona opera, *conc.* ratione sui, *nego min.* Itaque augmentum gratiæ est vera gratia ratione principii, quia conceditur solum ratione operis meritorii, quod per gratiam actualem, et habitualem simpliciter gratis concessam fuit elicitum; sed ratione sui est quid homini, bonum ex gratia operanti, debitum.

2.ª Conclusio. "Justificatio est amissibilis, et revera amittitur per subsequens peccatum mortale." Est de fide.

Prob. 1. Ex scriptura, Ezech. 18. "Cum averterit se justus á justitia sua, "et fecerit iniquitatem, morietur in eis: "in injustia, quam operatus est, morietur;" ergo justus justitiam suam amittere potest. Hinc Apost. Philipp. 2. hortatur, "ut cum metu, et tremore "salutem nostram operemur."

Prob. 2. Ex SS. PP. D. Hieron. lib. 2. adversus Jovinianum, inter illius hæretici errores computat, "quod gratiam "sanctificantem in justis inamissibilem "assereret." Et D. Aug. de Don. pers. cap. 13. ait: "Quosdam lapsos, quousque redeant, non exire de hac vita, "qui utique perirent, si, antequam redirent, exirent." Ergo censent, justos posse á gratia sanctificante excidere.

Prob. 3. Ex Conc. Trid. Sess. 6. Can. 23. definiente: "Si quis hominem "semel justificatum dixerit amplius "peccare non posse, neque gratiam "amittere: atque adeo eum, qui labitur, et peccat, numquam vere justificatum fuisse anathema sit."

Prob. 4. Ex horrendis illius nefariæ doctrinæ consequentiis, quas expendit Grotius in discussione apologiæ Andreæ Riveri, pag. 217., ubi sic ait: "christiani pectoris est, horrescere in dogmata, quæ pietati nocent, quale illud "est á nonnullis defensum: " pecca fortiter, sed crede fortius, et nihil nocebunt tibi centum homicidia, et mille stupra: "hi sunt genuini fructus illius "dogmatis, credere quemque debere, "justitiam Christi sibi habitari, quasi "ipse eam præstitisset: certo se perse-"veraturum: certo et absolute salutem "sibi esse destinatam: peccata fidelium, "utut magna et gravia esse possint, non "imputari ipsis propter fidem in Jesum "Christum, posse eos cadere in rebellionem, homicidium, adulterium etc. "nihilominus tamen eos pro certo firmoque habere, se numquam aut totaliter, aut finaliter excidere, neque "excidere posse ex paterna Dei charitate, et gratia erga se."

Solvuntur objectiones.

Objic. 1. Dicitur. 1. Joan. 3. «Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum "non facit, quoniam semen ipsius in eo "manet, nec peccare potest, quia ex "Deo natus est." Ergo justus à sua justitia excidere non potest.

Rep. neg. conseq. Textus enim debet intelligi *in sensu composito*, ut intelligatur incompossibilitas peccati cum gratia, et filiatione divina, quia justus non peccat, nec potest peccare, secundum quod natus est ex Deo, et semen illius in eo manet, juxta illud D. Augustini lib. de gratia Christi cap. 21. «Charitas secundum quam ex Deo natus est, "non agit perperam, nec cogitat malum;

"cum ergo peccat homo, non secundum "charitatem, sed secundum cupiditatem "peccat, secundum quam non est natus "ex Deo.

Inst. 1. Apostolus 1. cor. 13. ait.; *charitas numquam excidit.* Ergo justus non potest deficere à charitate.

Resp. nego conseq. Sensus Apostoli est, quod charitas perseveret etiam in patria, ubi alii habitus fidei, spei, et alia dona, v. gr. linguarum, prophetiæ, etc. cessabunt; non vero sensus est, quod charitas, qua quis semel est justus, non amittatur; contrarium enim docetur Apoc. 2. ubi Deus episcopo ephesino sic exprobrat: "habeo adversum te, quod "charitatem tuam primam reliquisti: "memor esto, unde excideris, et age "pœnitentiam, et prima opera fac.»

Inst. 2. Cap. 8. de charitate viæ dicitur: "Aquæ multæ non potuerunt ex"tinguere charitatem.» Ergo charitas viæ non extinguitur.

Resp. dist. conseq. Non extinguitur in eis, in quibus est constans et fervens, qualis fuit in Apostolis et martyribus, *conc.* in iis, qui, ut dicitur Luc. 8. «ad "tempus credunt, et in die tentationis "recedunt,» quod exprobratur episcopo ephesino, *neg. conseq.* Per se ergo charitas est amissibilis, per accidens autem et ratione sui fervoris fit ut non amittatur.

Inst. 3. Dicitur 1. Joan. 3. «Exie"runt ex nobis, sed non erant ex nobis. "nam si fuissent ex nobis, mansissent "utique nobiscum.» Ergo qui habent veram justitiam, non possunt ab ea excidere.

Resp. neg. conseq. Dicitur enim, *non erant ex nobis*, non quod non fuerint fideles, et vera Ecclesiæ membra sicut ceteri, sed quod non fuerint, ut ceteri, constantes et generosi christiani, sed inconstantes et leves, sicut Judas, qui vere fuit Apostolus, et á Christo vere electus, de quo Christus Joan. 6. dicit "Nonne ego vos duodecim elegi, et ex "vobis unus diabolus est?» et tamen á fide et justitia excidit.

Objic. 2. D. August. Epist. ad Julianum, ait: "charitas quæ deleri po"test, numquam vera fuit.» Ergo ubi vera charitas habetur, numquam deperditur.

Resp. nego ant. Nam hæc verba non reperiuntur in Epist. ad Julian., licet *Gratianus* per errorem in illa citet, et referat; reperiuntur quidem in lib. de salutaribus documentis, qui non est D. Augustini, licet inter ejus opera referatur.

Resp. 2. *nego conseq.* Auctor enim illius libri per *charitatem* non intelligit *justitiam*, sed amicitiam, docetque amicitiam, quæ ita ex amici præsentia pendet, ut non perseveret eo absente, non esse veram amicitiam; hæc sunt ejus verba: "licet enim me mutationis locus "longe tulisset á vobis corpore, sed nul"latenus charitate; quia charitas, quæ "deseri potest, numquam fuit vera.» Quo sensu D. Hier, Epist. 41. ad Rufinum dixit: "amicitia, quæ desinere "potest, vera numquam fuit.»

Inst. D. Petrus trina sua negatione peccavit mortaliter, ut tradunt Patres; atqui tamen non amisit justificationem: ergo.

Resp. nego min. Quæ destruit maiorem, nam si D. Petrus non fuit aversus á charitate, non peccavit; peccatum enim est aversio á Deo.

Prob. min. S. Leo de Petro dicit: "Vidit in te Dominus non fidem fictam, "non dilectionem aversam, sed cons"tantiam esse turbatam;» ergo D. Petrus per suum peccatum non amisit justificationem.

Resp. nego conseq. Hoc enim unum intendit D. Leo, quod Petrus non peccavit directe contra fidem et charitatem in Christum sed indirecte tantum, ex nimio nempe timore hominum, et pœnarum, quas videbat pati magistrum.

3.ª Conclusio. "Nemo citra specia-

"lem Dei revelationem potest de sua "justificatione esse certus certitudine "fidei." Est de fide.

Prob. 1. Ex scriptura Eccl. 9. dicitur: "sunt justi, atque sapientes, et "opera eorum in manu Dei, et tamen "nescit homo, utrum amore, aut odio "dignus sit: sed omnia in futurum ser-"vantur incerta." Quem locum exponens D. Hier. ait: "inveni justorum "quidem opera in manu Dei esse, et ta-"men, utrum amentur á Deo, aut non, "nunc eos scire non posse, et ambigue "fluctuare, utrum ad probationem sus-"tineant, quæ sustinent, an ad suppli-"cium:" ergo.

Prov. 20. "Quis potest dicere: mun-"dum est cor meum, purus sum á pec-"cato?" Hinc est, quod Apostolus, 1. ad Cor. 4. de seipso dicit: "nihil mihi "conscius sum, sed non in hoc justifi-"catus sum; qui enim me judicat, Do-"minus est." Si enim Deus "in ange-"lis suis reperit pravitatem," ex Job. 4. quomodo homo, qui suos omnes affectus internos non videt, potest certo scire atque fide divina credere, se esse justum coram Deo, qui solus de homine potest ferre judicium?

Prob. 2. ex PP. D. Aug., lib. de perfectione justitiæ, cap. 15. ait: "quan-"talibet justitia sit præditus homo, co-"gitare debet, ne aliquid in illo, quod "ipse non videt, inveniatur esse culpan-"dum." D. Gregor. lib. 6. Epist. 22. interrogatus á Gregoria Augustæ cubicularia, utrum sibi remissa essent peccata, respondet: "rem mihi difficilem, "et tibi inutilem postulasti: difficilem, "quia indignus sum, cui revelatio im-"mittatur á Deo: tibi inutilem, quia se-"curitas negligentiam parit."

Prob. 3. ex Conc. Trid. Sess. 6. cap. 9. dicente: "cum nullus scire valeat cer-"titudine fidei, cui non potest subesse "falsum, se gratiam Dei esse consecu-"tum." Et Can. 13. definit: "si quis "dixerit hominem renatum, et justifi-"catum teneri ex fide ad credendum, "se certo esse in numero prædestina-"torum anathema sit."

Prob. 4. ratione: justificatio non solum pendet ex promissione divina, sed ex nostra conversione, et præparatione; atqui 1. non est revelatum homini justificato, quod sit justus: 2. homo justificatus non potest esse certus infallibiliter quod sit vere conversus ad Deum, quia nescit, utrum ista conversio sit ex gratia, an ex concupiscentia "mens enim "humana sibi sæpe mentitur," ait D. Gregor. 1. parte sui pastoralis cap. 29. "et fingit de bono amare, quod non "amat." Ergo.

Solvuntur objectiones.

Objic. 1. Apost. Rom. 8. ait: "certus sum, quia neque mors, neque vita, "neque angeli, neque principatus . . . "neque creatura alia poterit nos sepa-"rare á charitate Dei." Ergo homo potest esse certus, et credere debet, se esse justum.

Resp. nego conseq. Ex hoc textu sequitur equidem, quod nulla creatura possit justum invitum á sua justitia dimovere; sed non sequitur, quod justus possit scire, absque speciali revelatione, quod sit justus.

Inst. 1. Ille certus est de sua justificatione, qui certo cognoscit, se esse in Christo, et habere Christum in se; atqui justus certo cognoscit, se esse in Christo et habere Christum in se, juxta illud Joan. 13. "In illo die cognoscetis, quia "ego sum in Patre meo, et vos in me, "et ego in vobis."

Resp. nego min. Textus enim non loquitur de tempore hujus vitæ, sed de tempore vitæ beatæ, in qua Deum videbimus, sicuti est, ut interpretatur D. Aug. Tract. 75. in Joan., dicens: "In "quo die? nisi de quo ait: "et vos vi-"vetis; "tunc enim erit, ut possimus vi-"dere, quod credimus . . . in illo ergo "die, quando vivemus ea vita, qua "mors absorbebitur, cognoscemus, quia

"ipse in Patre, et nos in ipso, et ipse in "nobis."

Inst. 2. Atqui etiam in hac vita debemus esse certi, et fide divina credere, nos esse justos; ergo.

Prob. subs. Tenemur fide divina assentiri testimonio Spiritus Sancti: atqui: Rom. 8. "Ipse Spiritus (Sanctus) tes- "timonium reddit spiritui nostro, quod "sumus filii Dei;" ergo.

Resp. dist. min. Ita ut to, *sumus*, intelligatur de tota Ecclesia, *conc.* ita ut intelligatur de unoquoque particulari, *nego min.* Illa autem verba intelligenda esse de tota Ecclesia, cui Spiritus Sanctus testatur, quod habeat spiritum adoptionis, constat ex versu præcedenti, in quo confert Ecclesiam cum Synagoga, et docet, Ecclesiam habere spiritum adoptionis, Synagogam vero habuisse spiritum timoris; "non enim, inquit, ac- "cepistis spiritum servitutis iterum in "timore, sed accepistis spiritum adop- "tionis filiorum, in quo clamamus Ab- "ba" (Pater.)

Inst. 3. Dicitur 1. Joan 3. "Scimus, "quoniam translati, sumus de morte ad "vitam; quoniam diligimus fratres.» Ergo quilibet justus potest esse certus de sua justificatione.

Resp. nego conseq. Textus enim intelligitur de toto fidelium cœtu, quem fide divina certum est de morte ad vitam translatum esse: non de ullo particulari adulto, cujus justificatio est incerta, nec de ea potest, nisi moralem et conjecturalem habere certitudinem, quis enim absque speciali revelatione nosse potest, se diligere fratres, sicut oportet ad salutem?

Inst. 4. Apoc. 2. dicitur: «Vincenti "dabo manna absconditum, quod nemo "novit, nisi qui accipit. Atqui per man- "na absconditum» intelligitur gratia justificationis; ergo qui illam recipit, de ea infallibiliter certus est.

Resp. nego min. Nam per *manna absconditum* intelligitur gloria æterna, ut constat ex cap. 3. v. 21. ubi dicitur; "Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in "throno meo: sicut et ego vici, et sedi "cum Patre meo in throno ejus."

Objic. 2. Potest quis certo cognoscere, se non peccasse mortaliter: ergo potest certo scire, se esse in gratia.

Resp. dist. ant. Potest quis certo cognoscere, certitudine conjecturali et morali, *conc.* certitudine physica, et fidei, *nego ant.* Hoc evidenter declarat Apostolus, cum dicit: "Nihil mihi conscius "sum: sed non in hoc justificatus sum.» Quantumcumque ergo adhibeamus examen, non possumus de nostra justificatione habere, nisi moralem certitudinem.

Inst. 1. Quilibet homo potest sic ratiocinari, et quidem demonstrative: "omnis rite baptizatus habet gratiam "justificantem, donec peccaverit morta- "liter; atqui ego sum certus physice, "me esse rite baptizatum, et ex eo tem- "pore non peccasse mortaliter: ergo et "certus sum physice, me habere gra- "tiam baptismalem; "ergo.

Resp. nego min. argumenti expositorii. Nec enim quis potest certitudine physica scire, se esse rite baptizatum; tum quia non potest esse physice certus, quod cum debitis dispositionibus receperit baptismum: tum quia nulla certitudine physica scire potest, baptizantem adhibuisse omnia necessaria ad sacramentum, et maxime debitam intentionem; talis ergo non habet de sua justificatione, nisi moralem certitudinem.

Ins. 2. Potest quis certo scire se habere perfectam contritionem; sed hæc contritio certissime justificat; ergo.

Resp. dist. mai. Potest scire certo, moraliter, *conc.* physice, *nego mai.* Nescit enim homo, certitudine physica, vel fidei divinæ, absque speciali revelatione, "an odio, vel amore dignus sit."

Inst. 3. Nisi justus sit certus, certitudine fidei, de sua justitia, semper erit anxius, nec pace fruetur, quam Christus

Apostolis et omnibus fidelibus dedit, *Joan.* 14. dicens: *Pacem meam do vobis*, Atqui falsum consequens ex Apost. *Rom.* 5. dicente: "justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum;" ergo.

Resp. nego mai. Ad hoc enim ut pace christiana justus perfruatur, sufficit, quod habeat certitudinem moralem de sua justificatione: licet enim talis certitudo non auferat omnem formidinem, et ideo *cum metu et tremore* nostram salutem operemur, oporteat; omnem tamen aufert anxietatem, qua sola conscientiæ pax perturbari potest.

ARTICULUS VII.

De dispositionibus ad justificationem.

Notandum 1.° Non agimus hic de parvulorum justificatione, quæ fit in baptismate, cum enim non sint rationis et libertatis compotes, aperte constat ipsos nullius esse dispositionis capaces: de sola ergo adultorum justificatione est sermo.

Not. 2.° De fide est: hominem per solas naturæ vires non posse sese ad justificationem præparare, ut aperte tradit scriptura. Psal. 20. «Prævenisti eum in "benedictionibus dulcedinis. Joan. 6. Ne"mo potest venire ad me, nisi pater qui "misit me traxerit eum.» Et definivit Conc. Trid. sess. 6. c. 3. «Si quis dixerit, "sine præveniente Spiritus Sancti illumi"natione, atque ejus adjutorio hominem "credere, sperare diligere, aut pœnitere "posse, sicut oportet, ut ei justificatio"nis gratia conferatur, anathema sit.» Unde solum hic resolvendum est; utrum in homine prærequirantur aliquæ dispositiones physicæ et morales, quibus, cum divinæ gratiæ auxilio, sese possit ad gratiam justificationis præparare? circa quod sit.

CONCLUSIO. In adultis prærequiruntur dispositiones ad justificationem.

Hæc conclusio est de fide, definita in Conc. Trid. sess. 6. can. 9. «Siquis di"xerit sola fide impium justificari, ita "ut intelligat nihil aliud requiri, quod "ad justificationis gratiam consequen"dam cooperetur, et nulla ex parte ne"cesse esse eum suæ voluntatis motu "præparari, atque disponi; anathema "sit.»

Prob. 1. Ex scriptura, Isaiæ 45. "Convertimini ad me, et salvi eritis. "Zachar. 1. Convertimini ad me et ego "convertar ad vos.» Atqui illa conversio ad Deum fieri nequit absque motu liberi arbitrii; ergo ille motus est requisitus: hinc, Prov. 16. dicitur: "hominis est "animam præparare, nimirum, cum ad"jutorio Dei tangentis cor hominis per "auxilium gratiæ," ait D. Aug. l. 2. ad Bonifacium, cap. 9.

Prob. 2. Ex D. Aug. tract. 72. in Joan. "Salutem in impio, sed non sine "impio Christus operatur." Et Serm. 15. de verbis Apost. "Qui fecit te sine "te, inquit, non te justificat sine te. . . "fecit nescientem, justificat scientem."

Ratio á priori est voluntas Dei; *ratio á posteriori*, est, quia sicut homo libere se avertit á Deo per peccatum, sic congruum est, ut cum Deo non reconcilietur nisi prius ad eum libere sese converterit.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1. Non requiritur actus liberi arbitrii ad hoc ut adultus justificetur, ergo.

Prob. ant. Ex D. Aug. qui *lib.* 4. *confess. cap.* 4. refert quemdam ex suis amicis morbo lethali laborantem, baptizatum fuisse nescientem, et renatum fuisse; ergo non requiritur actus liberi arbitrii ad hoc, ut adultus justificetur.

Resp. dist. conseq. Non requiritur actus liberi arbitrii, ad hoc, ut adultus mentis compos justificetur, *nego*; mentis impos, *subdist.* si numquam rationis usum habuit, *conc.*, si aliquando usum rationis habuit, *iterum dist.* non semper requiritur actus liberi arbitrii præsens cum baptizatur, aut absolvitur, *conc.* non requiritur actus liberi arbitrii antecedens baptismum, aut absolutionem,

nego conseq. Ad hoc enim, ut aliquis adultus, qui fuit rationis compos, baptizetur, vel absolvatur, necesse est, ut antequam in lethalem morbum qui rationis usum extinguit, incidat, prius baptismum, aut absolutionem sacramentalem fuerit deprecatus.

Inst. 1. Si ad justificationem requireretur actus liberi arbitrii, Deus expectaret voluntatem nostram: atqui ex Conc. Arausicano II. "Ut á peccato purgemur, Deus voluntatem nostram non "expectat;" ergo.

Resp. dist. mai. Deus expectaret voluntatem nostram, quæ cum gratia adjuvante ad gratiam justificationis sese præparet, *conc.* quæ præveniat gratiam excitantem, et adjuvantem, *nego mai.* Hoc ultimo sensu Conc. Arausicanum definivit Deum non expectare voluntatem nostram, ut á peccato purgemur.

Inst. 2. Si homo posset per proprios liberi arbitrii actus sese disponere ad justificationem, hæc propositio; *Homo sese justificat propriis actibus*: esset vera: atqui illam, ut falsam, rejiciunt plurimi theologi; ergo.

Resp. dist. mai. Illa propositio esset vera intellecta de justificatione dispositiva per actus proprios gratiæ prævenientis ac adjuvantis auxilio elicitos, *conc.* intellecta de justificatione formali, aut de actibus per solas naturæ vires elicitis, *nego mai.* Hoc autem ultimo tantum sensu theologi illi propositionem supra dictam damnant, cum certum sit neminem, illam, in priori sensu intellectam, posse falsitatis insimulare: similes namque propositiones in scriptura leguntur; sic Jerem. 5. "Lava á malitia cor tuum. 2. "cor. 7. Mundemus nos ab omni inqui- "namento carnis et spiritus, perficientes "sanctificationem in timore Dei: 1. "Joan. 3. Omnis, qui habet hanc spem "in eo, sanctificat se.

Objicies 2. Gratia justificationis conservatur sine motu liberi arbitrii; ergo et sine eo infunditur.

Resp. nego conseq. Disparitas est, quod in infusione gratiæ sit quædam transmutatio animæ, et ideo requiritur motus proprius animæ, ut moveatur secundum modum suum: at conservatio gratiæ est absque animæ transmutatione, unde non requiritur aliquis motus ex parte animæ, sed sola continuatio influxus divini.

ARTICULUS VIII.

¿An, et quæ fides requiratur ad justificationem adulti, et utrum illa sola ad eam sufficiat?

Notandum 1.° Duo circa necessitatem fidei sunt hæreticorum errores, omnino oppositi. Primus est Manichæorum, qui teste Augustino, libro de utilitate credendi, omnem necessitatem fidei abstulerunt, existimantes nihil omnino esse credendum, sed dumtaxat assentiendum his quæ ratione naturali evidenter persuaderi possunt. In quem errorem incidit Petrus Abailardus, teste D. Bernardo Epist. 190. Secundus é contra solum motum fidei sufficere ad justificationem adulti existimat. Hæc fuit hæresis exorta temporibus Apostolorum, Simone Mago auctore, ut refert Augustinus lib. de fide et operibus cap. 15. contra quam suas epistolas canonicas Petrus et Jacobus scripserunt, eumque nostris temporibus Lutherus et Calvinus, eorumque sequaces suscitarunt. Sed in eo differt Lutherus á Calvino, quod Lutherus vult fidem illam, qua justificamur, non esse aliud quam firmam fiduciam qua peccator confidit ob merita Christi sibi peccata non imputari, unde eam ponit in voluntate: Calvinus vero talem fidem collocat in intellectu, et dicit esse actum quo certo credimus, ob Christi merita, omnia peccata nobis esse remissa, et quo veluti manu apprehendimus et trahimus ad nos ipsam justitiam Christi, et nostram, salutem imputative, facimus.

Not. 2.° Hæretici nostri temporis, duce Calvino l. 3. instit. c. 2. triplicem

distinguunt fidem, historicam nempe (melius dixissent dogmaticam, et nos dicimus eam christianam et catholicam) miraculorum, et promissionum. Prima, ea est, qua credimus, vera esse ea, quæ in sacris scripturis continentur; quia tradita et proposita á Deo, quia verax est. Secundam, dicunt, esse edendorum miraculorum facultatem: sed verius est fides historica, qua credunt, nihil esse, quod á Deo fieri non possit. Tertiam, dicunt, esse qua credimus, veras esse Dei promissiones de gratuita remissione peccatorum, per Christi merita.

Not. 3.° Hanc tertiam fidem subdividunt in generalem, et particularem: generalem vocant, qua credimus Deum omnibus credentibus in communi promisisse remissionem peccatorum et salutem: specialem vero vocant, qua unusquisque sibi divinam promissionem applicans credit, sed verius confidit, sibi omnia sua peccata dimissa esse per Christum.

Not. 4.° Hinc Calvinus citato loco §. 7. fidem justificantem ita definit: "Divinæ erga nos benevolentiæ firmam, "certamque cognitionem, quæ gratuitæ "in Christo promissionis veritate fundata per Spiritum Sanctum, et revelatur mentibus nostris, et cordibus obsignatur.„ Quibus verbis, etiamsi velit, fidem esse firmam, certamque cognitionem; quia tamen vult, objectum huius cognitionis esse divinam benevolentiam, videtur, per fidem justificantem non aliud intelligere, quam fiduciam in divinis promissionibus: quæ utique fiducia non est actus intellectus, sed voluntatis: et sic aliis terminis cum Lutheró convenire.

Not. 5.° Quia vero in præsenti difficultate duos possumus distinguere actus in intellectu, nempe, notitiam veritatis certam, et exploratam; et insuper assensum datum veritati propositæ; qui duo actus valde inter se distinguuntur: nam primus dicit in intellectu cognitionem, penetrationem, et intelligentiam veritatis enunciatæ: secundus vero dicit assensum datum propositioni, ob auctoritatem dicentis, quo plerumque, absque ulla disquisitione, assensum præstamus rei alias ignoratæ: ideo Calvinus citato loco invehit in doctores catholicos, quasi ipsi solum assensum fidei, seu submissionem revelatis exigant; quamvis palpabili ignorantia credendo fideles laborent. Fallitur, vel fallere vult malignus impostor. Nemo enim catholicorum est, qui non sentiat, teneri quemlibet adultum, explicitam notitiam habere principalium mysteriorum fidei; ad quem finem cathechismi etiam pro idiotis sunt instituti. Dicimus tamen, non teneri omnes tantam, et exploratam singulorum habere cognitionem, quantam habet theologus: et tandem, quod non in apprehensione, et cognitione consistat fides justificans, sed in assensu revelatis, ob auctoritatem dicentis.

Not. 6.° Tandem: cum fides tribus modis ad justificationem comparari possit: Primo, tamquam dispositio prævia, qua homo divina gratia illustratus ad justificationem se præparat: Secundo, tamquam aliquid consequens justificationem, augendo, vel conservando justitiam. Tertio, tamquam causa formalis, ac si per fidem apprehendentem justitiam homo formaliter justificetur: hoc tertio modo fidem accipiunt hæretici. Dicunt enim, fidem ad nostram justificationem requiri tamquam instrumentum justitiæ percipiendæ, non quod annexas non habeat alias virtutes, sed quod illa sola sit, quæ justificet: sicut (inquit Calvinus in antidoto) «calor solis solus est, qui terram "calefacit, nec tamen solus ipse inest "soli, sed cum splendore; ita fidem oportet non esse solam, sed habere comites; licet illæ non justificent, sed ipsa "sola.» Hæc est Acatholicorum de justificatione doctrina. Contra quam

1.ª Conclusio. Fides, seu aliquis motus fidei, requiritur ad justificationem adulti.

Probatur primo ex scriptura: dicitur enim ad hebræos 10. *Sine fide impossibile est placere Deo*; et Marci ultimo: *Qui crediderit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur*. Sed illud, sine quo impossibile est placere Deo, et sine quo homo condemnatur, est necessarium ad justificationem: ergo ad illam fides requiritur.

Probatur secundo ex Tridentino sess. 6. cap. 6. ubi inter dispositiones ad justificationem requisitas primo numeratur actus fidei, his verbis: « disponuntur "(adulti) ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex "auditu concipientes; libere moventur "in Deum; credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt. Et cap. 8. ait: Fides est humanæ salutis "initium, fundamentum et radix omnis "justificationis." Unde August. serm. 20. de verbis Apostoli: "domus Dei "credendo fundatur, sperando erigitur "diligendo perficitur."

Probatur tertio conclusio ratione D. Thomæ hic art. 4. Ad justificationem adulti requiritur motus aliquis liberi arbitrii, quo mens hominis avertatur à peccato, et convertatur ad Deum: sed primus accessus ad Deum fit per cognitionem fidei, juxta illud ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere*: Ergo ad justificationem adulti requiritur actus fidei.

Confirmatur; cum voluntas sit potentia cæca et indigeat luce et directione intellectus, impossibile est eam converti in Deum ut finem supernaturalem, sine præcedenti actu intellectus, quo Deum ut finem supernaturalem cognoscat: sed hic actus est actus fidei, ut patet: ergo fides ad justificationem adulti requiritur.

Conclusio. Fides, quæ ad justificationem requiritur, non est fiducia, qua credimus, seu confidimus, peccata nostra nobis esse remissa.

Est certa de fide, definita in Conc. Tridentino sessione 6. capit. 12. his verbis: "si quis dixerit fidem justificantem nihil esse quam fiduciam divinæ "misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam "esse qua justificamur, anathema sit."

Eadem veritas colligitur ex scriptura: cum enim Apostolus ad hebræos 11. dixisset "Justus ex fide vivit, quod si "subtraxerit se, non placebit animæ "meæ," statim in eodem capite definit fidem (sine dubio illam ex qua dixerat justum vivere) et dicit eam esse "sperandarum substantiam rerum, argumentum non apparentium:" sed hæc non possunt verificari de fiducia, qua credimus seu confidimus peccata nostra nobis esse remissa, sed solum de fide, quæ est prima virtus theologica: ergo, etc. Probatur minor: tum quia primum fundamentum et basis spei nostræ et totius vitæ spiritualis, est firma adhæsio intellectus ad mysteria revelata, hac enim sublata, nulla manet certa ratio sperandi in voluntate: tum etiam quia argumentum, hoc est manifestatio, et quasi convictio eorum quæ inevidentia sunt, est actus intellectus, et non voluntatis. Addo quod fiducia est potius effectus ostensionis, quam ipsa ostensio: hoc enim ipso quod certo nobis aliquid ostenditur, de eo fiduciam concipimus; unde ad Ephes. 3. dicitur *in quo* (scilicet Christo) *habemus fiduciam per fidem*: ubi Hieronymus ait fiduciæ et accessus ad Deum primum principium et originem esse credere in Christum.

3.ª Conclusio. Actus fidei prærequisitus ad justificationem non est notitia sive perfecta sive imperfecta rerum propositarum per fidem: sed est assensus quem præbet intellectus rebus propositis et revelatis. Constat ex dictis: sed

Prob. primo ex illo Rom. 4. v. 18. ubi de Abraham dicitur: *qui contra spem in spem credidit:* quibus indicatur, eum obscure tantum novisse, quod credebat: quod, nempe, futurus esset pater mul-

tarum gentium, et ideo caruisse imperfecta notitia eorum quæ credebat.

Secundo. Paulus *Epist.* 2. *ad Cor.* 10. *v.* 5. hortatur Corinthios, ut sint "in captivitatem redigentes omnem in- "tellectum in obsequium Christi." si autem fides imperaret perfectam notitiam credendorum, non opus esset, redigere intellectum in captivitatem, ut quis credat rebus propositis. Vult ergo Paulus: ut credant Corinthii ea, quæ fides dictat, etsi ea non perfecte intelligant. Et ideo *Hebr.* 11. fidem vocat *argumentum non apparentium.* Quis enim unquam perfectam notitiam mysteriorum Trinitatis, Incarnationis etc. in hac via assecutus est?

Quod vero fides, nec requirat cognitionem imperfectam: probatur ex dicto Christi, Joann. 20. v. 29. *Beati, qui non viderunt, et crediderunt:* illi scilicet, qui non propter aliquas rationes, et argumenta, quibus aliqua veritas manifestatur, sed ex obedientia prompta voluntatis firmum, et indubitatum præbent assensum rebus á Deo revelatis. Unde S. Augustin. Tract. 5. in Joann. "Quid "est (inquit) fides nisi credere, quod "non vides?" Et Epist. 102. modo 169. ad Evodium c. 1. "Si propter eos "solos Christus mortuus est, qui certa "intelligentia possunt ista discernere, "pene frustra in Ecclesia laboramus." Pergitque ostendens, quod "infirmi po- "puli credentium" veniunt ad Christum, et ubi multi in sapientia magni irrident stultitiam prædicationis, qua salvi fiunt credentes; multi in cruce Christi gloriantes, "etiamsi ista, quæ subti- "lissime disseruntur, ignorent," ad æternitatem perveniunt.

Probatur ergo hoc discursu. Si fides esset mysteriorum intelligentia; iam quo maior esset fides, eo maior deberet esse intelligentia; hoc autem est falsum, cum Christus plurimorum fidem celebret, qui nullam Evangelii cognitionem adepti fuerant: qualis fuit mulier Chananæa, cui Christus dixit, Matth. 15. v. 28. *O mulier, magna est fides tua:* qualis etiam Centurio, de quo ait, Matth. 8. vers. 10. *Non inveni tantam fidem in Israel.* Ubi é contra Pharisæorum, et legis doctorum, qui intelligentia præditi erant, passim exprobrat incredulitatem.

Sequitur: actum proprium fidei esse rebus propositis assentiri. Ita enim docet August. "l. de prædestinat. Sanc- "torum cap. 2." Ubi postquam dixit, necesse esse, "ut omnia, quæ credun- "tur, præveniente cogitatione cre- "dantur," subjungit: "quamquam et "ipsum credere nihil aliud est, quam "cum assensione cogitare. Non enim "omnis, qui cogitat, credit, cum ideo "cogitent plerique, ne credant; sed co- "cogitat omnis, qui credit, et credendo "cogitat et cogitando credit."

4.ª Conclusio. Fidei justificantis objectum non est solum Dei misericordia, vel promissio remissionis peccatorum, sed omnia mysteria nobis á Deo revelata.

Probatur. Ex scriptura, in qua ponitur aliud fidei justificantis objectum, quam divina misericordia, vel promissio remissionis peccatorum. Nam ad Roman. 1. sic habetur: "Hoc est verbum fidei "quod prædicamus, quia si confitearis "in ore tuo Dominum Jesum, et credi- "deris in corde tuo, quód Deus susci- "tavit illum, salvus eris." Ubi Christus, et ejus resurrectio, ponuntur inter objecta fidei justificantis. Et Marci ultimo Christus dixit Apostolis: "Prædicate "Evangelium omni creaturæ: etc. Qui "crediderit, salvus erit." Et 1. ad Corinth. 15. Apostolus ait: "Notum vobis "facio, fratres, Evangelium quod præ- "dicavi vobis; quod accepistis, et per "quod salvamini." Item in Symbolo Athanasii, recensitis omnibus mysteriis fidei, sic concluditur: "Hæc est fides "catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non "poterit." Denique Tridentinum loco

supra citato explicans modum præparationis ad gratiam, sic ait: "Disponuntur "ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu "concipientes libere moventur in Deum, "credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt.» Ergo fidei justificantis objectum, non est solum Dei misericordia, vel promissio remissionis peccatorum, sed omnia mysteria nobis á Deo revelata.

Advertendum tamen est, ad justificationem non esse necessarium, quod omnia mysteria et objecta fidei eodem modo credantur. Nam quædam solum credenda sunt necessitate præcepti: quia scilicet quamvis absque eorum fide justificari possit homo, postquam tamen á Deo revelata sunt, præceptum est ea discere et credere, ut descensum Christi ad inferos, perpetuam Dei Genitricis virginitatem. etc. Alia necessario credenda non sunt, sed sufficit eis non dissentire, ut historia Davidis, vel Tobiæ. Alia demum sunt credenda necessario necessitate medii, quia eorum fides medium est necessarium ad justificationem: et hæc á D. Thoma 2. 2. q. 1. art. 8. reducuntur ad duo capita; nempe ad finem quo beati sumus qui est Deus prout in se est, qui appellatur finis supernaturalis; et ad media per quæ finem illum consequimur, quæ sunt gratia justificans, et causa eius. In primo continetur Trinitatis mysterium, cuius visione beamur; in secundo mysterium Incarnationis, quæ est causa nostræ justificationis, et fons ac origo gratiæ justificantis, et omnium donorum supernaturalium.

5.ª Conclusio. Sola fides non sufficit ad justificationem, sed præter ipsam requiruntur pii aliqui motus in voluntate.

Hæc etiam conclusio est de fide et definita in Conc. Trident. sess. 6. can. 9. his verbis: "si quis dixerit sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil "aliud requiri quod ad justificationis "gratiam consequendam cooperetur, et "nulla ex parte necesse esse, cum suæ "voluntatis motu præparari atque dispo"ni, anathema sit.» Et cap. 6. præter fidem alios enumerat actus ad voluntatem pertinentes, quos ad justificationem disponere asserit, nimirum timorem, spem, dilectionem, et pœnitentiam de quibus articulo sequenti dicemus. Item divus Jacobus in sua epistola aperte declarat solam fidem ad justificationem et salutem non sufficere, ait enim cap. 2. "¿quid prodest fratres mei, si "fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? ¿Numquid fides pote"rit salvare eum? Et subdit: Videtis "quoniam ex operibus justificatur homo, "et non ex fide tantum.» Et tandem concludit: "Sicut enim corpus sine spi"ritu mortuum est, ita fides sine ope"ribus mortua est.» Quæ testimonia adeo expressa et perspicua sunt, ut hæretici coacti sint negare epistolam illam esse canonicam; cuius oppositum definit Tridentinum sess. 6. decreto de canonicis scripturis.

Accedunt etiam SS. Patrum testimonia, præsertim Augustini et Bernardi: ille enim serm. 237. de temp. hæc scribit; "attende ad ipsum fidei no"men: fides enim appellata est, quia fit "quod dicitur: duæ syllabæ sonant, cum "dicitur, fides, prima syllaba á facto, se"cunda est à dicto. Interrogo te ¿utrum "credas? dicis, credo: fac quod dicis, et "fides est.» Iste vero hæc verba canticorum, serm. 24. in cant. "recti dili"gunt te, exponens, sic ait: ¿quid fidem "tuam ab actu dividis? fidem perimis "tuam, fides enim sine operibus mortua "est. Munus mortuum offers. Quæ hos"tia pacifica, ¿ubi tanta discordia? Non "Deum placas, sed offendis, discors tibi, "nec mirum si Cain in fratrem suum in"surrexerit, qui fidem prius occiderat "suam: fideicida, priusquam fratricida. "Fidem ergo tuam animet dilectio, pro"bet actio.»

Potest etiam suaderi conclusio con-

grua ratione: homo per voluntatem suam aversus est à Deo cum peccavit; ergo ut remittatur ei peccatum, debet ad ipsum converti per actum voluntatis, et per consequens non sufficit actus fidei.

Confirmatur; voluntas per peccatum fuit præcipue sauciata; ergo congruum est, ut illa per aliquos actus sibi proprios moveatur ad justificationem, quæ est illius sanitas.

Confirmatur amplius: Deus unumquemque movet juxta modum suæ naturæ accomodatum; nam ut dicitur Sapient. 5. *Disponit omnia suaviter.* Atqui modus homini consentaneus est ut per intellectum et voluntatem operetur, cum hæ duæ facultates ad naturam rationalem pertineant; ergo congruum est, ut Deus moveat hominem ad justificationem, mediante utraque facultate, ipsumque ad eam disponat, non solum per actum fidei, qui pertinet ad intellectum, sed etiam per timorem, spem, contritionem, et dilectionem, quæ sunt actus á voluntate eliciti.

Exponuntur quædam scripturæ loca quæ objiciuntur ab hæreticis.

Contra hanc conclusionem objiciunt hæretici plura scripturæ testimonia, in quibus homo dicitur justificari per fidem, vel justificatio soli fidei tribuitur: actorum 13. "In hoc omnis qui credit jus-"tificabitur. Ad Rom. 13. Arbitramur "justificari hominem per fidem. Et cap. "4. Reputata est fides Abrahæ ad justi-"tiam. Et ad Galat. 4. Ex fide justifi-"cat gentes Deus.» Unde Lutherus, teste Roffensi artic. 36. ait: "Figmenta "sunt omnia, quæ de præparatione libe-"ri arbitrii ad gratiam tot libris trac-"tata sunt.»

Sed ad hæc, et similia scripturæ loca, triplex potest adhiberi responsio, seu interpretatio. Primo dici potest, justificationem tribui fidei tamquam initio et radici, non excludendo tamen alia opera ad eam disponentia. Ita Tridentinum sess. 6. cap. 8. ubi sic ait: "cum "Apostolus dicit justificari hominem per "fidem, ea verba in eo sensu intelli-"genda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ "catholicæ consensus tenuit et expres-"sit: ut scilicet per fidem ideo justifi-"cari dicamur, quia fides est humanæ "salutis initium, fundamentum, et ra-"dix omnis justificationis sine qua "impossibile est placere Deo, et ad fi-"liorum ejus consortium pervenire.»

Secundo responderi potest, illa intelligi de fide viva, quæ involvit ipsam formam justificantem, nempe gratiam et charitatem. Cui solutioni favet Paulus ad Galat. 4. dicens: "In Christo Jesu "neque circumcisio aliquid valet, neque "præputium, sed fides, quæ per chari-"tatem operatur.» Unde Hieronymus, exponens verba supra relata ejusdem Apostoli ad Rom. 3. "Arbitramur jus-"tificari hominem per fidem, ait; abu-"tuntur quidam hoc loco ad destructio-"nem operum justitiæ, solam fidem pos-"se sufficere affirmantes, cum tamen ali-"bi dicat Apostolus: si habuero omnem "fidem; ita ut montes transferam, cha-"ritatem autem non habuero, nihil mi-"hi prodest.»

Tertia solutio est, quod justificamur per fidem, id est per ea quæ in doctrina evangelica continentur, faciendo scilicet omnia, que juxta doctrinam evangelicam ad justificationem requiruntur; inter quæ, præter fidem, numerantur plures actus voluntatis, timoris scilicet, spei, dilectionis, et pœnitentiæ ut patebit articulo sequenti.

Instant hæretici: Apostolus variis in locis asserit, quod sola fides sine operibus justificat; ad Rom. 3. "Arbitramur "hominem justificari sine operibus le-"gis.» Ad Ephes. 2. "Gratia estis sal-"vati per fidem, non ex operibus.» Ad Galat. 2. "Scientes quoniam non justi-"ficatur homo ex operibus legis: Ergo hæc interpretatio non est legitima.

Sed facile respondetur, quod quando Apostolus asserit hominem non justifi-

cari ex operibus, per hoc non intendit excludere actus supernaturales, quibus à peccato recedimus, et in Deum tendimus, sed dumtaxat observantiam cæremoniarum et sacramentorum veteris legis; quia cum per mortem Christi ipsa lex vetus antiquata et abolita sit, eius observatio non potest prodesse ad salutem et justificationem. Unde Paulus non dicit absolute hominem justificari sine operibus, sed addit *sine operibus legis*.

Quod si interdum absolute dicat hominem salvari, vel justificari sine operibus per hoc excludit solum opera meritoria justificationis, non vero ad illam disponentia, vel opera facta sola virtute liberi arbitrii, sine gratia, ut sic ostendat justificationem fieri gratis, et non ex merito operum ipsam præcedentium.

ARTICULUS IX.

De ceteris dispositionibus ad justificationem.

Actus, quibus adulti debent disponi ad justificationem, juxta Conc. Trident. Sess. 6. cap. 6. sunt sex, quos assignat, scilicet actus fidei, timoris, spei, dilectionis Dei, contritionis, et propositum suscipiendi sacramentum, et servandi mandata divina. Hi autem actus sic deducuntur. Fides illustrans mentem peccatoris exhibet ei hinc divinam justitiam ipsi pœnas præparantem, illinc divinam misericordiam veniam offerentem; unde exurgit in eius voluntate timor divinæ justitiæ, deinde spes seu fiducia veniæ obtinendæ. Post spem sequitur inchoata dilectio Dei, ut totius justitiæ fontis; ex hoc enim quod Deus misericors peccatori pœnam timenti offerat veniam, non solum spes excitatur, sed tantæ bonitatis amor, saltem inchoatus. Ex fide, timore, spe, et inchoata dilectione nascitur peccati detestatio. Quia hoc ipso quo peccator novit paratas esse peccatis suis pœnas, et ex hoc, quod Deum ea sibi condonare paratum diligere incipiat, movetur odio in peccatum ut sibi nocivum et divinæ bonitatis offensivum. Hoc autem odium contritio dicitur, perfecta quidem, si peccatum displiceat principaliter ut offensivum Dei; imperfecta, si principaliter displiceat ut nocivum peccatori. Hæc autem contritio habet necessario adjunctum propositum inchoandi novam vitam, et servandi divina mandata: non enim est in aliquo sincerus dolor de peccatis, nisi velit deinceps illa vitare.

Quæritur, utrum necesse sit, ut isti omnes actus requisiti ad justificationem sint formales; an sufficiat, quod sint virtuales et impliciti, contenti scilicet in aliquo eminentiori. R. Actus fidei et dilectionis necessario debere esse formales quia neque in intellectu neque in voluntate dantur præstantiores et eminentiores, in quibus isti virtualiter contineri possint. Quantum ad actum spei, quando proceditur in conversione paulatim de imperfecto ad perfectum, requiritur, ut sit formalis: sed si homo subito moveatur á Deo de peccato ad justitiam ex sola consideratione Dei et peccati, ut est ipsi Deo injuriosum, non attendendo ad illud peccatum ut sibi malum, nec ad bona á Deo promissa, videtur, quod sufficiat spes virtualis contenta in eminentiori actu charitatis. Quantum ad actum pœnitentiæ seu contritionis, videtur quod debeat esse formalis: quia homo dolere debet de peccato, non solum ut est contrarium bonitati divinæ, sed etiam ut est læsivum juris divini: exigit enim recta ratio, ut qui læsit jus alterius, de hac injustitia atque injuria doleat, et eam quantum potest resarciat. Atqui dolor de peccato, ut est læsivum juris divini, proprie pertinet ad pœnitentiam, non ad charitatem, quæ habet solum odisse peccatum, ut est oppositum bonitati divinæ. Ergo. Per accidens tamen, si homo ignorans invincibiliter se esse in peccato, aut de peccati nihil cogitans, eliceret actum perfectæ charitatis, justificaretur sine actu formalis pœnitentiæ, sed cum virtuali tantum in actu charitatis implicite

contento. Propositum autem, ut dixi, semper includitur in actu pœnitentiæ; unde pœnitens, qui, totus attentus detestationi peccatorum ex ferventissima Dei dilectione, non attenderet ad propositum explicitum, justificaretur.

Prædicti ultimi quinque actus amplius explicantur.

DE TIMORE.

Concilium Trid. sess. 6. c. 6. citatis ubi docet modum præparationis ad justificationem, post fidem ponit timorem, dicens: "et dum peccatores se esse intelligentes, á divinæ justitiæ timore, quo "utiliter concutiuntur etc." Quibus Concilium duo de timore divinæ justitiæ statuit: unum, quo intelligamus, nos esse peccatores; alterum, quo divinæ justitiæ timore utiliter concutiamur. Primum nullam difficultatem habet: soli namque peccatores, dum se tales esse cognoscunt, debent Dei justitiam vindicem pertimescere. Alterum Lutherus, ut constat ex Bulla Leonis X. negavit, asserens timorem, quo quis Deum vindicem timet, esse peccatum, et peccatores peiores facere. Contra quem Trident. Sess. 6. Canon. 8. "statuit dicens: "si quis dixerit gehennæ metum, per "quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel á peccato "abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere: anathema sit." Nunc breviter.

Dico. Timor Dei vindicis, quo peccator, omni voluntate peccandi deposita, ad divinam misericordiam confugit salutaris est. Eum enim viri sancti peccatoribus, ut á peccatis abstinerent, proposuerunt. Ut Moyses *Deuteron.* 30. v. 17. qui filios Israel ad pœnitentiam provocat, aperiendo eis varias plagas, quibus Deus criminum vindex eorum peccata ulcisci debebat, ni resipiscerent. Sic *Nathan* 2. *Reg.* 12. comminatione ingentium calamitatum Davidem hortatur ad pœnitentiam. Sic S. Joann. Baptista Sadducæos, et Pharisæos venientes ad baptismum suum compellebat. Lucæ 3. v. 7. etc. "Genimina viperarum, quis "ostendit vobis, fugere á ventura ira? "Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. . . . . Jam enim securis ad radicem "arborum posita est. Omnis ergo arbor "non faciens fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur." Sic tandem Christus ipse, Lucæ 12. v. 5. "Ostendam (inquit) vobis, quem timeatis: timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in "gehennam. Ita dico vobis, hunc timete." Et cap. 13. v. 3. et 5. "Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis."

Advertendum tamen est; timorem pœnæ esse posse mere servilem, et serviliter operantem; quatenus facit cavere peccatum, ob metum pœnæ, quæ si non esset, peccatum non caveretur. Posse insuper esse servilem, sed non serviliter operantem: quia etsi metu pœnæ excitetur, deposita tamen omni voluntate peccandi, facit peccatorem confugere ad misericordiam Dei: ut ipsum ad justitiam perducat, qua reconcilietur cum ipso. Primus timor, qualis est timor latronis, qui cessat à furto timore suspendii, paratus tamen furari, si non esset pœna suspendii, laudabilis non est; et rejicitur ab Augustino lib. de Spiritu, et litt. c. 32. "Cum aliud habeat in "voluntate, qua mallet, si fieri posset, "licere quod non licet." Secundus vero utilis est, ac laudabilis: utpote deponere faciens omnem voluntatem peccandi, et sensum ad justitiam manuducens. Eumque Augustinus non rejicit citato loco *cap.* 29. dicens; "sub quo timore "anima laborans, quando concupiscentiam malam non vicerit, nec timor ille "quasi custos severus abscesserit, per "fidem confugiat ad misericordiam Dei, "ut det quod jubet; atque inspirata "gratiæ suavitate per Spiritum Sanctum, "faciat plus delectare, quod præcipit,

" quam delectat, quod impedit. » Hunc ergo timorem inter dispositiones ad justificationem recenset, *Sess.* 6. *cap.* 6. Tridentinum, dum ait: " á divina justi- " tia timore, ad considerandum Dei " misericordiam se convertendo in spem " eriguntur. » Et *Sess.* 14. *cap.* 4. eum pronuntiat bonum, ac laudabilem: " Si " voluntatem peccandi excludat cum spe " veniæ; » declaratque, " esse donum " Dei, et Spiritus Sancti impulsum, non " adhuc quidem inhabitantis, sed tantum " moventis, quo pœnitens adjutus, viam " sibi ad justitiam parat. »

De spe veniæ, et inchoata Dei dilectione.

Pœnitens ergo timore concussus ad divinam misericordiam considerandam se convertens, in spem erigitur, ait Trident. sess. 6. cap. 6. sæpe citato. Quibus excitatur quæsitum: an inter dispositiones ad justificationem sit recensenda *spes veniæ*.

Dico. Spes veniæ inter dispositiones ad justificationem recensenda est. Hanc indicat Tridentinum citatum, his verbis, fidentes, *Deum sibi propter Christum propitium fore.* Et merito: nam peccator non aliunde sperare, et confidere debet suam cum Deo reconciliationem, nisi per Christum. Etenim « advocatum " habemus apud Patrem, Jesum Chris- " tum. Et ipse est propitiatio pro pec- " catis nostris » (1. Joan 2. v. 1. et 2.) Hoc idem probant omnia testimonia, quæ pro sua fiducia adstruenda adducunt sectarii; quamvis illi eisdem abutantur, ponentes, fiduciam esse causam immediate apprehendentem justitiam; nos autem ponamus eam, tamquam dispositionem adhuc remotam. Idem confirmat illud Psalm. 36. v. 40. " Eruet eos á " peccatoribus, et salvabit eos, qui spe- " raverunt in eo. » Illud Pauli Rom. 8. v. 24. *Spe enim salvi facti sumus.* Unde Christus sæpe ad spem, et fiduciam peccatores hortabatur. Quamvis autem objectum spei alia multa comprehendat; tamen in negotio justificationis solum respicit spes veniam peccatorum, et gratiam reconciliationis per merita Christi obtinendam.

Si quæras: an spes veniæ sit simpliciter necessaria ad justificationem?

Respondeo affirmative. Quamvis enim forte possit aliquis ad justitiam se disponere sine timore pœnæ, cum solo timore filiali, et perfecto; ut in Magdalena contigit, et aliis, qui fervore charitatis justitiam adepti sunt: sine spe tamen veniæ obtinendæ per Christum, et fiducia in ipsum, nemini justitia conceditur: quia " ipsa est propitiatio pro " peccatis nostris, » ut dictum est. Et (ut ait Petrus Act. 4. vers. 12.) " non " est in alio aliquo salus. Nec enim aliud " nomen est sub cœlo datum hominibus, " in quo oporteat, nos salvos fieri. » Quare sicut nemo habere potest justitiam sine fide in Christum; ita nec sine spe eamdem á Deo obtinendi per Christum. Ad quod respiciens Tridentinum, eodem modo necessariam ad justificationem statuit spem, ac fidem, et charitatem, Sess. 6. Can. 3. et Sess. 14. cap. 4. contritionem, quam quovis tempore dicit, fuisse necessariam ad impetrandam veniam peccatorum, docet, includere fiduciam divinæ misericordiæ, quæ fiducia, ex dictis, est actus spei.

De dilectione Dei.

Post spem Conc. Trident. Sess. 6. cap. 6. ponit dilectionem Dei, dicens: *Illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.* Cumque dilectio Dei sit duplex: alia amicitiæ, seu benevolentiæ, qua diligitur Deus, quia bonus: alia concupiscentiæ, qua diligitur, quia bonus nobis: quæritur, quænam dilectio sit dispositio necessaria ad justificationem.

Dico. Si loquamur de justificatione obtinenda extra sacramentum, requiritur dilectio Dei amicitiæ, seu benevolentiæ si vero loquamur de justificatione obtinenda per sacramentum sive Baptismi, sive Pœnitentiæ, probabilius est,

sufficere dilectionem Dei, quæ sit concupiscentiæ. Prima pars probatur. Nam contritionem, quæ hominem Deo reconciliat extra sacramentum, Tridentin. Sess. 14. cap. 4. vocat *contritionem charitate perfectam*: hæc autem amorem amicitiæ erga Deum, quia in se bonum, includit. Tum etiam; quia contritio, et amor Dei requiritur ad reconciliationem extra sacramentum, quæ ad eam quovis tempore fuit necessaria, etiam quando sacramenta gratiam non conferebant: sed contritio, quæ omni tempore fuit necessaria, est contritio charitate perfecta includens amorem amicitiæ; hac enim, et non alia via in lege veteri, quando sacramenta conferendæ gratiæ nullam vim habebant, poterant homines justificari; ergo hac sola justificari possunt etiam nunc, qui extra sacramentum actu susceptum justificantur.

Secunda vero pars, quæ dicit; ad obtinendam justificationem per sacramentum baptismi, aut pœnitentiæ, sufficere contritionem imperfectam, seu attritionem; quæ non includit amorem charitatis, et amicitiæ, sed solum amorem concupiscentiæ; probabilior videtur. Prób. ex Conc. Trident. laudata Sess. 5. c. 6. ubi loquendo de dispositionibus ad obtinendam gratiam justificationis per baptismum, consulto dicit, Deum, *tamquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt*, idest, Deum ut fontem, ex quo omnis justitia in nos emanat: quod est diligere Deum, ut bonum nobis, nondum vero ut bonum in se.

De odio ac detestatione peccati.

Postquam peccatores ad justitiam se disponentes cœperunt diligere Deum omnis justitiæ fontem; pergit Concilium citata "sess. 6. cap. 6. dicens: ac propterea moventur adversus peccata per "odium aliquod, ac detestationem, hoc "est, per eam pœnitentiam, quam ante "baptismum agi oportet.» Et hoc asserit contra Lutherum pœnitentiam nihil esse, quam novam vitam. Contra quem "etiam, sess. 14. c. 4. ait: declarat igitur "Sancta Synodus, hanc contritionem non "solum cessationem á peccato, et vitæ "novæ propositum et inchoationem, sed "veteris etiam odium continere,» juxta illud (Ezech. 18.) Projicite á vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum. «Et certe qui illos "sanctorum clamores consideraverit» (Psalm. 50.) Tibi soli peccavi et malum coram te feci (Psalm. 6.) Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, cogitabo tibi omnes annos meos in amatitudine animæ: "et alios "hujusmodi generis, facile intelliget, eos "ex vehementi quodam anteactæ vitæ "odio, et ingenti peccatorum detesta-"tione manasse.» Hæc Tridentinum.

Loquitur autem de pœnitentia, quæ necessario præcedere debet justificationem, ordinarie loquendo; non vero de illa, quæ in casu extraordinario contingeret: ut si quis rapiatur ad martyrium, et memoriæ ipsi non occurrunt peccata; tunc sola expressa dilectione Dei cum sola virtuali contritione, et pœnitentia justificabitur: cum Deus diligentes se diligat, immo nullus vera charitate diligere Deum possit, nisi prius diligatur á Deo.

De proposito suscipiendi baptismum, vel pœnitentiæ sacramentum, vitæ, emendandæ, et observantia præceptorum.

Concludit Tridentinum, dicta "sess. «6. cap. 6. sic: denique dum proponunt «suscipere baptismum, inchoare novam «vitam, et servare divina mandata.» Hoc certum esse dico. Requiri enim, ut infidelis disponatur ad justificationem, propositum suscipiendi baptismum, constat ex dicto Petri, *act. 2. vers. 48.* ubi prædicatione ejus multi compuncti corde cum dicerent Apostolis: "¿quid faciemus "viri fratres? Respondit Petrus: pœni-

"tentiam agite, et baptizetur unusquis-"que vestrum in nomine Jesu Christi, "in remissione peccatorum vestrorum, "et accipietis donum Spiritum Sancti.»

Requiri etiam in baptizato propositum suscipiendi sacramentum pœnitentiæ, docet Trident. *sess.* 13. *cap.* 4. dicens, quod etsi contritio charitate perfecta hominem Deo reconciliet, priusquam sacramentum pœnitentiæ actu suscipiatur: «ipsam nihilominus reconcilia-"tionem ipsi contritioni sine sacramenti "voto, quod in illa includitur, non esse "adscribendam.» Et merito: id enim est respectu peccatoris baptizandi sacramentum pœnitentiæ, quod est respectu baptizati sacramentum baptismi: sed in infidelibus necessarium est propositum baptismi, ut justificentur; ergo etc.

Requiri quoque propositum vitæ emendandæ, et præcepta Dei observandi, colligitur ex illo Ezechiel. 18. v. 21. «Si "autem impius egerit pœnitentiam ab "omnibus peccatis suis, quæ operatus "est et custodierit omnia præcepta mea, "et fecerit judicium, et justitiam: vita "vivet, et non morietur.» Quæ verba significant propositum efficax emendandæ vitæ, et servandi præcepta, ad justitiam tum acquirendam, tum servandam. Hoc autem propositum non debet semper esse expressum; sed aliquando sufficit, ut sit virtuale, et implicitum: ut dum quis actu amoris Dei super omnia formaliter, et proxime ad justificationem disponitur: in eo enim actu virtualiter continetur propositum suscipiendi sacramentum, emendandi vitam, et præcepta Dei servandi.

De ultima dispositione ad justificationem, á quo principio sit?

Magno studio, et contentione volunt hic aliqui, etiam ex nostris, ultimam dispositionem ad gratiam, quæ in eodem instanti et simul cum gratia, præcedere quidem gratiam in genere causæ materialis; sed procedere á gratia habituali, eamque sequi in genere causæ efficientis. Verum quia hæc opinio non paucis scatet difficultatibus, quibus implicari censeo non expedire: ideo cum aliis.

Dico. Probabilius videri, ultimam dispositionem ad gratiam justificantem non esse efficienter ab ipsa gratia, sed ab auxilio supernaturali. Huic favere videtur Concilium Trident. *sess.* 6. ubi cum *cap.* 5. *et* 6. omnes dispositiones ad justificationis gratiam requisitas recensuisset; sic inchoat c. 7. «Hanc dispositionem, «seu præparationem, justificatio ipsa «consequitur.» Igitur significat, infusionem habitualis gratiæ esse posteriorem reali existentia omnium dispositionum. Favere videtur etiam S. Thom. tum 1. *p. quæst.* 62. *art.* 2. *ad* 3. ubi quærens, an Angelus indiguerit gratia, ut converteretur in Deum; triplicem distinguit conversionem in Deum. Una est "per dilectionem perfectam, quæ est "creaturæ jam Deo fruentis: et ad hanc "conversionem requiritur gratia con-"summata. Alia conversio est, quæ est "meritum beatitudinis: et ad hanc requi-"ritur habitualis gratia, quæ est me-"rendi principium. Tertia conversio est, "per quam aliquis præparat se ad gra-"tiam habendam: et ad hanc non exi-"gitur aliqua habitualis gratia, sed ope-"ratio Dei ad se animam convertentis, "juxta illud Thren. ultimo: coverte nos "Domine ad te, et convertemur.» Loqui autem de præparatione ultima, patet; quia loquebatur de Angelis, in quibus, utpote justificatis in instanti creationis, nulla præparatio tempore præcessit gratiam. Sentit ergo, ultimam dispositionem ad gratiam habitualem esse á Deo movente, non ab ipsa gratia. Quod expressit etiam 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 6. et *quæst.* 112. *art.* 2. ubi docet, ad gratiam habitualem requiri præparationem, non similiter ad gratiam actualem si autem quod procedit efficienter à gratia posset esse dispositio ad illam; potuisset æque dicere, actum contritionis,

etsi efficienter à gratia actuali procedentem, adhuc esse dispositionem ad illam.

Sed clarius id ostendit *q.* 28. *de verit. art.* 8. ubi cum tale propossuisset argumentum: «contritio est actus meritorius: sed actus meritorius non est nisi á «gratia; ergo gratia est causa contritionis «sed causa naturaliter præcedit effectum ; «ergo gratiæ infusio naturaliter præcedit «contritionem.» Cui non respondet, gratiam causam esse efficientem contritionis, seu hanc efficienter procedere à gratia habituali, sed: «ad primum, quod in «contrarium objicitur, dicendum, quod «contritio est à gratia, sicut ab informa«mante; et ita sequitur, quod in ratione «causæ formalis gratia sit prior: » nimirum, quod contritio, ut meritoria, sit contritio formata gratia.

Ex hoc conficitur prima ratio. Si enim contritio, quæ est ultima dispositio ad gratiam habitualem, procederet ab ea ut principio efficiente; sequeretur, quod esset meritoria de condigno remissionis peccatorum; procederet enim ab habitu gratiæ, et charitatis in homine viatore, et esset natura prior, quam peccatorum remissio; ergo nihil ei deesset ad meritum de condigno.

Et confirmo. Quia habitus gratiæ vel existit in anima hominis pro illo priori, quo actus contritionis, vel dilectionis Dei super omnia elicitur; vel non existit, sed postea infunditur: si primum; ergo homo est, vel saltem concipitur formaliter justus, ac justificatus, priusquam eliciat tales actus contritionis, et charitatis; quia habet, vel concipitur habere in se causam formalem suæ justificationis; et sic tales actus non sunt dispositiones, sed effectus justificationis. Si vero secundum; ergo præfati actus non sunt efficienter à gratia justificante cum causa efficiens non possit causare, aut concipi causans pro eo priori, quo vel non existit, vel non concipitur existens; existentia enim est conditio indispensabilis ad efficienter causandum.

Nec dicas, hinc sequi, hominem adultum prius diligere Deum perfecta dilectione, quam Deus ipsum diligat, contra illud 1. Joann. 4. v. 10. «In hoc est «charitas, non quasi nos dilexerimus «Deum; sed quoniam ipse prior dilexit «nos.»

Nam respondetur, neg. sequelam. Nam actus ille dilectionis Dei ultimo dispositivus ad gratiam justificantem, esto procedens á gratia actuali, et supernaturali, non est tamen perfectus in genere supernaturali, quia elicitur à persona, quæ in illo signo nondum censetur grata, nec habens habitum charitatis, qui est terminus completus dilectionis divinæ, et ponens hominem in statu supernaturali simpliciter.

Collige ex dictis, ultimam dispositionem ad gratiam non causare efficienter gratiam; hanc enim solus Deus, sicut et virtutem infusam, in nobis operatur sine nobis efficientibus, esto non sine nobis consentientibus; sicut nec ultima dispositio in naturalibus est causa efficiens formæ, ad quam disponit, ut docet D. Thom. *quæst.* 28. *de verit. art.* 8. *ad* 5. Et multo magis in supernaturalibus, qui posita ultima dispositione, adhuc pendet à voluntate Dei gratiam justificantem infundere; et est novum beneficium prorsus distinctum à beneficio dispositionis, quam etiam gratuito dedit.

ARTICULUS X.

De virtutibus infusis.

Justificatio dupliciter spectari potest: vel secundum essentiam, vel secundum partes integrales. De illa priori modo sumpta egimus in præcedentibus articulis, ubi ex mente Concilii Trident. totam ejus essentiam reposuimus in gratia habituali sanctificante. In præsenti articulo expendimus partes ejus integrales, nempe virtutes infusas, et in sequenti dona Spiritus Sancti, quæ ad perfectionem eius integralem pertinent.

Enim vero modus operandi sequitur modum essendi; atqui gratia sanctificans

constituit hominem in esse divino; ergo operationes divinas gratiam sanctificantem consequi necesse est. Porro, quemadmodum natura, puta hominis, ita est principium operationum sibi consentanearum, nempe rationalium, ut eas exercere non possit, nisi per potentias sibi congenitas, intellectum scilicet et voluntatem; sic gratia sanctificans, quæ accedit homini velut nova natura, comites individuas habet virtutes infusas, per quas veluti per supernaturales potentias supernaturaliter operatur. Sunt quidem et ipsæ singularia Dei dona et gratiæ habituales, quia permanenter inhærent, justificationemque integraliter perficiunt: sed insuper sortiuntur nomen virtutis, quia ad bene operandum proxime disponunt. Quid est enim virtus ad mentem sancti Augustini lib. 2. de lib: arbitrio c. 18. et sancti Thomæ 1 2, quæst. 35, art. 4, "nisi qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis operatur?» Verum quia virtus infusa non uno modo accipitur, nec in qualibet acceptione ad justificationem pertinet:

Q. 1: *Quotuplex est virtutis infusæ acceptio*? – R. Duplex: alia dicitur infusa quoad modum dumtaxat; alia infusa quoad entitatem.

Q. 2: *Quid est virtus infusa quoad modum*? – R. Est virtus á Deo animæ indita, quamvis actuum frequentatione naturaliter acquiri possit, ut dona linguarum et notitia scripturarum, quæ per infusionem in Apostolis extitere, licet studio et labore illa utcumque comparare potuissent. Virtutes autem ejusmodi sic divinitus concessæ, non magis specie ab acquisitis differunt, quam vita defuncto Lazaro restituta differt á vita quam prius á parentibus hauserat.

Porro de virtutibus sic infusis hic non est sermo. Constat enim apud omnes theologos, illas in justificatione non infundi; alioquin habitus vitiosi, ex longa peccandi consuetudine contracti, virtutibusque acquisitis formaliter oppositi, per justificationem prorsus declerentur, quod vel ipsa experientia falsum evincit. De solis itaque virtutibus quoad entitatem infusis hic agitur.

Q. 3: *Quid est virtus infusa quoad entitatem*? – R. Est virtus entitative supernaturalis, et à solo Deo producibilis ut charitas.

Q. 4: *Quare virtus per se infusa est entitative supernaturalis*? – R. Quia fertur in objectum lumine et motivo supernaturali, tenditque in Deum possidendum ut in se est.

Q. 5: *Virtus per se infusa differtne essentialiter á virtute acquisita, v. g., temperantia infusa á temperantia acquisita*? – R. Prorsus differt, quia secundum omnes Philosophos, actus et habitus essentiam suam desumunt ab objecto formali, seu motivo, quo tendunt in objectum materiale. Hinc justitia, misericordia et gratitudo, licet versentur circa idem objectum materiale, puta pecuniam, sunt tamen diversæ specie virtutes, qui diversæ motivo pecuniam spectant, justitia ut debitam, misericordia ut aptam ad sublevandum proximum, gratitudo ut munus antidorale; atqui virtutes per se infusæ, ut temperantia, tendunt in objectum materiale, motivo longe diverso á motivo virtutum acquisitarum, puta temperantiæ, castitatis; nam temperantia acquisita refrenat voluptatem carnalem, quia dedecet naturam rationalem; infusa vero, quia indigna est Filio Dei, membro Christi, retardatque anhelantem ad divinum consortium. Ergo virtutes infusæ et acquisitæ, quamvis versentur circa idem objectum materiale, essentialiter differunt.

Confirmatur, simulque elucidatur nostra responsio. In homine justo triplicis generis lumen distinguitur, 1.° lumen sensuum, quod movet passiones, puta amoris, gaudii, tristitiæ, etc. 2.° lumen rationis, quod præest liberis voluntatis affectibus, scilicet amoris, gaudii, tristitiæ,

etc.: 3.° supernaturale lumen fidei: quo reguntur similes animi affectus; atqui in omnium sententia motus amoris, gaudii, tristitiæ, spectati ut passiones appetitus sensitivi essentialiter differunt á similibus motibus appetitus rationis, propter diversum modum tendendi in objectum materiale utrique appetitui commune; ergo á fortiori iidem motus appetitus rationalis solo rationis lumine imperati, specie distinguuntur à similibus actibus virtutum infusarum; cum posteriores illi actus supernaturali lumine, et longe sublimiori motivo eliciantur.

Ergo sicut mores brutorum induit, qui non ratione, sed carnali sensu ducitur; sic christianus á nobilitate filiorum Dei degenerat, et ad vilitatem pristinæ conversationis relabitur, qui sine supernaturali lumine ducem rationem sequitur. Justus quippe transcendit humanam conditionem, sicut homo pecorinam, ut non suo, sed Spiritu Christi inhabitante regatur juxta illud Rom. 8: "Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt "filii Dei."

Q. 6: *Quare virtus per se infusa, est á solo Deo producibilis*? – R. Quia est donum supernaturale et divinum; quemadmodum enim solus ignis ignitum reddere potest, inquit S. Thomas, ita solus Deus in ordine supernaturali et divino constituere.

Dices: De fide est hominem justum bonis operibus crescere in justitia; atqui incrementum illud est nova productio gratiæ sanctificantis et virtutum infusarum; ergo. – Distinguo maiorem: justus potest crescere meritorie, et ut causa moralis, concedo; crescere ut causa physica, ita ut per actus suos supernaturales physice producat illud augmentum gratiæ sanctificantis et virtutum infusarum, nego mai.

Instas: Actus naturales sæpius repetiti in sententia plurium Philosophorum physice generant habitum acquisitum; ergo á pari actus supernaturales physice producunt habitum supernaturalem. – Nego consequentiam et paritatem. Ratio disparitatis est, quod habitus acquisiti sint formæ proportionatæ potentiis animæ, et ex illis naturaliter educantur ab agente naturali; habitus vero infusi ordinem cuiusque naturæ creatæ excedant, propterea que dicantur supernaturales, quia anima ut eorum sit susceptiva, debet divinitus elevari et corroborari. Justus autem bonis suis meretur, ut Deus «det.. "secundum divitias gloriæ suæ, virtute "corrroborari per spiritum eius in inte- "riorem hominem» Ephes. 3. v. 6.

Q. 7: *Quomodo dividuntur virtutes infusæ*? – R. Dividuntur in theologicas et morales.

Q. 8: *Quid est virtus theologica*? – R. Est virtus infusa, quæ habet Deum pro objecto materiali primario, et aliquod eius attributum pro formali. Vocatur autem theologica, á nomine græco *Theos.*, latine Deus, quia versatur circa Deum et est regula divini cultus.

Ergo sunt tres virtutes theologicas, his verbis ab Apostolo notatæ, 1 Corinth. 13, v. 13: "Nunc autem manent fides, "spes, charitas, tria hæc; maior autem "harum est charitas." Namque totuplex est virtus theologica, quotuplex est virtus quæ erga Deum recte disponit, nosque illi immediate conjungit; atqui triplex est eiusmodi virtus. Cum enim in hac vita per fidem ambulemus, et non per speciem. 1.° fide credimus Deum, et cætera quæ nobis revelavit quia verax est, nec falli nec fallere potest; 2.° spe confidimus nos Deum tamquam ultimum nostrum finem et beatitudinem consecuros, tentationesque superaturos, quia est omnipotens et infinite misericors; 3.° charitate Deum super omnia diligimus et proximum sicut nosmetipsos propter illum; quia est summe bonus et infinite amabilis. Ergo tres sunt revera virtutes theologicæ.

Q. 9: *Quid est virtus infusa moralis*? – R. Est virtus supernaturalis, quæ Deum

non habet pro objecto, definirique potest, virtus infusa, quæ in mediocritate consistens, versatur circa bonum creatum motivo supernaturali.

Q. 10: *Quare virtus moralis infusa in mediocritate consistit*? – R. Quia objectum eius est bonum finitum utpote creatum, ac proinde potest esse excessus in illius prosecutione; v. g., potest quis esse in cultu divino superstitiosus, nimis abstinere á cibo, nimis se dejicere. Virtutes vero theologicæ, cum pro objecto habeant bonum infinitum, non pugnant nisi contra defectum, qui sæpissime contingit; ideoque nobis semper cum Ecclesia congeminare incumbit, *da nobis fidei, spei ac charitatis augmentum*, et cum Apostolis Luc. 17. *Adauge nobis fidem*; quis enim tantam fidem adhibet Deo, aut tam firmam spem in illo reponit, quantam meretur et exigunt harum virtutum motiva? Notum est sancti Bernardi effatum: Modus diligendi Deum, est amare sine modo.

Q. 11: *Cur virtutes theologicæ non dicuntur morales, cum longe perfectiori modo mores dirigant*? – R. Sunt quidem morales; sed proprium nomen sibi vindicant tamquam nobilissimæ virtutum species, quemadmodum homo, licet sit et ipse animal, quia tamen habet aliquid præstantius, speciali nomine insignitur.

Q. 12: *Quotuplex est virtus morlis*? – R. Generatim dividitur in quatuor virtutes cardinales, scilicet; prudentiam, justitiam, fortitudinem et temperantiam.

Q. 13: *Quare quatuor illæ virtutes dicuntur cardinales*? – R. Quia sunt præcipuæ virtutes inter morales, et tamquam cardines, quibus cæteræ innituntur. Primo namque virtus in vitium vertitur: nisi dirigatur recta ratione, quæ est necessaria morum regula. Atqui prudentia est ipsamet recta ratio; definitur enim ab Aristotele, recta ratio agendorum: ergo omnis virtus prudentiæ innititur.

Dices: Fides est christiano certa morum regula; ergo mores christiani non innituntur prudentiæ. – Distinguo anteced.: Est regula generalis, per prudentiam infusam applicanda particularibus casibus, concedo; est regula particularis in praxi á prudentia independens, nego antec. Itaque, etiamsi fidelis in lege Domini apprime edoctus, noverit quid Evangelium præcipiat aut prohibeat, egregie disserat de dilectione Dei et proximi, de contemptu rerum temporalium, de patientia et de singulis gradibus humilitatis; nihilominus nisi sit vir prudens et bonus, tanta scientiæ supellex in illo prorsus inanis est, et ad praxim inutilis. Quid ita? quia inordinati affectus judicium eius corrumpunt in casibus particularibus, judicat humilitatem in iis circumstantiis fore ignaviam, ad zelum rectitudinis pertinere, si honorem sibi debitum vindicet si impios deprimat' adeo ut numquam occasio sese offerat (ut retur) ad praxim redigendi, quæ alios sublimiter docet. Hic luctuosa S. Bernardi querimonia lib. 2 de Consider. cap. 1: "Nempe sic se habent mortalium "corda; quod scimus, cum necesse non "est in necessitate nescimus," nimirum quando nata occasione præceptum urget. Ex quibus S. Thomas post Philosophum concludit, scientiam quidem remanere in peccatoribus, idem de fide dicito; prudentiam vero minime, quia peccatores in praxi judicant prout affecti sunt, hoc est, male. Prudentiæ autem subserviunt, 1.° cura et sollicitudo rerum divinarum contra negligentiam; 2.° docilitas contra temeritatem et præsumptionem, quæ saniora consilia nec inquirit, nec datis acquiescit; 3.° circumspectio, quæ est attenta consideratio circumstantiarum contra animi levitatem et inconsiderationem.

Secundo cum justitiæ officium sit omnibus reddere debitum: *Cui tributum, tributum... cui honorem, honorem*, inquit Apostolus Rom. 13, sub illa militant religio, pietas, observantia, gratitu-

do, liberalitas, veracitas affabilitas, eutrapelia; harum quippe virtutum officia alios ita spectant, ut omnino omitti non possint sine illorum offensione, ac proinde quamdam habent rationem debiti.

Tertio, fortitudo, quæ animam firmat in periculis, labore et quibuslibet adversis, sub se continet patientiam, perseverantiam sive constantiam, magnanimitatem, quæ inclinat ad actus excellentes et heroicos, arduos quidem, sed animo generoso consentaneos. Unde fortitudo definitur á S. Augustino lib. de moribus Eccl. cap. 15, amor omnia propter Deum facile perferens.

Quarto, temperantia (quæ moderatur delectationes sensibiles, maxime gustus et venereorum, utpote quæ vehementius contra rationem nitantur) complectitur abstinentiam, sobrietatem, castitatem, pudicitiam, quæ aversatur quodlibet incontinentiæ signum in verbis, tactibus et aliis corporis motibus; verecundiam, quæ est timor et aversio cujuscumque turpitudinis; honestatem, quæ servat morum candorem et venustatem; mansuetudinem et clementiam, quæ cohibent iræ impetum et vindictæ appetitum; humilitatem seu modestiam, qua quis verissima sui cognitione sibi vilescens reprimit motus animi in magna tendentis; studiositatem, quæ refrenat inordinatam sciendi libidinem.

Q. 14: *Omnes recensitæ virtutes infunduntur ne in justificatione?* – R. 1.° Constat apud omnes catholicos infundi fidem, spem et charitatem. Quin multi theologi, ut Vega lib. 6, cap. 24, in Concilio Tridentino, Suarez. lib. 3, de gratia cap. 8, et alii, docent illud esse dogma fidei in Concilio Tridentino definitum.

Probatur 1.° ex scriptura Rom. 5, v. 5: "Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis» Ergo et fides simul, et spes. Fides quidem, quia charitas, seu amor Dei, non potest esse sine prælucente cognitione: "per fidem autem ambulamus et non per speciem,» 2. Cor. 5. Spes quoque; quia sine spe divini auxilii charitas non tendit in amplexus Sponsi summe dilecti. Hinc Apostolus 1 Cor. cap. 13, concludit in hæc verba: "Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc.» In quibus autem manent? non in infidelibus, ut patet, neque in peccatoribus, qui charitate carent. Ergo in justis.

Probatur 2.° ex Concilio Tridentino sess. 3, cap. 7, ubi sic habet: "Hanc "dispositionem... justificatio ipsa consequitur; quæ non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum.» Quæ autem sunt illa dona, nisi fides, spes, et charitas? *Hæc enim*, inquit S. Augustinus Enchir., cap. 4, "maxime "imo vero sola, in religione sequenda "sunt:» Unde Tridentini Patres citato capite sic inferunt: "In... justificatione "cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum "Christum, cui inseritur, fidem, spem, "et charitatem.» Ac tandem canone 11 definiunt: "Si quis dixerit, homines justificari... sola peccatorum remissione, "exclusa gratia et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat, anathema sit.»

Probatur 3.° ratione, quia ad suavem Dei providentiam pertinet tribuere causis secundis principium intrinsecum, suis operationibus proportionatum; sic v. g., naturam pecorinam, quæ est prima radix sensationum, instruxit sensibus, per quos proxime elicit operationes animales seu sensationes; naturæ rationali dedit intellectum et voluntatem, quæ sunt principia proxima actuum humanorum. Atqui gratia sanctificans est quædam natura supernaturalis, si ita loqui fas est, seu divinus perfectionis gradus, non solum naturam pecorinam et rationalem,

sed quamcumque creabilem excedens, quæ essentialiter ordinatur ad operationes sibi consentaneas, hoc est, supernaturales et divinas, cum modus operandi sequatur modum essendi; ergo debentur illi virtutes infusæ tamquam potentiæ similiter supernaturales et divinæ. Atqui hac ratione theologi communiter in prima parte agnoscunt in beatis lumen gloriæ per modum habitus, quo intellectus eorum intrinsece perficitur ad eliciendam connaturaliori modo visionem Dei intuitivam. Unde confirmatur nostra responsio. Gratia sanctificans est eiusdem naturæ et essentiæ, sive in patria, sive in via; per illam beati æque ac viatores formaliter constituuntur sancti, amici Dei, et consortes divinæ eius gratiæ; actus ad quos naturaliter et primario tendit in utroque statu, sunt Dei cognitio et amor; quid enim amicitiæ connaturalius quam amare, et in cognitione amati deliciari? Atqui beati in cognitione et amore Dei non deliciantur, nisi mediantibus habitibus luminis gloriæ et charitatis: ergo nec justi viatores, nisi mediantibus habitibus fidei, spei et charitatis, juxta illud Apostoli Rom. 1: *Justus autem ex fide vivit*, radicaliter quidem et habitualiter ex gratia sanctificante, actualiter vero ex fide non mortua, implicat enim animam vivere per aliquid mortuum; sed ex fide viva, quæ per dilectionem operatur, fidei et charitati spes in nobis adjungitur; quia non ambulamus per speciem ad quam ultimo tendit gratia sanctificans, sed eam expectamus in spe, quæ viva esse nequit, quin admixtum gemitum habeat, teste eodem Apostolo Rom. 8: "Nos ipsi primitias "spiritus habentes . . . intra nos gemi-"mus adoptionem filiorum Dei expec-"tantes . . . spe enim salvi facti sumus.» Et infra, "spiritus» (qui datus est nobis) "postulat pro nobis gemitibus ine-"narrabilibus.» Ex quibus patet fidem, spem, et charitatem numquam separari á gratia sanctificante in viatoribus justis; vitamque novam, quam peccatores in sacramento percipiunt, in actibus harum virtutum maxime consistere.

R. 2: Cum Concilium Tridentinum et alia præcedentia nihil expresse statuerint circa virtutes morales, controversia est inter theologos, utrum revera in justificatione infundantur. Nihilominus communior et longe probabilior est affirmans sententia sancti Thomæ 1, 2, quæst. 63, art. 3, et quæst. 65, art. 3, et totius ejus scholæ. Illam quoque amplexi sunt Richardus, S. Bonaventura, Vega, lib 7. in Conc. Trident. cap. 24; catechismus romanus, qui inter effectus baptismi numerat "nobilissimum om-"nium virtutum comitatum, quæ in ani-"ma simul cum gratia infunduntur.» Favet etiam S. Augustinus, qui in Psalmum 83, sic de virtutibus cardinalibus loquitur: «Illæ virtutes nunc in valle plo-"rationis per gratiam Dei donantur no-"bis.» Idipsum suadet ratio mox allata in confirmationem præcedentis responsionis. Namque gratia sanctificans est principium radicale et remotum omnium bonorum; constituit hominem formaliter justum, quatenus paratum illum reddit ad implendam totam legem, quæ præcipit de actibus omnium virtutum, ut dicitur 5 Ethic. cap. 1. Ergo gratiæ sanctificanti veluti novæ naturæ, debent respondere habitus omnium virtutum, tamquam potentiæ supernaturales et principia proxima actuum supernaturalium, qui ipsi competunt; quemadmodum naturæ rationali respondent potentiæ rationales, intellectus scilicet et voluntas, quæ sunt principia proxima actuum rationalium, ad quos inclinat.

Dices: Qui habet habitum virtutis, prompte et delectabiliter operatur ea quæ sunt virtutis. Atqui experientia constat peccatores post preceptum pœnitentiæ sacramentum, in quo peccata per infusionem gratiæ sanctificantis remissa sunt, easdem pati difficultates, quas ante justificationem, circa materias vir-

tutum, sive theologicarum, sive moralium; ergo nullæ virtutes in justificatione infunduntur, sed acquiri debent studio et labore.— Respondeo 1.°, hujusmodi experientiam non esse universalem. Plurimi quippe, etsi post conversionem, tentationibus etiam gravibus pulsentur, mente condelectantur legi Dei, et ad divina pie se affectos sentiunt. Hujusce mutationis unus ex bene multis testis sit Augustinus, qui de se sic scribit lib. 9 Confess. cap. 2; «Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum, et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat! Ejiciebas enim eas á me, vera et tu summa suavitas, ejiciebas, et intrabas pro eis, omni voluptate dulcior.» Quare ex quorumdam experientia rectius concluderetur illos posuisse obicem gratiæ, nec rem sacramenti percepisse.— Respondeo 2.°, concessa majore distinguendo min.: Peccatores post conversionem patiuntur easdem difficultates propter impedimenta externa, puta vitia prius contracta, quæ, quamvis per infusionem gratiæ sanctificantis lethale vulnus accipiant, ut loquitur S. Thomas, nihilominus per virtutes infusas non tolluntur, quemadmodum per acquisitas, utpote quæ illis non sunt contraria sicut istis, concedo; easdem patiuntur difficultates ex ipsamet voluntate male affecta erga Deum et objecta virtutum moralium, nego min.; alioquin non essent conversi; nam vera conversio nequit esse sine odio peccati et amore justitiæ, in quibus consistit rectitudo voluntatis et essentia virtutis. Esto contra illam rectitudinem pugnent caro et vitia contraria, quæ officium virtutis reddunt difficile; quemadmodum, inquit S. Thomas, somnolentia, qua gravatur philosophus, impedit usum habitus, qui in ipso est, et injucundum efficit.

Instas: Ex venerabili Bedâ sancti magis humiliantur de virtutibus, quas non habent, quam de virtutibus, quas habent, gloriantur; ergo non omnes virtutes in justificatione infunduntur. Distinguo anteced.: quas non habent quoad actum, quia nonnumquam propter difficultates et exteriora impedimenta venialiter peccant, concedo; quas non habent quoad habitum, nego antec. Quis enim dixerit virum sanctum non habere habitum religionis aut charitatis, ex eo quod præ infirmitate oratio ejus sit aliquando tepida, aut duriusculum verbum in proximum potulerit?

Dicat ergo justificatus á peccatis: "gaudens gaudebo in Domino; et exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis,» Isa. 16. v. 10. Non abjiciat per peccatum tantam Dei gratiam; sed sicut prius exhibuerat membra sua servire iniquitati ita nunc exhibeat illa servire justitiæ in sanctificationem, ut docet Apost. Rom. 6.

Cum autem justus per fidem, spem et charitatem Christo sit insertus, ut loquitur Concilium Tridentinum, et lumen fidei sit in ipso superadditum lumini rationis, quemadmodum ipsa ratio in homine superaddita est lumini sensuum: rectus ordo postulat, ut justus juste et supernaturaliter vivat, et ex fidei imperio rationem, sensus et omnes facultates suas dirigat ad finem, quem fides demonstrat, spes appetit, et charitas apprehendit. Unde mirum videri debet, quomodo homini christiano excidere potuerit hæc propositio, primum damnata ab Alexandro VII, deinde á clero Gallicano: "Homo nullo umquam vitæ suæ "tempore tenetur elicere actum fidei, "spei et charitatis, ex vi præceptorum "divinorum ad eas virtutes pertinen-"tium» Nam ex S. Augustino supra laudato, *hæc maxime, imo sola, in religione sequenda sunt.*

ARTICULUS XI.

De donis Spiritus Sancti.

Q. 1: *Quid est donum Spiritus Sancti?*

—R. Est habitus supernaturalis, quo homo disponitur ad accipiendas extraordinarias Spiritus Sancti motiones ad propriam salutem.

Dicitur 1.° *habitus supernaturalis*, 1.° quia permaneuter inhæret, ut habetur Isaiæ 11. *Requiescet super eum Spiritus . . . sapientiæ*, etc. Nam requies permanentiam significat. 2.° Ut distinguatur á virtutibus: quamvis enim ratio generica virtutis conveniat donis, cum ipsa faciant bonum habentem se et opus eius optimum; nihilominus non solent dici virtutes simpliciter, sed dona: quia virtus pressius sumpta regitur prudentia in actionibus ordinariis et mediocribus; donum vero supra prudentiam inclinat ad actus excellentes, heroicos et divinos per inspirationem et motionem Spiritus Sancti. Unde virtus infusa subest prudentiæ infusæ, donum vero Spiritui Sancto, tamquam proprio motori.

Dicitur 2.° *ad recipiendas extraordinarias Spiritus Sancti motiones*; quia ex S. Thoma 1-2, q. 68, a. 1.: "Omne "quod movetur, necesse est proportio- "natum esse motori.... quanto igitur "movens est altior, tanto necesse est "quod mobile perfectiori dispositione ei "proportionetur; sicut videmus quod "perfectius oportet esse discipulum dis- "positum ad hoc, quod altiorem doc- "trinam capiat á doctore. Manifestum "est autem, quod virtutes humanæ per- "ficiunt hominem, secundum quod ho- "mo natus est moveri per rationem in "iis, quæ interius vel exterius agit; "oportet igitur inesse homini altiores "perfectiones, secundum quas sit dispo- "situs ad hoc quod divinitus moveatur. "Et illæ perfectiones vocantur dona.»

Dicitur 3.° *ad propriam salutem*, ut significetur donum Spiritus Sancti pertinere ad gratiam gratum facientem, et distinguiá gratiis gratis datis, quæ dantur ad aliorum salutem. Hinc sapientia et scientia, quæ numerantur inter gratias gratis datas, dicuntur sermo sapientiæ et scientiæ, quia sunt ad alios erudiendos in lege divina; sapientia vero et scientia sumptæ pro donis Spiritus Sancti, perficiunt habentem se in ordine ad divina; per sapientiam ad illa suavius et excellentius contemplanda movetur; et per scientiam ad temporalia extraordinario modo contemnenda.

Q. 2; *Numquid necessaria est Spiritus Sancti motio, ut habitus virtutum infusarum in actum prorumpant*? – R. Procul dubio necessaria est; quia homo habitibus infusis uti non potest sine supernaturali illustratione seu cognitione, et sine pia voluntatis affectione, quæ sunt motiones Spiritus Sancti, sed longe dispares á motionibus ad usum donorum requisitis. Nam priores motiones sunt ordinariæ, et ad humanum agendi modum attemperatæ; posteriores contra excedunt communem agendi rationem, tenduntque ad actus heroicos. Unde actus illi non ita frequentes sunt in justis ac virtutum actus, v. g., oratio ad quam justus divinitus moveri necesse est, frequens est et assidua, sublimis vero contemplatio rarior et brevior.

Q. 3: *Suntne admittenda dona á virtutibus distincta*? – R. Negari non potest, quin homines aliquando extraordinarie á Spiritu Sancto moveantur; harum quippe motionum plura habentur exempla, tum in scripturis, tum in traditione ecclesiastica. Samson instinctu divino columnas cœnaculi concussit, Jud. 16. Salomon judicium tulit, 3 Reg. c. 3 Eleazarus elephanti se supposuit 2 Mach. 6. Simeon venit in templum, Luc. 2. Sancta Apollonia sponte in rogum exiliit, ex S. Dionysio Alexandrino apud Eusebium lib. 6. Hist. c. 4. Rationem affert Sanctus Thomas 1 2, q. 68. art. 4, quia «sicut... vires appetitivæ natæ sunt moveri per imperium rationis: ita omnes vires humanæ natæ sunt moveri per instinctum Dei, sicut á quadam superiori potentia.» Quin et ipse Aristoteles ejusmodi divinas inspirationes ag-

novit, lib. 7 Moral. c. 18, eiusque testimonium laudat S. Thomas art. 1, his verbis; "Philosophus etiam dicit... quod "his qui moventur per instinctum divi- "num, non expedit consiliari secundum "rationem humanam: sed quod sequan- "tur interiorem instinctum, quia moven- "tur á meliori principio quam sit ratio "humana.»

Sed controversia est in Schola, num dona sint habitus á virtutibus distincti. Negant non pauci. S. vero Thom. 1.-2, q. 68, et alii communiter, quibus subscribimus docent dona esse habitus á virtutibus distinctos, 1.° quia in scripturis exprimuntur ut aliquid permanens, Isaiæ c. 11: «Requiescet super eum Spiritus Do- "mini. Joan. 14: ad eum veniemus, et "mansionem apud eum faciemus.» Unde S. Gregorius lib. 2. Moral. c. 14: «In "illis donis, sine quibus ad vitam perve- "niri non potest, Spiritus Sanctus in "electis omnibus semper manet; sed in "aliis non semper manet.» 2.° Quia dona altiori et nobiliori modo versantur circa materiam virtutum, quam ipsæ virtutes. Ergo sicut liberalitas et magnificentia, quæ versantur circa idem objectum, puta pecuniam erogandam, sunt diversi habitus, quia diversimode largitionem respiciunt, liberalitas ut mediocrem, magnificentia ut splendidam et magnificam, quando decet, similiter dona et virtutes distingui debent, cum dona disponant ad actus sublimiores, virtutes contra ad actus mediocres.

Q. 4: *Dona suntne habitus præstantiores virtutibus?* — R. Distinguendum cum S. Thoma. Si dona conferantur cum virtutibus theologicis, sunt inferiora, quia per virtutes theologicas anima Deo conjungitur; per dona vero disponitur duntaxat ad suscipiendam Spiritus Sancti motionem; atqui multo præstantius est conjungi Deo quam disponi ad ejus inspirationem, quæ est consectarium quoddam, et velut appendix divinæ illius unionis. Sed si dona conferantur cum aliis virtutibus, sive intellectualibus, sive moralibus, præstantiora sunt, quia disponunt ad motionem extraordinariam Spiritus Sancti, quæ superior est motione rationis ad quam disponunt virtutes morales. "Manifestum "quippe est, inquit S. Doctor, quod ad "altiorem motorem oportet majori per- "fectione mobile esse dispositum.»

Q. 5: *Quot sunt dona Spiritus Sancti?* —R. Septem numerantur, Isa. 11, his verbis: "requiescet super eum spiritus "Domini, spiritus sapientiæ et intellec- "tus, spiritus consilii et fortitudinis, spi- "ritus scientiæ et pietatis, et replebit "eum spiritus timoris Domini.» Ex his donis quatuor, scilicet sapientia, intelligentia, scientia et prudentia, seu consilium, perficiunt rationem; tria vero voluntatem, nempe pietas, fortitudo et timor.

Q. 6: *Quomodo probatur septenarius ille donorum numerus?*—R. Probatur 1.° ipsa prophetæ enumeratione; 2.° auctoritate sanctorum patrum, sancti Ambrosii lib. 5. de Spiritu Sancto cap. 2; Hieronymi in caput 11 Isaiæ; Augustini lib. 2 de doctrina christ. cap. 7; sancti Gregorii lib. 1 Moral., cap. 28; consensu theologorum et totius ecclesiæ, quæ illum numerum hactenus retinuit. Calvinus exsufflat et ridet illam auctoritatem, quia in hebræo pietas et timor pro reverentia sumuntur et eodem nomine exprimuntur. Sed lugenda ejus vanitas et præsumptio, qua se oculatiorem credit septuaginta interpretibus et sancto Hieronymo, qui idem nomen in textu hæbreo repetitum, duo significare interpretati sunt, nimirum pietatem et timorem reverentialem; quemadmodum apud latinos timor significat et metum, et reverentiam. 3.° Probatur ratione, quia dona ex dictis idem cum virtutibus habent objectum materiale, sed disponunt ad actus sublimiores circa illud eliciendos. Ergo tot admittenda sunt dona quot numerantur virtutes: atqui præter

virtutes theologicas, quas præsuponunt dona tamquam sui radices, septem numerantur virtutes, quatuor intellectuales, quæ disponunt ad actus bonos, scilicet intelligentia, sapientia, scientia et prudentia; tres in voluntate, nimirum justitia, fortitudo et temperantia. Ergo totidem admittenda sunt dona ejusmodi virtutes perficientia.

Q. 7. *Quomodo se habet quodlibet donum ad virtutem cui respondet?* — R. Satisfiet quæstioni, si conferatur actus cujuslibet doni cum actibus virtutis ipsi agnatæ. Itaque primo, actus virtutis intelligentiæ, quæ vulgo dicitur habitus principiorum, est cognitio primorum principiorum, v. g.: « Quod tibi non vis « fieri, alteri ne feceris. Totum est ma- « jus sua parte. » In religione autem christiana prima principia sunt propositiones fidei, ex quibus deduci, et ad quas reduci oportet omnem supernaturalem fidelium cognitionem quantumcumque sublimem; alioquin abjicienda est tamquam á spiritu erroris immissa, qui aliquando se transfigurat in Angelum lucis. Porro per prudentiam judicamus Deum hoc aut illud dixisse, per fidei virtutem actu de facto idipsum judicantes credimus. En actus virtutis fidei. Nonnumquam autem fidelis, etiam idiota, instinctu Spiritus Sancti ea firmitate credit, et tanta luce percipit mysterium revelatum, v. g., Filium Dei esse incarnátum, ut sibi videatur hactenus non credidisse sicut oportet. En actus doni intelligentiæ.

Secundo, per virtutem sapientiæ ratio gratia Dei adjuta, de rebus divinis, tamquam de altissimis causis, et ex iis de creatis recte judicat. Per donum vero sapientiæ justus aliquando non rationis ductu sed Spiritus Sancti instinctu movetur ad sublimiorem cælestium contemplationem, quam sanctus Augustinus testatur se fuisse expertum, l. 10. Conf. c. 40: "Aliquando, » inquit Deum alloquens, "intromittis me in affectum multum inusitatum introrsus, ad nescio "quam dulcedinem: quæ si perficiatur in "me, nescio quid erit, quod vita ista non "erit; sed recido, » etc. Quia brevis est et admodum rara illa beatæ vitæ prælibatio.

Tertio, virtus scientiæ ad hoc disponit, ut ratio de temporalibus recte judicet, nimirum non esse æstimanda aut appetenda, nisi quatenus deservire possunt ad æternam beatitudinem consequendam. At per donum scientiæ justus ulterius judicat illa esse abjicienda (quantum fieri potest), veluti onera et impedimenta, quæ retardant animam ad Deum anhelantem. Verum quia vitæ necessitas cogit servire hujusmodi vanitatibus, donum scientiæ tantum abest ut inflet, quemadmodum scientia Philosophorum, quin justum dejicit, et secundum sanctum Augustinum, naturaliter parit donum lacrymarum.

Quarto, virtutis prudentiæ proprium est in dubiis consulere secundum rectam rationem; spiritus autem sanctus nonnumquam justis inspirat consilia, quæ communem agendi rationem et humanam prudentiam superant; et ideo á prudentibus seculi temeraria et stulta facile judicantur. "Animalis homo, » inquit Apostolus 1 Cor. 2, " non percipit ea quæ "sunt Spiritus Dei; stultitia enim est "illi. »

Quinto, per justitiæ virtutem justus disponitur ad reddendum cuique debitum: " Cui vectigal, vectigal: cui timo- "rem, timorem; cui honorem, hono- "rem, « Rom. 13. Per donum autem pietatis fit prompte á Spiritu Sancto mobilis ad extraordinariam reverentiam, qua Deo, personis et rebus sacris, pauperibus et omnibus hominibus, quatenus ad Christum pertinent, longe ultra debitum exhibet quod justitia, religio, et misericordia præscribunt.

Sexto, virtus fortitudinis justum in periculis, juxta dictamen rationis et communes prudentiæ regulas firmat contra

inordinatos timoris et audaciæ motus. Per donum vero fortitudinis disponitur ad heroicos actus, instinctu divino eliciendos, ut videre est in laudatis exemplis Samsonis, Rasiæ, 2 Machab. 14, et Apolloniæ.

Septimo, per virtutem temperantiæ justus moderate utitur rebus delectabilibus. Per donum vero timoris reverentialis erga Deum, omnes delectationes, quantum potest, abjicit vitæ austerioris studio, ut animam castam et puram conservet Deo suo, qui Exod. 20, *est fortis zelotes*, et Jac. c. 4, *ad invidiam concupiscit.*

Cæterum theologi hîc monent heroica illa opera, præsertim quæ quarto et sexto dono tribuuntur, non esse ambienda sine speciali Spiritus Sancti instinctu, qui præsumitur in iis, quos scriptura laudat et Ecclesiam commendat; alioquin nec Samson, nec Rasias, nec Apollonia á gravi peccato excusari possent. Quare animarum rectores, sicut non debent agere, nisi secundum rectæ rationis et prudentiæ regulas, ita nec aliis consulere. Justi equidem sunt semper dispositi ad omnem Spiritus Sancti motum: sed supra rationem non moventur nisi extraordinarie, contra rationem vero numquam.

Q. 7: *Dona suntne habitus distincti á duodecim fructibus Spiritus Sancti, de quibus Galat.* 5, *et ab octo beatitudinibus, quæ laudantur, Matth.* c. 5?—Respondet S. Thomas, fructus et beatitudines esse ipsosmet actus virtutum et donorum. Namque fructus nomine intelligitur bonum labore et studio intentum et comparatum; v. g., ampla messis est fructus agricolæ. Si bonum illud sit ingens, dicitur beatitudo, sive inchoata, sive perfecta; quia eius possessio valde delectat, et operantis desiderium quiescere facit. Si autem bonum sit exiguum aut mediocre, dicitur simpliciter fructus, non vero beatitudo; neque enim mercenarium dixeris beatum, ex eo quod exiguam mercedem consecutus sit. Atqui bonum quod intenditur ex habitibus laudabilibus, sunt actus boni et laudabiles v. g., cognitio rerum naturalium est bonum Philosophi, et fructus habitus quem studio comparavit. Ergo actus habituum infusorum sunt delectabiles justorum fructus: *Timor Domini delectabit cor*, Eccli. 1: *Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda*, Psalm. 17. Et S. Augustinus serm. 368, alias hom. 37, de actu amoris ex toto corde, ait: «Cum ad istam felicem perfectionem veneris, omnes concupiscentias huius mundi tamquam stercora computabis, et cum Propheta poteris dicere: *Mihi adhærere Deo bonum est*,» quemadmodum parvulus ablactatus experientia cibi solidioris et suavioris lac nutricis fastidit. Quin et intimus dolor de peccatis est delectabilis pœnitentiæ fructus, juxta illud lib. de vera et falsa pœnitentia apud sanctum Augustinum; "Sic pœnitens de "peccatis doleat, ut de dolore suo gau-"deat."

Ergo charitas, castitas et aliæ virtutes quas numerat Apostolus cit. c. 5. Gal., non sumuntur pro habitibus, sed pro actibus, patetque ex eius contextu; ibi enim opponit opera spiritus operibus carnis; *Manifesta sunt*, inquit, *operá carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia* etc. Tum subjungit de operibus bonis: *fructus autem spiritus est charitas, gaudium*, etc. Maluit autem dicere fructus, quam opus, ut intelligeremus in illis actibus secundum se spectatis, nullum inesse laborem, aut tristitiam, quemadmodum carnales falso arbitrantur, sed meram delectationem et pacem. *Crucem quidem vident sed non etiam unctionem*, ait S. Bernardus serm. 1 de Dedic. Vident carnis afflictationes, sensuum mortificationes; sed non vident Sancti Spiritus consolationes. Deinde Apostolus actus illos vocat fructus, non justorum, sed Spiritus Sancti; quia licet justi ad illos actus vitaliter et libere concurrant,

Spiritus tamen Sanctus illorum est auctor. *Deus est enim qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate*, Philip. 2 Porro sicut Apostolus non omnia carnis opera citato cap. numerat, sed quadam notiora dumtaxat; sic non omnes fructus spiritus, sed nobiliores comprehendit in duodenario illo numero; omnes enim actus cuiuslibet habitus infusi, sive sit virtus, sive sit donum, est fructus spiritus. Attamen fructus omnes non dicuntur beatitudines, sed soli actus donorum: quia ex dictis nomine beatitudinis intelligitur bonum insigne in cuius possessione animus quiescit, vel plene et perfecte, si beatitudo sit perfecta, ut visio Dei instuitiva, quæ est operatio hominis præstantissima, et ultima eius perfectio: vel imperfecte, si beatitudo sit solum inchoata, quæ in hac vita exurgit ex actibus præstantioribus; operatio quippe præstantior magis perficit, et amplius delectat. Atqui ex dictis actus donorum sunt præstantiores actibus virtutum, utpote qui procedant á nobiliori motore; ergo beatitudines sunt proprie actus donorum.

Q. 8: *Quomodo octo beatitudines conveniunt cuilibet dono?* — R. Alii aliter explicant. Secundum Sanctum Augustinum lib. 1. de serm. Domini in monte, prima beatitudo tribuitur timori Domini, quo justus ob Dei reverentiam seipsum deprimit, honores, et omnia temporalia contemnit: « Recte hic intelliguntur pauperes spiritu, humiles et timentes Deum; nec aliunde omnino incipere oportuit beatitudinem; siquidem perventura est ad summam sapientiam; initium autem sapientiæ est timor Domini, quemadmodum et é contrario, initium omnis peccati superbia scribitur. Superbi autem appetunt et diligunt regna terrarum. Beati (autem) pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum: » cap. 2. Secunda beatitudo tribuitur pietati; « Namque mites sunt, qui cedunt improbitatibus, et non resistunt malo, sed vincunt in bono malum » (scilicet propter Dei timorem et reverentiam.) « Rixentur ergo immites, et dimicent pro terrenis et temporalibus rebus. » *Beati mites quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram*: de qua pelli non possunt, c. 3. et cap. 9. Inde venit (pauper spiritu) ad divinarum scripturarum cognitionem, ubi oportet esse mitem pietate; ne etiam id quod imperitis videtur absurdum, viturperare audeat. . . mitibus hæreditas data est, tamquam testamentum patris per pietatem quærentibus. » Tertia convenit scientiæ: « In hoc gradu, in quo scientia est, lugetur amissio summi boni, quia inhæretur extremis, c. 9. et c. 8: Scientia congruit lugentibus, qui cognoverunt in scripturis, quibus malis teneantur. » Quarta congruit dono fortitudinis: " In quarto gradu inquit Sanctus Doctor, labor est, ubi vehementer incumbitur, ut sese animus avellat ab eis quibus pestifera dulcedine innexus est. Hic ergo esuritur et sititur justitia, et multum necessaria est fortitudo; quia non relinquitur sine dolore quod cum delectatione retinetur. » Quinta est effectus salutaris consilii: " Hoc enim unum remedium est, evadendi de istis malis, ut dimittamus, sicut nobis dimitti volumus; et adjuvemus in quo possumus alios, sicut et nos cupimus adjuvari. » Sexta respondet dono intellectus, quo sublimius res divinæ apprehenduntur: " Quemadmodum enim lumen hoc videri non potest, nisi oculis mundis; ita nec Deus, nisi mundum sit illud, quo videri potest. . . . . mundis corde data est facultas videndi Deum, tamquam purum oculum ad intelligenda æterna gerentibus. » Septima tribuitur dono sapientiæ: " Pacificis Dei similitudo est tamquam perfecte sapientibus, formatisque ad imaginem Dei... " Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, et subjicientes rationi, id est, menti

" et spiritui, carnalesque concupiscentias " habentes edomitas, fiunt regnum Dei, " in quo ita sunt ordinata omnia, ut id " quod in homine præcipuum est et ex- " cellens, hoc imperet, cæteris non re- " luctantibus, quæ sunt nobis bestiisque " communia. » In octava beatitudine septem dona concurrunt, adeo ut non sit novus perfectionis gradus, sed probatio et declaratio præcedentium; " Septem " sunt ergo, ait S. Augustinus cap. 9. " quæ perficiunt; nam octava clarificat, " et quod perfectum est, demonstrat. » Enimvero omnes, tam pauperes et humiles spiritu, quam mites et alii, male audiunt apud iniquos, linguis eorum proscinduntur, persecutionibus exagitantur; sed beati si in iis tribulationibus gloriantur, quia ipsorum est regnum cœlorum.

Q. 9: *Omnia dona infunduntur ne in justificatione*? - R. Affirmans S. Thomæ sententia in schola est communior, probaturque, quia in justificatione homo inseritur Christo tamquam membrum capiti, ut spiritu eius vivat et regatur: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius*, Rom. 8, v. 9. Ergo justus debet disponi ad excipiendas omnes motiones Spiritus Sancti; disponitur autem ad ordinarias per habitus virtutum, ad extraordinarias vero per dona, ut patet ex dictis; ergo sicut in justificatione infunduntur habitus virtutum, ita et habitus donorum; "In ordine ad finem ultimum "supernaturalem," inquit S. Thomas, art. 2, q. 68, "ad quem ratio movet se- " cundum quod aliqualiter et imperfecte " informata per virtutes theologicas, non " sufficit ipsa motio rationis, nisi desu- " per adsit instinctus et motio Spiritus " Sancti secundum illud Rom. 8:» »*Qui Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt.*»" Et " ideo ad illum finem consequendum ne- " cessarium est homini habere donum " Spiritus Sancti. »

In his enucleandis, quæ schola vix attingit, diutius immorati sumus, quia opera pretium est, ut clerici plene noverint et frequenter doceant, quam pretiosa et maxima dona conjuncta sint cum peccatorum remissione; quam divina adjumenta habeant justificati á peccato, ut relapsum caveant, et in bonis operibus abundent; denique quid in peccatore prærequiratur, ut ad tot ac tanta dona recipienda dispositus censeatur.

DISSERTATIO XIV ET ULTIMA.

De addendis quæstioni 114, *de merito quod est effectus gratiæ cooperantis.*

ARTICULUS I.

¿*Quid, et quotuplex sit meritum*?

ESSENTIA MERITI.

Meritum secundum D. Thomam 1. 2. *quæst.* 21. *art.* 3. est proprietas actus humani, prout est moraliter bonus: ex eo enim, quod est moraliter bonus: habet rationem meriti; sicut ab opposito, ex eo, quod sit malus, habet rationem demeriti. Non quod eadem sit ratio boni, quæ est meriti, aut ratio mali, quæ est demeriti, sed quia ad actum humanum bonum sequitur ratio meriti, et ad malum ratio demeriti. Quia omnis actus humanus, vel dirigitur in utilitatem communitatis, vel singularis personæ; et sic debetur ei, qui illum facit, aliqua retributio præmii: vel dirigitur in damnum communitatis, et sic debetur ei retributio pœnæ. Neque ad meritum, vel demeritum requiritur, quod actus sit bonus, vel malus alteri, sive communitati, sive particulari personæ; sed sufficit, ut sit bonus, vel malus ipsi agenti: hoc enim ipso est bonus, vel malus communitati, cujus ipse agens est pars. Sicut eo ipso, quod bene, vel male fit digito hominis, vel eum sanando, vel lædendo, bene, vel male fit toti corpori. Et per consequens bono, vel malo facto in utilitatem, vel damnum communitatis, vel particularis personæ, vel etiam ipsiusmet agentis, debetur á rectore communitatis præmium, vel pœna.

Hinc actus meritorius dici potest in

genere: "opus retributione dignum, "quatenus aliquis dat de suo, ut acci-"piat de alieno. » Sicut qui laborat in vinea alterius, ut accipiat statutam mercedem; dat aliquid de suo, nempe operam, et laborem, quem habet in sua potestate, ut accipiat aliquid de alieno, nempe, pecuniam, quæ est in potestate alterius. Ad præsens tamen institutum describi potest meritum, quod sit: *actus liber bonus in obsequium præmiantis elicitus.* Est enim differentia inter commutationem, et meritum, quod in commutatione utpote ad justitiam commutativam spectante, servari debet omnimoda æqualitas: ut si quis ceptum dedit, centum etiam recipiat, sive in eadem, sive in æquivalenti specie. Hoc autem non exigitur ad meritum: quia justitia distributiva ad quam proprie spectat merito reddere præmium, non servat arithmeticam æqualitatem, sed proportionem; ut juxta æstimationem prudentum merito correspondeat præmium, quod sit aliquid excellentius merito: quia qui meretur, tendit ad aliquid supra se, suis tamen operibus correspondens.

Quotuplex sit meritum.

Duplex communiter distingui solet meritum: unum de condigno, alterum de congruo. Meritum de condigno illud est, quod habet condignitatem ad præmium; ita ut, pensatis omnibus, jure debeatur tali operi tale præmium; quamvis illa dignitas operis proveniat ex gratia personæ merenti collata. Et hoc est meritum, quod communiter intelligi solet, dum agitur de merito hominis justi; cui, ut videbimus, debetur quidem præmium, sed non de toto rigore justitiæ; quo meritum hominis distinguitur á merito Christi, quod ex se, et ex dignitate personæ tale opus est, ut ei secundum perfectum justitiæ rigorem debeatur præmium.

Meritum autem de congruo est illud, quod licet non habeat condignitatem, nec inferat jus, aut debitum ad præmium; nihilominus quædam decentia, et congruitas est, ut ille, qui potest reddere præmium, illud pro tali opere conferat. Exemplum utriusque afferri potest in milite, qui optime se gessit in prælio. Hic enim duplex habet meritum: unum de condigno, nempe, ad stipendium strenue militantibus statutum; alterum vero de congruo, ut scilicet á rege, vel principe, præter ordinarium stipendium, ipsi conferatur aliquod donum, vel dignitatis, aut nobilitatis prærogativa. Licet enim hoc titulo justitiæ non debeatur; congruum tamen est, ut rex, el princeps erga strenuos milites ita se gerat.

Hinc apparet differentia inter utrumque meritum. Quod meritum de condigno vere, et simpliciter est meritum, et innititur justitiæ; adeo ut sic merenti, debitum sit ex justitia præmium. Meritum autem de congruo solum est improprie meritum, utpote non habens æqualitatem ad præmium; nec innititur justitiæ, sed potius liberalitati, et decentiæ; adeo ut cui hoc tantum meritum inest, non teneatur Deus quiddam rependere quasi futurus in eum injustus, si non rependeret: sed solum, quod sic congruat divinæ bonitati, ei aliquid conferre, non tamquam præmium, aut coronam, sed ex quadam decentia gratitudinis, liberalitatis, vel etiam fidelitatis. Hinc etiam sequitur, quod meritum de congruo non requirat eam, tum personæ tum operis dignitatem, quam requirit meritum de condigno; debet tamen esse opus bonum ejusdem ordinis cum ea re, ad quam ordinatur, idest supernaturale, si ordinatur ad consecutionem boni supernaturalis. Unde opus bonum ordinis naturalis, nec de congruo mereri potest donum vel minimum ordinis supernaturalis. Et insuper debet fieri in offcium, aut obsequium gratum, vel utile illi, apud quem est meritum.

Præterea meritum de congruo du-

plex esse potest. Aliud se tenens ex parte merentis: quatenus in merente est quædam decentia movens largitorem, ut suam exerceat liberalitatem. Sic oratio justi meretur bona supernaturalia proximo, quia condecens est, ut sicut justus facit voluntatem Dei; ita et Deus exaudiat voluntatem justi in utilitatem proximi. Aliud est meritum de congruo, tenens se tantum ex parte operis servantis quamdam proportionem, per modum dispositionis: decens enim est quod Deus, ubi invenit dispositionem, adjiciat perfectionem. Sic peccator eliciens actum fidei dicitur mereri de congruo augmentum fidei; decentia tamen se tenente ex parte Dei, non ex parte hominis. Quod indicavit S. Augustin. Epist. 106. modo 186. cap. 3. dum ait: "Si quis autem "dixerit, quod gratiam bene operandi "fides mereatur, negare non possumus; "imo vero gratissime confitemur. Hanc "enim fidem volumus habeant qui impe- "trant charitatem. »

Ejusmodi meritum, aliis verbis, vocatur meritum impetrationis. In quo sensu Sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 16. docet, orationem peccatoris esse aliquando impetratoriam. Verum est enim (ait ibi art. 15. ad 1.) «Oratio si- "ne gratia gratum faciente meritoria "non est, sicut nec aliquis actus virtuo- "sus. Et tamen etiam oratio, quæ im- "petrat gratiam gratum facientem, pro- "cedit ex aliqua gratia, quasi ex gratui- "to dono; quia ipsum orare est aliquod "donum Dei, ut Augustin. dicit in lib. "de perseverantia cap. 23.» maxime quando petit necessaria ad salutem. Ut enim docet ibi ad 3. "Oratio innititur "principaliter fidei, non quantum ad "efficaciam movendi, quia sic innititur "principaliter charitati; sed quantum ad "efficaciam impetrandi: quia per fidem "habet homo notitiam omnipotentiæ di- "vinæ, et misericordiæ ex quibus oratio "impetrat, quod petit.» Impetrat enim oratio peccatoris non *ex merito peccantis* (sic enim oratio non implentis legem dicitur execrabilis, *prov.* 28. et *Jo:* 9. peccatores Deus non exaudit) "sed in- "terdum impetrat ex misericordia Dei. "Vel propter salutem ejus, qui orat, "sicut auditus est publicanus. Lucæ 18. "Vel etiam propter salutem aliorum, "et gloriam Dei.» Ita S. Thom. eadem 2. 2. *quæst.* 178 *art.* 2. *ad* 1.

ARTICULUS II.

De existentia meriti.

Nomen meriti novatoribus, Lutheranis, et Calvinistis est ita exosum, ut illud penitus rejiciant tamquam fastuosum ac superbiam redolens, doceantque, hominem nihil vere mereri apud Deum: *Quia,* inquit Calvin. l. 3. instit c. 15, "nihil ab homine erit quantumvis per- "fecto, quod non sit aliqua macula in- "quinatum. » Contra quos sit.

Conclusio. Bona justorum opera apud Deum sunt vere et proprie meritoria. Est de fide.

Prob. 1. Ex iis scripturæ locis; in quibus Deus dicitur bonis justorum operibus retribuere mercedem Gen. 15. "Ego protector tuus sum, et merces "tua magna nimis. » Eccli. 13. "Ne ve- "rearis usque ad mortem justificari, "quia apud Dominum est merces bono- "rum operum. » 1. Cor. 15. "Unus- "quisque suam mercedem accipiet se- "cundum suum laborem. » Atqui merces refertur ad meritum; ergo opera justorum sunt vere meritoria.

Prob. 2. Ex iis scripturis locis, in quibus expresse habetur, quod Deus reddet mercedem operibus meritoriis, Eccli. 15. "Omnis misericordia faciet "locum unicuique secundum meritum "operum suorum, et secundum intel- "lectum peregrinationis suæ, » id est, secundum mensuram operum, quæ egit ut peregrinus in terra Rom. 4. "Ei au- "tem, qui operatur, merces non impu- "tatur secundum gratiam, sed secundum "debitum.» Atqui merces reddita secun-

dum debitum, arguit verum et proprium meritum; ergo.

Prob. 3. *Ex PP.* D. Cyprian. lib. de unit. Ecclesiæ, ait: "accipiunt merita nostra mercedem."

D. Ambros., *Serm.* 7. *in Psal.* 118. de justo ait: "Scit sibi coronam bonorum repositam esse meritorum."

D. August. Epist. 105. "Nulla igitur sunt merita justorum? sunt plane, quia justi sunt." Et infra: "Sicut merito peccati, tamquam stipendium, redditur mors, ita merito justitiæ tamquam stipendium, vita æterna." Et Serm. de verbis Apost., ait: "cum Deus coronat merita tua, nihil coronat nisi dona sua."

Prob. 4. Ex Conciliis: Arausicano II. Can. 18. "Debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia, quæ non debetur præcedit, ut fiant." Et Trid., Sess. 6. Can. 22. "Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita... anathema sit.

Prob. 5. *Ratione theologica.* Christus ex Symbolis nostræ fidei, venturus est judicare vivos et mortuos; atqui si non sint merita, non potest judicare vivos et mortuos, juxta illud D. Aug., Epist. 46. "Alioqui si non sunt merita, quomodo judicabit Deus hunc mundum?» ergo.

Solvuntur objectiones.

Objic. 1. *Cum Calvino.* Omnia opera nostra sunt immunda; ergo tantum abest, ut aliquid mercedis mereantur apud Deum, quin potius Dei indignationem provocent.

Prob. ant. Ex Isaiæ 64. "Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.» ergo omnia opera nostra sunt immunda.

Resp. nego conseq. In textu enim non est sermo de bonis justorum operibus, sed de fictis justitiis perfidorum judæorum, nempe desacrificiis expiatoriis, lotionibus manuum, et calicum, etc.: nam intus pleni erant rapina et iniquitate, ut ait Christus, Lucæ 11. v. 39.

Inst. 1. Lucæ 17. dicitur: "Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis dicite, quia servi inutiles sumus; ergo per opera nostra nihil meremur.

Resp. nego conseq. Non enim debemus dicere, nos servos inutiles esse, quod non mereamur, sed propter triplicem causam. 1. Quia si aliquid, quod ad vitam æternam utile sit, facimus, id per gratiam et adoptionem divinam facimus: unde si quam Deus mercedem pro opere bono nobis rependat, nihil, ait D. August. Epist. 105. "aliud coronat, quam munera sua.» 2. Quia nostro obsequio nihil utilitatis Deo contulimus; unde per observationem mandatorum sumus utiles respectu nostri, inutiles vero respectu Dei cui cum Psalmista, Psal. 15. dicere debemus; "Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.» 3. Quia si tantum facimus id, quo præceptum est, nihil singulare et ultra mercedem promissam consequemur, quod ultimum videtur spectare Christus, cum dicit: "quod debuimus facere, fecimus.»

Inst. 2. Ad meritum de condigno requiritur condignitas operis cum mercede: atqui ex Apost. Rom. 8. "Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis;» ergo.

Resp. dist. min. Non sunt condignæ, si spectentur in se, *conc.* si spectentur prout sunt gratia informatæ, *nego min.* Sic enim sunt opera amicorum Dei: "vos autem dixi amicos,», ait Christus, Joan. 15.

Inst. 3. Apost. *Rom.* 6. dicit: "gratia autem Dei, vita æterna,» ergo vita æterna non datur ut merces.

Resp. nego conseq. Vita æterna dicitur gratia, et merces; gratia, quia principium meriti habemus ex gratia gratuito data; merces vero, quia retribuitur bene operantibus per vires à gratia acceptas, ut tradit Conc. Arausicanum:

"Debetur merces bonis operibus, si fiant, "sed gratia, quæ non debetur, præcedit "ut fiant."

Inst. 4. Gloria est nostra hæreditas, Apost. *Rom.* 8. dicente: "si filii et hæ- "redes, hæredes quidem Dei." Atqui hæreditas confertur filiis absque ullo labore, et merito; ergo.

Resp. dist. mai. Est hæreditas, jure adoptionis ineunda, *conc.* jure nativitatis, *nego mai.* Porro conditiones adoptionis divinæ sunt observatio mandatorum. Math. 19. "Si vis ad vitam ingredi, ser- "va mandata." Ergo filius adoptivus non potest vitam ingredi, nisi observatis Dei mandatis.

Objic. 2. Merita nostra, si darentur, derogarent meritis Christi; ergo non sunt dimittenda.

Prob. ant. Si merita nostra essent necessaria, merita Christi essent insufficientia; atqui hoc derogat meritis Christi, ipsique injuriosum est; ergo.

Resp. nego mai. Merita enim nostra non sunt necessaria, ut compleant aliquam meritorum Christi insufficientiam, quod dicere injuriosum est Christo, qui superabundanter pro nobis meruit, et satisfecit; sed ideo necessaria sunt, ut nobis applicentur merita Christi, quæ sunt verum et unicum meritorum nostrorum fundamentum: quod Christo valde gloriosum est.

ARTICULUS III.

De retributione vitæ æternæ pro meritis.

?An, sit actus justitiæ, et cujus?

Triplex veræ justitiæ species communiter assignari solet. Legalis, quæ respicit bonum commune, et ponit æqualitatem in ordine ad illud. Distributiva, quæ secundum æqualitatem proportionis ad conditionem, et merita distribuit personis particularibus bona communia. Et commutativa, quæ ponit æqualitatem rei ad rem inter privatas personas, et regulas inter emptiones, venditiones, conductiones, aliosque contractus. Dubium igitur præsens inquirit: an retributio vitæ æternæ, quam ex meritis dari ostendimus, ad aliquam ex dictis justitiæ speciebus pertineat, et ad quam. Ideoque sit.

1.ª Conclusio. Retributio gloriæ ex meritis est actus veræ justitiæ; non puræ fidelitatis aut gratitudinis.

Prob. primo. Ex D. Paulo 2. ad Timoth. 4. v. 8. ubi vocat gloriam coronam justitiæ, quam sibi et iis, qui diligunt adventum ejus, reddet in illa die Dominus justus judex. Unde Conc. Trid. Sess. 6. cap. 16. ait: "Hæc est enim "illa corona justitiæ, quam post suum "certamen, et cursum repositam sibi "ajebat Apostolus á Justo Judice sibi "reddendam, non solum autem sibi, sed "et omnibus, qui diligunt adventum "ejus." Et ex eodem, Hebr. 6. v. 10. "Non est enim injustus Deus ut obli- "viscatur operis vestri" etc. Quæ autem redditur, ut corona justitiæ, quæ redditur á Domino justo judice, quam si non redderet, injustus esset, cur ex justitia vere tali non redditur?

Probo insuper hoc discursu. Retributio gloriæ pro meritis non est actus gratitudinis, nec fidelitatis: ergo est actus veræ justitiæ. Ant. pro prima parte probatur. Tum quia gratitudo in Deo erga homines dari non potest: actus enim gratitudinis est compensatio accepti beneficii respiciens alterum, ut benefactorem, quo modo Deus respicere nequit creaturam: ¿*Quis enim prior dedit illi, et retribuetur ei*? (Rom. 11. vers. 15.) Nec creatura meritis suis præstat beneficium Deo, sed obsequium. Tum quia: quod redditur ex pura gratitudine, non redditur ut corona, et ut merces, quo pacto reddi gloriam, dicit scriptura; et qui non redderet, esset quidem ingratus, sed non injustus. Imo si quod datur ex gratitudine, daretur ut corona, et ut merces: dici posset, dum munera Deo offerimus in gratiarum actionem, ea nos dare Deo in coronam, mercedem, et præmium.

Eadem ratione prob. secunda antec. pars. Quod enim ex pura fidelitate redditur, non datur ut corona, ut merces, ac præmium, et propter merita. Alias sequeretur, quod Incarnatio, quæ ex fidelitate divinarum promissionum data fuit, et remissio peccatorum, quæ peccatori contrito ex fidelitate divini promissi, Zachariæ 1. *Convertimini ad me, et convertar ad vos*, una cum gratia justificante conceditur, dici posset, illam fuisse datam ut coronam, mercedem, et propter merita Sanctorum Patrum; hanc vero dari propter meritum peccatoris contriti, ut mercedem, et coronam, contra illud Pauli, Rom. 3. v. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius.*

Probo secundo ostendendo, justitiam proprie dictam, in Deo erga creaturam nullam dicere imperfectionem. ¿Quid enim est justitia? Nil aliud, quam *constans, et perpetua voluntas jus suum unicuique tribuens.* Constans autem, et perpetua voluntas maximam dicit perfectionem. Tribuere alteri bonum, perfectionem dicit in tribuente. Solum ergo videri potest imperfectio, quod creatura habeat jus aliquod erga Deum. Sed et hoc falsum esse, sic ostendo. Quotiescumque enim jus creaturæ ex propriis creaturæ non est, sed ex acceptis gratis, et liberaliter á Deo: tale jus nullam ponit imperfectionem in Deo: sed tale est jus, quod ponimus in creatura, erga Deum, in ordine ad vitam æternam; ergo etc. Min. supponitur certa. Quia jus, quod habet creatura ad gloriam, est fundatum in gratia justificante, quæ gratis, et liberaliter á Deo conceditur. Maj. vero prob. Tum quia: ita salvatur illæsum altum dominium Dei. Sicut, ex quo jus, quod habet feudatarius in fundum, sit ex acceptis á rege, non derogatur alto dominio regis; quamvis feudatarius habeat jus erga regem, ut ipsum manuteneat in fundo. Tum etiam: (et ratio est) quia ex quo jus creaturæ sit ex acceptis á Deo, illud jus, esto formaliter in creatura sit, radicatur tamen totum in jure supremo Dei, cujus donum est totum jus, quod in creatura invenitur.

Solvuntur objectiones.

Obj. primo. Tota ratio meriti fundatur, ex dictis, in gratia gratis á Deo accepta; et jus, quod habet creatura ad gloriam, est á Deo dependens; ergo non salvatur vera ratio justitiæ, quæ requirit diversitatem juris, et quod ille, qui ratione laboris fit creditor, aliquid de proprio det.

Respondeo, neg. cons. Totum enim optime salvatur. Quia actiones humanæ, esto habeant meritum ex gratia accepta á Deo, sunt tamen sub dominio, et libertate hominis: et jus hominis, esto pendeat á Deo, est tamen proprium hominis, et distinctum á jure Dei, sicut libertas hominis est distincta á libertate Dei. Sicut ergo operationes Christi, esto dependentes á gratia unionis, et auxiliis humanitati ejus concessis, fuerunt tamen nedum meritoriæ, sed et satisfactoriæ de toto rigore justitiæ commutativæ ratione diversi juris, et libertatis: ita multo facilius intelligi potest, quod actiones hominis justi, esto procedentes ex gratia accepta á Deo, sint meritoriæ, eisque, ex justitia distributiva, debeatur vita æterna: quia ad hanc non requiritur tantus rigor. Et quemadmodum si princeps daret alicui arma, aliaque necessaria ad prælium, adhuc ex justitia teneretur dare illi præmium, si à certamine victor evasisset, quia proprio valore, et virtute pugnavit: sic si homo propria libertate, licet gratia Dei adjutus, et armatus, pugnet contra concupiscentias, easque vincat, illi ex justitia corona debitur.

Objicitur secundo. Si gloria daretur ex justitia, gloria justis esset debita stricto jure; non ab alio, nisi à Deo; ergo Deus fieret debitor justis. Hoc autem negant Augustin. *lib.* 1. *Confess. cap.* 4. dicens de Deo: *Reddis debita nulli debens.* Et S. Thom. 1. *part. quæst.* 12. *art.* 1.

Respondeo, ex jam dictis præcedente artic. cum D. Thom. *in 2. dist. 27. quæst. 1. art. 3.* Deum posse dici aliquo modo debitorem erga justos; non debito orto ex jure justorum, sed debito orto radicaliter ex sua promissione. Ex quo enim ipse bona operantibus præmium repromisit, fecit se in aliquo sensu debitorem, non simpliciter nobis, sed sibi ipsi: ein quantum debitum est, ut "sua ordinatio impleatur." Verba sunt S. Thom. hac quæst. 114. art. 1. ad 3. Audiendus etiam 1. part. quæst. 21. art. 1. ubi ponit justitiam in Deo distributivam, et rejicit ab eo commutativam. Et formato contra se hoc tertio argumento: "actus justitiæ est, redde"re debitum; sed Deus nulli est debi"tor; ergo Deo non competit justitia, in"ter alia sic respondit: debitum attendi "potest dupliciter in operatione divina: "aut secundum quod aliquid debetur "Deo, aut secundum quod debetur rei "creatæ, et utroque modo Deus de"bitum reddit. Debitum enim est Deo, "ut impleatur in rebus id, quod eius "sapientia, et voluntas habet, et quod "suam bonitatem manifestat: et secun"dum hoc justitia Dei respicit decen"tiam ipsius; secundum quam reddit "sibi, quod sibi debetur. Debitum etiam "est alicui rei creatæ, quod habeat id, "quod ad ipsam ordinatur: sicut homi"ni quod habeat manus, et quod ei alia "animalia serviant. Et sic etiam Deus "operatur justitiam, quando dat unicui"quod, ei debetur, secundum rationem "suæ naturæ, et conditionis. Sed hoc "debitum dependet ex primo, quia hoc "unicuique debetur, quod est ordina"tum ad ipsum: secundum ordinem suæ "sapientiæ. Et licet Deus hoc modo de"bitum aliud det, non tamen ipse est "debitor; quia ipse ad alia non ordina"tur, sed potius alia in ipsum. Et ideo "justitia quandoque dicitur in Deo con"decentia suæ bonitatis: quandoque ve"ro retributio pro meritis. Et utrum"que modum tangit Anselmus dicens» (prologii cap. 10.) Cum punis malos, justum est, quia illorum meritis convenit: cum vero parcis malis, justum est, quia bonitati tuæ condecens est.

2.ª Conclusio. Redditio gloriæ ut coronæ et mercedis pro meritis justorum proprie est actus justitiæ distributivæ; esto aliquem modum habeat justitiæ commutativæ.

Prob. Deus in retributione meritorum, ut vidimus ex D. Paulo 2. ad Timoth. 4. se habet ut justus judex distribuens coronam, et præmium, secundum æqualitatem propositionis: ita ut plus merenti plus det, minus merenti minus det: sed judicium justi Judicis, in materia distributionis, pertinet ad justitiam distributivam. Nam judex in distribuendo servat æqualitatem proportionis, attendendo dignitatem, et qualitatem personarum; non vero puram æqualitatem inter rem, et rem, ut facit justitia commutativa.

Confirm. Compensatio, quæ non servat æqualitatem quantitativam, et arithmeticam inter præmium, et meritum, sed potius æqualitatem proportionis, est actus justitiæ, non commutativæ, sed distributivæ, ut docet S. Thom. in 2. dist. 27. quæst. 1. art. 3. in corp. sed Deus in compensatione meritorum sic se habet; ergo etc. Min. pro prima parte prob. In primis enim in redditione gloriæ pro meritis non est æqualitas arithmetica inter dantem, et recipientem, cum Deus superior sit creaturæ. Non est præfata æqualitas inter id, quod distribuitur, et id, propter quod distribuitur: *non enim tantum bonum est in quantitate actus virtutis, quantum præmium gloriæ, quod est finis ejus*, ut docet D. Thom. in 2. sent. loco citato. Neque est æqualitas inter præmium, quod datur uni, et illud, quod datur alteri: quia non omnibus æqualiter datur, sed cuique secundum suam dignitatem.

Secunda quoque pars prob. Æquali-

tas enim proportionis attenditur ex hoc, quod *æqualiter se habet hoc ad illud, sicut alius ad alterum*: hæc autem æqualitas est inter Deum præmiantem, et creaturam. Non enim " majus est Deo, vi- " tam æternam tribuere, quam nobis " actum virtutis exhibere; sed sicut " hoc congruit huic, ita illud illi: et ideo " quædam proportionis æqualitas inve- " nitur inter Deum præmiantem, et ho- " minem merentem, dum tamen præ- " mium referatur ad idem genus, in quo " est meritum: ut si præmium est, quod " omnem facultatem humanæ naturæ ex- " cedit, sicut vita æterna; meritum etiam " sit per talem actum, in quo refulgeat " bonum illius habitus, qui divinitus in- " funditur, Deo nos consignans. » Hæc D. Thom. citato loco. Qui tandem concludit: " In redditione autem præmii ad " merita magis servatur forma distri- " butionis: cum ipse unicuique secundum " opera sua reddat, quam commuta- " tionis, cum Deus á nobis nihil acci- " piat: quamvis á sanctis inveniatur " quandoque metaphorice dictum, quod " bonis operibus regnum cœlorum emit- " titur, in quantum Deus accipit opera " nostra, ut acceptans ea. »

Quod tandem Deus in reddendo præmio pro meritis servet aliquem modum justitiæ commutativæ, probari potest. Quia inter Deum dantem, et creaturam recipientem quædam æqualitas dati, et accepti, et commutationis datur, ut nimirum tantum Deus det, quantum dare debet, et tantum creatura recipiat, quantum debet recipere: ea rursus, Deus accipit à creaturis merita, et illis dat gloriam; ergo aliquis commutationis modus reperitur in retributione gloriæ pro meritis. Et hac via conciliantur plura Sancti Thomæ loca, in quibus aliquando videtur, solam justitiam distributivam in Deo præmia reddente statuere, aliquando vero etiam commutativam.

Solvuntur objectiones.

Ut solvantur ea, quæ objici possent, sciendum, proprium esse justitiæ commutativæ servare æqualitatem rei ad rem arithmeticam, et cum obligatione orta ex jure proprietatis. Cumque talis obligatio non possit dari in Deo; ideo non potest remunerare merita justorum ex justitia commutativa, sed distributiva: quæ solum respicit debitum ortum ex dignitate unius operis meritorii, comparative ad dignitatem alterius: quod debitum non respicit personam præmiantem, sed ipsum præmium, ad quod illud opus habet proportionem. Unde verius dicitur, quod gloria sit debita justo, quam quod Deus sit debitor gloriæ. Quia tamen unumquemque tantum remunerat, quantum meretur, et quantum eius operibus debetur; ideo quemdam modum justitiæ commutativæ servare dicimus.

Corollaria notatu digna.

Ex dictis colligitur primo contra Calvinum: fiduciam sanctorum non ex fide sola, sed ex bonis meritis per Christum comparatis nasci; ideoque summo studio apud Deum merita comparanda esse, ut apud eum fiduciam habere possimus. Cum enim Deus promiserit gloriam diligentibus se, et bene operantibus; et adeptio gloriæ ex duobus pendeat, nimirum ex Dei fidelitate, et ex nostris bonis operibus; ita ut si nos bene operaremur, et Deus fidelis non permaneret: et é contra si Deus fidelis esset, sed nos non bene operaremur, non esset certa nostra spes. Et ideo spes, et fiducia nostra nasci debent, non solum ex Deo promittente, sed etiam ex nostris bonis operibus.

Neque dicas, opera nostra esse quidem necessaria ad vitam æternam consequendam, non tamen tamquam merita, sed tamquam conditionem, et viam, per quam currentibus promisit Deus, intuitu meritorum filii sui, hæreditatem: sicut si quis promitteret alicui vineam, cum hac conditione, quod ad capiendam ejus possessionem, per talem viam ince-

deret, unde *Ps.* 118. *v.* 32. dicit David: *viam mandatorum cucurri.*

Nam contra est. Si opera bona essent pura conditio, et via, per quam quis deberet incedere, ut caperet possessionem gloriæ; jam gloria non daretur ut merces, ut corona, ut præmium, nec Deus in ea conferenda se gereret, ut justus judex. Cum ergo, contrarium dicat scriptura; ideo etc. Promisit ergo Deus gloriam, per viam mandatorum currentibus: sed promisit eam tamquam bravium, ut ait Paulus 1. *Cor.* 9. *v.* 24. Sicut ergo bravium est merces, et præmium, et cursus non est pura conditio, sed meritum, cui correspondet bravium, ut præmium: ita gloria etc.

Colligitur secundo: nos non dare homini occasionem de suis bonis meritis superbiendi: sed potius se coram Deo humiliandi, et quantum confidit de Dei gratia, tantum deffidendi de seipso. Ut enim ait Tridentinum, Sess. 6. cap. 16. "Absit, ut christianus homo in seipso "vel confidat, glorietur, et non in Domi-"no, cujus tanta est erga omnes homi-"nes bónitas; ut eorum velit esse me-"rita, quæ sunt ipsius dona. Et quia in "multis offendimus omnes, unusquisque, "sicut misericordiam, et bonitatem, ita "severitatem, et judicium ante oculos "habere debet: neque seipsum aliquis, "etiamsi nihil sibi conscius fuerit, judi-"care: quoniam omnis hominum vita non "humano judicio examinanda, et judi-"canda est, sed Dei; qui illuminabit abs-"condita tenebrarum, et manifestabit "consilia cordium: et tunc laus erit uni-"cuique á Deo, qui, ut scriptum est, "reddet unicuique secundum opera sua."

Colligitur tertio: contra Calvinum, licitum esse, operari bona opera intuitu mercedis æternæ: ita tamen, ut primum quæratur gloria Dei, et deinde merces felicitatis æternæ. Ita Tridentinum, Sess. 6. cap. 11. afferens illud Ps. 118. vers. 112. "Inclinavi cor meum ad faciendas "justificationes tuas in æternum, prop-"ter retributionem." Et Pauli, Hebr. 11. v. 2. ubi de Moyse dicit, quod omnia contempsit: "Aspiciebat enim "in remunerationem." Hoc motivo Joan. Baptista; Matth. 4. v. 3. num. 2. et Christus ipse. Matt. 4. v. 17. prædicationem suam exorsi sunt: "Pœnitentiam "agite: appropinquavit enim regnum cœ-"lorum." Ita hortatur Galatas Paulus cap. 6. v. 9. et Colossenses cap. 3. v. 24. "Scientes, quod à Deo accipietis re-"tributionem hæreditatis." Et passim in scripturis. Et merito. Si enim vita æterna est finis fidei, et operum justorum: quis inficiabitur, licere vitam æternam intueri, et ad eam opera nostra dirigere? Si non vitiatur sacramentorum perceptio, et pœnitentia, cum ista sit causa obtinendæ gratiæ Dei: cur vitiabuntur opera bona, si fiant causa obtinendæ beatitudinis, quæ est gratia consummata, atque perfecta? Si licet propter metum gehennæ deponere affectum ad malum: cur non magis licebit hoc facere, propter spem felicitatis æternæ? Denique licebit, operibus temporalibus respicere temporalem finem, sumere pharmacum propter sanitatem, arare, et serere spe frugum: et non licebit in opere spirituali, in cursu huius vitæ ad bravium supernæ vocationis attendere.

Scio, Christum reprehendere mercenarios; et D. Thom. 2. 2. *quæst.* 19. *ar.* 4. *ad* 3. addere, quod amor mercenarius contrariatur charitati.

Sed nil contra nos. Mercenarii enim proprie illi sunt, qui mercedem solam, aut præcipue, intuentur, qui ita affecti sunt, ut si merces non esset, Deo non servirent. Hi sunt qui viso lupo dimittunt oves, et fugiunt, qui non gloriam Dei, aut salutem proximi; sed tantum propriam utilitatem quærunt. Hos Christus reprehendit: non autem eos, qui in bonis operibus præcipue Deum, eiusque gloriam, ut ultimum finem spectant; mercedem autem solum ut finem proxi-

mum respiciunt: qui, nempe, Deum videre cupiunt, ut tanto ardentius, et securius eum diligant. De his nos loquimur. Sanctus Thomas autem damnat amorem mercenarium illius, "qui Deum "diligit propter bona temporalia," servile enim, ac sordidum est, mercedem intueri opere ipso viliorem, et vitium est, Deum diligere, propter bona temporalia contra charitatem, quæ omnia propter Deum imperat diligenda: attamen in bonis operibus spectare mercedem eminentissimam; qualis est visio Dei, Deum ut possemus includentem; et hanc spectare, ut possit Deum in æternum glorificare: sordidum non est, sed nobile desiderium. Et in hoc sensu locuti sumus.

ARTICULUS IV.

De conditionibus ad meritum requisitis.

Cum, in merito adæquate sumpto, tria spectentur, nempe persona merens, opus meritorium, et persona præmians, videndum est quænam conditiones ad meritum requirantur ex triplici illo capite: ideo sit

1.ª Conclusio. Ad meritum de condigno duæ essentialiter requiruntur conditiones ex parte hominis merentis: prima, quod sit justus; secunda, quod sit viator.

Prob. 1. *p.* 1. Ex scriptura, Joan. 15. ubi Christus, dicit: "sicut palmes "non potest ferre fructum ex semetipso "nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi "in me» (per gratiam sanctificantem) manseritis; ergo.

Hinc Conc. Trid. sess. cap. 16. inter conditiones ad merendum requisitas, hanc ponit, ut qui merentur, sint justificati et Christo, tamquam viva membra, inserti: "cum enim, inquit, ille ipse "Christus Jesus, tamquam caput in membra, et tamquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat; "quæ virtus bona eorum opera semper "antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine qua, nullo pacto grata, et "meritoria ese possent," etc.

Prob. 2. Ex *PP.* D. Aug. l. de spiritu et litt. *Opus enim*, inquit, *quod qui fecerit, vivet in eo*, id est, meritorium de condigno, *non fit, nisi á justificato*, E. D. Prosper, ad capitula Gallorum, cap. 6. ant: "justificatus homo, id est, ex "impio pius factus, nullo præcedente bono merito, accipit donum, quo medio "acquirat et meritum.» Ergo ut homo mereri possit de condigno, debet informari dono gratiæ sanctificantis.

Prob. 3. *ratione*: homo extra gratiam sanctificantem est Dei inimicus; atqui inimicus Dei non potest mereri vitam æternam, cum sit dignus morte æterna, quæ est incompossibilis cum vita æterna; ergo.

Prob. 2. *pars.* 1. Ex scriptura, Joan. 8. dicit Christus: *Venit nox, quando nemo potest operari.* Ubi per noctem, intelligit mortem; hinc Apostolus monet Galatas, ut operentur bonum, quamdiu sunt in hac vita: *cum tempus habemus, operemur bonum*, ad Galat. 6.

Prob. 2. Ex *PP.* Cyprian. ad Demetrium, circa finem, ait: «quando is- "thinc excessum fuerit, nullus jam pœ- "nitentiæ locus est, hic vita aut amittitur, aut tenetur.

D. Hieron. exposit. Epist. ad Galatas 6. ait: «Cum ista vita transierit, ope- "randi tempus aufertur.»

D. Aug. in Enchiridio, cap. 11. «Ne- "mo, inquit, speret, quod hic neglexit, "cum obierit, apud Deum promereri.»

Ratio á priori, est voluntas Dei, qui hanc mortalem vitam constituit ad vitam æternam promerendam.

Objic. contra primam partem: ad vitam æternam merendam, sufficit mandatorum observatio, juxta illud, Math. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Atqui potest quia extra statum justitiæ servare mandata; ergo.

Resp. nego min. Nam primum mandatum est de amore charitatis, vi cujus homo justus fit, si nondum sit justus, est enim ultima ad justitiam formalem dis-

positio; ergo nemo injustus potest omnia servare mandata.

Objic. 2. Homo potest mereri apud hominem, etiamsi sit ejus inimicus; ergo et apud Deum.

Resp. nego conseq. Disparitas est, quod homo solum opus exhibitum considerat, quod potest ipsi esse gratum, licet operans sit ipsi inimicus; at vero Deus non opus solum, sed et operantem respicit, á quo non potest elici opus Deo gratum, nisi et ipse sit Deo gratus et amicus; etenim, Eccli. 34. *Dona iniquorum non probat Altissimus.*

2.ª Conclusio. Ad meritum, de condigno, tres necessario requiruntur conditiones ex parte actus: prima, quod sit liber á necessitate; secunda, quod sit bonus et honestus; tertia quod sit supernaturalis, et quoad entitatem, et quoad modum.

Prob. prima pars. Primo. Ex sacris litteris, Ecclesiasticus cap. 31. vers. 10. ubi dixit: "Qui potuit transgredi, et "non est transgressus, facere mala, et "non fecit;» continuo subjungit v. 11. "Ideo stabilita sunt bona illius in Do- "mino, et eleemosynas illius enarrabit "omnis ecclesia sanctorum.» Quibus significatur, eum talia meruisse, quia libere, idest, cum potuisset transgredi, non est transgressus. Item Paulus, 1. Cor. 9. vers. 17. "Si enim (inquit) volens hoc "ago, mercedem habeo; si autem invi- "tus, dispensatio mihi credita est.»

Adest etiam ratio. Primo: quia res multæ, ut Sol, Luna, campi, vineæ etc. nobis multa commoda præstant, et tamen non dicuntur de nobis proprie bene mereri; quia non libere agunt, nec possunt aliud facere, quam faciunt. — Secundo: merito debetur merces: debitum autem non oritur, nisi ex eo, quod damus alteri, quod nostrum est; et cujus liberi, ac domini sumus: si enim alienum, vel id, cujus domini non sumus, daremus, nil nobis deberetur: sed nihil proprie nostrum est, nihil sub dominio habemus, nisi quod no stro subest arbitrio, ut possimus dare, et non dare; ergo in iis tantum meremur, quæ nostro subsunt arbitrio.—Tertio: merito debetur laus, sicut demerito vituperium; sed laus debetur soli actui libero; in eo enim, quod ex necessitate facimus, nec laudandi, nec vituperandi sumus; ergo etc.

Ex hoc infertur, quod non quæcumque libertas sufficit ad meritum, sed debet esse libertas indifferentiæ, seu á necessitate. Quare Innocentius X. hanc Jansenii propositionem, ordine tertiam, damnavit: "Ad merendum, et demeren- "dum in statu naturæ lapsæ, non requi- "ritur in homine libertas á necessitate, "sed sufficit libertas á coactione;» Quam hæreticam pronuntiaverat S. Thom. qu. 6. de malo art. unico his verbis: "Qui- "dam posuerunt, quod voluntas hominis "ex necessitate movetur ad aliquid eli- "gendum; nec tamen ponebant, quod "voluntas cogeretur..... Hæc autem "opinio est hæretica, tollit enim ratio- "nem meriti, et demeriti in humanis "actibus. Non enim videtur esse meri- "torium, vel demeritorium, quod ali- "quis sic ex necessitate agit, quod vita- "re non possit.» Et prosequitur ostendens, eam opinionem tollere laudem, et vituperium, et totam philosophiam moralem evertere.

Prob. secunda *p.* Nempe, quod actus, ut sit meritorius, debeat esse bonus et honestus; prob. inquam, ex scriptura, quæ non aliis operibus, quam bonis et honestis, tribuit rationem meriti apud Deum, 2. Petri 1. "Satagite, ut per "bona opera certam vestram vocatio- "nem et electionem faciatis.» Et 1. Joan. 5. "Procedent, qui bona fece- "runt, in resurrectionem vitæ, qui vero "mala egerunt, in resurrectionem ju- "dicii." Hinc Aug. lib. de Gratia et lib. arb. cap. 6. ait: "Quæ mala sunt, non coronat Deus.

Ratio est: Quia actus meritorius debet esse præmio, hoc est, laude et gloria

dignus; atqui tale est solum opus bonum; ergo.

Pob. tertia *p.* Nimirum quod actus meritorius debeat esse supernaturalis in entitate. Prob. inquam; actus supernaturalis *in entitate*, est is, qui elicitur ex actualis gratiæ auxilio; atqui ut actus sit meritorius, debet elici ex actualis gratiæ auxilio: ergo.

Ratio est; Quia actus meritorius debet esse ejusdem ordinis cum præmio, siquidem debet habere aliquam æqualitatem proportionis cum illo; atqui præmium est supernaturale, nimirum perfecta Dei possessio per visionem intuitivam et amorem fruitivum; ergo.

Prob. quarta *p.* Nimirum quod actus meritorius debeat esse supernaturalis quoad modum; prob, inquam, actus supernaturalis quoad modum, est is, qui elicitur ex imperio charitatis: atqui, ut actus sit meritorius, debet elici ex imperio charitatis; ut dicemus artic. sequ. ergo, etc.

Prob. min. 1. Ex scriptura 1. Cor. 10. ubi Apostolus nos hortatur: "sive "manducatis, sive bibitis, sive aliud "quid facitis, omnia in gloriam Dei fa- "cite;" ergo necessarium est ad merendum, ut actus imperetur á charitate. Unde D. Aug., *lib.* 4. *contra Julianum cap.* 3. de charitate loquens, ait: *Hoc amore opus est, ut bonum beatificum sit*, id est, meritorium beatitudinis.

Prob. min. 2. Ex D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 4. ubi dicit: "Meritum vitæ "æternæ primo pertinet ad charitatem; "ad alias autem virtutes secundario, se- "cundum quod earum actus á charitate "imperantur. Et ad 3. ait: fidei actus "non est meritorius, nisi fides per di- "lectionem operetur.

Prob. min. 3. Quia communis ratio meriti postulat, ut opus fiat in obsequium præmiantis; atqui nihil fit in obsequium Dei præmiantis, nisi fiat, aut saltem imperetur à charitate; ergo.

Objic. contra 4. *partem.* In variis scripturæ locis, actibus virtutum á charitate distinctarum, beatitudo æterna promittitur, nulla facta mentione illorum relationis ad Deum: ergo ut illi actus meritorii sint, non requiritur, ut imperentur à charitate.

Resp. nego conseq. Licet enim scriptura non faciat mentionem expressam relationis actuum illorum ad Deum, illam tamen sufficienter supponit ex hoc, quod in aliis locis eam exigat, ut conditionem necessariam ad merendam beatitudinem; sicut supponit statum gratiæ necessarium esse, licet illius mentionem expressam tunc non faciat.

Inst. 1. Ad meritum condignum sufficit, quod opus ex se, et ex circumstantiis bonum, elicitum sit ab homine justo; ergo non requiritur, ut sit imperatum à charitate.

Resp. nego ant. Quia actus, quamtumvis ex se, et ex circumstantiis bonus, et ab homine justo elicitus, est informis absque hac virtuali ad Deum ordinatione per charitatem facta; ergo est insufficiens ad meritum beatitudinis: «ac- "tus patientiæ et fortitudinis, ait D. Thom. cit. non est meritorius, nisi ali- "quis ex charitate hæc operetur."

Inst. 2. Conc. Trid., *Sess.* 6. *cap.* 16. ad meritum requirit tantum, ut opera sint bona, et fiant á justo per auxilium gratiæ; ergo.

Resp. nego ant. Nam insuper requirit Concilium, ut opera *in Deo sint facta*; atqui opera non sunt proprie in Deo fafacta, nisi ad Deum tamquam finem supernaturalem actualiter, aut virtualiter referantur per affectum dilectionis; ergo, etc. Unde Concilium addit: «non "enim injustus est Deus, ut obliviscatur "operis vestri, et dilectionis, quam os- "tendistis in nomine ipsius."

3.ª Conclusio. Ad meritum, de condigno, requiritur ex parte Dei repromissio mercedis.

Prob. 1. Ex scriptura Jacobi 1. dicitur: "beatus vir, qui suffert tentatio-

"nem, quoniam, cum probatus fuerit, "accipiet coronam vitæ quam repromisit "Deus diligentibus se.» Unde Apostolus vitam æternam vocat promissionem, Hebr. 6. "Fide et patientia hæreditabunt promissiones. Et cap. 10. Ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.»

Prob. 2. Ex Concil. Trident., sess. 6. capite. 16. «Bene operantibus usque in "finem, inquit, et in Deo sperantibus "proponenda est vita æterna, et tamquam gratia filiis Dei per Jesum Christum misericorditer promissa; et tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis "fideliter reddenda.»

Prob. 3. *ratione*; Meritum de condigno, non solum dicit condignitatem operis, sed etiam obligationem in Deo remunerandi; atqui Deus, qui est supremus omnium Dominus, non potest nobis debitor fieri, nisi intercedat promissio quædam, et pactum ex parte ipsius, quo se obliget ad nobis reddendum præmium pro hoc, vel illo opere bono; ergo. etc. Hinc D. Aug. in Psal. 83. ait: "debitorem Dominus ipse se fecit, "non accipiendo, sed promittendo: non "ei dicitur: redde quod accepisti, sed, "redde quod promisisti.»

Solvuntur objectiones.

Objicies. 1. Ut homo mereatur apud hominem, non est necessaria promissio: ergo nec ut mereatur apud Deum.

Resp. nego ant. Nam, etiam inter homines, non potest esse meritum ex justitia sine aliquo pacto, vel expresso, vel tacito.

Prob. ant. Qui alterius videntis, aut volentis vineam colit, mercedem ex justitia meretur apud Dominum, qui in judicio compellitur ad debitum pretium solvendum, quamvis pactio de tali mercede non intercesserit; ergo.

Resp. dist. ant. Quamvis pactio expressa de tali mercede non intercesserit, *conc.* pactio tacita, *nego ant.* Qui enim videt aliquem, alias non obligatum laborare in suam utilitatem sub spe lucri consequendi tacite consentit se obligare ad talem pretium solvendum, et ad id compellitur in judicio.

Inst. Ut peccatum mereatur pœnam æternam non necesse est, ut interveniat aliqua pactio, ergo ut bonum aliquod opus mereatur vitam æternam, non necesse est, ut interveniat Dei promissio.

Resp. nego conseq. Disparitas est quod homo, per peccatum, seipsum debitorem pœnæ apud Deum constituat, ad quod non requiritur pactio; è contra homo per meritum de condigno Deum sibi debitorem facit; Deus autem non potest fieri debitor, respectu creaturæ, absque libera et gratuita sua promissione.

Objicies 2. Ex nostra doctrina sequitur plures justos non potuisse mereri vitam æternam: falsum conseq. ergo.

Prob. seq. mai. Promissio non obligat, nisi fuerit acceptata; atqui á pluribus justis non potuit acceptari; ergo.

Prob. min. Ut acceptetur promissio, debet esse cognita ei, qui operatur: atqui plurimis justis incognita fuit promissio Dei de mercede reddenda; ergo, etc.

Resp. dist. mai. Ut acceptetur promissio, debet esse cognita confuse, *conc.* distincte, *nego mai.* Porro nullus est justus sine fide in Deum remuneratorem, juxta illud Apost. Heb. 11. "Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, "et quod inquirentibus se remunerator "sit.» Sed qui credit in Deum remuneratorem, habet confusam saltem cognitionem vitæ æternæ, quam repromissit Deus diligentibus se; ergo talem promissionem acceptat, saltem virtualiter et interpretative; quia unusquisque censetur velle operibus suis acquirere, quidquid potest illis acquiri.

Quæres: "Quænam conditiones requirantur ad meritum de congruo?»

Resp. Requiritur *ex parte merentis*, ut sit viator, non vero requiritur, ut sit justus, ut per se, et ex dictis patet.

Ex parte actus, requiritur, 1. Ut sit liber. 2. Ut sit bonus. 3. Ut sit supernaturalis quoad entitatem, id est, ut eliciatur per vires á gratia actuali acceptas; nihil enim possumus operari in ordine ad salutem per solas naturæ vires, ut definitum est in Conciliis Arausicano II. et Tridentino.

Ex parte Dei, non requiritur Dei promissio de danda mercede; nam tale pactum non est necessarium ad hoc, ut bonum opus habeat aliquam congruitatem cum præmio: hinc plura sunt, quæ homo meretur de congruo, puta donum perseverantiæ, quæ tamen Deus non promissit dare merentibus.

ARTICULUS V.

¿An meritum spectet ad charitatem, et quomodo ad illud debeat charitas influere?

Cum enim ad meritum requiratur gratia, cuius indivisa comes est charitas, per quam proxime operatur; ideo recte quæritur: ¿an charitas concurrat ad meritum an elicitive an operative?

1.ª Conclusio. Meritum non est determinate actus alicuius virtutis: sed principaliter pertinet ad charitatem, secundario vero ad alias virtutes, ut imperantur á charitate. Tres habet partes hoc assertum. Prima prob. Meritum non est determinate actus fidei, vel spei, vel pœnitentiæ: nam in Christo fuit verum meritum, in quo tamen non fuit fides, nec spes, nec pœnitentia. Non est actus justitiæ, religionis, pietatis, aut alterius á charitate. Tum quia: actus istarum possunt esse sine merito, immo compati cum demerito. Tum quia: per actus harum virtutum, etiam sine gratia, et charitate, posset esse meritum vitæ æternæ, contra Apostolum, 1. Cor. cap. 13. v. 3. "Si "distribuero in cibos pauperum omnes "facultates meas, et si tradidero corpus "meum, ita ut ardeam, charitatem autem "non habuero, nihil mihi prodest.»

Secunda pars asserti expresse traditur á S. Thoma hac *q.* 114. *art.* 4. cujus ratio est sub hac forma. Ad eam virtutem principaliter spectat meritum, cujus actus est, ordinare hominem ad Deum, quo fruimur, propter seipsum, et cujus est, omnia in obsequium Dei, et propter Deum facere: cum meritum sit motus humani arbitrii in divinum bonum, quo fruemur in vita æterna, propter seipsum: sed hujusmodi motus; seu tendentia in Deum, propter seipsum, seu ut summum bonum, est actus proprius charitatis; licet enim etiam fides, et spes ferantur in Deum, et faciant nos inhærere Deo, attamen ut docet S. Thom. 2. 2. qu. 17. ar. 6. sola "Charitas facit Deo inhære-"re, propter seipsum, mentem hominis "uniens Deo per affectum amoris. Spes "autem, et fides faciunt hominem inhæ-"rere Deo, sicut cuidam principio, ex "quo aliqua nobis proveniunt. De Deo "autem provenit nobis et cognitio veri-"tatis" (et hoc modo fides facit, nos inhærere Deo, ut primo principio cognoscendi veritatem) *et adeptio perfectæ boninitatis* (et hoc modo spes facit nos inhærere Deo, quatenus *per spem divino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam*).

Tertia vero pars traditur etiam á Div. Thom. hac q. 114. art. 4. citato his verbis: "Motus autem humanæ mentis "ad fruitionem divini boni est proprius "actus charitatis; per quam omnes actus "aliarum virtutum ordinantur in hunc fi-"nem, secundum quod aliæ virtutes impe-"rantur á charitate. Et ideo meritum vi-"tæ æternæ primo pertinet ad charita-"tem; ad alias autem virtutes secunda-"rio, secundum quod earum actus á cha-"ritate imperantur:» idest, secundum quod charitas efficit, ut cæteræ virtutes eliciant actus suos ex amore Dei, et propter Deum, et in obsequium Dei, ut summi boni. Sic fortitudo ex specie sua eligit tolerare mortem, propter bonum fortitudinis. Si autem adveniat imperium charitatis, jam eligit tolerare mortem propter Deum, ut summum bonum; sic-

que elicit actum martyrii. – Addo: quod scriptura meritum gloriæ tribuit specialiter actibus earum virtutum, quæ charitatem involvunt: ut Matth. 25. vers. 34. "Venite benedicti Patris mei, possi-"dete paratum vobis regnum.... Esurivi "enim, et dedistis mihi manducare etc.» Ubi ly mihi indicat actum misericordiæ erga pauperes, factum ex amore erga Deum, esse meritum ad regnum. Et Paulus meritum tribuit actibus beneficentiæ, et pacis Hebr. 13. et 16. dicens: "Be-"neficentiæ, et communionis nolite obli-"visci: talibus enim hostiis promeretur "Deus.»

Rationem autem meriti secundario esse in actibus aliarum virtutum, ut imperatis tamen á charitate, ostenditur.. Nam si soli charitati tribueretur meritum, non vero cæteris virtutibus, ut ejus imperium includentibus, jam non existente formaliter actu charitatis, non existeret formaliter actus meritorius. Ut enim actus formaliter sit meritorius, sufficit, ut actus charitatis virtualiter existat, esto non formaliter: ex hoc enim ipso, quod cæteræ virtutes charitati conjunguntur, et ab ea moventur, elevantur ad meritum: quia inferiora ex conjunctione ad superiora elevantur ad perfectionem, quam ex seipsis habere non possent. Sicut cogitativa conjuncta rationi, aliquo modo conferre, et discurrere potest, quod ex seipsa non posset.

Ex dictis aliqua inferuntur.

Infertur primo. Opera moralia virtutum acquisitarum, etsi facta ab homine justo, et existente in gratia, si tamen non fiant ex imperio charitatis, sed ex motivo, et auxilio mere naturali, non esse moritoria de condigno vitæ æternæ. Ratio est. Quia opera moralia procedentia á virtute acquisita, et auxilio naturali sunt pure naturalia, et improportionata prorsus cum præmio supernaturali, qualis est vita æterna.

Neque dici potest, ejusmodi opera accipere dignitatem ordinis supernaturalis ex persona gratia sanctificante ornata: adeo ut dignitas personæ sanctæ, absque ullo charitatis imperio, refundat in ea opera valorem, et æqualitatem proportionis cum vita æterna, sicut dignitas personæ divinæ refundebat dignitatem in opera Christi.

Nam sola coexistentia habitus in subjecto non dignificat operationem, nisi interveniat influxus voluntatis illud applicantis ad usum, juxta illum: *Habitibus utimur, cum volumus*: ergo nisi accedat influxus voluntatis utentis habitu charitatis ad tale opus, et facientis, ut gratia sanctificans influat in illud, non dignificabitur, ut proportionem habeat cum vita æterna.

Neque valet exemplum personæ divinæ. Nam hæc utpote substantialiter infinite digna communicabat suam dignitatem operibus Christi supernaturalibus, per modum formæ et necessario; quia scilicet erant operationes personæ substantialiter infinite dignæ. At persona creata dignitatem supernaturalem non habet, nisi ratione gratiæ, quæ est habitus accidentaliter ipsi inhærens: et quia habitus non influunt necessario, sed solum ex voluntatis imperiø: ideo dignitas personæ in gratia constitutæ non refunditur in operationes, nisi accedat imperium, vel ordinatio charitatis.

Infertur secundo. Neque actus virtutum theologicarum, etsi intrinsece supernaturales, esse meritorios de condigno vitæ æternæ, per solam coexistentiam gratiæ habitualis; nisi accedat influxus, et imperium charitatis, quo fiant in obsequium Dei summi boni supernaturalis.

Hoc indicavit Paulus, dum ad Coloss. 3. v. 19. postquam ad omnia pietatis opera eos fuerat adhortatus, concludit; "Omne, quodcumque facitis in verbo, "aut in opere, omnia in nomine Domini "Jesu-Christi.» Et ad Gal. 5. v. 6. dicit, quod nihil valet, nisi *fides quæ per dilectionem operatur*. Ratio autem theo-

logica est. Quia fides, et spes ex propria specie, esto respiciant immediate Deum in ratione objecti, sive nobis dicentis, sive auxiliantis: nisi tamen accedat imperium charitatis, earum actus referentis, non respiciunt Deum, ut summum bonum in se, et ut ultimum finem in ordine supernaturali; quod requiritur, ut actus sit meritorius vitæ æternæ.

ARTICULUS VI.

De objecto meriti.

Duo sunt, quæ cadunt sub meritum, gratia nimirum et gloria.

Quod spectat ad gloriam, *certum est*, ex dictis articulo 2. hominem justum posse per bona opera mereri de condigno gloriam æternam, et gloriæ æternæ augmentum, ut definivit Conc. Trid., sess. 6. cap. 32. his verbis: «si quis «dixerit, hominis justificati bona opera «ita esse dona Dei, ut non sint etiam «bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ «ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi «meritum, cujus vivum membrum est, «fiunt, non vere mereri augmentum «gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ «æternæ, si tamen in gratia decesserit, «consecutionem, atque etiam gloriæ aug«mentum, anathema sit.»

Quod spectat ad gratiam:

Certum est 1. Hominem nullatenus, nequidem de congruo, posse mereri primam gratiam actualem, ut fide constat, tum ex dictis contra Pelagianos, tum ex Conc. Trid., sess. 6. cap. 5., ubi «declarat ipsius justificationis exor«dium in adultis á Dei per Christum Je«sum prævenientе gratia sumendum es«se, hoc est, ab ejus vocatione, qua nul«lis eorum existentibus meritis vocan«tur;» etc. Ratio est, quia omne meritum supponit ipsum gratiæ actualis auxilium, ex pura misericordia nobis à Deo concessum: hinc illud axioma theologicum, *principium meriti non cadit sub meritum.*

Certum est 2. Hominem adultum, qui justificatur, non mereri de condigno primam gratiam sanctificantem; alias homo non justificaretur gratis, cum mereretur causam formalem suæ justificationis, quod repugnat Apostolo, Rom. 3. dicenti: *Justificati grátis per gratiam ipsius.* Et Conc. Tridentino, sess. 6. c. 8., quod explicans laudata Apostoli verba, sic ait: «gratis autem justificari ideo «dicimur, quia nihil eorum, quæ justi«ficationem præcedunt, sive fides, sive «opera ipsam justificationis gratiam pro«meretur;» merito nempe de condigno.

Certum est 3. Hominem adultum mereri de condigno augmentum gratiæ sanctificantis, prout definivit Conc. Trid., sess. 6. can. 32. supra laudatum; ratio est, quia ibi nullæ conditiones ad meritum de condigno desiderantur; est enim promissio divina, Prov. 4. «Justorum «autem semita quasi lux splendens, pro«cedit et crescit usque ad perfectum «diem.»

Certum est 4. Hominem mereri posse de congruo primam gratiam sanctificantem, et quidem infallibiliter per contritionem perfectam, ut tradit D. Aug., Epist. 105. dicens: «sed nec ipsa re«missio peccatorum, quæ scilicet cum «prima gratia conjuncta est, sine aliquo «merito est, si fides hanc impetrat, ne«que enim nullum meritum est fides.»

Ratio est, quia ad meritum de congruo sufficit, ut actus sit liber, bonus, supernaturalis, ab homine viatore elicitus, atqui talis est contritio perfecta, et dilectio Dei super omnia, quæ est ultima ad justificationem dispositio; ergo.

Cetera quæ possunt inquiri, nempe, utrum justus possit mereri alteri primam gratiam de condigno, utrum possit mereri reparationem post lapsum, et utrum homo possit mereri augmentum gratiæ, vel charitatis? resolvuntur et tractantur in Auctore. Ideoque lectorem ad eum remittimus.

ARTICULUS VII.

¿Utrum homo possit perseverantiam mereri?

Sermo est de perseverantia actuali, seu de magno illo perseverantiæ dono, quo homo realiter, et cum effectu in gratia usque ad finem vitæ persistit, seu statum gratiæ cum morte conjungit. Et sermo est de perseverantia vitæ: nam de perseverantia patriæ docet S. Thom. hac quæst. 113. art. 9. posse hominem eam mereri, etiam de condigno. Nam ultimus terminus divinæ motionis potest cadere sub merito de condigno: sed perseverantia patriæ ad illum pertinet; cum de ratione beatitudinis, ac vitæ æternæ, quæ est ultimus terminus motionis divinæ, sit perpetuitas: ergo etc. Quare sicut homo potest mereri de condigno vitam æternam, ita mereri potest perseverantiam in illa. De perseverantia ergo viæ.

Dico. Perseverantiam viæ nullus homo de condigno mereri potest. Ita S. Thom. art. 9. citato, et omnes catholici. Probatur hoc discursu S. Thom.; illud non potest cádere sub merito de condigno, quod comparatur ad motum liberi arbitrii, ut á Deo movente directi, tamquam principium; quia principium meriti non cadit sub merito: atqui perseverantia viæ comparata ad motum liberi arbitrii nostri, tenet se ex parte principii; quia perseverare includit continuum Dei auxilium, justum in justitia conservans, movens, ac dirigens ad continua pietatis opera et maxime in ultimo vitæ; ergo eam mereri non potest de condigno.

Confirmatur. Id, quod cadit sub merito, est effectus meriti; sed principium motus liberi arbitrii á Deo directi est causa meriti; nec potest unum, et idem simul esse causa, et effectus eiusdem meriti.

Probatur secundo, ex eodem S. Th. ibi in *Arg. sed contra*. Sic. Omne, quod quispiam apud Deum meretur de condigno, infallibiliter consequitur, nisi ponat impedimentum peccati: sed multi habent opera meritoria, qui non consequuntur perseverantiam; ergo etc. "Nec "potest dici; quod hoc fiat propter im- "pedimentum peccati, quia hoc ipsum, "quod est peccare, opponitur perseve- "rantiæ; ita quod si aliquis perseveran- "tiam mereretur, Deus non permitte- "ret, illum cadere in peccatum.» Cum ergo viri tota fere vita multa, atque excellentia virtutis opera patrarunt, multaque pro Christo sustinuerunt; in fine tamen donum perseverantiæ non acceperint, ut constat in Origene, et aliis: dici debet, donum perseverantiæ non cadere sub merito de condigno.

Probatur tertio. Nullus á Deo mercedem meretur de condigno, quam ipse non promisit: non invenitur autem, promisisse usquam, quod bene operantibus dabit in hoc sæculo perseverantiam: quin potius monentur omnes: « Servite « Domino in timore. » (Psalm. 2. vers. 11.) Et (1. Cor. 10. v. 12.) « Qui se « existimat stare, videat, ne cadat. » Ad Philipp. 2. v. 12. « Cum metu, et tre- « more vestram salutem operamini. » Et Christus voluit, ut omnes: nemine excepto, orent, ac petant. « Et ne nos in- « ducas in tentationem; » igitur etc.

An vero possit quis donum perseverantiæ mereri saltem de congruo: dico quod si meritum de congruo sumatur stricte, non potest illud mereri: cum nemo, nec de congruo, possit mereri principium meriti, qualia sunt principia ad actu perseverandum. Si vero meritum de congruo sumatur lato modo, pro simplici impetratione; sic orando potest justus á Dei misericordia perseverantiæ donum impetrare, sicut supra diximus, posse hoc modo etiam gratiam justificantem á Deo impetrare, quia impetratio in sola misericordia funditur.

Adverto tamen: quod si nomine perseverantiæ sumatur tota series, et col-

lectio auxiliorum ab initio primæ justificationis usque ad mortem, sic perseverantia nequit cadere sub merito, nec sub impetratione; quia totum meritum, et impetratio est effectus alicuius auxilii in illa collectione contenti, quod est principium meriti, vel impetrationis: principium autem meriti, vel impetrationis nequit cadere sub merito, vel impetratione proveniente à tali principio. Unde in præsenti locuti sumus de perseverantia, quatenus præcise includit conjunctionem gratiæ cum morte; quam si non mereri neque de congruo possumus, possumus tamen, nostris orationibus impetrare.

Solvuntur objectiones.

Objicies primo. Justus potest de condigno mereri vitam æternam; ergo etiam illa, quæ ad eam consequendam sunt necessariá, inter quæ præcipuum est donum perseverantiæ.

Resp. dist. cons. Etiam illa, quæ se tenent ex parte termini motus, con. cons. quæ se tenent ex parte principii motus, nego cons. Perseverantia ergo se tenet ex parte principii merendi ut dictum est: principium autem merendi nequit esse effectus meriti.

Sed præterea observo; quod perseverantia non est necessaria ad vitam æternam merendam, sed tantum ad vitam æternam consequendam. Justi autem, etsi absolute mereantur vitam æternam, vitæ tamen æternæ consecutionem non merentur absolute, sed « si in gratia de-« cesserint, » ut ex Trid. Sess. 6. cap. 16. et Can. 32.

Objicies secundo. Justus potest mereri spiritum orandi, sicut oportet, pro perseverantia: sed qui petierit, sicut oportet, infallibiliter consequetur, juxta illud: «Petite, et dabitur vobis,» Matth. 7. v. 7. ergo etc.

Resp. neg. maj. non enim apparet, justum mereri posse de condigno spiritum orandi, sicut oportet, pro perseverantia: cum ad orandum, sicut oportet, pro perseverantia, necessaria sit oratio perseverans: orationis autem perseverantia non est proposita, ut merces proprie dicta præcedentium orationum, vel operum. Si tamen non sit sermo de merito condigni, sed congrui late sumpti, seu de simplici impetratione; sic, ut dictum est, justus impetrare potest bonis operibus spiritum orandi pro perseverantia, et orando perseverantiam ipsam; et in hoc sensu dicit S. Aug. l. de dono Persev. c. 6. *Hoc Dei donum simpliciter emereri potest.* Immo ad illud obtinendum, totam fere orationem dominicam tendere ostenderat capitibus præcedentibus: sed impetrare non esse proprie mereri, etiam de congruo, est dictum sæpe. Qua propter incessanter Deus à nobis orandus est, ut et spiritum orandi, sicut oportet, pro perseverantia nobis concedat, et perserantiam ipsam misericorditer largiri dignetur: ut enim docet Augustinus citatus, capit. 1. « Utrum quisque hoc munus acceperit, quamdiu « hanc vitam ducit, incertum est. »

Hæc omnia, quæ tractatui de gratia per Dei gratiam addenda judicavimus, ex gravissimis Auctoribus selegimus. Nil nostri scripsimus: si quis potest esse noster labor, is quidem in studendo, in comparando, et in sanam seligendo doctrinam ipsiusque materias tantum consistit, ipsumque laborem pro studiosæ juventutis fructu non absque sapientum consilio impendimus, pro quo labore solummodo á Deo obsecramus, ut nos omnesque lectores gratiæ suæ donis cumulet in terris, ut cum eo regnare mereamur in cœlis.

FINIS TOMI QUINTI.

Index

QUÆSTIONUM ET ARTICULORUM QUÆ IN HOC TERTIO VOLUMINE PRIMÆ SECUNDÆ PARTIS SUMMÆ THEOLOGICÆ CONTINENTUR.

TRACTATUS DE LEGIBUS.

QUÆSTIO NONAGESIMA,
De legibus, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum lex sit aliquid rationis. 5
2. Utrum lex semper ordinetur ad bonum commune. 7
3. Utrum ratio cujuslibet sit factiva legis 8
4. Utrum promulgatio sit de ratione legis 10
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 90.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. 10

QUÆSTIO NONAGESIMA PRIMA,
De legum diversitate, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum sit aliqua lex æterna 12
2. Utrum sit in nobis aliqua lex naturalis 13
3. Utrum sit aliqua lex humana. 15
4. Utrum fuerit necessarium esse aliquam legem divinam. 16
5. Utrum lex divina sit una tantum. 18
6. Utrum sit aliqua lex fomitis 20
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 91.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex præc. art. appositæ. 22

QUÆSTIO NONAGESIMA SECUNDA,
De effectibus legis, in duos articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum effectus legis sit facere homines bonos 23
2. Utrum legis actus convenienter assignentur. 25
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 92.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad duos præc. art. appositæ. 27

QUÆSTIO NONAGESIMA TERTIA,
De lege æterna, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum lex æterna sit summa ratio in Deo existens. 27
2. Utrum lex æterna sit omnibus nota 29
3. Utrum omnis lex á lege æterna derivetur 30
4. Utrum necessaria et æterna subjiciantur legi æternæ 32
5. Utrum naturalia contingentia subsint legi æternæ 33
6. Utrum omnes res humanæ subjiciantur legi æternæ. 35
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 93.ª quæst., seu appendices Fr S. C. á Porrec. ad sex præc. art. appositæ 37

QUÆSTIO NONAGESIMA QUARTA,

De lege naturali, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum lex naturalis sit habitus. 40
2. Utrum lex naturalis contineat plura præcepta, vel unum tantum 41
3. Utrum omnes actus virtutum sint de lege naturæ. 43
4. Utrum lex naturæ sit una apud omnes 45
5. Utrum lex naturæ mutari possit 47
6. Utrum lex naturæ possit á corde hominis aboleri. 48
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 94.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex præc. art. appositæ 49

QUÆSTIO NONAGESIMA QUINTA,

De *lege humana, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum fuerit utile aliquas leges poni ab hominibus. 52
2. Utrum omnis lex humanitus posita á lege naturali derivetur. 54
3. Utrum Isidorus convenienter qualitatem legis positæ describat. 55
4. Utrum Isidorus convenienter ponat divisionem humanarum legum. . . . 57
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 95.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ 60

QUÆSTIO NONAGESIMA SEXTA,

De *potestate legis humanæ, in sex articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum lex humana debeat poni in communi, magis quam in particulari. . 62
2. Utrum ad legem humanam pertineat omnia vitia cohibere. 63
3. Utrum lex humana præcipiat actus omnium virtutum. 65
4. Utrum lex humana imponat homini necessitatem in foro conscientiæ. . . 66
5. Utrum omnes subjiciantur legi. 67
6. Utrum ei, qui subditur legi, liceat præter verba legis agere. 69
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 96.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex præc. art. appositæ. 70

QUÆSTIO NONAGESIMA SEPTIMA,

De *mutatione legum, in quatuor articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Utrum lex humana debeat mutari aliquo modo. 73
2. Utrum lex humana semper sit mutanda, quando occurrit aliquid melius . 75
3. Utrum consuetudo possit obtinere vim legis. 76
4. Utrum rectores multitudinis possint in legibus humanis dispensare. . . . 77
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 97.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ 79

QUÆSTIO NONAGESIMA OCTAVA,

De lege veteri, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum lex vetus fuerit bona 81
2. Utrum lex vetus fuerit á Deo. 83
3. Utrum lex vetus data fuerit per angelos. 85
4. Utrum lex vetus debuerit dari soli populo judæorum. 86
5. Utrum omnes homines obligabantur servare legem veterem. 88
6. Utrum lex vetus convenienter data fuerit tempore Moysi. 89
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 98.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex præc. art. appositæ. 91

QUÆSTIO NONAGESIMA NONA,

De præceptis veteris legis, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum in lege veteri contineátur solum unum præceptum 94
2. Utrum lex vetus contineat præcepta moralia 96
3. Utrum lex vetus contineat præcepta cæremonialia, præter moralia. . . . 97
4. Utrum præter praecepta moralia et cæremonialia, contineantur in lege veteri præcepta judicialia. 98
5. Utrum aliqua alia præcepta contineantur sub lege veteri, præter moralia, judicialia, et cæremonialia 100
6. Utrum lex vetus debuerit inducere ad observantiam præceptorum per temporales promissiones, et comminationes 102
Utilitas pro Ecclesia S. Dei ex præced. 99.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex præc. art. appositæ. 104

QUÆSTIO CENTESIMA,

De præceptis moralibus veteris legis, in duodecim articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ. 106
2. Utrum præcepta moralia legis, sint de omnibus actibus virtutum. 108
3. Utrum omnia præcepta moralia veteris legis reducantur ad decem præcepta decalogi 110
4. Utrum præcepta decalogi convenienter distinguantur 111
5. Utrum præcepta decalogi convenienter enumerentur 114
6. Utrum convenienter ordinentur decem præcepta decalogi. 118
7. Utrum præcepta decalogi convenienter tradantur. 120
8. Utrum præcepta decalogi sint dispensabilia. 123
9. Utrum modus virtutis cadat sub præcepto. 125
10. Utrum modus charitatis cadat sub præcepto divinæ legis 127
11. Utrum convenienter distinguantur alia moralia præcepta legis præter decalogum 129
12. Utrum præcepta moralia veteris legis justificarent. 133
Utilitas pro Ecclesia S. Dei ex præced. 100.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad duodecim præc. art. appositæ 135

QUÆSTIO CENTESIMA PRIMA,

De præceptis cæremonialibus secundum se, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum ratio præceptorum cæremonialium consistat in hoc, quod pertinet ad cultum Dei 140
2. Utrum præcepta cæremonialia sint figuralia 141
3. Utrum debuerint esse multa cæremonialia præcepta 144
4. Utrum cæremoniæ veteris legis convenienter dividantur in sacrificia, sacracramenta, sacra, et observantias. 146
Utilitas pro Ecclesia S. Dei ex præced. 101.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ 148

QUÆSTIO CENTESIMA SECUNDA,

De cæremonialium præceptorum causis, in sex articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum cæremonialia præcepta habeant causam. 150
2. Utrum præcepta cæremonialia habeant causam literalem, vel figuralem tantum. 151
3. Utrum possit assignari conveniens ratio cæremoniarum, quæ ad sacrificia pertinent. 157
4. Utrum assignari possit certa ratio cæremoniarum quæ ad sacra pertinent. . 164
5. Utrum sacramentorum veteris legis conveniens causa esse possit 171

6. Utrum fuerit aliqua rationalis causa observantiarum cæremonialium. . . 186
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 102.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad sex præc. art. appositæ. 195

QUÆSTIO CENTESIMA TERTIA,

De duratione præceptorum cæremonialium, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum cæremoniæ legis fuerint ante legem. 196
2. Utrum cæremoniæ veteris legis haberent virtutem justificandi tempore legis. 198
3. Utrum cæremoniæ véteris legis cessaverint in adventu Christi 200
4. Utrum post passionem Christi legalia possint servari sine peccato mortali. . 202
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 103.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. 205

QUÆSTIO CENTESIMA QUARTA,

De præceptis judicialibus, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum ratio præceptorum judicialium consistat in hoc quod sunt ordinantia ad proximum 208
2. Utrum præcepta judicialia aliquid figurent 210
3. Utrum præcepta judicialia veteris legis perpetuam obligationem habeant. . 211
4. Utrum præcepta judicialia habeant aliquam certam divisionem. 213
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 104.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. 214

QUÆSTIO CENTESIMA QUINTA,

De ratione judicialium præceptorum, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum convenienter lex vetus de principibus ordinaverit. 216
2. Utrum convenienter tradita fuerint præcepta judicialia quantum ad popularium convictum. 219
3. Utrum judicialia præcepta sint convenienter tradita, quantum ad extraneos. 229
4. Utrum convenienter lex vetus præcepta ediderit circa domesticas personas. 232
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 105.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. 235

QUÆSTIO CENTESIMA SEXTA,

De lege evangelica, quæ dicitur lex nova, secundum se, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum lex nova sit lex scripta 236
2. Utrum lex nova justificet 238
3. Utrum lex nova debuerit dari á principio mundi. 239
4. Utrum lex nova sit duratura usque ad finem mundi. 241
Utilitas pro Ecclesia S. Dei ex præced. 106.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ 243

QUÆSTIO CENTESIMA SEPTIMA,

De comparatione legis novæ ad veterem, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum lex nova sit alia á lege veteri 246
2. Utrum lex nova legem veterem impleat 249
3. Utrum lex nova in lege veteri contineatur. 251
4. Utrum lex nova sit gravior quam vetus. 252
Utilitas pro Ecclesia S. Dei, ex præced. 107.ª quæst., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor præc. art. appositæ. 254

QUÆSTIO CENTESIMA OCTAVA,

De his quæ continentur in lege nova, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum lex nova aliquos exteriores actus debeat praecipere, vel prohibere. . 256
2. Utrum lex nova sufficienter exteriores actus ordinaverit. 258
3. Utrum lex nova hominem circa interiores actus sufficienter ordinaverit. . 264
4. Utrum convenienter in lege nova consilia quaedam determinata sint proposita. 267
Utilitas pro Ecclesia S. Dei ex praeced. 108.ª quaest., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor praec. art. appositae 270

TRACTATUS DE DIVINA GRATIA.

Prologus. 271

QUÆSTIO CENTESIMA NONA,

De exteriori principio humanorum actuum, scilicet de gratia Dei, in decem articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum homo sine gratia aliquod verum cognoscere possit 272
2. Utrum homo possit velle, et facere bonum absque gratia 275
3. Utrum homo possit diligere Deum super omnia ex solis naturalibus sine gratia. 277
4. Utrum homo sine gratia, per sua naturalia, legis praecepta implere possit. . 280
5. Utrum homo possit mereri vitam aeternam sine gratia. 281
6. Utrum homo possit seipsum ad gratiam praeparare per seipsum absque exteriori auxilio gratiae. 283
7. Utrum homo possit resurgere á peccato sine auxilio gratiae. 285
8. Utrum homo sine gratia possit non peccare. 287
9. Utrum ille, qui jam consecutus est gratiam, per seipsum possit operari bonum, et vitare peccatum absque auxilio gratiae. 289
10. Utrum homo in gratia constitutus indigeat auxilio gratiae ad perseverandum. 291
Utilitas pro Ecclesia S. Dei ex praeced. 109.ª quaest., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad decem praec. art. appositae 293

QUÆSTIO CENTESIMA DECIMA,

De gratia Dei quantum ad ejus essentiam, in quatuor articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum gratia ponat aliquid in anima. 297
2. Utrum gratia sit qualitas animae 299
3. Utrum gratia sit idem quod virtus. 301
4. Utrum gratia sit in essentia animae sicut in subjecto. 303
Utilitas pro Ecclesia S. Dei ex praeced. 110.ª quaest., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quatuor praec. art. appositae. 305

QUÆSTIO CENTESIMA DECIMA PRIMA,

De divisione gratiæ, in quinque articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum gratia convenienter dividatur per gratiam gratum facientem, et gratiam gratis datam 307
2. Utrum gratia convenienter dividatur per operantem et cooperantem . . . 309
3. Utrum gratia convenienter dividatur in praevenientem et subsequentem. . 311
4. Utrum gratia gratis data convenienter ab Apostolo 1. Cor. 12. dividatur. . 313
5. Utrum gratia gratis data sit dignior quam gratia gratum faciens. 316
Utilitas pro Ecclesia S. Dei ex praeced. 111.ª quaest., seu appendices Fr S. C. á Porrec. ad quinque praec. art. appositae 318

QUÆSTIO CENTESIMA DECIMA SECUNDA,
De causa gratiæ, in quinque articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum solus Deus sit causae gratiae 319
2. Utrum requiratur aliqua praeparatio et dispositio ad gratiam ex parte hominis. 320
3. Utrum necessario detur gratia se praeparanti ad gratiam, vel facienti quod in se est. 322
4. Utrum gratia sit maior in uno quam in alio. 323
5. Utrum homo possit scire se habere gratiam. 325
Utilitas pro Ecclesia S. Dei ex praeced. 112.ª quaest., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad quinque praec. art. appositae 327

QUÆSTIO CENTESIMA DECIMA TERTIA,
De effectibus gratiæ, in decem articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum justificatio impii sit remissio peccatorum. 330
2. Utrum ad remissionem culpae, quae est justificatio impii, requiratur gratiae infusio 333
3. Utrum ad justificationem impii requiratur motus liberi arbitrii. 334
4. Utrum ad justificationem impii requiratur motus fidei. 336
5. Utrum ad justificationem impii requiratur motus liberi arbitrii in peccatum. 338
6. Utrum remissio peccatorum debeat numerari inter ea quae requiruntur ad justificationem impii 339
7. Utrum justificatio impii fiat in instanti 341
8. Utrum gratiae infusio sit prima ordine naturae ad justificationem impii . . 344
9. Utrum justificatio impii sit maximum opus Dei. 347
10. Utrum justificatio impii sit miraculosa 349
Utilitas pro Ecclesia S. Dei ex praeced. 113.ª quaest., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad decem praec. art. appositae. 351

QUÆSTIO CENTESIMA DECIMA QUARTA,
De merito, quod est effectus gratiae cooperantis, in decem articulos divisa.

ARTICULI.

1. Utrum homo possit aliquid mereri á Deo 355
2. Utrum aliquis sine gratia possit mereri vitam aeternam 357
3. Utrum homo in gratia constitutus possit mereri vitam aeternam ex condigno. 359
4. Utrum gratia sit principium meriti principalius per gratiam quam per alias virtutes 361
5. Utrum homo possit sibi mereri primam gratiam 363
6. Utrum homo possit alteri mereri primam gratiam. 364
7. Utrum homo possit sibi mereri reparationem post lapsum 366
8. Utrum homo possit mereri augmentum gratiae vel charitatis. 367
9. Utrum homo possit perseverantiam mereri. 369
10. Utrum temporalia bona cadant sub merito. 370
Utilitas pro Ecclesia S. Dei ex praeced. 114.ª quaest., seu appendices Fr. S. C. á Porrec. ad decem praec. art. appositae. 373

Appendix
AD TRACTATUM DE GRATIA.

DISSERTATIO I.
in duo capita divisa.

CAPUT I.
in sex articulos distributum.

ARTICULI.

1. De origine, parentibus ac magistris haeresis pelagianae. 378
2. De Pelagio, ejusque discipulis 379
3. De erroribus Pelagianorum. 382
4. Utrum Pelagius veram et internam voluntatis gratiam aliquando tandem agnoverit. 387
5. Utrum Pelagiani admisserint gratiam habitualem et virtutes infusas. . . . 391
6. De qua gratiae specie contentio fuerit S. Augustinum inter et Pelagianos.. 392

CAPUT II.
in sex articulos distributum.
De Pelagianæ hæreseos impugnatoribus.

ARTICULI.

1. De Conciliis in causa Pelagianorum celebratis 393
2. De Constitutionibus summorum pontificum contra Pelagianos. 394
3. De dogmaticis SS. Patrum libris adversus Pelagianos. 396
4. De imperatorum edictis adversus Pelagianos. 399
5. De subscriptionibus in causa Pelagianorum exactis 400
6. Compendiosa proponitur series chronologica operum S. Augustini adversus haeresim Pelagianam 402

DISSERTATIO II.
De hæresi Semipelagiana in duo capita divisa.

CAPUT I.
in duos articulos distributum.

ARTICULI.

1. De Monachis Adrumetinis. 406
2. De Praedestinatianis. . . . .

CAPUT II.
De *Semipelagianismo, in quatuor articulos distributum.*

ARTICULI.

1. ¿Quinam fuerint Semipelagiani, et eorum auctores, seu sectatores praecipui? 407
2. De Semipelagianorum erroribus. 408
3. An et qualem gratiam Semipelagiani admiserint ad initium fidei et salutis. . 409
4. De Semipelagianorum impugnatoribus. 412

DISSERTATIO III.
De Wiclefistis.

CAPUT UNICUM.
in tres articulos divisum.

ARTICULI.

1. De Wiclefo ejusque defensoribus. 413
2. De Wiclefi erroribus. 414
3. De haerescos Wiclefi damnatione. 415

DISSERTATIO IV.

De *Lutheranis.*

CAPUT UNICUM.

in tres articulos divisum.

ARTICULI.

1. De Luthero, ejusque discipulis. 415
2. De erroribus Lutheri. 417
3. De multiplici lutheranae haereseos damnatione. 422

DISSERTATIO V.

De *hæresi Calviniana.*

CAPUT UNICUM

in quatuor articulos divisum.

ARTICULI.

1. De Calvino. 424
2. De Calvini erroribus. 425
3. De Calvinistarum dissidiis. 428
4. De Colloquiis, synodis, et fidei professionibus in causa Calviniana habitis.. 429

DISSERTATIO VI.

De *Baianismo.*

CAPUT UNICUM

in tres articulos divisum.

ARTICULI.

1. De historia Baii. 432
2. De erroribus seu systemate Baiano. 433
3. De bullis in causa Baii. 437

DISSERTATIO VII.

De *Jansenismo.*

CAPUT UNICUM

in quatuor articulos partitum.

ARTICULI.

1. De persona Jansenii. 440
2. De Jansenii scriptis, et praecipue de libro cui titulus: *Augustinus* . . . 440
3. De prohibitione hujus libri, deque historia illius damnationis, et praecipue quinque propositionum. 440
4. De systemate Jansenii. 444

DISSERTATIO VIII.

De *Quesnellianismo.*

CAPUT UNICUM.

in duos articulos divisum.

ARTICULI.

1. De persona Quesnelli, deque historica causae Quaesnellianae synopsi. . . 447
2. De auctoritate Bullae Unigenitus. 449

DISSERTATIO IX.

De variis naturæ humanæ statibus.

CAPUT UNICUM

in duos articulos distributum.

ARTICULI.

1. Explicantur quinque status naturae humanae. 453
2. Utrum status naturae purae fuerit possibilis 459

DISSERTATIO X.

De aliquibus addendis quæstioni 109 *de necessitate gratiæ in octo articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Quid intelligatur nomine gratiæ. 461
2. Quid intelligatur nomine veri. 462
3. De necessitate gratiæ ad faciendum bonum. 463
4. De necessitate gratiæ ad observandam legem naturalem. 477
5. De necessitate gratiæ ad Deum, ut auctorem naturæ, diligendum. . . . 480
6. De necessitate gratiæ ad vincendas tentationes. 482
7. De præparatione ad gratiam, et de sensu celebris axiomatis: FACIENTI QUOD IN SE EST, DEUS NON DENEGAT GRATIAM. 485
8. De necessitate specialis auxilii gratiæ ad finaliter perseverandum. 487

DISSERTATIO XI.

De addendis quæstioni 110 *de gratia Dei quantum ad ejus essentiam.*

ARTICULI.

Art. unicus. De nomine, existentia et essentia gratiæ sanctificantis, in quo continentur hæc quæsita . . . . . .
Q. 1. Quænam sunt nomina Gratiæ sanctificantis?. 488
Q. 2. Existitne gratia sanctificans? . . . .
Q. 3. Gratia sanctificans estne aliquid intrinsece inhærens?. 489
Q. 4. Gratia sanctificans estne quid permanenter animæ inhærens?. . . . 490
Q. 5. Utrum sit de fide gratiam sanctificantem esse quid permanens?. . . . 491
Q. 6. Gratia sanctificans estne quid realiter á charitate distinctum?
Q. 7. Utrum gratia sanctificans sit participatio divinæ naturæ?. 492
Q. 8. In quo subjectetur gratia. . . . . .
Q 9. Quomodo definitur gratia sanctificans. 493

DISSERTATIO XII.

De addendis quæstioni 111 *de divisionæ gratiæ in octo articulos divisa.*

ARTICULI.

1. De variis gratiæ divisionibus, et præcipue de celebri divisione in sufficientem et efficacem. 498
2. Systema S. Thomæ et ejus discipulorum circa gratiam sufficientem et efficacem. 499
3. Varia discrimina inter systema Thomisticum et Jansenianum. 501
4. Utrum detur in hoc statu naturæ lapsæ gratia sufficiens? 503
5. Quo sensu admittenda sit gratia sufficiens?. 504
6. Quid, et quotuplex sit auxilium gratiæ sufficientis? . . . . .
7. De gratia efficaci. ¿Unde repetenda sit eius efficacia, et an sit per se efficax? 506
8. Expenduntur varii modi explicandi efficaciam, et causalitatem gratiæ per se efficacis. 512

DISSERTATIO XIII.

De addendis quæstioni 113 *de effectibus gratiæ in undecim articulos divisa.*

ARTICULI.

1. De notione justificationis. 518
2. In quo consistit justificatio. 521
3. De remissione peccatorum in justificatione impii. 523
4. Quomodo fiat justificatio impii; an per solam justitiam Christi nobis imputatam, an per justitiam intrinsecam? 525
5. An sola gratia habitualis sit causa formalis justificans, vel etiam actus contritionis seu charitatis? 530
6. De propietatibus justificationis. 535
7. De dispositionibus ad justificationem. 536
8. An, et quæ fides requiratur ad justificationem adulti, et utrum illa sola ad eam sufficiat?. 542
9. De ceteris dispositionibus ad justificationem. 74

10. De virtutibus infusis, in quo continentur sequentia. . . .
Q. 1. Quotuplex est virtutis infusæ acceptio? . . . .
Q. 2. Quid est virtus infusa quoad modum? . . . . .
Q. 3. Quid est virtus infusa quoad entitatem? . . . .
Q. 4. Quare virtus per se infusa est entitative supernaturalis? 548
Q. 5. Virtus per se infusa differtne essentialiter á virtute acquisita, v. g. temperantia infusa á temperantia acquisita? . . . . . .
Q. 6. Quare virtus per se infusa est á solo Deo producibilis? . . . . . .
Q. 7. Quomodo dividuntur virtutes infusæ? 549
Q. 8. Quid est virtus Theologica. . . . . .
Q. 9. Quid est virtus infusa moralis? . . . . . .
Q. 10. Quare virtus moralis infusa in mediocritate consistit?
Q. 11. Cur virtutes theologicæ non dicuntur morales, cum longe perfectiori modo mores dirigant. 550
Q. 12. Quotuplex est virtus moralis. . . . . .
Q. 13. Quare quatuor illæ virtutes dicuntur cadinales? .
Q. 14. Omnes recensitæ virtutes infundunturne in justificatione? . . . 551
XI. De donis Spiritus Sancti, in quo continentur sequentia.
Q. 1. Quid est donum Spiritus Sancti? 553
Q. 2. Numquid necessaria est Spiritus Sancti motio, ut habitus virtutum infusarum in actum prorumpant? 554
Q. 3. Suntne admittenda dona á virtutibus distincta? . .
Q. 4. Dona suntne habitus præstantiores virtutibus? . .
Q. 5. Quot sunt dona Spiritus Sancti? 555
Q. 6. Quomodo probatur septenarius ille donorum numerus?
Q. 7. Quomodo se habet quodlibet donum ad virtutem cui respondet? . . . 556
Q. 8. Dona suntne habitus distincti á duodecim fructibus Spiritus Sancti, de quibus Galat. 5. et ab octo beatitudinibus, quæ laudantur, Matth. c. 5? 557
Q. 9. Quomodo octo beatitudines conveniunt cuilibet dono? 558
Q. 10. Omnia dona infundunturne in justificatione? 559

DISSERTATIO XIV. ET ULTIMA.

De addendis quæstioni 114. *de merito quod est effectus gratiæ cooperantis, in septem articulos divisa.*

ARTICULI.

1. Quid, et quotuplex sit meritum? 559
2. De existentia meriti. 561
3. De retributione vitæ æternæ pro meritis. ¿An sit actus justitiæ, et cujus? . . . 563
4. De conditionibus ad meritum requisitis. 568
5. An meritum spectet ad charitatem, et quomodo ad illud debeat charitas influere. 572
6. De objecto meriti. 574
7. Utrum homo possit perseverantiam mereri? 575

FINIS INDICIS TOMI QUINTI.

208.8
M 469
26415
MEDICIS, REV. HIERONIMO de
AUTHOR Formalis Explicatio
Summae Theologicae S. Thome Aquin.
TITLE Tome 5
Continens 1 et 2 pts. third ve
DATE LOANED
BORROWER'S NAM
[redacted]
26415